8316

N. Cauda

9
151

REVERENDI PATRIS

GABRIELIS

DE HENAO

VALLISOLETANI SOCIETATIS IESV,

PROFESSORIS QVONDAM
Theologię in Regali Collegio Salmanticensi
eiusdem Societatis, & ibidem nunc
Interpretis Litterarum
Sacrarum.

DE MISSÆ SACRIFICIO DIVINO,
atque Tremendo,

TRACTATIO THEOLOGICA

Scholastica, Moralis, Expositiua,
& Canonica.

OPVS VALDE VTILE THEOLOGIS SCHOLASTICIS,
Moralibus, Expositiuis, necnon Studiosis
Iuris Canonici.

PARS PRIMA:

NVNC PRIMVM PRODIT.
Cum Indicibus necessarijs.

CVM PRIVILEGIO

SALMANTICAE, IN TYPOGRAPHIA
Sebastiani Perez. Anno 1658.

Es del Mo Fr Diego Basanta Obispo de Burgos

ILLVSTRISSIMO, ET REVERENDISSIMO
DOMINO DOCTORI

D. RODERICO
DE MANDIAA ET PARCA,
ELECTO EPISCOPO SYRIAE,
Scholastico Cathedralis Ecclesiæ, & Cancellario, Iudicique Ordinario, ac Conseruatori Academiæ Salmanticensis.

PRIOREM hanc partem Tractationis meæ de Sacrificio Missæ quasi ad aram sisto dignitatis tuę, Illustrissime, Reuerendissimeque Domine. Et primò quidem si spectetur Operis argumentũ, satis habet commendationis. Tantum illud est, vt B. Laurentius Iustinianus in Lib. de casto connubio Verbi, & animæ C. 24. post attentam considerationem dixerit tam eloquenter, quàm piè, *O memoriale saluificum, ò Sacrificium singulare, ò hostia acceptabilis Deo Patri, panis vitæ, pabulum suaue, refectio iucunda, saginate vitule, immaculate agne, mellifluum manna, quis dignè potest te sumere, sufficienter laudare, ad plenum intelligere, sincero affectu venerari, & totis desideriorum suorum præcordijs tenere! Deficit cor meum cogitando de te, non valet lingua mea loqui de te, nec, quantum cupio, sufficio magnificare te. Da mihi, Domine, eruditum sensum, linguam magniloquam ad tui Sacramenti promenda magnalia. Non enim, quanta sunt, humanus valet explicare sensus, neque Angelicus intellectus. Solus ille novit ista, qui solus voluit, & potuit facere tanta, ac talia. Non tamen ab eius laude debet cessare etiam peccator* (Quæ verba excusationi, & fiduciæ mihi sunt) *quanvis impar etiam iustissimi sit omnis illius laudatio.* Hucvsque Protopatriarcha Venetus. Deinde si perpendatur ratio edendi in lucem hoc Opus sub clarissimis tuis auspicijs, multum cõtinet officiosæ necessitatis, tua enim erga me benevolentia, & comitas humanitate grata in arctam penè evasit amicitiam; quæ exposcebat, vt si quid tenuitas mea posset, id totũ cederet in symbolum, atque significationem meæ gratitudinis. Parco referre diffusiùs, quot me beneficijs, quantaque me gratia oneraveris, ne videar quærere mihi laudem, & æstimationem apud alios; *præstat enim decus amicitia desiderata potiorum, quam societas bonorum morum callet infundere, dum affectione concordi parem sibi studet esse, quem diligit,* vt ait Cassiodorus Lib. 2. Variarũ in 3. Omissa igitur privata ratione, devenio ad publicas. Conceptus nimirùm est hic Liber in ipla Salmantina Academia, cuius tu grauissimus Cancellarius, & Caput es, vbi scientiarũ omnium Summatibus, totiusque litteraturæ Candidatis iura, legesque præscribis iurisdictione Pontificia, Regiaque simul præfulgens: inter alias autem Communitates vnitas Almæ Matri Academiæ non ignobilem locum tenet Regale Societatis Iesu Collegium, cuius ego postremus alumnus humili isto munusculo testatum volui nostrum erga te obsequium. Ipse etiam Tractationis genius quò alio, quàm ad te collimabat. Cum namque sacrorum Canonum sensui indagando sępissimè incũbar, iure tibi debetur, qui Ecclesiasticæ eruditionis egregium adeò specimen toties præbuisti. Testes appello Ecclesias Mindonien sem, Oxomẽsem, Conchensem, Seguntinam, Burgensem, & Compostellanam, in quibus Episcoporum vicem, vsq; ad iustitiæ inuidiam, summa cum acceptione, & plausu obijsti. Testem etiam appello Regiam Curiam Madritensem, cui te suum Substitutum Generalem præfecit Eminentissimus Cardinalis Archiepiscopus Toletanus, Hispaniarumq; Primas Dominus D. Balthasar Moscosus & Sandobalius: provinciam hanc quàm præclarè gesseris, quantaque prudentiæ, experientiæ, capacissimæ mentis ad ardua negotia, sapientiæ, iustitiæ, & integritatis signa dederis in Hispanicæ Monarchiæ centro, nul-

lus est, qui ignoret, nullus, qui non deprędicet. Talem te certè exhibuisti, qualem sperare necesse erat ab homine, quem ad sui personam agendam in Hispaniæ totius oculis destinasset magnus ille Archipræsul. Adeò te ibi probasti Regi nostro potētissimo, & religiosissimo, Senatibusq; supremis æquissimis, & prudentissimis, vt nominatus fueris Episcopus Syriæ, postq; Magister Scholæ, Archigrammateus, Iudexque Ordinarius, & Conseruator Academię Salmanticensis. Videorq; mihi audire Regē nostrū sic affantē te, quando tantam detulit dignitatē, vti cum Argolico creato Vrbis Præfecto Theodoricus Rex quondam loquebatur apud Cassiodorum L. 3. Epist. 11. *Circumspice, quàm magnum sit, canam* [*Salmanticam*] *potuisse tibi committi, vt in illo amplissimo cœtu Iudicis videaris eminere suggestu, vbi est arduum, vel ipsum obtinere collegiū. Stude ergo, vt à meritis tuis exigere possis, quod nos præstitisse cognoscis. Auara fuge, iusta sequere, modesta dilige, iracunda contemne. Quid erit suauius, quàm in illa turba Summorum nobile protulisse iudicium, vbi tot Patritiorum corda prouocantur ad gratiam, vbi bonum factum celebretur ore Sapientum. Num quam maiori laude res agitur, quàm si rectè* [*Salmantica*] *tractetur.* Et tractatur quidem à te rectissimè, vt qui Officij istius omnes partes (quæ multæ sunt, varię, & momentosæ) impleas absolutissimè: vnde Sapientes Academici laudibus cumulant, atque extollunt gestas optimè à te res in administratione iustitiæ, quam ducem semper sequeris, in procuranda tranquillitate publica, cuius assertores, & vindex acerrimus, in relegandis excessibus sumptuum, abusibus armatarum acclamationum, & circulorum, in solicitanda Disciplinarum cunctarum diligenti à Magistris traditione, & gymnasiorum assidua frequentatione ab Studiosis. Vnde & hi (qui sunt flos iuventutis, nobilitatisq; Hispanę) alliciuntur ad obseruantiam, amoremque tui vt Iudicis, & vt Patris; qualem erga ipsos debere esse Magistrum Scholæ, admonent Statuta Academiæ in tit. 68. ijdemque certatim decantant tuarum laudum præconia. Et cum regimen adolescentium difficile sit, vti notat Seneca Lib. 2. de Ira, artem hanc artium apprimè calles, dexterrimèque exerces, adhibens modò duram, sed coactam, modò lenem, Procliuemque manum, quippè non rarò repetas illud,

------sed parcimus annis,
Donamusque nefas.-----

Et quia ex Seneca in Epist. 108. nosti, *tyrunculos habere vehementes impetus primos ad optima quæque, si quis exhortetur illos, si quis impellat,* curas tam per te, quàm per alios addere calcaria iuvenibus ad virtutum, & litterarum cursum. Inter cætera autem, ob quæ mihi videris summis encomijs ornandus, non silebo consiliorum tuorum in Academicis conuentibus prudentiam, maturitatem, & candorem. Est illud tibi studium, vt veritati, bonoque communi Vniuersitatis semper lites, non raptus privato affectu, nec amicitia, neque inimicitia; quæ suffragiorum solent esse corruptela. Et hæc de multis animi tui dotibus delibasse sufficiat, lōgè enim impar est nostra oratio, quàm vt possit omnes complecti, suisque coloribus, pigmentisque distinguere. Enimverò cum tot illę sint, nolui de avita tua nobilitate, claritudineq; sanguinis (quo nullus purior, aut defæcatior in Gallęciæ Regno, natali solo familiarum illustrium) sermonem habere. Cōcinnè, aptèque tibi quadrant illa Ennodij, *Quan vis de splendore natalium conscientiæ iubar hauseris, tamen fulgorem stirpis præcipuè morum radijs ob vmbrasti, vincens decorem sanguinis ingenij claritate, dum coruscantem generis tui lampadem actuum serenitate transcendis, & factus est victor stemmatis tui, per quod plerosque mortalium nascendo superasti.* Eximia hæc nobilitas luminibus virtutum, litterarumque radijs condecorata viam tibi struxit ad Collegium celeberrimū Conchense Maius S. Iacobi Zebedæi apud Salmanticā; num ne tibi, vel Collegijs Maioribus, vel ne tam tibi, quàm illis tantum deesset ornamentum? dijudicent alij, interim dum ego à te postulo, vt qua affabilitate me soles admittere, accipias & hanc meam Opellam, dumque à Deo Optimo, & Maximo suppliciter deprecor, vt vitā tuam diutissimè sospitet.

Illustrissimæ, Reuerendissimæque tuæ
Dominationi addictissimus

Gabriel de Henao.

FACVLTAS R. P. MARTINI DE LEZAVN Prouincialis Societatis Iesu in Prouincia Castellana.

MARTINVS de Lezaun Prouincialis Societatis Iesu in Castellana Prouincia, potestate ad id mihi facta à R. admodùm P. N. Goſvvino Nickel Prępoſito Generali facultatē facio, vt Opus *De Sacrificio Miſſæ* à P. Gabriele de Henao noſtræ Societatis, ſacræ Theologiæ profeſſore compoſitū, & eiuſdem Societatis grauium, doctorumque hominum iudicio approbatum, typis mandetur. In quorum fidem has litteras manu noſtra ſubſcriptas, & ſigillo noſtro munitas dedimus. Madriti 20. Iulij, anno 1657.

Martinus de Lezaun.

CENSVRA R. P. SAPIENTISSIMIQVE Magistri F. Ioſephi Romero ex Religioſiſſimo Ordine Sanctiſſimæ Trinitatis, in Salmanticenſi Academia meritiſſimi Moderatoris publici Cathedræ Scripturæ ſacræ.

EX commiſsione D. Doct. D. Gabrielis Vazquez Saauedra & Rojas Prouiſoris, Vicarijque Generalis Salmanticenſis, ſede vacante, recognoui prę-clarum, & eximium Opus de *Sacrificio Miſſæ*, valde accuratè elaboratum à R. P. Gabriele de Henao Societatis Ieſu, quondam Profeſſore Theologiæ, nuncque Scripturæ ſacræ Expoſitore, vbi nihil in diſcuſſum, nihil indeciſum relinquitur, & omni commendatione ſublimius iudicaui. Quid? ſi ingenia parua iuxta S. Hieronymum in Epiſt. ad Nepotianū materias grandes non ſubſtinent. Tāto Operi numen tantum deſtinauit ingenium. Nec noſtro indigus vaticinio ſuper Aſtra maiori laude diſcurrit. Non hoc primum ſapientiæ iubar, iam olim cunctorū plauſu adultæ lucis ſplendidiſſima crepuſcula riſerunt: hæc ſunt cœleſtes illi Libri, quos de Empyreo poſteritati ſacrauit, ingens quippè Cœlum non minorem poſcebat Athlantem. Cum igitur (ſi Boethij de Diſcip. Scholarium credamus eloquio) *Miſerrimi ſit ingenij, inventis, & non inueniendis vti*, novum ibi, & inuſitatum ſplendorem in ſingulis quæſtionibus ſpargit: nihilque abditum intra Cœleſtia arcana deliteſcit, quod non diſcutiat, quod non nitida claritate expandat. Id ipſum in celebri tomo de Scientia Media, & V. Euchariſtię Sacramento; id ipſum in præſenti de Sacrificio Miſſæ, nulla re Catholicę Fidei contrario, ſed ſumma eruditione referto, ſententiarum pondere graui, ſapientibus denique, & æternitate digno. Fauſtis ergo auſpicijs,

Ingenijs pateat campus: certusque merenti
Stet fauor.

Quare non ſolùm luci debitum cenſeo, ſed eruditam, & vtilem tanti Libri lectionē commendo. Salmanticæ, die 20. Maij, anno 1657.

Mag. F. Ioſephus Romero,

LICENCIA DEL ORDINARIO.

NOS el Doctor D. Gabriel Vazquez Saauedra y Rojas, Colegial que fue del Mayor de Cuenca de Salamanca, Cathedratico de Prima de Theologia en ſu Vniuerſidad, Canonigo Lectoral en ſu ſanta Igleſia, Prouiſor, y Vicario General en ſu Obiſpado por ſede vacante, &c. Por el tenor de la preſente, por lo que à Nos toca, damos licencia, para que ſe pueda imprimir el Libro intitulado *De Sacrificio Miſſæ*, compueſto por el R. P. Gabriel de Henao de la Compañia de Ieſus, Maeſtro de Eſcritura Sagrada en el Colegio Real de la Compañia de Salamanca, atento q̄ de la cenſura del R. P. M. F. Ioſeph Romero de la Sātiſſima Trinidad, y Cathedratico de Eſcritura de eſta Vniuerſidad, à quien le remitimos, nos conſta no tiene coſa contra nueſtra ſanta Fe Catholica, y buenas coſtumbres, antes ſerà de mucha vtilidad, y pronecho el que ſe imprima. Dada en Salamāca en 31. de Mayo de 1657.

Doct. D. Gabriel Vazquez Saavedra y Rojas.

Por mandado del ſeñor
Prouiſor en ſede vacante.
Marcos de Miranda.

¶¶¶ CEN-

CENSVRA R. DOCTISSIMIQVE P. Petri Pimentel Societatis Iesu, olim in Academia Salmanticensi pro Societatis eiusdem Regali Collegio Primarij Theologiæ Professoris, Prouincialisque Castellanę Prouinciæ, in Regio Supremæ Inquisitionis Senatu Censoris, & Ecclesiastis Catholicæ Maiestatis.

SVPREMI Senatus iussu recensui Opus inscriptum, *De Missæ Sacrificio diuino, atque tremẽdo Tractatio Theologica Scholastica, Moralis, Expositiua, & Canonica*, compositum à P. Gabriele de Henao Societatis Iesu, Vallisoletano, noto mihi iam diu, Theologiæ Scholasticæ Lectore anteà, & Scripturæ sacræ nunc Interprete apud Salmanticam; vbi Magistrorum spectationem discipulorum plausus adæquauit. Hæc sanè Tractatio studij, & assiduæ in litteris lucubrationis fructus; ingenij, eruditionisque non vulgaris, expectatus labor, non vnicus: concelebrantur quippe alia Opera, quæ typis olim mandauit, & quæ Hispaniæ non recluſa limitibus apud exteros etiã Authoris nomen euexere ingentis litteraturæ, & sapientiæ præconio: quod iure præsens Liber erga omnes promerebitur, grauis iudicij pondere, Sacrarum litterarum, Patrum Ecclesiæ, Canonum, Conciliorum denique exquisita lectione refertus: nec recẽtiorum tantùm sententias euoluit, qui antiquorum scripta haud ignobilium exhausit spiritu. Vnde verum, vt Tullius pro Licinio, seu oratione pro Archia, *Quæ accuratè, cogitatèque scripsit, ea sic vidi probari, vt ad veterum Scriptorum laudem peruenerint*. Quare dignissimum censeo, vt huius Libri evulgandi facultas concedatur, in quo nihil Fidei dogmatibus contrarium, nihil à rectitudine morum alienum adest; sed est potiùs communi Ecclesiæ vtilitati consentaneus, qui securissimæ doctrinæ viam omnibus aperit, & inoffenso pede, quas possint percurrere semitas, ostendit. In hoc Collegio Imperiali Madritensi Societatis Iesu. 30. Septembris die, anno 1657.

Petrus Pimentel

SVMA

SVMA DEL PRIVILEGIO.

TIENE Priuilegio el P. Gabriel de Henao de la Compañiá de Iesus, ò quien su poder tubiere, para imprimir este Libro intitulado *De Sacrificio Missæ*, por tiempo de diez años, con prohibicion de que nadie lo pueda imprimir, sò las penas contenidas en el dicho Priuilegio, como mas largamente consta de su Original despachado en el Oficio de Martin de Villela, Secretario de su Magestad; su fecha à quinze dias de Otubre de mil y seiscientos y cincuenta y site años.

ERRATA SIC CORRIGENDA.

PAG. 1. Col. 2. Lin. 16. Ang. cor. Aug. 16. 2. 5. cence, cor. cense, 31. 1. 5. Theologum, cor. gorum, 32. 2. 27. generatio, cor. one, 52. 2. 54. habere, cor. ret, 56. 2. 52. pie, cor. die, 70. 2. 19. oculos, cor. lis, 71. 1. 19. aſq; cor. atq. 73. 2. 5. resumend, cor. da, 78. 1. 23. consecratio, cor. one, 80. 2. 18. solummo, cor. modò, 84. 2. 45. oblationem, cor. ablu, 89. 2. 3. quatuor, cor. quinque, 123. 1. 21. searatur, cor. sepa, 138. 2. 35. infitum, cor. infin. 157. 2. 6. han, cor. hanc, 165. 1. 29. ancip, cor. anticip, 233. 2. 5. rectractet, cor. retr, 257. 1. 10. fuisse, cor. fuisset, 259. 2. 39. applicationi, cor. nis, 268. 1. 11. deducut, cor. cunt, 321. 2. 8. disputationibus, cor. nis, 397. 2. 58. largitiate, cor. largitatis, 416. 2. 38. Alpiz, cor. Azpil.

His demptis, respondet suo exemplari. Salmanticæ die 24. Martij, anno 1658.

Magister Antonius Aluarez Valuerdius,
Vniuersitatis Corrector.

SVMA DE LA TASSA.

TASSARON los señores del Consejo Real este libro intitulado *De Sacrificio Missæ Pars prima*, compuesto por el P. Gabriel de Henao de la Compañia de Iesus à 5. marauedis cada pliego, y à este precio mandaron se vendiese, y no à mas, como consta de la certificacion, que dello dio Miguel Fernandez de Noriega Escriuano de Camara del Rey N. S. de los que residen en su Consejo, su fecha à 10. de Abril de mil y seiscientos y cincuenta y ocho.

LECTORI

E ALLOQVENTEM AVDIRE, FACILÈ exoraberis, Lector beneuole; cui noſtras huc vſque lucubrationes probatas fuiſſe, gratanter accipio: ideoque in his non tam tuam mihi gratiam conciliare, quàm meam tibi referre, anxius contẽdo. Siquidem tua humanitate effectum eſt, vt noſtra Opera de Cœlo Empyreo, de Scientia Media hiſtoricè propugnata, deque ſacroſancto Euchariſtiæ Sacramento fortunam meritis proſperiorem experta ſint. Nec eſt, quòd mirere, plura me auſum, cui maiorem in dies audaciam impoſuerit benignitas tua. Et ni hæc tanta eſſet, illam proculdubiò depoſuiſſem incurioſa Typographorum laceſsitus iniuria; quæ enim lux à te noſtris Libris exorta eſt, ea à typo circumfunditur erratorum nebulis adeò ſpiſsis, vt intrà vnum folium ferè centum adnumeres, pleraque abſurda, enormiaque, & vt marginales notationes inuenias ſæpe perverſo intruſas ordine in textu, deſidereſque nonnulla omiſſa oſcitantiſsimè. Quoquidem vulnere intimè afficitur quicumque ſe ad ſcribendum appulit; parens videlicet ſuorum Operum, quibus tenebrarum plus affert, vnde plus claritatis, & nitoris accerſere conabatur. Maximè certè hìc condolendum eſt: quod enim prælum hominum diligentia fidiſsimum intellectus, & memoriæ adinventum eſt ſubſtitutum, auara quorundam negligentia corrumpitur, corruptumque, & infidum, obliuionis potiùs exiſtit irritamentum. Incidi malo meo in Bibliopolas magnarios longè diſtantes, magis de ſuo Mercurio, quàm de alieno Apolline ſolicitos, imò de meo omnino indiligẽtes; & quanuis vnus, qui præſens aderat, pollicitus ſit, nomineque ſuo, & duorum aliorum ſociorũ ſubſcripſerit, ſe curaturos, vt Lugduni ad vnguem perpolirentur Libri poſteriores, attamen ſalua, & integra fide non egerunt. Etſi vero à me requiſiti contulerint culpam in Typographos, quibus autographa tradiderunt; at in hoc ipſi valde culpãdi, quòd commiſerint meritorijs opificibus intentis in id tantùm, vt diarium penſum abſoluant, & quòd de tot Libris excudendis ineant pactionem, vt promiſsis conditionibus ſtare non valeant, & quòd per ſe ipſos non inſtent, aſsiſtantque officinis exploraturi, inſpecturique operarum labores. Vnde factum eſt, vt mendorum monſtrum pulchris larvatum litteris emiſerint in publicum poſt biennalem morã, fuitq; nouiſsimus error peior priore patrato in Empyreologiæ impreſsione. Et ſanè nec ſi puer, aut tyro fuiſſet Compoſitor formularum, nec niſi cæcus fuerit Corrector, (ſi fortè adhibitus eſt) poſſet gemina illa Tractatio prodijſſe deformata pluribus næuis, vitijſque: quæ tamẽn vt emptori occulta ſint, ommittunt de more, appingere in principio, aut in fine Librorum; ſecus ac in Hiſpania exactiſsimè obſeruatur, ſicque erratorum malo, quà poteſt, occurritur, & bono Authoris nomini proſpicitur. Tempero mihi, ne te prolixioribus querelis morer, obruãque; ſed pro meo ſolamine vide Maiolum tomo 2. dierum Canicularium colloq. 6. ex pag. 785. & Ioannem Gerſonem Conſideratione 6. de laude Scriptorum, ſeu facientium ſcriptum. Mihi illud curæ erit, ſi per vitam, otiumque licuerit, reſarcire in ſecunda editione damna primæ, corrigereque, ac reſecare tot erratorum luxuriantem ſyluam. Volui te de his monitum, vt multorũ, quæ aut non intelliges, aut minus benè ſonabunt tuis auribus, niſi totum contextum attentè excipias, non vertas in me noxam, & quę Typographorum eſt, conuerti iuſtè nequit in Authorem, argumento textus *in l. Si librarius, 93. ff. de regulis iuris, in l. Imperator ff. de ſtatu homin.* Vtinam Tractatus præſens, quem ſinceri animi affectu committo benevolentiç tuę, euadat erratorum ſyrtes, & ſcopulos, in quos impegerunt alij hactenus à nobis evulgati! Vale, præſtolareque in dies ſecundam partem, quæ iam ſub prælio ſudat. Erit illa plerumq; Practica, Moralis, & Canonica, vti hæc fuit plerumque Speculatiua, Theologica Scholaſtica, & Expoſitiua.

INDEX

INDEX DISPVTATIONVM, & Sectionum, quæ in hac de Sacrificio Missæ prima parte continentur.

PRAELOQVIVM PANEGYRICVM DE SACRIFICIO Missæ.

DISPVTATIO prima de Sacrificio in communi.

S. 1. Vt definiatur in communi, iaciuntur, & stabiliuntur quatuor fundamenta. Pag. 1.

S. 2. Ponuntur, & solidantur alia sex. p. 10.

S. 3. Quatuor alia statuuntur p. 17.

S. 4. Tria alia præfiguntur. p. 22.

S. 5. Proponitur definitio Sacrificij in communi, & delibantur aliqua circa diuisionem, seu circa extrema, in quæ illud dividitur. p. 29.

D. 2. De nomine Missæ, & vera ratione Sacrificij reperta in ipsa, deque nonnullis Christi D. actionibus sacris in eius institutione, necnon de aliquib⁹ huius quoad tempus circumstantijs.

S. 1. De nomine Missæ. p. 32.

S. 2. De vera ratione Sacrificij reperta in ipsa. p. 35.

S. 3. Selectæ septem obseruationes circa actiones Christi quo tempore instituit hoc Sacrificium. p. 39.

S. 4. De tempore quo Christus instituit. p. 55.

D. 3. De essentia Sacrificij Missæ.

S. 1. Quatuor, vel quinque actiones excluduntur à constitutione eius. p. 68.

S. 2. Non consistit in sumptione facta à Sacerdote. p. 74.

S. 3. Constituenda est adæquatè in consecratione. p. 78.

S. 4. Dissoluuntur obiectiones tres. p. 82.

S. 5. Quinque. p. 89.

S. 6. Nona. p. 50.

S. 7. Clausula Disputationis, enervatis nonnullis argumentis pro constitutione ex Sacerdotali sumptione. p. 103.

D. 4 An essentia Sacrificij Missæ consistat in vtriusque, vel in alterutrius speciei consecratione?

S. 1. Num vtriusque simul sit necessaria ex præcepto Christi D? p. 105.

S. 2. An vnius possit validè fieri, non obstante intentione simul habita relinquendi aliam inconsecratam, vel non offerendi Sacrificium? p. 115.

S. 3. An vnius solius possit aliquando licitè fieri ob dispensationem, vel interpretationem in præcepto Christi? p. 118.

S. 4. Essentia Sacrificij Missæ non consistit in consecratione alterutrius, sed vtriusque speciei. p. 122.

S. 5. Concluditur D. definitione Sacrificij Missæ. p. 126.

D. 5. De comparatione Sacrificij Missæ cum Sacrificio, quod Christus obtulit in vltima Cœna, & cum eo, quod in cruce, necnon de comparatione cum Sacramento Eucharistiæ.

S. 1. Instituitur comparatio prima, & secunda. p. 127.

S. 2. Tertia. p. 129.

D. 6. De Sacrificij Missæ singularitate in lege noua, necnon de eiusdem Sacrificij attributis nonnullis.

S. 1. Quanam ratione sit singulare, & vnicum? p. 132.

S. 2. Attinguntur breviter nonnulla ei⁹ attributa. p. 134.

D. 7. De valore Sacrificij Missæ.

S. 1. Quantus sit? Proponitur sententia asserens, esse finitum, & limitatum. p. 136.

S. 2. Negans. p. 139.

S. 3. Nostrum iudicium in hac controuersia. p. 142.

S. 4. Prosequutio nostri iudicij. Referuntur graues nonnulli Authores pro sententia asserente. Tentatur expeditio ab argumentis negantis. p. 144.

S. 5. Absoluitur Disputatio cum inclinatione in sententiam asserentem. p. 146.

D. 8. An Sacrificium Missæ pro plurib⁹ oblatum prosit singulis non minus, quàm si pro vno solo offerretur?

S.

S. 1. An applicatum ex intentione speciali pro Petro, & Paulo v. g. prosit Petro ad satisfactionem ex opere operato tantundem, quantùm si pro Paulo etiam non applicaretur ? p. 148.
S. 2. Pro sententia negante arguitur multipliciter. p. 152.
S. 3. Enodantur argumenta sententiæ affirmatiuæ. p. 161.
S. 4. An non minus prosit quoad satisfactionem ex opere operato pluribus offerentibus, quàm si pauciores forent ? p. 165.
S. 5. An non minus prosit ex opere operato quoad satisfactionem pluribus, pro quibus offertur ex institutione Ecclesiæ, quàm paucioribus? p. 168.
S. 6. An pro pluribus oblatum prosit impetratoriè non minus singulis, quã si pro vno solo offerretur ? p. 370.
D. 9. De re sacrificata, seu oblata in Sacrificio Missæ.
S. 1. Sententia nostra circa Christum, & species Sacramentales, panemque, ac vinum tribus exprimitur Conclusionibus. p. 174.
S. 2. Infringuntur obiectiones. p. 177.
D. 10. De Sacrificij Missæ fructu in generali.
S. 1. An remissio culpæ sit fructus, effectusve eius ? p. 184.
S. 2. An remissio pœnæ sit fructus eius? p. 193.
S. 3. Quisnam sit fructus eius vt impetratorij ? p. 197.
D. 11. De Christo D. vt principali offerente Sacrificium Missæ.
S. 1. Quanam ratione sit principalis offerens ? p. 202.
S. 2. Problematica ad quæstionem responsio cum consectarijs duabus aduertentijs, deductionibusq; nonnullis circa Sacerdotium Christi, concursumque ipsius in Sacrificium. p. 210.
D. 12. De Sacerdote vt offerente Sacrificium Missæ.
S. 1. Solus homo, qui sit Sacerdos, potest validè offerre consecrando. p. 212.
S. 2. An si non verus, sed reputatus Sacerdos celebraret, esset absque omni effectu ? Vbi de alijs, qui cum defectu Ordinis, vel intentionis, vel materiæ, formæve ministrant Sacramẽta alia. p. 215.
S. 3. An omnis Sacerdos possit validè offerre consecrando ? p. 219.
D. 13. De requisitis ex parte Sacerdotis offerentis Sacrificium Missæ, vt hoc prosit alijs.
S. 1. De Intentione. p. 231.
S. 2. Plura de ea. p. 247.
D. 14. De Ecclesia vt per Sacerdotem offerente Sacrificium Missę, de alijsque offerentibus quodammodo cum Sacerdote. Vbi de Ministro seruiente in Missa.
S. 1. Qua ratione Ecclesia tota, & pars aliqua eius, videlicet fideles nonnulli, offerant Sacrificium Missę per Sacerdotem ? p. 261.
S. 2. De Ministro adiuvante in Missa. p. 266.
S. 3. Plura alia de eo. p. 271.
D. 15. De fructu, qui ex Sacrificio Missæ prouenit offerentibus, necnon & ijs, pro quibus offertur generaliter.
S. 1. Christo vt offerenti non respondet aliquis fructus applicandus ei personæ, quam per se elegerit. An Sacerdoti, & alijs offerentibus per concursum ad Sacrificium Missę respondeat fructus aliquis ex opere operato ? p. 278.
S. 2. Quisnam fructus respondeat alijs offerentib⁹ absque concursu ? p. 294.
S. 3. An fideles omnes, saltem vt generaliter pro ipsis offertur, accipiant ex opere operato fructum aliquem satisfactorium ? p. 297.
S. 4. Illationes nonnullę ex doctrina superiori, 301.
D. 16. De Deo, vt cui offertur Sacrificium Missæ.
S. Vnica, Offertur Deo vni, & trino, eique soli illud. p. 308.
D. 17. De ijs, pro quibus offerri potest Sacrificium Missæ.
S. 1. Apparatus ad Disputationem, prę-missis nonnullis, quæ certa sunt. p. 313.
S. 2. De viventibus, pro quibus offerri potest. p. 315.
S. 3. De defunctis. p. 355.
D. 18. De requisitis ex parte eorum, pro quibus offertur Sacrificium Missæ, vt hoc ipsis prosit.
S. 1. Agitur summariè de capacitate, & statu; diffusiùs autem de indigentia. p. 381.
S. 2. De Dispositione. 384.

Ad Christum Dominum Encomiastica gratiarum

gratiarum actio pro fine primę partis p. 395.
Clauis Magistri Sententiarum circa eas difficultates, quæ in hac prima parte examinantur. p. 398.
Familiaris Epistola Authoris cũ Indice Canonum, & Legum, quæ in hoc Opere allegantur, expenduntur, & illustrantur, ad D. Ioannem de Henao Monjaraz Fratrem suum Socium Collegij Maioris S. Saluatoris Oue-tensis apud Salmanticam. p. 401.
Index Canonum, & Legum. p. 405.
Index Locorum Scripturæ Sacræ. p. 409.
Index Rerum, & Verborum. p. 411.
Omisimus in hoc Indice multos titulos, in quos subdiuisæ sunt Sectiones, quia ex harũ inscriptionibus dignoscetur satis, quid in vnaquaque tractetur.

PRAE-

PRAELOQVIVM PANEGYRICVM

DE SACRIFICIO MISSAE.

VENERABILIS, atque Sanctissimi Sacramenti Eucharistiæ indagaui arcana; nunc igitur haud incõgruo ordine, haud ignobiliori examine Diuini, atque Tremendi Sacrificij Missæ mysteria commendare stylo aggredior. Nec expers timoris pervenire calamus intendit, quò mens ipsa tantæ dignitatis caligare solet splendore repercussa. Admirationem sanè incutit; & innumera ipsius elogia avidè rimantis, perpendentisque ingenij aciem obrumpunt. Sed ô inexhauribilem diuinæ magnificentiæ abyssum! Quid vereor? Suprema ecce Maiestas

Regales inter mensas, laticemque Lyæum,
Occultum ignem inspirat.

Cuius nitidissimis radijs dubitationum nebulæ evanescunt, cuius vi tenebræ disparent, & ad incæptum opus perficiendum fœlici inuitat auspicio. Supremum igitur, religiosissimumque Sacrificium fidelibus expandere, in animo est: illud, inquam, Sacrificium, quo Deus maximè colitur, & quo *nullum aliud opus adeò sanctum, ac diuinum à Christi fidelibus tractari potest*, vt grauissimè expendit Tridentina Synodus in Decreto de obseruandis, & evitandis in celebratione Missæ: illud, inquam, Sacrificium, in quo suæ opulentię ærarium Deus larga hominibus liberalitate aperit; & ex cuius thesauris, Cœlestibus velut scaturiginibus, charismata gratiarum exũdant. Quid nisi laxare sinus restat?

Erigite ergo spiritus, erigite vos, qui, sublimi Sacerdotij munere fungentes, tanta estis dignitate fœlices; quibus Cœlum calamitatum iras prodiga beneficentia excusat, & quicquid delitiarum sydera recondunt, ingenti bonorum illuvione profundit. Deus etiam vobis sponte auspicatissimam sortem, penè suprà fas liberalitatis, paciscitur, admittitque ad arcana voluptatum, quibus fruitur, estquippe Eucharistia *vnicum piarum mentium solatium, ac delitium*, vt notat Concilium Colonienſe celebratum anno 1536. p. 7. C. 13. Nec vos iubet per arduas, atque horrentes difficultatibus vias in Diuorum epulas venire; ipse seu amorem vestrum, siue fœlicitatem

licitatem ſuam ſequutus, ſe ſe à Patris ſinu, ac ſede ad vos avidè abducit, etiam num ibi manens; Cœloq; toto, & Numine invectus, in terris quærit, quos beet immortalibus delitijs, & iam ſupero cardine delapſus nobilis mactatur victima in altari; vbi vſque ad impendium explicat divinitatis totius lautitias, non prolixa ſerie pompę, aut ſolemnitate faſtuoſa ferculorum, & poculorum, ſed ſolius corporis, & ſanguinis ſui ſuavitate. Vbi etiam videre eſt, reciproco, & alterno certamine diuinitatis gloriam, & humanitatem ſe invicem laceſſere. Illa enim ſupernorum militum ſtipatu ſuam buccinat Maieſtatem; hæc, terreſtrium non dedignata velamen ſpecierum, humilitatem oſtendit; illa dignitatem, hæc dignationem indicat; illam Angeli videntes tremunt, nec abſque pavore, vt ponderat S. Chryſoſtomus Homilia 60. ad Antiochenum populum, propter fulgorem, qui inde reſilit, adſpicere poſſunt; iſtius demum dulcedine (blanda cordium tyrannide) allicitur celebrantium Sacerdotum animus. O Myſterium auguſtiſsimum! in quo, vota humana vincens beneficijs ipſe Deus oſtentationem divitiarum videtur collocaſſe: in quo Dei, & hominis copulata pignora reſplendent. Quid ergo vltrà expectatis, ad hoc altiſsimum faſtigium evecti? Si voluptates; quid pane Angelorum ſuavius? Quid divino ſanguinis nectare dulcius? Cuius *poculum quotidie* (inquit S. Laurentius Iuſtinianus in Serm. de Euchariſtia) *conſecratur, tibique apponitur, vt bibas, inquam, vt inebrieris, non vino, in quo eſt luxuria, ſed amore, ſed exultatione, ſed iubilo.* Haud difficilè igitur his dapibus voluptatum famem, ſitimque extingues. Si honorem quæris; quo honore hic ſtatus non nobilitatur ob tanti Sacrificij diſpenſationem? *Cum videas, Regum colla* (ſic intonat S. Ambroſius Lib. de Sacerdotali dignitate Cap. 2.) *& Principum ſubmitti genibus Sacerdotum.* Et vt proſequar S. Chryſoſtomi eloquio in Lib. tertio de Sacerdotio, *Non ſolùm re-verendi ſunt magis nobis Sacerdotes, quàm Reges, aut Iudices; ſed etiam nobis erunt magis honorabiles, quàm parentes, nam ſi non poteſt quis in regnum Cœlorum ingredi, niſi per aquam, & Spiritum generatus fuerit, & qui non manducat carnem Domini, & ſanguinem eius non bibit, æterna vita priuatur: omnia autem hæc non aliter, quàm per ſacroſanctas illas manus perficiantur; manus, inquam, Sacerdotum: quì fiet, vt citrà illarum opem, aut gehennæ ignem evitare quis poſsit, aut repoſitæ in Cœlo coronæ præmia aſſequi? Hi enim ſunt, hi ſunt, inquam, quibus tum concreditæ ſunt ſpirituales parturigines, tum etiam Baptiſmatis partus eſt à Deo commiſſus: per hos ipſos Chriſtum*

induimus,

induimus, vnà cum Dei filio sepelimur, & beatæ carnis illius membra efficimur. Quo nomine Sacerdotes meritò non modò plus vereri debemus, quàm vel Principes, vel Reges, verùm etiam maiori honore, quàm parentes proprios honestare. Sic Os aureum. Si potentiam ambis; *maxima Sacerdotibus est collata potestas*, vt expendit S. Laurentius Iustinianus Serm. præcitato, *Sua namque prolatione verborum cœlestium, & ad eorum penè libitum corpus Christi de panis transsubstantiatur materia, descendit de Cœlo in carne Verbũ, & altaris verissimè reperitur in mensa. Hoc illis prærogatur ex gratia, quod nusquam datum est Angelis. Assistunt Deo, illum contrectant manibus, tribuunt populis, in seque suscipiunt.* Non abfimili sensu S. Chrysostomus in Lib. 3. præcitato de Sacerdotio, *Qui terram incolunt, atque in ea versantur, his commissum est, vt ea, quæ in Cœlis sunt, dispensent; his datum est, vt potestatem habeant, quam Deus Optimus neque Angelis, neque Archangelis datam esse voluit.* Cõsonat S. Franciscus Assisias inquiens devotissimè in Epist. 12. ad Sacerdotes totius sui Ordinis, *Si Beata Virgo Maria honoratur, vt dignum est, quia Christum portauit in sanctissimo vtero suo; si Beatus Ioannes Baptista contremuit, & non audebat tangere Domini verticem; si sepulchrum, in quo per aliquod tempus iacuit, sic veneramur, quantùm debet esse sanctus, & iustus, & dignus, qui non iam moriturum, sed in æternum victurum, & glorificatum, in quem desiderant Angeli prospicere, contrectat manibus, corde, & ore sumit, & alijs ad sumendum præbet? Videte dignitatem vestram, Fratres Sacerdotes, & stote sancti, quia ipse sanctus est. Et sicut super omnes propter hoc mysterium honorauit vos Dominus Deus; ita & vos propter hoc mysterium diligite eum, reuerimini, & honorate. Magna miseria, & miseranda infirmitas, quando ipsum sic præsentem habetis, & aliquid aliud in toto mundo curatis.* Hactenus Patriarcha Seraphicus, cui adiungere Cassiodorum Lib. 8. Variarum Epistolarum in 14. fas mihi sit, *Magnum scelus est* (inquit disertissimus Senator, & religiosissimus Monachus) *crimen admittere, quos nec conuersationem decet habere sæcularem. Professio vestra vita Cœlestis est. Nolite ad mortalium vota humilia, & errores descendere. Mundani coerceantur humano iure, vos sanctis moribus obedite.* Sic Cassiodorus ad Sacerdotes. Sed de sanctitatis lege his indicta ob altissimum, sacratissimumque munus, ad quod sunt destinati, tempero mihi, ne in aliorum Patrum dicta excursum faciam. Invito tamen Lectorem, vt perlegat, quæ de ea obligatione scripsit nuper in Epistola Pastorali ex fol. 20. ad Capitulum, & Clerum suæ

Diœcesis

Diœcesis Illustriss. & Reverendiss. Domin^o D. Bernardus de Atay de Episcopus Abulensis, intempestiua morte, & à probis omnibus deplorata præreptus paulò post editionē illius, in qua videor mihi auscultare loquentem Ambrosium, aut Gregorium Magnum. Tanti, tamque insignis virtute, litteris, prudentia, nobilitateque Antistitis memoriam perpetuò colam ob singularem benevolentiam, qua me immerentem dignatus est. At, vt eò redeam, vnde deflexi:

Non sistit hic faventis Cœli liberalitas: lignum vitæ, pomique esum olim parentibus stricta lege interdixit; credidero, ne alteri, quàm huic cibo, & nectari æternitatem vitæ gens humana debuisset. Eadem quoque mente manna miraculo, & Numinis fauore inclytum cibum Cœli parcè distillabant, vt nunc vniversum diuinitatis fontem plena bonorum inundatione aperirent. *Nō quippe nudi hominis caro est, quæ manducatur* (exclamat Theophylact^o in Cap. 6. Ioannis) *sed Dei, quæ deificare valet, vt pote contemperata deitati.* Celebravit fabulosa Antiquitas Iovem, irrogaturum Herculi diuinitatem, Iunonem interposuisse brachijs, vt ipsius lac exhauriens promisso diuinitatis munere fungeretur. Sic verum Numen Sacerdotes ad sui Vnigeniti amplexus elevat, vbi ex lateris non tam vulnere, quàm vbere, mortalibus, nocivam licet olim, innatā diuinitatis sitim, explere liceat ipsis. O vos, non iam spei plenos, sed fœlicitatum! O sortem, cui invideat Cœlum ipsum! Si fœlices esse speratis, iam ad extremam vsque munificentiæ metam amati estis! O altissimum Missę Sacrificium, à quo tot beneficiorum riuuli scaturiunt! Quid vltrà, tua encomia descriptionis filo prætexere intēdens, calamum fatigo? Non enim fucatis Rhetoricæ coloribus depingeris; Angelicam exposcis Suadam.

Te celebrent alij, quanto decet ore, tuasque
Ingenio laudes vberiore canant.
Sed tamen vt fuso taurorum sanguine centum,
Sic capitur minimo thuris honore Deus.

Quia verò pius Lector avebit scire, cur Missæ Sacrificium appellem in inscriptione Operis *Diuinum*, atque *Tremendum*, placet velut digito indicare Patrum vestigia, quibus institi. Tertullianus Lib. de Corona militis, S. Cyprianus Epist. 68. & 77. alijque non rarò Missam vocant *Sacrificium Diuinum*. S. Iacobus in Liturgia *Sacrum Diuinum*: & Sacrificij in genere insigne est, vt sit, & nuncupetur *honor, cultusque Diuinus*, vt ostendit S. Augustinus Lib. 20. contrà Faustum Cap. 21. alibique sæpe. Rursus S. Ioannes Chrysostomus Lib. 3. de Sacerdotio Missam appellat *Mysterium omnū maximè horrendum, verendumque:* Homilia 41. in 1. ad Cor. & Homilia 60. & 69. ad populum Antiochenum, *Mysterium, & Sacrificium tremendum, atque horrendum.* Eusebius Lib. 1. de Euangelica

uangelica demonstratione Cap. 10. *Deo plenum, sacrosanctum, & horrorem afferens Sacrificium.* S. Damascenus Oratione de ijs, qui hinc cum fide migrarunt, *Tremenda, & impolluta Sacramenta.* Sanctꝰ Ioannes Climacus Gradu 23. *Horrendam sacrorum Mysteriorum horam* nominat Missam. Concilium Tridentinum in Decreto de obseruandis, & evitandis in celebratione Missæ vocat hanc *Tremendum Mysterium.* Parco recensere alios Patres, de quibus Iosephus Vicecomes Volumine 2. Ecclesiasticarum Obseruationum Lib. 1. de Missæ ritibus Cap. 7. & 8. Nosterque Augustinus Bernal D. 25. de Sacramento Eucharistico S. 1. §. 4. n. 24. & 25.

Sed pro Præloquij coronide transcribo gravissima verba Sancti Francisci Seraphici in Epistola iam laudata, *Totus homo paueat, totus mundus contremiscat, & Cœlum exultet, quando super altare in manibus Sacerdotis est Christus filius Dei viui. O admiranda altitudo! ò stupenda dignatio! ò sublimitas humilis, quòd Dominus vniuersitatis, Deus, & Dei filius sic se humiliat, vt pro nostra salute sub modica panis forma se abscondat! Videte, Fratres, humilitatem Dei, & effundite coram illo corda vestra, & humiliamini, vt & vos exaltemini ab eo. Nihil ergo de vobis retineatis vobis, vt totos vos recipiat, qui se vobis exhibet totum.* Huc vsque S. Franciscus, cuius verba legens, attentèque perpendēs contremisco, vt qui indignissimus, nullisq; suffragantibus meritis, sed immensa clementiæ diuinæ largitate sim inauguratus tanto Sacrificio offerendo ex anno 1637. die 19. Septembris, 25. ætatis incæpto, & expleto 10. post ingressum in Societatem Iesu. Quare flexis genibus Deum suppliciter deprecor, vt me dignū sacris altaribus faciat Ministrum, concedatq; ex S. Ambrosij voto suprà pro cunctis Sacerdotibus, *vt quod sum professione, actione potius, quàm nomine demonstrem, vt nomen congruat actioni, actio respondeat nomini; ne sit nomen inane, & crimen immane, ne sit honor sublimis, & vita deformis, ne sit Deifica professio, & illicita actio.* Obsecro etiā Deum, vt meum dirigat calamum, ne vel latum vnguem deflectat à linea consignata per sanctam Ecclesiam Romanam, cuius censuræ Tractationē hanc libentissimè submitto paratus delere, si quid ignoranter scripsero minꝰ consonum eius Decretis. Ad obtinendum autem vtrumque à Deo, adhibeo sequestros, & intercessores Deiparentem Virginem immaculatè conceptam, Archangelum Gabrielem Tutelarem meum, Sanctumque Patrem Ignatium. Postulo denique enixè, totoq; cordis affectu à venerandis admodūm Sacerdotibꝰ, quorū in manus hoc Opus devenerit, vt in suis Sacrificijs dignentur meminisse mei, si quidpiam in eo invenerint, quod ad Sanctissimi Sacrificij laudem conducat.

DISPVTATIO I.

DE SACRIFICIO IN COMMVNI.

1 *ACTVRI DE SACRIFICIO Missæ in particulari præmittimus hanc disputationem de Sacrificio in communi, de quo S. Thomas 2.2.q. 85. per quatuor articulos: quorum doctrina explicanda est in præsentiarum: sed oportet, vt præeat notio essentiæ Sacrificij in communi.*

SECTIO I.

Vt definiatur Sacrificium in communi, iaciuntur, & stabiliuntur quatuor fundamenta.

VT EXACTAM, & accuratam Sacrificij definitionem concinnemus, procedendum sensim est.

Sacrificium soli Deo exhiberi debet.

ET in primis Sacrificium esse externum cultum soli Deo debitũ, aut exhibendum, nemo non scit; *Nec est, qui audeat dicere, deberi, nisi Deo soli; nullusque sacrificandum censuit, nisi ei, quem Deum aut sciuit, aut putauit, aut finxit,* vt ait S. Augustinus lib. 10. de Ciuitate Dei c. 4. Hinc Poeta, vt significaret haberi à se Angustum vt Deum, cecinit.

Namq; erit ille mihi semper Deus, illius arã
Sæpe tener nostris ab ouilibꝰ imbuet agnus.

Per Sacrificium offerri, necesse est, rem permanentem.

2 SECVNDO externum cultum, seu religiosam actionem quæ dicitur Sacrificium, debere versari circa permanentem aliquam rem, Deo oblatam, dubitari non potest. Nam sacrificare, & offerre Sacrificium sunt prorsus idem; oblatio autem necessariò requirit rem oblatam; & oblatio, quæ Sacrificium sit, necessariò requirit rem oblatam permanentem, seu quæ non sit transiens, vt sunt psalmodiæ, genuflexiones, & aliæ huiusmodi actiones, quæ in honorem Dei præstantur. Ratio est, tum quia Sacrificium, vt modò sumi-

tur, est actio transiens; sed vna actio nō versatur circa aliam: tum quia per Sacrificium transfertur res in Dei cultum; quę translatio non potest intelligi fieri nisi in re aliqua permanente: tum quia res oblata in Sacrificio vocatur hostia, victima, donum, munus; quibus nominibus non appellamus rem, quæ transiens, sed quæ permanens sit.

Res oblata in Sacrificio debet aliquo modo immutari. Et quis ille sit?

3 TERTIO certum esse debet, ad Sacrificium non sufficere actionem religiosam, quæ versetur circa rem permanentem Deo oblatam; sed præterea opus esse, vt huiusmodi actio immutet rem aliquo modo, sicque circa eam faciat aliquid sacri certis verbis, & cęremonijs. In quo differt Sacrificium ab illis actionibus religiosis, per quas offeruntur, aut consecrantur Deo res permanentes, vt primitiæ, decimæ, oblationes simplices, templa, altaria, Sacerdotes, Religiosi. Sed grauis est difficultas, qualis debeat esse illa immutatio? P. Suarez tomo 3. in 3. part. D. 73. Sectione 5. Vers. *Ex his*, scribit; *Quod quidam aiunt, necessarium esse, vt hæc actio talis sit, vt per eam res oblata interficiatur, seu pereat; quamuis ita sit secundùm frequentiorem vsum, animalia enim interfici solebant, & sanguis eorum fundabatur, aliæ verò res solebant igne torreri, aut consumi, quia huiusmodi immutationum genera aptiora credebantur ad præsentandum & supremum Dei dominium, & cruentum Christi Sacrificium: nihilominus tamen non fuit hoc ita perpetuum, & necessarium, quin absque huiusmodi actione, vel tanta immutatione interdum legamus Sacrificium oblatum. Melchisedech enim Genesis 14. Sacrificium Deo obtulit in pane, & vino, vbi non legimus immutationem aliquam factam circa rem oblatam; nisi fortasse, quòd panis ille, & vinum aliqua externa demonstratione oblata sunt Deo cum aliqua benedictione, seu eleuatione, vel fractione, & distributione, ac sumptione per modum cibi, & potus sanctificati. Et in Leuitico similia Sacrificia reperientur, in panibus præsertim propositionis, & alijs Sacrificijs ex simila, & huiusmodi, semper tamen aliqua immutatio reperietur in re oblata; quia hoc modo expressiùs significatur Deum esse omnium authorem. Ergo in genere, hoc satis est dicere, actionem illam debere esse aliquomodo consecratiuam, & immutatiuam rei in Dei honorem.* Sic Suarez, qui etsi non omnino se declaret, intelligitur communiter, quatenùs velit ad Sacrificium non esse necessariam mutationem physicam rei oblatę, sed sufficere moralem, qua oblata res fiat Deo sacra, & ad vsus sacros deputari more humano censeatur. Cæterùm nisi requiratur mutatio physica, non apparet, cur illæ aliæ actiones religiosæ, de quibus suprà, non sint Sacrificia. Quod dicitur de pane, & vino sacrificatis à Melchisedech, vt refertur Genesis C. 14. non vrget, nam panis, & vinum sunt mutata, & consumpta esu, ac potu Abrahæ, & sociorum, ipsiusque Melchisedech; qui cum inuitauerit, non videtur abstinuisse inter conuiuas. Iosephus L. 1. Antiquitatum C. 11. Philo in L. de Abraham, Clemens Alexandrinus L. 4. Stromatum, S. Hieronymus Epist. 126. ad Euagrium, S. Epiphanius hęresi 55. Eusebius L. & Cap. 1 Historiæ Ecclesiasticæ, Theodoretus quæst. 63. in Genesim, aliique Patres aiunt, Abrahamum, & socios fuisse participes factos religiosi cibi, & potus à Melchisedech. Quare nō defuit mutatio physica rei obiatæ consistens saltem in comestione panis, & hausti vini. Imò hanc mutationem præcesserunt aliæ, nimirùm coctio panis, adustioque illius quoad aliquam partem, fractio, diuisioque ad distributionem; præterea effusio quoad aliquam partem vini, vel suprà panem per modum libamenti, vel suprà altare in gratiarum actionem pro victoria, quam diuino fauore comparauerat Abraham. Etsi enim Scriptura diuina non meminerit harum mutationum; ast neq; innuit quidpiam, ex quo colligi possit defuisse in Sacrificio Melchisedechiano; neque opus erat, vt exprimeret id, quod quasi per se notum apparebat quoad rei sacrificatę mutationem physicam.

4 Sed adhuc opponet quis primò Sacrificium hirci pro peccato populi memoratum in Cap. 16. Leuitici, ille enim hircus mittebatur viuus in desertum. Refertque ex Luciano Cornelius à Lapide ad V. 21. Cap. præcitati ex Leuitico, Gentiles sacrificasse

ficasse Deo Pani hircum, quem agebāt in specum, vbi Pan diuersari putabatur. Secundò obijciet Sacrificium panum primitiarum, & pecudum quarundam, de quo in Cap. 23. Leuitici, quin ibi fiat mentio alicuius mutationis physicæ in panibus, & in pecudibus. Tertiò opponet Sacrificium panum propositionis, de quo in Cap. 24. Leuitici, & in quo non traditur mutatio aliqua physica circa panes facta. Quartò obijciet, sacrificatum aliquando fuisse à Gentilibus proijciendo aliquid in mare, vel in flumen, sine destructione physica rei proiectæ, vt ex Guilielmò Stuchio refert Cardinalis de Lugo D. 19. quę est 1. de Sacrificio Missę, Sectione 5. num. 66. Opponet quintò, solitos fuisse veteres cultores tam veri, quàm falsi Numinis sacrificare effundendo vinum, vel alium liquorem super aras, vel terram; quæ effusio non erat physica destructio vini, vel alterius liquoris. Ad primum respondeo, in Sacrificio, de quo agitur Cap. 16. Leuitici, fuisse oblatos duos hircos, quorum vnus quidem mittebatur viuus in desertum, sed alter occidebatur. Id quod sufficit, vt Sacrificium, habens pro re oblata duos hircos, peractum non fuerit sine destructione physica quoad vnam saltem partem: neque necesse est, vt in Sacrificio siue vnius, siue geminæ rei detur destructio physica totalis; sufficit, quæ partialis sit. Addo, hircum delatum viuum in solitudinem non fuisse forsan sacrificatum propriè. Item emissionem in desertum ea de causa factam, vt hircus deuoraretur à feris, prout notat Cornelius suprà. Quare habebatur respectus ad mutationem physicam. Et fortè Gentiles in Sacrificio illo (si fuit proprium Sacrificium, potest enim negari impunè) intendebant, vt à Pane inter venandum occideretur dicatus ipsi hircus. Atque hinc facili negotio eneruatur obiectio, quæ desumi posset ex Sacrificio duorum passerum, quorum vnus dimittebatur viuus, vt in agrum auolaret, vti refertur Cap. 14. Leuitici Vers. 7. Si fuisse Deo sacrificatum propriè, fas sit asserere vel de altero passere etiam iugulato, nam extrà castra, longèque ab altari occidebatur, obseruante Cornelio ibi ad V. 5. nec à Sacerdote, sed eius iussu fiebat occisio. Vndè etsi eo V. 5. scripum sit; *Et vnum ex passeribus immolari iubebit*, perinde significat verbum *Immolo*, ac *Iugulo*, cui consonat Hebræus textus. Ad secundum dico cum Cornelio eodem ad Cap. 23. Leuitici Vers. 16. panes primitiarum non fuisse propriè sacrificatos, fiebant enim ex simila fermentata, quam non licebat sacrificare, vt patet ex Cap. 2. Leuitici Vers. 11. Animalia verò, de quibus Cap. 23. Leuitici Vers. 18. est sermo, offerebantur in holocaustum. Alia autem, de quibus in Vers. 19. necabantur, vti constat ex contextu. Ad tertium respondet Vazquez 3. parte D. 220. Cap. 3. num. 28. D. 222. Cap. 4. num. 29. panes propositionis fuisse immutatos physicè per cōcoctionem in clibano factam à Sacerdotibus, qui *iuxta traditiones Hebraicas ipsi serere, ipsi demetere, ipsi molere, ipsi coquere debebant propositionis panes*, vt inquit Sanctus Hieronymus in Cap. 1. Malachiæ. Non acquiesco, nam propositionis panes non à Sacerdotibus, sed à Leuitis, filijs Caath, coquebātur, vt dicitur 1. Paralip. Cap. 9. Vers. 32. Et alioqui non panis, sed pasta, quæ per concoctionem subiret physicam mutationem sacrificaretur. Vlteriùs creditu difficile est Cardinali de Lugo suprà S. 1. num. 9. oblatum fuisse Sacrificium in clibano, & non potiùs in altari, loco deputato ad Sacrificandum. Neque constat, clibanum fuisse proximum altari; & quantumuis fuisset, vt cogitat graris Bernal D. 21. de Sacramentis S. 5. num. 36. Vltrò etiam affirmatur ab ipso, debere reputari vnum moraliter cum altari. Nec minus voluntariè scribitur à Ioanne Dicastillo tomo 1. de Sacramentis Tract. 5. D. & Dub. 1. num. 30. coctionem in clibano, & oblationem in altari cum aliqua solemnitate debere censeri per modum vnius facti totius. Quarè ad tertium respondeo primo, impositum fuisse propositionis panibus thus, quod addebatur iuxta præceptum Leuitici Cap. 2. Vers. vltimo; & cum vna pars rei oblatæ destrueretur physicè, satis id erat. Secundò, panes propositionis non fuisse sacrificatos propriè. Ita Cardinalis de Lugo suprà numer. 9. cum Azore, & Malde-

ro, aitque; *Non video, vbi in Scriptura dicatur, fuisse verum Sacrificium, & plusquàm oblationem sacram.* Sed tanti viri pace Cap. 24. Leuitici ver. 9. legitur; *Eruntque Aaron, & filiorum eius, vt comedant eos in loco sancto, quia sanctum Sanctorum est de Sacrificijs Domini iure perpetuo.* Vbi vocantur Sacrificium, tametsi epitheton veri non addatur. Ast neque adijcitur in alijs Sacrificijs, quæ prorsus vera fuerunt. Ideo meliùs Cornelius adnotat, non fuisse priè Sacrificium panes propositionis, etsi vocentur Sacrificium, ideſt, oblatio sacra, per catechresim. Ad quartum dico, rei alicuius pretiosę proiectionem in mare, vel flumen non fuisse propriè Sacrificium, si fiebat sine destructione, vel mutatione physica rei proiectæ. Et saltem eò dirigebatur proiectio, vt res periret absorpta ab vndis. Ad quintum occurro inquiens, res liquidas, vel oblatas fuisse simul cum altera Sacrificij materia, quam condiebant, & quæ comburebatur, dedestruebaturve physicè alio modo; vel fuisse oblatas seorsim, sparsa vna earum parte super altare, vel super terram, & alia hausta, seu bibita: quæ effusio, & potatio non fiebat sine diuisione, & destructione aliqua physica liquorum per terræ imbibitionem, vel saltem quoad continuitatem. Quare olim effusio aquæ in terram significabat destructionem, vt videre est in Psalmo 21. vers. 15. & in Lib. 2. Regum Cap. 14. vers. 14. prout in hanc rem obseruauit ante nos Nicolaus Ysambertus 3. part. ad quæst. 83. D. 3. art. 5. pagin. 703. Sic ferè Cardinalis de Lugo suprà, & Dicastillus suprà num. 32. Quibus omnibus attentè consideratis, possumus fidenter pronuntiare, in cunctis Sacrificijs antiquis tam sacris, quàm profanis adfuisse immutationem aliquam physicam rei oblatæ. Vnde voces, quibus Hebræi, Græci, & Latini significabant Sacrificium, vnà etiam denotabant prædictam immutationem, vt expendit Cardinalis Bellarminus Lib. 1. de Missa, Cap. 2. vers. *Id verò probatur.* Ego verò illustro exinde, quòd ab Apostolo ad Hebræos Cap. 11. Isaac dicatur oblatus Deo, non tamen sacrificatus, ob defectum immutationis illius; quam quia aries subiuit, dicitur Cap. 22. Genesis fuisse immolatus loco Isaac. Vnde Sanctus Ambrosius in Psalmum 39. scitè scripsit; *A Sancto Patriarcha oblatus est filius, & aries immolatus est.* Prętereunda non est animaduersio Theophylacti, qui in Cap. 8. ad Hebræos fatur in hunc modum; *Inter donum, siue munus, & hostiam, siue victimam, si exactam spectes rationem, aliquid est discriminis. Thysiæ victimæ, vel hostiæ sunt per sanguinem, & carnē oblationes, vel quod exactius est, omnia, quæ per ignem sacrificantur. Thysia enim, id est, victima, propriè est à verbo Thyeste, quod est Thymiaste, hoc est adolere, vel suffitum edere. Dona autem sunt, vt fructus, & quæcumque alia incruenta, & igni carentia: interim tamen & indiscriminatim in Scriptura vsurpata inueniuntur.* Hactenus ille. Allegari etiam solet Sanctus Ioannes Chrysostomus, sed hic solummodò inquit Homilia 18 in Cap. 10. ad Hebræos; *Sacrificium, & oblationem noluisti. Omnia per hæc sustulit, vt qui in genere dixerit, & in specie. Holocausta pro peccato non placuerunt tibi. Oblatio autem est quicquid est ex facultatibus.* Magis ad rem citatur Sanctus Thomas 2. 2. quæstione 85. articul. 3. ad tertium, vbi habet ista verba; *Sacrificia propriè dicuntur, quando circa res Deo oblatas aliquid fit, sicut quòd animalia occidebantur, & comburebantur, quòd panis frangitur, & comeditur, & benedicitur. Et hoc ipsum nomen sonat. Nam Sacrificium dicitur ex hoc, quòd homo facit aliquid sanctum: oblatio autem directè dicitur, cum aliquid Deo offertur, etiamsi nihil circa ipsum fiat.* Huc vsque Angelicus Doctor. Et nota, in exemplis Sacrificij ab ipso adductis inueniri immutationem aliquam physicam rei oblatę. Rursus quæstione 86. sequenti, articulo primo, in Corpore inculcat eandem doctrinam his verbis; *Nomen oblationis commune est ad omnes res, quæ in cultum Dei exhibentur: ita quòd si aliquid exhibeatur in cultum diuinum, quasi in aliquid sacrum, quod inde fieri debeat, consumandum, & oblatio est, & Sacrificium. Si verò sic exhibeatur, vt integrum maneat diuino cultui deputandum, erit oblatio, & non Sacrificium.* Hæc Sanctus Thomas. Et sanè nisi in Sacrificio interueniat rei oblatæ destructio, immutatiove aliqua phy

physica nõ erit in ipso, seu in actione per qua fit oblatio, proportio, seu congruẽtia, quã ad significationem ex instituto impositam Sacrificio, necesse moraliter est, vt consideremus. *Sunt* quippe *significatiua omnia Sacrificia, & quarundam rerum similitudines, quibus admoneri nos oportet ad ea ipsa, quorum similitudines sunt, siue scrutanda, siue noscenda, siue recolenda*, vt inquit Sanctus Augustinus Epistol. 49. quæst. 3. Non secus ac in materijs, actionibusque, ex quibus, & quibuscum conficiuntur Sacramenta, datur quædam analogia, & similitudo ad id, quod per illa significatur ex diuina institutione. Ratio hæc lucem accipiet ex Disputationis progressu. Cardinalis Bellarminus suprà Cap. 2. in fine adiungit aliam desumptam ex significatione mystica, quam habuerunt Sacrificia prisca tam in lege naturali, quàm in scripta; omnia enim illa significarunt, adumbraruntque Sacrificium cruentum crucis; quod destructione physica, morteque Christi, rei oblatæ, constitit.

5 Cardinalis de Lugo, etsi in Sectione 1. Disputationis citatæ, num. 7. & duobus subsequentibus videatur fauere nobis, tamen in Sectione 5. num. 65. docet, ad Sacrificium sufficere hostiæ destructionem, immutationemve, quæ sit moralis, & humana, ita vt ex vi sacrificationis hostia, prout est in eius termino, habeat statum aliquem decliuiorem ineptum ad suos vsus naturales, & tendentem ad interitum; ideoque moraliter, & humanitus desinere, destruique videatur. Sed hunc dicendi modum reijcio primò, quia iuxta Lugum Sectione 1. num. 5. Sacrificium est protestatio, qua homo profitetur, se habere totum suum esse à Deo, & ideo dignum esse Deum, in cuius honorem, & cultum idem esse, & eadem vita consumatur, & destruatur; quod quia regulariter non licet, offertur pro vita propria, vita, seu entitas alterius rei. Ergo siquidem pro destructione physica vitæ propriæ homo substituat animatam, vel inanimem aliam entitatem, opus est, vt hæc destruatur etiam physicè. Secundò, quia omnia, quæ Lugus affert in num. 7. eiusdem sectionis primæ, vt probet in omni Sacrificio debere dari destructionem, immutationemve rei oblatę, tendunt eò, vt conuincant destructionem, immutationemve physicam. Tertiò, quia si moralis, & humana destructio satis est ad Sacrificium, frustrà Lugus S. 1. num. 9. contrà Suarium occupatur in oblatione panum propositionis, & in Sacrificio Melchisedech, vt vtrobique inueniat destructionem rei oblatæ; quando quidem moralis, & humana destructio se se manifestet prima facie; panis namque per oblationem Deo factam à Melchisedech fuit redditus ineptus humanis vsibus communibus, dicatusque Deo, & in illius cultum translatus. Quæ sunt verba Suarij D. 73. S. 5. V. *Quidam verò*. Et, ni fallor, præluxerunt Eminentissimo Purpurato ad suam opinationem. Quartò, nisi res oblata destruatur physicè, non apparet, quæ sit peculiaris proportio ad eam significationem, quam Sacrificium habet ex institutio, maximèq; ad eã, quã illi attribuit Lugus. Vix, & ne vix quidem cõducit ad huiusmodi significationem destructio moralis, & humana. Quintò, quia in omnibus antiquis Sacrificijs adfuit destructio, immutatioue non merè moralis, & humana, sed physica, & realis. Sextò, quia alioqui nihil causæ erit, cur ordinatio Sacerdotis, consecratio aræ, emissio votorum religiosæ vitæ non sit Sacrificium, nam homo per ordinationem Sacerdotalem, perque vota religiosa, & ara per consecrationem destruuntur moraliter, & humanitus, quatenus amittunt statum, quem habebant ad vsus humanos communes, & adquirunt nouum alium addictum diuinis. Vbi obseruo, S. Patriarcham Ignatium parte 5. Constitutionũ C. & §. 4. in formula, quam præscribit ad votorum religiosę vitę nuncupationem, appellare hanc *holocaustum*. Ibi, *A tua ergo immensa bonitate, & clementia per Iesu-Christi sanguinem peto suppliciter, vt hoc holocaustam in odorem suauitatis admittere digneris &c.* Vsurpat itaque satis aptè Sanctissimus Parens nomen holocausti in sensu metaphorico.

6 Bernal D. 22. S. 2. §. 3. n. 29. existimat ad Sacrificium requiri physicam rei oblatæ destructionem, sed quæ sequatur siuè de præsenti, siuè in posterum vi physica, vel morali actionis sacrificatiuæ. Impugnò primò Bernalem, quia penes ipsum D. 21. S. 8. n.

47. Sacrificium est oblatio sensibilis, publicè instituta, Deo soli facta, rem aliquam destruens physicè, adorando illum vt Dominum vitę, & mortis. Ergo per Sacrificium debet res de præsenti destrui. Secundò, vel Sacrificium existit ante destructionem rei, vel non nisi in destructionis instanti? Si hoc posterius dicatur, sequetur, non existere Sacrificium Eucharisticum nisi in instanti, in quo Christi corpus desinit substantialiter sub panis accidentibus, & sanguis sub accidentibus vini. Quæ sequela abhorrēs est. Si prius illud dicatur, ergo Sacrificium non est definiendum, oblatio destruens determinatè; sed vel destruens, vel destructiua. Tertiò, oblatio sacrificà debet operari aliquid erga rem oblatam. Quidnā autem aliud, nisi destructionem, immutationemve eius physicam? Quartò, ad Sacrificium non sufficit rei oblatæ immutatio physica de præterito. Ergo neque de futuro. Ergo necessaria est de præsenti. Inquies, animal sacrificabatur, quādo iugulabatur, proxima enim, & voluntaria actio Sacerdotis erat iugulatio, vt notat Vazquez D. 223. C. 4. num. 38. Et tamen animal non semper obibat in illomet instanti. Respondeo, iugulationem esse immutationem physicam animalis, sufficientemque proinde, vt in instanti, in quo detur, sit salua Sacrificij essentia; quanuis posteà compleatur per animalis mortem sequutā ex iugulatione, & adhuc magis in holocausti Sacrificio perficiatur per combustionem.

7 Lessius L. 2. de Iustitia C. 38. dub. 2. à num. 14. Coninck 3. p. q. 83. a. & dub. 1. num. 15. dub. 5. n. 96. censent, ad Sacrificium esse necessariam rei oblatæ immutationem physicam; sed quæ vel sit destructio, vel productio eius rei. Vnde in Sacrificio Eucharistico Christus, qui est res nobilior, & proinde magis intenta, & primariò oblata, immutatur physicè, quatenus per consecrationem reproducuntur physicè corpus eius, & sanguis sub speciebus panis, & vini, destruiturque physicè substantia tam panis, quàm vini, quæ est res ignobilior, ideòque minus intenta, & secundariò oblata. Similiter in Sacrificio thuris immutabatur physicè res principaliter oblata, quatenus physicè producebatur suffitus, & destruebātur physicè thuris grana ignobiliora suffitu, atq; hac de causa erāt res minus intēta, & secūdariò oblata. Sed è cōtra in Sacrificio animalis immutatio physica per destructionem physicam fiebat circa animal viuum, quod magis intendebatur, & offerebatur principaliter, vt pote nobilius cadauere producto de nouo. Refuto Lessium, & Coninckum primò, nam ad significationem ex instituto impositam Sacrificio caret proportione productio physica rei. Secundò, quia alioquì posset sacrificari Deo per generationem filiorum, per applicationem causarum naturalium ad producendos suos effectus, per constructionem templi, vel altaris. Tertiò, quia suffitus ex thure est quid valde transiens. Ast actio sacrificatiua debet versari circa rem permanentem oblatam principaliter. Quartò, in oblatione thuris res, quę sacrificabatur, non erat odor, sed thus crematum. Dices, si thus absque consumptione sui vaporem illum odoratum ex se ita copiosè spiraret, sicut quando igne crematur, non fuisset in viu consumptio thuris ad Sacrificium, sed solus ille vapor, vt fatetur Vazquez D. 221. C. 3. n. 24. Respondeo, à magno hoc Doctore non dici nisi Ecclesiam non vsuram nunc cōbustione thuris, si vera esset illa conditio; nam cum Ecclesia non offerat Sacrificium thuris, sed tantùm vtatur illo ad simplicem Dei adorationem, non debet curare de illius consumptione. Ast olim siquidem thure sacrificaretur, fuit prorsus necessaria eius consumptio. Dicastillus suprà dub. 4. n. 77. videtur velle, cōsumptionem thuris non fuisse olim verè, & propriè Sacrificium, quia non fiebat ad denotandum Deum authorem vitę, ac mortis, sed vt suffitu deferretur Deo cultus adorationis simplicis, vti nunc fit. Sed hoc Dicastilli placitū præter, imò contrà communem existimationem est; nec consonat benè cum C. 30. Exodi, cum C. 2. & 10. Leuitici, quibus in locis sermo est de Sacrificijs thymiamatis, ac thuris. Et quidē quia thus Deo sacrificari, & inter eius Sacrificia adhiberi solebat, sunt multi, qui nomen thus à voce Græca sacrificationem significante deducant, teste vel Calepino. Et Ouidius lib. 14. Metamorphos. honores thuris vocat diuinos, dum canit,

Tem

Templa tibi statuam, soluam tibi thuris honores.

Magi illi pijssimi, & sapientissimi oblato thure Matthæi 2. v. 11. diuinitatem Christi recenter nati significarunt, vt communiter interpretantur Patres. Notum est carmen illud Iuuenci Presbyteri Salmanticensis,

Thus, aurum, myrrhamque, Regique, hominique, Deoque dona ferunt.

Opponet quis, in lege veteri panes sacrificabantur per concoctionem in clibano, per quam destruebatur massa, & producebatur panis. Respondeo, vel sacrificatam fuisse triticeam massam, quę solet vocari panis; vel non per concoctionem, sed per fractionem, vel comestionem, vel modis alijs iam supra declaratis.

8 Vazquez D. 220. C. 3. n. 26. D. 221. C. 3. n. 26. D. 222. C. 7. & 8. distinguens duplex Sacrificium, aliud absolutum, aliud relatiuum, seu commemoratiuum, affirmat, necessariam quidem esse pro absoluto destructionem, immutationemvè physicam rei oblatæ, sed non pro commemoratiuo, nam ad hoc satis est, quod commemoret, & repræsentet immutationem physicam, quæ sit facienda, vel facta in re eadem oblata per Sacrificium absolutum. Hinc quia Sacrificia vetera fuere absoluta, necnon & Sacrificium mortis Christi, debuit in ipsis inueniri mutatio physica rei oblatæ. Ast quia Sacrificium Missę est commemoratiuũ (fuitque similiter illud, quod Christus obtulit in vltima cœna) non debet, neque debuit res oblata subire immutationem physicam, sed representare illam, quæ facta fuit, vel quæ fiet in Sacrificio absoluto. Repræsentat autem Sacrificium Missę (eademque est ratio de Sacrificio peracto à Christo in cœna) præfatam immutationẽ, quatenus consecratio separat per se ex vi verborum corpus à sanguine, & hunc ab illo, vt idem Vazquez declarat D. 223. C. 4. Cuius præcipuum motiuum sic se habet: Sacrificium commemoratiuum (quale in rigore est Eucharisticum, illudque solummodò) repręsentat sufficienter ratione solius consecrationis Passionem Domini, Sacrificiumq; eius cruentum, significando potestatem Dei vt authoris vitæ, ac mortis. Ergo ad huiusmodi Sacrificium commemoratiuum non opus est, vt in re per ipsum oblata fiat immutatio physica; quippe sine hac, quæ modò fiat, sed tamen facta fuerit in eadem re oblata per Sacrificium absolutum, & cruentum crucis, in quo est physicè immutatus Christus, & occisus, qui est res oblata per vtrumque istud Sacrificium, saluetur sufficienter significatio, quæ satis admodùm est ad Sacrificij essentiam. Allegat Vazquez D. 222. C. 7. permultos Patres dicentes, Sacrificium cruentum, quod incruce oblatum est, repręsentari per incruẽtum Eucharisticum, in quo sub speciebus panis, & vini offeruntur corpus, & sanguis Christi beneficio consecrationis, proindeque idem ipsum, quod in Sacrificio cruento est oblatum.

9 Sed in primis tanta S.S. Patrum copia necessaria non est, cum ex Luca C. 22. V. 19. ex Paulo ad Corinthios 1. C. 11. V. 24. 25. & 26 & ex Concilio Tridentino Sess. 22. Cap. 1. & Can. 3. constet veritas, pro qua tot Patres recensentur, & expenduntur. Si Patres dicerent, conuenire Eucharistico Sacrificio veram, & propriam Sacrificij rationem exinde præcisè, quòd cõmemoratiuum sit Sacrificij cruenti, adducerentur non sine operæ pretio, & laude eruditionis. Ast id neutiquam ab illis asseritur. Etsi autem Algerus L. 1. de Sacramentis corporis, & sanguinis Domini C. 16. post plura de mortis Christi repræsentatione in Sacrificio Eucharistico concludat, *Sciendum igitur, quòd licèt oblatio Christi semel in cruce sit vera, quotidiana autem in altari sit figurata, prorsùs tamen eadem hìc, & ibi nostræ salutis est grátia, hìc, & ibi idem verus Christus semper potens est ad omnia.* Debet ipse Vazquez flectere in bonum sensum verba Algeri, cum declinare videantur in extremũ alienum à Catholica Fide, quòd scilicet Eucharistia non sit Sacrificium verum, & proprium, sed merè repræsentatiuum, & figuratum. Rursus etsi S. Thomas 3. p. q. 83. art. 1. in Corp. scribat, *celebrationem huius Sacramenti dici Christi immolationem, quia est imago quædam repræsentatiua Passionis Christi, quæ est vera eius immolatio, & solent imagines earum rerum nominibus appellari, quarũ imagines sunt, sicut cum intuentes tabulam, aut parietem pictum dicimus, ille Cicero est, & ille Sallustius.* Debet idemmet Vazquez explicare recto in sensu Doctorẽ Angelicum,

Angelicum, nam sumpta immolatione pro Sacrificio celebratio huius Sacramẽti non est immolatio nomine tenus, sicut Cicero pictus nomine tenus est Cicero. Sed de S. Thomæ mente agemus in disputatione vicina.

10 Deinde si in Sacrificio Eucharistico consecratio separat per se, & ex vi verborum corpus sub speciebus panis à sanguine sub speciebus vini, & è conuerso, sufficit hæc qualiscumque immutatio physica ad veram, & propriam Sacrificij rationem, quin opus sit curare de cæteris, de quibus Vazquez, vt latè probabo in D. 3. S. 5. Et quidem Dicastillus, quanquam sequatur opinionem Vazquij, fatetur Dub. 11. n. 228. constitui debere in Sacrificio Eucharistico actionem, & immutationem, quæ est de essentia omnis Sacrificij; & hanc immutationem non posse aliam esse in Sacrificio Eucharistico, nisi mysticam corporis, & sanguinis separationem, quæ posita est in actionibus, quibus corpus, & sanguis Christi separatim ex vi verborum sub speciebus panis, & vini esse incipiunt. Confirmatur ex eodem Dicastillo Dub. 4. n. 73. Dub. 10. n. 185. & duobus sequentibus, nam consecratio facta à Christo in postrema cœna potuisset habere rationem Sacrificij, etiamsi Christus non esset moriturus, & consecratio, quæ nunc à Sacerdotibus fit, haberet etiam conceptum Sacrificij, tametsi Christus mortuus non fuisset. Daretur namque in vtroque euentu immutatio sufficiẽs ad rationem Sacrificij, quippe daretur iugulatio Christi, non physica, sed mystica, facta ex vi significationis verborum, quatenus ponerentur ex vi præfata corpus, & sanguis Christi separatim sub speciebus panis, & vini, talique positione denotaretur Deus, & coleretur vt author vitæ, ac mortis.

11 Præterea significatio, & repræsentatio mutationis illius, qua in cruce fuit separatus realiter Christi sãguis à corpore, non est satis ad essentiã Sacrificij Eucharistici. Nam etsi id sufficiat, vt Sacrificium Eucharisticum sit commemoratiuum Sacrificij cruenti, non tamen, vt in se sit verè, & propriè Sacrificium, nisi simul inse importet immutationem rei oblatæ, vti opus est ad essentiam omnis Sacrificij veri, & proprij, quodque non habeat, esse merè vmbram, & imaginem Sacrificij alterius. Is discursus est Dicastilli, quem secum concordare expromptum non est, si conferatur iste discursus cum alijs eiusdem Dub. 4. num. 72. Dub. 10. n. 183.

12 Vlteriùs Sacrificia vetera non fuissent verè, & propriè Sacrificia, nisi in se continerent immutationem physicam rei oblatæ, esto fuerint commemoratiua, & repræsentatiua Sacrificij cruenti exhibendi in cruce, immutationisque physicæ subeundæ à Christo in illa. Ergo similiter vt Sacrificium Eucharisticum sit verum, & proprium, non satis est, quòd commemoret Sacrificium cruentum, immutationemq; physicam perpessam à Christo in illo; sed requiritur essentialiter, quòd per consecrationem fiat immutatio aliqua physica in Christo re oblata. Vazquez concedit Atecedens, & negat Consequentiam; præstatque rationem disparitatis, nam in Sacrificio Eucharistico consecratio ita commemorat mutationem factam in Sacrificio cruento, vt versetur circa Christum, qui est eadem res oblata per vnum, & alterum Sacrificium. Ast in Sacrificijs antiquis actio sacrificatiua, etsi repræsentauerit cruentum Christi Sacrificiũ, non tamen versabatur circa Christum tanquam circa rem oblatam, sed circa aliam rem. Cæterùm hæc disparitas conducit quidem ad ostendendum non fuisse contentum Christum in Sacrificijs priscis, quemadmodùm in Eucharistico continetur. Minimè verò conducit, quominus in hoc, vt sit Sacrificium proprium, & strictum, desideretur mutatio physica Christi rei oblatæ. Facit etiam contra propositam disparitatem, quòd si ad Sacrificium verum, & exactum sufficit commemorare physicam immutationem rei eiusdem oblatæ factam in alio Sacrificio; quidni sufficiet commemorare alterius rei oblatæ immutationem physicam in alio Sacrificio factam? Et rogo rursùs, cur si vt Sacrificium Eucharisticum sit proprium, & verum, requiritur, quòd ipse Christus sit realiter præsens, nec sufficit, quòd tantùm repræsentatiuè, & figuratè præsens sit; cur, inquam, non requiretur, quod immutatio physica detur realiter, quin sufficiat, quòd tantùm repræsentatiuè, & mystícè detur?

Rogo

Rogo insuper, cur si ad Sacrificium rigorosum necessaria est actio physica, qua res aliqua offeratur Deo, nec satis est commemoratio illius actionis; cur, inquam, necessaria non erit immutatio physica eius rei, ita vt non sufficiat cõmemoratio immutationis phisicę? Ad hæc: si quis, qui olim sacrificasset Deo thure incenso, posteà in Comędia habẽs thuribulum in manu, & in thuribulo thus, carbonesque extinctos, repræsentasset præteritam thurificationem, non ideò verè, & propriè sacrificasset. Si quis item olim vulneratus fuisset physicè, & posteà in Tragędia incuteretur ipsi præsenti simulatus ictus gladij, non ideò verè, & propriè vulneraretur, sed tantùm repræsentatiuè. Quibus exemplis vtitur pulchrè Lugus suprà S. 4. n. 58. & 59. Ergo similiter, &c.

13 Ampliùs refuto Vazquium, quia verum, & proprium Sacrificium exigit veram, & propriam immutationem physicam rei oblatæ. Igitur si Sacrificium Eucharisticũ expers est eiusmodi immutationis, non erit verum, & proprium, sed simulatum, & improprium, quatenus sit tantùm imago alterius veri, & proprij Sacrificij, in quo res sacrificata subiuit immutationem physicam, veram, & propriam. Premo rationem hanc tum exindè, quòd vt aliqua actio sit in se verè, & propriè sacrificatiua, opus est, vt per se immediatè, & directè significèt Deum authorẽ vitæ, & mortis. At qui consecratio, si non facit per se immediatè, & directè immutationem physicam in Christo, non significabit sic Deum authorem vitæ, ac mortis, sed per aliud mediatè, & indirectè, nempe per actionem sacrificatiuam Christi in cruce, & per immutationem physicam, quã fecit in Christo & quam representat consecratio. Quo circa sequeretur, consecrationem, sicut non est immutatio physica rei sacrificatæ, sed solummodò signum, & figura eius immutationis, ita neque fore sacrificatiuam, sed signum merum, & imaginem actionis sacrificatiuæ. Quæ sequela aduersatur Fidei Catholicæ. Premo eandem rationem tũ etiam exinde, quòd si prolatis verbis consecrationis non destruerentur substantiæ panis, & vini, nec sub earum accidentibus ponerentur corpus, & sanguis Christi, talis consecratio esset nomine tenus, nullumque celebraretur Sacrificium verum, ac propriũ, vt Catholico Theologo dubitare non licet. Ast ob eam prę cisè causam non sacrificaretur tunc verè, & propriè Christus, quia non fieret mutatio physica in ipso, nam quoad cõmemorationem Sacrificij cruenti peracti in cruce deseruirent eodem modo verba consecrationis, ritusque, ac cęremoniæ, quæ comitarentur earũ prolationem. Postremò premo exinde, quòd iuxta Vazquium D. 220. C. 3. n. 25. Sacrificium in communi ex parte formæ, seu significationis est nota existens in re, qua profitemur Deum authorem vitę, atque mortis; sed nisi in Sacrificio Eucharistico detur immutatio physica rei oblatæ, non competet ei prefata definitio, nam nomine notæ intelligitur mutatio physica, vt ait Dicastillus suprà Dub. 1. n. 18. explicans mentem Vazquij; & vt hic innuere videtur, cum statim definiens Sacrificiũ ex parte materiæ, inquit, est res, quæ per sui immutationem Deo offertur, seu mutatio rei, quæ Deo offertur. Et quamuis Vazquius n. 26. attingat hanc de Sacrificio Missæ difficultatem, quo nempe pacto conueniat ei definitio ab ipso assignata; tamen neque ibi, neque in D. 222. C. 7. & 8. ad quam se remittit, video claram eius enodationem. Docet quidem in D. 222. & 223. consecrationem, seu positionem corporis Christi sub speciebus panis, & positionem sanguinis sub speciebus vini esse notam protestatiuam Dei vt authoris vitæ, ac mortis, quin importet immutationem physicam. Quare in definitione Sacrificij videtur assumere nomen notæ pro signo in rebus, abstrahente à mutatione physica, & ab huius carentia. Sed si id ita sit, cur definiens Sacrificium ex parte materiæ scribit, est res, quæ per sui immutationem Deo offertur, seu mutatio rei, quæ Deo offertur? Si enim nota ex parte materiæ debet esse mutatio, debebit etiam esse ex parte formæ. Prætereà id, quod cum proportione, & congruentia assumatur, vt sit nota Dei tanquam authoris vitæ, ac mortis, debet esse mutatio physica. Item si nota non debet esse mutatio physica, posset esse Sacrificium pictura, qua Deum profiteremur authorem vitæ, & mortis, siquidem sit nota existens in re, & non in verbis. Cui argumento vt respondeat

pondeat Dicastillus, dicat quod proximè notauimus. Et hæc satis contra Vazquium, aliosque eius assecias. Et hæc sint etiam satis circa id, quod tertio loco certum esse debere diximus de rei oblatæ immutatione per actionem sacrificatiuam. Sint, inquam, satis vsque ad D. 3. S. 5. vbi eademmet tractatio regustanda à nobis est.

Sacrificatiua actio debet esse externa, atque sensibilis.

14 IAM quartò certũ esse oportet, actionem sacrificatiuam debere esse externam, & sensibilem. Tũ quia Sacrificium pertinet ad externũ, & sensibilem Dei cultum, quo internã, humilemque nostram ad Deum subiectionem declaramus. Ergo actio sacrificatiua debet esse externa, & sensibilis. Tum quia Sacrificium est cultus, quo humana Respublica Deum prosequitur: *In nullum autem nomen religionis siue verum, siue falsum coagulari homines possunt nisi aliquo signaculorum visibilium consortio colligentur*, vt ait S. Augustinus L. 19. contra Faustum C. 11. Ergo Sacrificium debet esse actus externus, & sensibilis, signaculumque visibile, *sicut hominum natura exigit*, vt inquit Tridentina Synodus Sess. 22. C. 1. Porrò autẽ externa actio, & sensibilis sacrificatiua debet saltem ex præcepto fieri ritu aliquo mystico, certisque cæremonijs. Nam, vt admonet Bellarminus L. 1. de Missa C. 2. V. *Septimò diximus, debet res illa, quæ Deo offertur, ex prophana fieri sacra, & Deo dicata, id enim significat sacrificare, sacrum facere, vt S. Thomas rectè monet in 2. 2. q. 85. ar. 3. Ista autem consecratio, & dedicatio semper fiebat in lege veteri certo ritu, & cæremonia mysterium continente, vt impositione manuum super victimam, vel eleuatione oblationis in altum. Et in hoc distinguitur Sacrificium à simplici oblatione, quæ non requirit ex se vllam eiusmodi mysticam consecrationem.* Huc vsque Bellarminus. Liceat addere ex Concilio Tridẽtino Sess. 22. C. 5. naturam humanam non facilè posse sine adminiculis exterioribus rituum, & cæremoniarum ad rerum diuinarum meditationẽ sustolli. Quare in Sacrificijs adhibita sunt visibilia religionis, & pietatis signa, vt mentes hominum excitarentur ad contemplationem rerum in eis latentium; necnon vt Sacrificiorum maiestas, & dignitas magis cõmendaretur, maioremq; apud homines venerationem haberet.

SECTIO II.

Ponuntur, & solidantur fundamenta alia sex.

Ex præcepto saltem opus est altari ad Sacrificium.

15 QVINTO certum esse debet, ad Sacrificium requiri saltem ex præcepto altare, nam dignitas tantæ functionis postulat locum à prophanis vsibus segregatum, & huic ministerio sacro deputatũ specialiter. Dixi, requiri saltem ex præcepto, nam etsi fortè ad Sacrificia vetera altare fuerit essentialiter requisitum; sed ad nouum Eucharisticum non est necessariũ, nisi ex præcepto. Vnde si quis Sacerdos consecraret nunc extra altare, peccaret quidem grauiter, offerret tamen verũ Sacrificium. Estque idem ipsum existimandum, casu quo sine vllis ritibus, & cęremonijs pronũciaret consecrationis verba. Et ideo in prȩcedenti numero aduertenter dixi, debere saltem ex prȩcepto fieri ritu aliquo mystico, certisq; cæremonijs actionem sacrificatiuam.

Omnino necessarius est ad Sacrificium Sacerdos.

16 SEXTO ratum esse vellem, ad Sacrificium requiri Sacerdotẽ, id est, personam legitima, & publica authoritate Dei, vel populi designatam specialiter, vt communi nomine offerat illud pro se, & pro alijs. *Omnis enim Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in ijs, quæ sunt ad Deum, vt offerat dona, & Sacrificia pro peccatis. Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron*, vt ait Paulus ad Hebræos 5. V. 1. & 4. & vt Concilium Tridentinum Sess. 23. C. 1. *Sacrificium, & Sacerdotium ita Dei ordinatione coniuncta sunt, vt vtrumque in omni lege extiterit.* Etsi autem Paulus loquatur de assumptione iuxta legem positiuam,

positiuam, & non præcisè iuxta ius naturæ, alioquin non posset iure naturæ esse Sacerdos, nisi qui esset à Deo assumptus, seu institutus: etsi item Concilium Tridentinū habeat sermonē de ordinatione positiua Dei; nihilominùs sicut Sacrificium debet esse institutum publica, & legitima authoritate, vt probabimus posteà, ita etiam debet ipsum fieri à persona destinata per publicam, atque legitimam authoritatem, frustra enim requireretur ea institutio Sacrificij, si quiuis indifferenter posset sacrificare. Præterea Sacrificium est cultus publicus nomine populi Deum colentis oblatus. Ergo peragi debet à persona, quæ peculiariter deputata sit, vt nomine cōmuni exhibeat illud. Hinc Plato L. 10. de legibus admonebat, *cum alicuius animum sacrificandi studium incesserit, ad publica sacrificaturus accedito, & Sacerdotibus hostias, quibus sancta harum rerum cura demandata est, præbeto.* Aristoteles similiter L. 7. de Republica C. 9. instruit Ciues, *à quibus Deos coli decet*, de qualitate creandorum Sacerdotum; & in C. 8. dixerat, *ad constituendam Ciuitatem requiri primo loco rerum diuinarum, & cæremoniarum curationem, quam Sacerdotium appellant.* Legantur Bellarminus L. 1. de Missa C. 2. V. *Quintū argumentū*, & V. *Quintò dicimus.* Suarez tomo 2. in 3. p. D. 40. S. 2 à V. *At verò* vsque ad *Quo circà*. tomo 3. D. 75. S. 5. vers. vltimo. Lessius L. 2. de Iustitia C. 38. Dub. 2. n. 12. Coninch 3. p. q. 83. art. & dub. 1. à n. 19. vsque ad 25. Ioannes Baptista Scortia L. 1. de Sacrificio Missæ C. 3. n. 5. Franciscus de Lugo L. 5. de Sacramentis C. 1. q. 2. n. 16. Vbi dissoluūt difficultates aliquas pertinentes ad Scripturę sacrę Interpretes. Notatque Vazquez D. 220. C. 3. n. finali, si semel Respublica designet aliquos Sacerdotes, non licere alijs exercere munus sacrificandi. Illustratur ex dictis doctrina S. Thomæ 2. 2. q. 85. *ar.* 4. vbi quærit, an omnes teneantur ad offerenda Sacrificia? Respondetque primò, omnes teneri ad offerendum interius Sacrificium, nempè deuotam Deo mentem. Secundò qui sunt sub lege noua, vel veteri, teneri ad offerendum exterius Sacrificium iuxta legis præcepta. Tertiò, qui fuerunt sub lege naturæ, obligatos fuisse ad aliqua exteriùs faciēda in honorem diuinum secundùm condecentiam ad eos, inter quos habitabāt, non autem determinatè ad hæc, vel ad alia. Quartò dari virtutum externa opera, quæ dicuntur Sacrificia metaphoricè, & impropriè, quia à virtute religionis imperantur, & ordinantur in cultum Dei; ad quarum aliqua omnes tenentur, eo quòd cadant sub præcepto; secus ad alia, eo quòd sint supererogationis. Et in solutione ad 3. dicit, *Sacerdotes offerre Sacrificia, quæ sunt specialiter ordinata ad cultum diuinum, non solùm pro se, sed etiam pro alijs. Quædam verò sunt alia Sacrificia (nimirùm impropria, & metaphorica) quæ quilibet potest pro se Deo offerre.*

Satis est, quòd in Sacrificio Sacerdos sit moralis causa immutationis.

17 SEPTIMO certum esse debet, non requiri ad Sacrificium, vt Sacerdos sit causa physica immutationis, quę fit in re oblata, sed sufficere, si sit causa moralis. Vnde sæpè in Sacrificijs veteris legis Sacerdos applicabat hostiæ ignem, à quo consumebatur; forsanque in panis, & vini Sacrificio, quod tempore legis naturæ obtulit Melchisedech, non hic, sed Abrahā, militesque ipsius consumpserunt panē, & vinum: quę consumptio non vt facta est ab exequentibus, sed vt ordinata est à Melchisedech offerente tanquam Sacerdote Altissimi, per eamque protestante excellentiam diuinam, habuit rationem actionis sacrificatiuæ. Insuper in lege noua Sacerdotes non causant physicè, sed tantū moraliter mutationem, quę fit in Sacrificio Eucharistico. Et Christus Dominus vt verus Sacerdos obtulit in cruce Sacrificium cruentum sui corporis; quod tamen non à Christo offerente, sed à crucifixoribus consumptum est, seu interemptum physicè. Quanquam quia Christus, cum proximè potuerit impedire mortem, non tantùm permiserit, acceptaueritq; eam, sed etiam oblatus sit, quia ipse voluit; idcirco moraliter causauit mortem suam per actionem sensibilem crucifigentium.

***

Sa-

Sacrificium est externus actus virtutis religionis.

18 OCTAVO certum esse debet, Sacrificium esse actum externum virtutis religionis. Ita S. Thomas 2. 2. q. 85. art. 1. post Sanctum Augustinum L. 20. contrà Faustũ C. 21. & alibi. Consentiunt Theologi omnes, quia per Sacrificium defertur Deo debitus cultus, honor, & reuerentia. Vnde S. Thomas in Corp. art. citati inquit, *Sacrificium est quidam specialis actus laudem habens ex hoc, quòd in diuinam reuerentiam fit; propter quod ad determinatam virtutem pertinet, scilicet ad religionem.* Et paulò post, *sunt quidam actus, qui non habent ex alio laudem, nisi quia fiunt propter reuerentiam diuinam. Et isti actus propriè Sacrificia dicuntur, & pertinent ad virtutem religionis.* Rursùs in Corp. art. 4. *Quoddam est Sacrificium, quod ex hoc solùm laudem habet, quòd Deo aliquid exterius offertur in protestationem diuinæ subiectionis.* Transcriptis in verbis S. Doctor eò respicit, vt virtuti religionis adscribat Sacrificium tanquam actum proprium, quin solicitus sit docere nos differentiam huius actus ab alijs proprijs eiusdem virtutis, quippe aliunde supponebat notitiam talis differentiæ. Quòd autem ait, Sacrificium habere laudem ex solo titulo reuerentiæ erga Deum, oblationisq; protestantis subiectionem erga ipsum, intelligẽdus est de Sacrificio sub conceptu præciso actus religiosi, nam Sacrificium potest in re habere alios titulos laudis, vt compertum est ex mortis Christi Sacrificio, qui fuit actus maximę charitatis, fortitudinis, &c. Vel intelligendus est S. Thomas de Sacrificio, vt est præcisè actus elicitus virtutis religionis. Cum quo stat, vt simul sit actus imperatus ab alijs virtutibus, & proinde vt earum ratione participet plures laudis titulos. Ac sanè sicut virtus Religionis potest imperare actus virtutum aliarum, vt notat S. Thomas in 3. & 4. art. præcitatis, necnon in 4. art. q. 81. & ob id actus aliarum virtutum vocantur non rarò Sacrificia: ita virtutes aliæ possunt vicissim imperare actus virtutis religionis, videlicet adorationem, Sacrificiũ, &c. Infertur ex dictis, cur Sacrificium sæpe appelletur adoratio in Oraculis sacris, vt Genesis 22. Ioannis C. 4. & C. 12. Actor. 8. quia scilicet applicatur Sacrificio nomen, quod est proprium alterius actus pertinentis ad eandem virtutem religionis. Est autem hic obseruandum, Sacrificium sic esse actum virtutis religionis (quo significamus, inesse excellentiam diuinam ei, cui offertur) vt respiciat Deum, non præcisè tanquam vltimum finem, in quem refertur, sed etiam tanquam obiectum, seu personam, cui res oblata quasi donatur immediatè, proximè, & directè. Atque hinc declarat S. Thomas q. 85. à 3. ad 3. discrimen Sacrificij à decimis, primitijs, oblationibusque alijs in Ecclesia consuetis, quæ non immediatè Deo, sed Ministris diuini cultus, vel pauperibus exibentur. Hinc etiam ipsis Dei imaginibus, quãuis cultu aliquo latriæ odorati possint, Sacrificium offerri non poterit. Consulatur S. Epiphanius Hæresi 79. vbi agit de non deferendo Sacrificio Deiparę Virgini, vtpote meræ creaturæ. S. Augustinus L. 20. contra Faustum à C. 18. vsque ad 22. Epist. 49. q. 3. L. 4. de Trinitate C. 13. & C. 14. L. 8. de Ciuitate Dei C. 27. L. 10. C. 4. & 5. & 19. L. 22. C. 10. L. 1. contra aduersariũ legis, & Prophetarũ, c. 10. quibus in locis tractat sapientissimè de Sacrificio, vt est actus virtutis religionis, & vt soli Deo offerri debet. Consulatur etiam S. Thomas q. 85. ar. 2. & 3. qui duo articuli manent abundè explicati tã in hoc numero, quàm in primo præsentis Disputationis. Et agit quidem S. Thomas in eo articulo 2. Vtrum soli Deo sit Sacrificium offerendum?

Essentiam participat Sacrificij, quod præstatur Deo non vero.

19 NONO firmum esse cupio, Sacrificium oblatatum Deo reapse falso habere essentiam Sacrificij. Ita Vazquez D. 220. C. 3. n. 30. Cardinalis de Lugo D. 19. S. 1. n. 13 Lessius L. 2. de Iustitia C. 38. n. 20. & 28. Bernal D. 21. Sect. 1. n. 6. Dicastillus D. & dub. 1. n. 38. dub. 2. n. 55. Martinonus D. 38. S. 2. num. 26. Puteanus 3. p. q. 83. dub. 1. & 2. Sfortia Pallauicinus in Theologicis Thesi-

bus

bus L. 6. num. 42. Nicolaus Ysambertus 3. par. quæst. 83. D. 1. artic. 2. §. *Quinta particula*. Probatur primò, quia Sacrificia Gentilium, & Sacerdotes, qui ea offerebant, dicuntur simpliciter, & absolutè Sacrificia, & Sacerdotes in litteris tam diuinis, quàm humanis. Secundò quia externa submissionis nota adhibita alteri tanquam Deo, aut tanquã Regi, etsi reapse nec Deus, nec Rex sit, habet essentiam adorationis latrię, aut cultus Regij, obseruantiæque politicæ. Ergo similiter habebit Sacrificij essentiam oblatio rei sensibilis per realem immutationem præstita à Ministro legitimo ad testandum aliquem esse authorem vitæ, ac mortis, etsi reapse author non sit. Tertiò quia sensibilis rei oblatio facta à legitimo Ministro cum immutatione reali ad significandam humanam submissionem erga habentem reapse, vel putatiuè dominium vitæ, atque mortis, est cultus diuinus, siquidem sit cultus soli Deo vero, vel putatiuo præstari aptus. At non est merè cultus externus diuinus, seu mera adoratio externa latriæ, vt patet, nam ad id sufficeret quæuis nota externa submissionis erga alterum tanquam Deum. Ergo est cultus externus diuinus, seu adoratio externa latriæ contracta ad peculiarem speciem. Rogo autem, quænam illa sit, nisi Sacrificij? Quartò nam cultus delatus alicui, qui apprehendatur vt Deus, tametsi apprehensio sit falsa, non potest non assurgere ad rationem adorationis latriæ, aut Sacrificij, non enim non potest ab apprehensione, ex qua præstatur, & à qua pendet, participare gradum altiorem humano, seu politico cultu, & obseruantia. Quinto probatur ex verbis S. Augustini adductis n. 1.

20 Obijcies primò, Sacrificium oblatum Deo falso non est verum signum excellentiæ diuinæ in eo, cui offertur. Ergo non est verum Sacrificium, nam vt Sacrificium debet esse signum excellentiæ prefatæ, sic verum Sacrificium debet esse verum signum eiusdem excellentiæ. Respondeo, Sacrificium oblatum Deo falso, esse signum, & Sacrificium veritate transcendentali in essendo, quia verè habet essentiam, & naturam signi, ac Sacrificij, sed non veritate formali in significando, quia excellentia illius, cui offertur, non ita se habet, vt per signum, & Sacrificium significatur. Sic propositio quæuis compos est veritatis transcendentalis in essendo, quandoquidem participet essentiam, & naturam propositionis, quanuis, quæ falsa est, & quæ dicitur, careat veritate formali in enunciando, non enim ita se habet obiectum, vti per ipsam enunciatur. Sic rursus quicumque amor est transcendentaliter verus, tametsi qui feratur in obiectum solummodò apparenter bonum, minimè sit de obiecto, cui ex bonitatis realis, & solidæ merito amor debeatur.

21 Oppones secundò, oblatio, quæ verè sit Sacrificium, debet esse effectio rei sacræ. At oblatio exhibita Deo falso non est effectio rei sacrę, sed potiùs rei execrandę, & profanæ. Ergo non est verè Sacrificium. Respondeo, oblationem exhibitam Deo falso esse effectionem rei sacræ, quatenus efficit aliquid, quod congruit, & debetur soli Deo; etsi illud sit in se execrandum, & profanum, habito respectu ad Deum falsum, in cuius honorem præstatur, & ad Deum verum, in cuius cultum non exhibetur. Atque hinc colligitur contrà Tannerum tomo 3. Disp. 5. quæstione 8. dub. 2. num. 34. quo sensu Simoniaca esset venditio Sacrificij litandi Numini adulterino. Replicabis, oblatio facta Deo falso est magis sacrilegium, quàm Sacrificium. Et quia Coninch quæst. 83. artic. & dubio 1. num. 30. ita loquitur, ideò à Francisco de Lugo Lib. 5. Cap. & quæst. 1. num. 10. citatur pro contraria sententia. Sed dico, sicut non est contrà essentiam iuramenti, quòd sit periurium, ita neque esse contrà Sacrificij, quod sit Sacrilegium. Imò vt notat Lessius Lib. 2. de Iustitia Cap. 45. dubio 2. num. 6. Sacrificia Idolorum vocantur ab Augustino, & ab alijs Patribus Sacra, & Sacrificia sacrilega. Coninch autem in numero antecedenti videtur stare pro nostra sententia; tradit saltem ibi idem ipsum, ac Lessius Lib. 2. Cap. 38. dubio 2. num. 20. quo loci recensetur à Francisco de Lugo suprà n. 8. pro nobis. Vrgebis, oblatio illa non est actus virtutis religionis; vti debet esse

omnis oblatio, cui competat essentia Sacrificij. Aio, esse actum præsumptæ, & putatę virtutis religionis; sufficereque ad oblationem habentem essentiam Sacrificij, si oriatur à virtute religionis vel vera, vel præsumpta. Et quia ab hac informatur Sacrificium Idololatricum, ideò istud prohibetur à Deo. Legatur Franciscus Amicus tomo 7. D. 32. num. 34. quanuis in num. 18. vel sibi non constet, vel nobis non faueat.

22 Obijcies tertiò, si quis Deo vero oblationem rei sensibilis cum immutatione reali faciat sine interna animi submissione, non sacrificat verè, quia caret affectu interiori, quem Sacrificium debet significare. Ergo similiter non Sacrificabit verè, qui Deo falso parem oblationem fecerit, quandoquidem in eo, cui fiat oblatio, desit excellentia diuina, quam Sacrificiũ debet significare. Respondeo, insinuante Suario D. 73. sect. 2. V. *Dico secundò*, & exprimẽte Cardinali de Lugo D. 19. sect. 1. n. 13. oblationem, de qua est sermo in Antecedenti, fore Sacrificium veritate transcendentali in essendo, quia verè esset signum submissionis internę, tametsi absque veritate formali in significando, vt inferiùs explicabitur magis. Castrus Palaus parte 4. Operis Moralis Tract. 22. D. vnica, punct. & num. 1. indicat, non fore Sacrificium veritate transcendentali; vt & neque eadem veritate fore Sacrificium, quod offeratur Deo falso. Et id posterius etiam innuit Granadus tomo 5. Cõtrou. 6. Tract. 14. D. S. & n. 1. Gamachæus 3. p. Tract. de Sacrificio Missę C. 2. in fine. Tannerus tomo 3. D. 5. q. 3. dub. 1. num. 6.

23 Obijcies quartò, oblatio carens institutione legitima, seu quæ non sit facta à legitima potestate, nõ habet essentiam Sacrificij. Sed oblatio exhibita Numini non vero caret institutione legitima, nam Deus verus in lege scripta veteri, & noua reseruauit sibi institutionem Sacrificiorum, quę soli sibi essent offerenda, & proinde prohibuit, inualidauitque Sacrificia, quæ offerrentur Deo non vero. Respondeo primò cum Francisco de Lugo suprà n. 9. hoc argumento saltem non probari, non fore Sacrificium oblationem, quæ Deo falso fieret ante legem scriptam. Secundò, Deum sic reseruasse sibi legitimam institutionem Sacrificiorum, vt fidelibus, non autem Ethnicis ademerit potestatem instituendi legitimè alia Sacrificia, quæ valida essent. Tertiò, etsi Deus prohibuerit tam Ethnicis, quàm fidelibus, vt offerrent alia Sacrificia præter designata ab ipso, atque adeò quæuis alia sint illicita; tamen non ademisse facultatem, vt saltem publica authoritate instituerent alia, quæ valida essent. Sic indicat Vazquez D. 222. C. 3. n. 30. inquiens; *Quòd Sacrificium fiat soli Deo vero, solùm requiritur, vt rectè fiat; sicut etiam quòd offeratur à legitimo Ministro, ad id tantùm, vt rectè offeratur, necessariũ est, postquã peculiares Ministri ad hoc munus deputati sunt.* Sic Vazquez. Vnde non placet mihi Franciscus de Lugo, dicens, non fore verum Sacrificium Ethnicorum, si eos etiam prohibitio diuina comprehenderit. Sed ipse magis probat, comprehendisse solos fideles.

24 Oppones quintò, iuramentum per Deum falsum non habet essentiam, & naturam iuramenti, vt post plures, grauesque Doctores allegatos censet Castro Palao parte 3. Tract. 14. D. & punct. 1. n. 4. Ergo neque habebit Sacrificij essentiam, & naturam oblatio facta Deo falso; nam sicut iuramentum est attestatio diuini Numinis ad fidem faciendam, vel promissionem firmandã, ita Sacrificium est protestatio supremæ potestatis diuini Numinis circa vitã, & mortem, vel circa esse, & non esse creaturarum. Respondeo primò, negando Antecedens; quanquam iuramentum per Deum falsum non sit licitum, per se loquendo, neque hoc modo, inducat ex virtute religionis obligationem. Respondeo secundò, distinguendo Antecedens, vel iuramentum est per Deũ falsum, qui vt talis cognoscatur; vel qui vt verus putetur? Si primum, non erit propriè iuramentum; secus, si secundum. Similique modo potest cogitari, Sacrificium oblatum Deo falso cognito vt tali non esse propriè Sacrificiũ; secus, si offeratur Deo falso, putato vt vero. Et fortè in hoc sensu intelligendi sunt Authores pro nostra sententia, si excipias Dicastillum suprà num. 24. Puteanum dubio primo, Vers. *Tertiò negari.* Ysambertum Vers. *Quinta particula*, in fine. Ego saltem quoad partem

tem istam firmior permaneo. Sed in qua adhuc videtur aduersari nobis P. Suarez D. 73. sect. 6. Vers. *Vt autem*; ast patrocinatur Corduba in quæst. 40. Lib. 1. Quæstionarij, & indistinctè quoad vtramque Arriaga in Tract. de Eucharistia D. 49. sect. 3. subs. 4. num. 28. Gaspar Hurtadus D. 1. de Sacrificio Missę Dif. 1. in fine.

Sacrificium iam abrogatum, si offeratur Deo vero, non erit tale nomine tantùm tenus.

25 DECIMO fixum esse desidero, si nunc per Ministrum publica authoritate deputatum offeratur ex malitia, vel ex ignorantia inuincibili Sacrificium aliquod antiquatũ Deo vero, fore vt tali oblationi competat essentia, & natura Sacrificij, atque adeò non erit nunc Sacrificium nomine tenus. Hanc conclusionem esse probabilem, ait Lessius Lib. 2. de Iustitia Cap. 38. dub. 3. num. 28. & probat primò ex Sancto Augustino Epistol. 49. quæst. 3. vbi scribit; *Qui Christianas litteras vtriusque Testamenti sciunt, non hoc culpant in sacrilegis ritibus Paganorum, quòd construant templa, & instituant Sacerdotia, & faciant Sacrificia; sed quòd hæc idolis, & Dæmonijs exhibeant.* Et post; *Potest satis intelligi, non tam ipsam immolationem, sed quod Dijs falsis, & impijs Dæmonibus immolatur, reprehendi à vera religione in superstitionibus Gentium.* Idem Sanctus Doctor Lib. 20. contra Faustum Cap. 19. habet hæc verba; *Apostolus dicit 1. ad Corinthios 10. Quæ immolant gentes, Dæmonijs immolant, & non Deo. Non quod offerebatur culpans, sed quia illis offerebatur.* Ergo iuxta Sanctum Augustinum oblatio v. g. vituli facta Deo vero nunc temporis est Sacrificium, estque expers culpæ, si inuincibiliter ignoretur abrogatio cæterorum Sacrificiorum præter Eucharisticum. Probat secundò, nam lumen naturale præcipit, vel suadet Ethnicis oblationẽ Sacrificiorum. Atqui non apparet illis alia sacrificandi ratio, quæ sit congruentior, quam ea, qua offertur aliquid ex animalibus, vel ex frugibus terræ. Ergo, &c. Tertiò probat, quia in statu naturæ fuissent licita huiusmodi Sacrificia, non enim habuissent homines tunc aptiora, aut congruentiora alia. Cur igitur non erũt nunc licita apud Ethnicos ignorantes legem Christi, cum alia diuinitus instituta lateant ipsos? Non acquiesco his probationibus. Non primæ, quia mens S. Augustini est, declarare Paganorum in Sacrificijs culpam, eoquòd non offerant illa vero Deo. Sed neutiquam declarat, an ea sint vera, vel tantùm apparentia, & adumbrata; neque an essent vera, si offerrentur vero Deo; neque exprimit Sacrificiorum tempus, num ante, vel post legem Euangelicam. Non secundæ, quia quòd Ethnicis non appareat alia aptior, aut congruentior ratio significandi, quàm occidendo agnum v. g. non probat, eos nunc temporis sacrificare sic re ipsa, sed falsa sua existimatione. Non tertiæ, quia quòd huiusmodi Sacrificia fuerint licita in statu naturæ, legisque veteris, & quòd nunc sint licita apud ignorantes inuincibiliter legem Christi, non probat esse nunc pluisquàm falsi nominis, & indicij Sacrificia. Martinonus D. 38. num. 13. & 26. Dicastillus suprà num. 43. vtuntur efficaciori hac ratione: quòd Deus prohibuerit nunc alia Sacrificia præter Eucharisticum, facit quidem, vt alia sint per se illicita, & illegitima, non tamen, ne sint essentialiter Sacrificia, quæ olim erant, aut quæ nunc instituantur per authoritatem humanam publicam, nam neque Deus potest immutare rerum essentias, neque Sacrificij essentia requirit necessariò institutionem diuinam, neque licitus vsus Sacrificij est de eius essentia, neque eius apud Deum acceptatio, vt multis exemplis confirmat Dicastillus suprà; cuiusque patet, Missam non desinere esse Sacrificium, tametsi sæpe sit illicita ex parte Sacerdotis, aut temporis, aut loci, aut ornamentorum, aut materię, aut formæ. Vtor & ego breui hac ratione: potest Respublica quęcumque humana, attento præcisè iure naturæ, instituere Sacrificia. Prohibitio autem, quæ nunc viget, non est cur reddat inualidum vsum eius potestatis, cum satis sit, si reddat illicitum, vt ex dicendis paulò post constabit.

26 Castrus Palaus tomo

2. Tract. 8. D. 2. punct. vnico, num. 5. aduersus est nobis, nam instituto Sacrificio Eucharistico sunt extincta cętera Sacrificia; estque à Christo Domino adempta hominibus potestas instituendi alia Sacrificia, vsurpandi materiam aliam & creandi alios Sacerdotes prętter ab ipso deputatos. Frāciscus de Lugo Lib. 3. Cap. & quæst. 1. num. 9. est etiam contrarius nobis, citatque pro se Suarium D. 73. sect. 3. Vers. *Dico secundò*, Lessium suprà num. 27. Coninchum quæst. 83. artic. & dub. 1. num. 14. Sed Coninch habet hæc verba; *Tam in lege veteri, quàm noua, tam Iudæis, quàm Christianis certa Sacrificia præscripsit Deus, quibus voluit coli, reliqua omnia prohibendo, & consequenter efficiendo illicita, & tollendo ijs omnibus potestatem aliquod Sacrificium instituendi Quare nemo vnquam alterutri legi subiectus potuit aliquod verum Sacrificium instituere.* Ita Coninch, qui clarè non loquitur de potestatis defectu ad vera, sed ad licita alia instituenda Sacrificia. Suarez tum in loco allegato, tum in D. 74. sectione 4. Vers. *Hinc addo*, non loquitur magis clarè, quàm Coninch. Possent eodem iure citari Vazquez D. 223. Cap. 3. num. 55. & 56. Cardinalis de Lugo D. 19. sectione 2. à num. 34. Dicastillus D. 1. dub. 14. num. 272. Admittunt tamen eandem explicationem. Vel dici potest, hos, & alios Theologos similiter loquētes, non agnoscere in Ecclesia potestatē ex Christo Deo, & homine acceptam, vt instituat alia Sacrificia; quicquid sit, an Ecclesia, iure naturali præcisè spectato, habeat vt Respublica humana potestatem ad validam Sacrificiorum institutionem? Lessius non omnino refragatur nobis, nam si ab Ethnicis ignorantibus legem Christi offeratur nunc vitulus vero Deo, putat, esse verum Sacrificium, vt videre est in num. 28. ex quo Lessium pro nobis adduximus suprà; tametsi in antecedentibus numeris aliter censeat de oblatione simili facta nunc à Christiano, vel Iudæo. Vt vt sit de Authoribus aduersantibus, vel patrocinantibus, Franciscus de Lugo mouetur, quoniam eo ipso, quòd Deus noluit alijs Sacrificijs coli prętter illa, quę ipse instituit, in lege veteri, & noua, censetur non solùm vetare cætera, sed etiam reddere irrita, auferreq; hominibus potestatem instituendi non tantùm licitè, sed etiam validè alia Sacrificia. Sed ego, vt respondeam Castro Palao, & Francisco de Lugo, non video, cur debeat cenceri secundum, cum satis sit, si primum censeatur, ad maiorem ostensionem diuini amoris erga Iudæos olim, & Christianos nunc, necnon ad maiorem commendationem Sacrificiorum institutorum à Deo.

27 Enimverò arguet contrà quis satis neruosè, si Sacrificia alia prętter Eucharisticum possent esse nunc propriè talia, possent etiam nunc esse licita. Nam si nunc propriè sacrificaret, qui adoleret thus vero Deo, intendens consumptione thuris significare internam submissionem, & recognitionem diuini dominij, nunc etiam licitè sic sacrificaret, licitum enim est, ex prædicta intentione adolere nunc thus. Conficitur simile argumentum in Martyre, qui ex eadem intentione offerret nunc vitam suam Deo. Respondeo, neque consumptionem thuris, neque oblationem vitæ suæ ex illa intentione esse Sacrificium, quia non est Dei vt authoris vitæ, ac mortis attestatio instituta per publicam authoritatem, præstitaque per Sacerdotem legitimum, vti opus est ad Sacrificium verum, & proprium, quin sufficiat priuata intentio, & institutio, vt infrà docebimus. Inquies, quidni licebit Ecclesiæ intendere in incensione thuris attestationem præfatam? Si autem intendat, erit incensio thuris Sacrificium proprium, & licitum. Respondeo, ea de causa non licere, quia prohibuit Christus huiusmodi Sacrificium institutum per authoritatem publicam humanam. Sic iuxta Vazquium, Meratium, & alios, qui priuata authoritate contenti sunt ad institutionem Sacrificij, non licet priuato incensio thuris ad significandum Deum authorem vitæ, & mortis; fatentur tamen, fore verum Sacrificium, si fieret ex tali intentione. Ita in terminis Meratius D. 36. de Eucharistia sectione 1. Vers. *Atque hinc.* Sed nos maiori cum specie probabilitatis cogitamus, talem intētionem esse illicitam soli Ecclesiæ, quia facilius est, vt huic, quàm vt priuato cuique innotescat prohibitio Christi. Si quis contēdat esse

etiam

etiam illicitam priuato cuique in incensione thuris, & in Martyrio, non teram tempus. Notare oportet in hoc loco, oblationem, quæ fit in benedictione solemni cerei Paschalis, die Sabbathi sancti, vocari ab Ecclesia *Sacrificium*, non quidem strictè, sed latè. Et patet, nam dicitur Sacrificium incensi, & cum hoc in quinque granis incensumptum maneat, consequens est, vt Sacrificium ipsius non sit strictum. Adesis Cardinalem Caietanum 2. 2. q. 85. artic. 4. Cardinalem de Lugo D. 19. sect. 2. num. 34. Suarium D. 74. sect. 4. V. *Circa secundam*, & V. *In hac re*, Lessium L. 2. Cap. 38. dub. 4. num. 27. Sed & quando consumitur thus in Ecclesia, non est strictè Sacrificium, vt liquet ex ratione paulò antea data; colligiturque ex Concilio Tridentino Sess sione 22. C. 5. Vbi ait, Ecclesiam adhi buisse in Missa thymiamata ob alios fines, quàm sacrificandi per ipsa thymiamata. Colligitur etiam ex 2. Synodo Nicæna, Actione 7. vbi testatur, esse de more Ecclesiæ colere Sanctorum imagines sacris oblationibus suffituum. Si autem hæ oblationes essent Sacrificia strictè, non deberent fieri, nisi soli Deo.

SECTIO III.

Quatuor alia fundamenta statuuntur.

Institutio diuina, vel humana requiritur ad Sacrificium.

28 VNDECIMO certum esse debet, ad essentiam Sacrificij esse sufficientem per se, & ex natura rei institutionem diuinam, vel humanam. Sic indicat S. Thomas 2. 2. q. 85. art. 1. ad 1. dicens; *Ex institutione humana, vel diuina esse determinationem Sacrificiorum*. Sic expressiùs, latiùsque docet Suarez D. 73. S. 3. V. *Dico ergo primò*; cæterique Theologi communiter. Et quidem sufficientem esse diuinam, à nemine dubitatur; de humana vero probatur breuiter, quia Dei vt authoris vitæ, ac mortis protestatio, similisve alia per actionem aliquam externam, quam homines ad id assumant, non est, cur excedat naturale ipsorum dictamen, potestatem, atque authoritatem; sicut neque excedit similis protestatio per verba aliqua ab eisdem assumpta ad significandam diuinam illam excellentiam. Neque opponas Sacramenti essentiam, quæ diuinam requirit institutionem. Nam Sacramentum est certum, infallibile, practicumque signum sanctificationis; institutio autē huiusmodi signi superat potestatem humanam, quę primaria sit, & principalis, tametsi non excedat ministerialem, & delegatam à Deo, vt denotat S. Augustinus Tract. 5. in Ioannem, sentiuntque per multi Theologi quàm oppido graues contra Scotum, Bielem, & Vazquium. Sed de hoc puncto in Tract. de Sacramentis in genere.

Institutio publica est necessaria ad Sacrificium.

29 DVODECIMO fixum esse opto, ad Sacrificij essentiam requiri institutionem, quę emanet ab authoritate publica diuina, vel humana. Ità Cardinalis de Lugo D. 19. S. 1. n. 10. & 11. Franciscus de Lugo L. 5. C. 1. q. 2. n. 13. Roderic. Arriaga Tract. de Eucharistia D. 49. S. 3. Subs. 1. n. 12. Bernal D. 21. S. 7. n. 43. Coninch. q. 83. art. & dub. 1. n. 12. complures que alij, inter quos allegari solet P. Suarez D. 73. S. 4. Sed is Eximius Doctor statuit in primis, esse in humana Republica potestatem ad instituenda Sacrificia, quæ nomine totius populi Deo offerantur, & quæ non possint alicuius priuata authoritate institui, aut immutari. Deinde ait, non solùm posse Sacrificiū publica authoritate institui, sed etiam solum illud esse propriè, ac simpliciter legitimum Sacrificium, quod publica authoritate vel diuina, vel humana institutum est; atque adeò potestatem instituendi Sacrificium propriè dictum, prout est in hominibus, non residere in singulis priuatis personis, sed in tota Republica, seu Principe gerente vicem eius. Cæterùm ad finem Sectionis scribit non pauca verba, ex quibus, si attentè legantur, constabit, Eximium Doctorem non recusare, vt essentia Sacrificij saluetur metaphysicè in actione institu-

ta à priuata persona. Nec absonat Lessius L. 2. C. 38. dub. 2. n. 18. inquiens; *Ista quinque requiruntur ad Sacrificium perfectum, prout Scriptura de eo loquitur, quia ad imperfectum quendam Sacrificij modum non videntur hæc omnia necessaria. Tale enim fortasse singuli homines in lege naturæ offerre poterant priuato nomine, & authoritate, & eo loco, vbi placuisset, nam apud Ethnicos simile quid videmus. Sed talia non erant perfecta Sacrificia, quia perfectio oblationis maximè pendet ex intentione offerentis.* Hæc Lessius. Iam verò Bernal num. 43 probat conclusionem positam, tum quia Sacrificium est actio suprema externa colendi Deum, estque nobilissima actio ostendendi dominium humanum erga creaturas per ipsarum destructionem. Ergo ex se est actio Reipublicæ vt talis, atque adeò instituta per authoritatem publicam. Tum quia alioqui occisio pecudis facta nunc à priuato homine in significationem submissionis erga Deum esset Sacrificium, nam alterius Sacrificij vltrà Eucharisti cum prohibitio, quę nunc datur, tolleret quidem, ne mactatio pecudis esset licita, non tamen, ne esset vera actio sacrificatiua, vti fuisset ante prohibitionem. Sed ex antecedenti rationis prioris, non video, qua vi inferatur consequentia. Ad posteriorem rationem dici potest, & responderi per instantiam in occisione pecudis ex publica authoritate, nam si talis occisio foret nunc verum Sacrificium, tametsi illicitum, vel si è contra non foret verum Sacrificium, firmari idem valet de occisione ex priuata authoritate. Sed de hoc iam suprà in decimo fundamento.

30 Meliùs probatur conclusio, quia Sacrificium non est religiosus actus priuatus, sed publicus nomine communitatis Deum colentis oblatus; idque voce Sacrificij propriè dicti exprimitur. Hinc ad Sacrificium opus est Ministro, qui non sit quiuis homo, sed publica authoritate sit deputatus Sacerdos ad ipsum offerendum. Et apud omnes gentes, ac nationes viguit mos eligendi aliquos, qui nomine pupuli Deũ colerent, ac placarent oblatis Sacrificijs, vt notat Lessius suprà num. 11. assignatque ibidem eius moris rationem, quia scilicet cum Sacrificium sit præstantissimus cultus externus, quo diuinitas ab hominib⁹ colitur, & præcipua cæremonia externa, qua populus in vnum nomen religionis conspirat, par est, ne Sacrificium fiat passim à quouis, sed à personis selectis, deputatisque publica authoritate, vt nomine omnium faciant. Possumus in confirmationem conclusionis addere exemplum Sacramenti, cuius significatio debet esse pro fidelium communitate, & in re, quæ assumatur ad significandum tali communitati. Quanquam, vt ingenuè fateamur, sicut Sacramentum à Sacrificio discordat in eo, quòd ad sui institutionem non sit contentum nisi authoritate diuina, ita etiam posset discordare in modo prefato significandi.

31 Arguet quis contrà primò ex Sancto Thoma 2. 2. quæst. 85. artic. 4. in Corp. vbi ait; *Illi, qui sunt sub lege, tenentur ad determinata Sacrificia offerenda secundùm legis præcepta: illi verò, qui non erant sub lege, tenebantur ad aliqua exteriùs facienda in honorem diuinum secundùm condecentiam ad eos, inter quos habitabant, non autem determinatè ad hæc, vel ad alia.* Respondeo primò, Angelicum Doctorem non loqui de obligatione in lege naturæ ad Sacrificia, sed ad alios actus externos religionis erga Deum. Secundò, Sanctum Thomam non dicere, singulos, qui non erant sub lege, debuisse priuata authoritate offerre Sacrificia; quicquid sit, an diceret, debuisse communitatem.

32 Arguet secundò ex eodem Sancto Thoma dicente ibidem ad 3. *Sacerdotes offerunt Sacrificia, quæ sunt specialiter ordinata ad cultum diuinum, non solùm pro se, sed etiam pro alijs. Quædam verò sunt alia Sacrificia, quæ quilibet potest pro se Deo offerre.* In quibus verbis videtur distinguere quædam Sacrificia publica offerenda per Sacerdotes, alia priuata, quæ vnusquisque propria authoritate offerre posset. Respondeo, Sanctum Thomam per secundum genus Sacrificiorum significare Sacrificia sumpta latè, & impropriè, qualia sunt actus omnes, qui ad cultum Dei pertinent per se, & qui ad eundem cultum dirigi queunt à virtute religionis.

33 Arguet tertiò, aliqua fuisse apud Ethnicos Sacrificia, quæ à priuata authoritate initium habuerunt. Respondeo cum Ioanne de Lugo D. 19. S. 1. n. 16. vel initio non fuisse Sacrificia, donec

donec paulatim introducta per vsum, & consuetudinem accepta fuerunt à populo; vel si initio habuerunt vim Sacrificiorum, proueniſſe exinde, quòd tantã habebant affinitatem cum alijs Sacrificijs iam inſtitutis, vt in ipſis quaſi in radice viderentur iam ad ſignificandum inſtituta.

34 Arguet quartò, Sacrificiũ incruentum celebratum à Chriſto in vltima cœna, & cruentum peractum in cruce habuit veram rationẽ Sacrificij, etſi non fuerit publica authoritate aſſumptum ad ſignificandum Deum authorem vitę, ac mortis, nec tunc innotuerit hominibus ea ſignificatio. Reſpondeo, Chriſtum vt caput, & principem Eccleſiæ habuiſſe in ſe eminenter voluntates totius Reipublicæ ad inſtituenda ſigna, & Sacrificia authoritate publica, & legitima pro eo etiam tempore, quo ſignificatio nondum veniſſet in aliorum notitiam, nondumque fuiſſet alijs promulgata. Sic Adamus, quo tempore ſolus erat, cępit imponere volucribus, & terrenis animalibus nomina, quæ ex tunc cæperunt eſſe ſigna ad placitum ob inſtitutionem factam ab Adamo vt capite, & principe Reipublicæ humanæ.

35 Arguet quintò ex Vazquio D.220.C.3.n.19. eligere ſignum proteſtatiuum Dei vt authoris vitæ, ac mortis, proindeque ſacrificare Deo, eſt de iure naturali. Ergo quiſque poterit priuata authoritate eligere eiuſmodi ſignum, atque ſubinde ſacrificare Deo, niſi obſtet prohibitio diuina, vel humana reſeruans certis perſonis exhibitionem talis ſigni proteſtatiui; vti defacto obſtat. Reſpondeo, Sacrificium eſſe quidem de naturæ iure ſiue ſuadente, ſiue præcipiente, non tamen vt præſtandum authoritate priuata, ſed publica. Sic lumine naturæ inclinamur, vt noſtros conceptus ſignificemus vocibus, quibus in commertio, & conuictu humano vtamur; ſed inſtitutio vocum ad ſignificandum debet eſſe ex authoritate publica, quin ſufficiat priuata. Sed reclamat Franciſcus Amicus tomo 7. D.32.n.9. Authoritas, inſtitutiovè publica eſt extrinſeca, quippe pertineat ad efficientem cauſam Sacrificij. Ergo ſe tenet extra huius eſſentiam, & naturam. Inſto replicam tum in vocum, tũ in Sacramentorum inſtitutione publica ad ſignificandum, quæ etſi extrinſeca ſit voci, & materiali Sacramenti ſecundùm ſe, non tamen vagatur extra vocis vt ſignificantis, & Sacramenti vt abſolutè, ſimpliciterque ſumpti eſſentiam, ac naturam. Imò inſto in eiuſdemmet Sacrificij inſtitutione vel priuata, vel publica, requiritur namque alterutra, & eſt vtraque extrinſeca ipſi; quoad materiale quidem ſpectato, non autem quoad materiale ſimul, & formale, ſeu quoad totãſuam eſſentiam, integramq; naturam. Vnde euaneſcit Amici obiectio.

36 Arguet ſextò ex eodem Vazquio, ſi homines ſolitariè degerent, poſſent offerre Sacrificium; tunc autem huius inſtitutio non eſſet ex publica, ſed ex priuata authoritate. Reſpondeo, homines ſolitariè degentes nõ poſſe habere Sacrificia inſtituta à Deo, in quo vt authore hominum reſidet eminentiſsimè poteſtas publica ad actiones pro communitate naturali hominum, eiuſque nomine exercendas, & cuiuis particulari iniungendas. Communitas autem naturalis daretur, etſi homines ſolitariè degerent, daretur namque multitudo participantium eandem naturam humanam ab eodem Creatore, licet non daretur ciuilis, nec politica communitas. P. Bernal ſuprà n.43. aliter reſpondet, in primis fieri non poſſe, vt homines ſemper ſingulariter viuant, cum ad propagationẽ coniugia requirantur. Sed contrà, quia argumentum procedit caſu, quo vnus, vel plures homines ſolitariè degerent, an ille, vel illi poſſent ſacrificare? quicquid ſit, an alij ſocialiter viuerent ad propagationem. Deinde dicit Bernal, ſi ſolitariè degentes componerent vnã familiam, vel multas, vna familia eſſet integra Reſpublica, & à fortiori multæ familiæ, proindeque poſſet à ſolitariè degentibus inſtitui Sacrificium. Sed contrà, quia ſermo eſt de vno homine ſingulariter viuente abſque omni conſortio aliorum; & quia licet pauci alij cum eo degant, quæritur, an quiſque ex eis, eſto princeps, & caput non ſit, poſsit priuata authoritate inſtituere Sacrificium? Videturque non poſſe, ſicut in Republica politica non ſpectat ad priuatum deſignare ſigna, quibus ſubiecti agnoſcant

agnoscant dominium sui principis in se, vt obseruat Coninch q. 83. art. & dub. 1. n. 14. Si dicas, posset priuatus præscribere sibi aliquam cæremoniam, qua, quoties eam perficeret, statueret testari supremum Dei in res omnes dominium, posseretque eam intentionem alijs significare. Quo casu illa cæremonia haberet rationem talis signi, atque etiã Sacrificij. Respondetur, non habiturã rationem Sacrificij, quia non esset publicum, & absolutum in communitate signum protestatiuum Dei vt authoris vitæ, atque mortis; significatio enim, quam haberet, esset præcisè ex vi verborum, quibus ille suam intentionem alijs declarasset, esseteque solùm coram illis, & solùm quando ab eo exhiberetur prædicta cæremonia. Nihilominus Ioanni Dicastillo D. & Dub. 1. n. 37. videtur non improbabile, licet nunc in hominum societate, & communitate non sufficiat vnius priuata authoritas, & placitum ad constituendum signum, quod sit Sacrificium, fore tamen, vt sufficeret, casu quo vnus homo singulariter viueret, quia ipsimet homini abundè significaret aliqua actio priuatim instituta, excitaretque ipsummet ad recognoscendum Deum authorem vitæ, & mortis. Confirmat à simili orationis vocalis, posset enim homo solitarius inuenire priuatam linguam, qua Deum oret, & laudet vocaliter. Sed contrà, quia actio priuatim institùta non esset Sacrificium, non enim esset signum sensibile, humanumq; commune. Et quidem cum illa actio, etsi externa, significaret solummodò apud vnum hominem, & apud Deum, perinde se haberet, ac si esset actio interna. Confirmatio non est momenti, nam voces significatiuę tantùm apud vnum hominem, & apud Deum non essent significatiuæ more humanarum vocum simpliciter, & absolutè, homoque vteretur illis incassùm apud Deum, quem aliunde oraret, & laudaret mentaliter.

Non datur ex iure naturæ obligatio ad instituendum Sacrificium.

37 DECIMO tertiò firmum esse desidero, Sacrificiũ esse quidem naturæ humanæ valde consentaneum, sed quod suadeat merè, non præcipiat ius naturale, nedũ singulis (quod minus est verisimile, iudice Lessio suprà Dub. 4. n. 38.) sed neque toti communitati. Sic Suarez D. 73. S. 8. V. *Dico tertiò*, & tomo 1. de Religione Tract. 2. L. 1. C. & n. 3. Scortia L. 1. de Sacrificio Missæ C. 3. n. 6. Arriaga Tract. de Eucharistia D. 49. S. 3. Subs. 4. n. 28. Dicastillus D. 1. dub. 3. n. 58. & alij passim, quia eiusmodi præcepti non apparet sufficiens fundamentum; alijs enim actionibus externis, vt oratione vocali, actione gratiarum, & laudis, genuflexione, &c. potest sufficienter Deus coli externè ab hominibus. Neque necesse est, vt ex naturali obligatione colatur tanquam author vitæ, & mortis, vt fit per Sacrificij oblationem. Imò absque hac posset eo de titulo coli per verba significãtia, protestantiaque ipsum authorem vitę, atque mortis, & ab eo vt à domino procedere, ac dependere humanam naturã, cunctaque creata.

38 Si obijciatur primò S. Clemens L. 6. Constitutionum Apostolicarum C. 20. Cassianus Collatione 8. C. 23. dicentes, sacrificatũ olim fuisse ab antiquis Patribus, ante legẽ scriptam, ex obligatione naturalis legis; & Eusebius Cæsariensis L. 1. de Euangelica demõstratione C. 10. inquiens (vt refert Suarius suprà V. *Secundò igitur*) *hominem debere vitam suam offerre Deo in Sacrificium; tamen quia non expediebat, humanum sanguinem sacrificari, ideo lege naturæ introductum esse, vt in Sacrificium animal, vel aliquid eiusmodi commutaretur.* Occurro obiectioni, & dico, S. Clementem potiùs docere, sacrificatum fuisse ab Abele, Noe, & Abraham citra præceptũ vllum, tametsi lumine naturali illustrati, & excitati, seu ab eo suasi exhibuerint Sacrificia. Verba S. Clementis sũt, *Quin imò cum sciret Deus, iam anteà Abelem illum Dei amantem, & studiosum, & Noe, atque Abraham, itemque alios deinceps non iussos, sed lege naturæ excitatos vltrò, grato animo Deo sacrificasse, idem postea Hebræis quoque sacrificare permisit; non quidem sacrificare iubens, sed, si liberet, concedens, Sacrificia que approbans, si recto animo fierent.* Hæc Sanctus Clemens; qui in verbis postremis loquitur de Hebręis circa initium. Porrò autem nos non negamus, legem naturæ excitare ad sacrificandũ;

sed

sed obligare adid. Magis in speciem fa uet aduersarijs Cassianus scribens, *Nã quia sit homini omnis scientia legis ab initio creationis infusa; hinc manifestè probatur, quòd mandata legis absque litteræ lectione ante legem, imò antè diluuium omnes Sanctos obseruasse cognoscimus. Quemadmodùm enim scire potuit Abel, necdum lege mandante, quòd offerre Deo de primitijs ouium suarũ, & de adipe ipsarum ad Sacrificiũ, debuisset, nisi per insitam sibi legem naturaliter fuisset edoctus.* Sed Cassianus explicari potest, quatenus Abel præstiterit ex cõgruẽtia legis naturalis, ex huiusq; dictamine, & debito lato Sacrificium, quod posteà in lege scriptâ fuit strictè obligatorium. Quoad Eusebium respondeo, non extare in eo verba illa, neque æquiualentia alia, vt inferiùs ostendam. Et quamuis extarent, intelligerentur commodè de legis naturæ instructione, quæ suasiua sit, & non præceptiua. Vt taceam, legem naturæ non iubere Sacrificia animalium irrationalium, alioqui lex Euãgelica, quę nõ adhibet, sed potiùs prohibet ea Sacrificia, opponeretur legi naturæ. Ex responsione ad S. Clementem veniunt explicandi S. Ioannes Chrysostomus, & Procopius; quorum primus Homilia 18. in Genesim inquit de Cain sacrificante, *Considera, quomodò naturæ conditor scientiam animæ indidit. Quis enim illum, dic, oro, ad hanc cognitionem perduxisset? Nullus alius, quàm quæ in animo conscio scientia.* Et paulò post inquit de Abel, & de Cain sacrificantibus, *Neq; ille Doctorem aliquem habuit, neque hic suggestorem, & consiliarium; sed vterque conscientiæ suæ magisterio, & sapientia diuinitùs humano generi suppeditata ad hanc oblationem incitantur.* Huc vsque Os aureum. Consonant Procopius, & S. Cyrillus Alexandrinus. Sed quod aiunt, Abelẽ, & Cainum caruisse exteriori magisterio ad sacrificandum; & proinde Adamum parentem non sacrificasse priùs, neque docuisse filios hunc religiosum cultum Dei, censetur improbabile à Martino Del-Rio in C. 4 Genes. V. 14. Et quidem S. Athanasius in Epist. de perfidia Eusebij, & in L. super illo, *Omnia mihi tradita sunt à Patre meo*, Pseudocyprianus in Serm. de ratione Circũcisionis, Hugo de S. Victore, Tostatus, Layranus, Lipomanus, alijque apud Salianum in Annalibus Veteris Testamenti anno mundi 100. n. 3. & apud Eusebium Nierembergium L. 8. de Origine Scripturæ sacræ C. 19. affirmant, Adamum primum omnium sacrificasse, & natis suis fuisse doctorem, vt eodem modo Deum honorarent. S. Thomas 2. 2. q. 85. art. 1. ait, *Adamum, Isaac, sicut & alios iustos Deo Sacrificium obtulisse secundùm sui temporis congruentiam, vt patet per Gregorium, qui dicit, quòd apud antiquos per Sacrificiorum oblationes remittebatur pueris peccatum Originale. Non tamen de omnibus iustorum Sacrificijs fit mentio in Scriptura, sed solùm de illis, circa quæ aliquid speciale accidit.* In quibus S. Thomæ verbis authoritas S. Gregorij, quæ citatur, habetur L. 4. Moralium C. 2. vbi S. Doctor inquit, *Quod verò apud nos valet aqua baptismatis, hoc egit apud veteres vel pro paruulis sola fides, vel pro maioribus virtus Sacrificij, vel pro his, qui ex Abrahæ stirpe prodierant, mysterium Circũcisionis.* Referuntur hæc verba à Gratiano in C. *Quod autem* 5. de Consecratione Dist. 4. Respexit ad ea S. Bernardus Epistola 77. scribens, *At verò quis nesciat, & alia præter baptismum contra Originale peccatum remedia antiquis non defuisse temporibus; Abrahæ quidem, & semini eius Circumcisionis Sacramentum, in hoc ipsum diuinitus traditum est. In nationibus verò quotquot inuenti fideles sunt, adultos quidem fide, & Sacrificijs credimus expiatos; paruulis autem etiam solam profuisse, imò & suffecisse parentum fidem.* Respexit etiam V. Beda L. 2. in Lucam C. 8. & in Homilia de Circumcisione Domini; Hugo etiam Victorinus, & alij apud Vazquium D. 165. C. 1. Sed S. Gregorius neutiquam asserit, fuisse remissum paruulis peccatum Originale per Sacrificiorum oblationes; neque S. Bernardus, neque V. Beda; quanquam hic non omnino neget, & Hugo Victorinus affirmet expressè.

39 Si obijciatur secundò S. Thomas 2. 2. q. 85. art. 1. in Corpore, vbi videtur sentire, naturali iure esse simpliciter præceptam Sacrificij oblationem, quæ Deo fiat. Respondeo, rationem à S. Doctore allatam probare solummodò, quòd externus Dei cultus debitus sit iure naturali, & quòd accõmodatè satisfiat huic debito per externum cultum Sacrificij, quin S. Doctor dicat, istum satisfaciendi modum esse necessarium. Perpendantur verba S. Thomæ, *Naturalis ratio dictat homini, quòd*

quòd alicui superiori subdatur propter defectus, quos in se ipso sentit, in quibus ab aliquo superiori eget adiuari, & dirigi. Et quidquid illud sit, hoc est, quod apud omnes dicitur Deus. Sicut autem in rebus naturalibus naturaliter inferiora superioribus subdũtur, ita etiam naturalis ratio dictat homini secundùm naturalem inclinationem, vt ei, quod est suprà hominem, subiectionem, & honorẽ exhibeat, secundùm suum modum. Est autem modus conueniens homini, vt sensibilibus signis vtatur ad aliqua exprimenda, quia ex sensibilibus cognitionem accipit. Et ideo ex naturali ratione procedit, quòd homo quibꝰdam sensibilibus rebus vtatur, offerens eas Deo in signum debitæ subiectionis, & honoris secundùm similitudinem eorũm, quî dominis suis aliqua offerũt in recognitionem dominij. Hoc autem pertinet ad rationem Sacrificij, & ideo oblatio Sacrificij pertinet ad ius naturale. Huc vsque S. Thomas. Sed quia in responsione ad 1. subdit, *Oblatio Sacrificij, in communi est de lege naturali; & ideo in hoc omnes conueniunt. Sed determinatio Sacrificiorum est ex institutione humana, vel diuina; ideo in hoc differunt;* Quibus in verbis non obscurè significat, vsum sacrificandi præscriptum esse ex obligatione naturali, tametsi determinatio quoad materiam, modum, actionem, tempus, & Ministrum sit ex iure positiuo diuino, vel humano. Quia, inquam, S. Thomas subdit, quæ app. suimus, ideo fatemur, allegari contra nos non absque causa.

40 Solet pro nobis adduci S. Anacletus Papa in Epist. 2. quatenus dicat, Patres antiquos spontanea voluntate obtulisse Sacrificia. Sed nobis non fauet, ait enim, *Initium Sacerdotij Aaron fuit, licet Melchisedech prior obtulerit Sacrificium, & post hunc Abraham, Isaac, & Iacob; sed hi spontanea voluntate, non Sacerdotali authoritate, ista fecerunt.* In quibus verbis sensus S. Anacleti est, vt Melchisedech, Abraham, Isaac, & Iacob sacrificarint non tanquam Sacerdotes ex institutione diuina determinati, & electi, vt Aaron, & filij eius, sed ex authoritate humana siue publica, siue priuata, vel ex instinctu diuino peculiari, qui esset suasiuꝰ, vel præceptiuus etiam.

***

Sacrificium spectat ad signi sacri genus.

41 DECIMOQVARTO certum esse debet, Sacrificium pertinere ad genus signi sacri. Nam vt ait S. Augustinus L. 10. de Ciuitate Dei C. 5. *Sacrificium visibile inuisibilis Sacrificij Sacramentum, id est, signum sacrum est.* Et in Epist. 49. q. 3. inquit, *Significatiua sunt omnia talia Sacrificia, & quarũdam rerum similitudines.* S. Augustino cõsentiunt S. Thomas q. 85. art. 1. & 2. in Corp. cæterique Theologi prisci, & moderni. Sed quid significetur per Sacrificium, est admodùm difficile explicatu. Potest quidem Sacrificium habere significationem mysticam, id est, mysterij, arcanive supernaturalis alicuius. Sic Sacrificium Melchisedech significauit Sacrificium Eucharisticum; & hoc significat Sacrificiũ mortis Christi. Attamen significatio mystica non est de essentia Sacrificij, vt constat ex mortis Christi Sacrificio perfectissimo; quod certè caruit significatione mystica. Est igitur inuestigãda moralis significatio, id est, alicuius actus interioris humani, & moralis, quæ significatio est procul dubiò essentialis Sacrificio. Sed de hoc puncto in sectione sequenti.

SECTIO IV.

Tria alia fundamenta præfiguntur.

Per Sacrificium significatur submissio hominis erga Deum.

42 DECIMOQVINTO certum esse debet, actum interiorẽ, qui significatur per Sacrificium, esse submissionem hominis erga Deum, docente Suario D. 73. sect. 2. V. *Dico primò*, aliisq; frequenter. Probatur primò ex S. Augustino in L. illo 10. de Ciuitate Dei C. 5. vbi nomine Sacrificij inuisibilis significati per Sacrificium visibile dicit, intelligi *eas res, quę aguntur in nobis, ad hoc tantùm, vt inhæreamus Deo, & ad eundem finem proximo consulamus.*

consulamus. Probatur secundò ex Sancto Thoma q. 85. in cuius articulo 1. habet ea verba, quæ suprà transcripsimus, & quę conclusionem hanc egregiè comprobant; & in a. 2. Corp. ait; *Oblatio Sacrificij fit ad aliquid significandum. Significat autem Sacrificium, quod offertur exteriùs, interius spirituale Sacrificium, quo anima se ipsam offert Deo secundū illud Psalmistæ, Sacrificium Deo spiritus contribulatus, quia, sicut suprà dictum est, exteriores actus religionis ad interiores ordinantur. Anima autem autem se offert Deo in Sacrificiū, sicut principio suæ creationis, & sicut fini suæ beatificationis.* Præterea in art. 4. Corp. inquit; *Duplex est Sacrificium, sicut dictū est, quorum primum, & principale est Sacrificium interius, ad quod omnes tenentur: omnes enim tenentur Deo deuotam mentem offerre. Aliud autem est Sacrificium exteriꝰ, quod in duo diuiditur. Nam quoddam est, quod ex hoc solo laudem habet, quòd Deo aliquid exterius offert in protestationem diuinæ subiectionis.* Tandem 3. p. q. 82. art. 4. in Corpore ait; *Quicumque Sacrificium offert, debet Sacrificij fieri particeps, quia exterius Sacrificium, quod offertur, signum est interioris Sacrificij, quo quis se ipsum offert Deo, vt Augustinus dicit 10. de Ciuitate. Vnde per hoc, quòd participat Sacrificio, ostendit ad se Sacrificium interius pertinere.* Probatur tertiò, Sacrificium est præcipuus Dei cultus externus. Sed cultus respicit honestatem subijciendi se personæ excellentiori; cultusque latriæ honestatem subiectionis factę erga personam infinitè excedentem nos. Probatur quartò, Sacrificium est per se signum supremi dominij diuini in omnes creaturas, & proinde in eam, quę offert illud. Ergo est etiam per se signū submissionis existentis in offerēte, tametsi accidere possit, vt in offerente non existat submissio actualis, neq; explicita, neque implicita. Et tunc Sacrificium erit submissionis signum veritate sola transcendentali, & non etiam formali. Vbi opportunè noto, actionem, quæ in Sacrificio assumitur vt signum, esse talem, vt supposita institutione ad placitum significet per se submissionem offerentis ad eum, cui res offertur per talē actionem, nisi in modo exhibendi ipsam ostendatur, non fieri ad significandam submissionem. Sic voces humanæ significant per se conceptus internos loquentis, nisi ita proferantur, vt audientes dignoscant, proferri sine intentione patefaciendi eos conceptus. Vnde quēadmodùm voces hominis loquentis in somnis, aut in phrenesi non audiuntur vt significantes conceptuum illorum ab alijs, qui id noscant, ita actio solita per se significare submissionem in offerente rem, potest ex circumstantijs accipi vt non significans talem submissionem. Quo casu ea actio non erit sacrifica; sicut neque esset signum obseruantiæ erga Regem, si quis coram aperiret caput in circumstantijs, in quibus denudatio capitis præferret fieri, cau sa captandæ aurę. Cæterùm si actio assumpta, vt per se significet submissionem, exerceatur externè modo, quo solet ab alijs sacrificātibus, erit sacrifica, siue adsit, siue desit submissio. Vnde si quispiam ductus timore, vel adulatione sine prefata submissione exhibeat eā actionem coram illo, vel Tyranno, præstabit actionem sacrificatiuam veritate transcendentali in essendo, sed sacrilegam, & carentem veritate formali in significando submissionem, & verum Deum. Si autem exhibeat cum submissione, erit etiam sacrifica actio veritate transcendentali in essendo; & veritate formali in significando submissionem; sed sacrilega, & carens veritate formali in significando verum Deum. Probatur conclusio quintò, Sacrificiū est adoratio. Sed hæc est signum nostrę submissionis erga Deum. Ergo & Sacrificium. Ex quibus facilè respondebitur Vazquio D. 22. C. 3. n. 22. Dicastillo D. & dub. 1. n. 24. & 25. indicantibus, solam adorationem simplicē esse signum nostræ submissionis.

43 Iam verò cum statuerimus, Sacrificium esse signum nostræ submissionis erga Deum, age, vt videamus, respectu cuius excellentiæ diuinæ sit submissio.

Cuiusnam excellentiæ ratione vendicet sibi Deus submissionem hominis significatam per Sacrificium?

QVARE decimo sextò certum esse volumus, Sacrificium esse signū submissionis nostrę erga Deum vt

vt infinitè excedentem nos siue essendi perfectione, siue potestatis virtute, siue proprietatis dominio, siue dignitate principij, à quo orimur, & finis, ad quē tendimus. Vnde satis est Sacrificio, si sit signum cuiuslibet perfectionis diuinæ ad nos relatę, vt superantis nos infinito interuallo. S. Thomas q. 85. art. 2. in Corp. magnam conciliat huic asserto authoritatem, dum inquit; *animam se offerre Deo in Sacrificium, sicut principio suæ creationis, & sicut fini suæ beatificationis.* Ex quibus verbis motus est P. Suarez, vt D. 73. sect. 2. V. *Dico primò*, affirmaret, Sacrificium esse signum submissionis nostræ èrga Deum vt supremum dominum, vt primum principium, & vt vltimum finem. Sed Suarium impugnat Vazquez D. 220. C. 2. n. 20. quia alij actus religiosi habent eandem significationem. Addique potest, per adorationem, & oblationem, quæ simplices sint, & puræ, necnon per primitias, & decimas submitti nos Deo, vt supremo domino; & de decimis dici in C. *Tua nos*, & C. *Cum non sit in homine*, solui Deo in signum vniuersalis dominij. Cæterùm pro Suario, & pro nobis respondemus, ita quidem esse, & ita doceri à S. Thoma 2. 2. q. 81 art. 1. in Corp. & ad 3. alibique fæpè quæstionū sequentium. Ast nec Suarius, nec nos volumus, solam eam significationem esse vltimam differentiam Sacrificij, vltrà enim requiritur immutatio aliqua rei oblatæ. Nostra igitur sententia coincidit cum S. Thomæ, & Suarij opinione, nisi quòd nos declaramus exertis verbis quod illi subintelligi voluerunt, scilicet perfectiones supremi domini, primi principij, vltimi finis, diuinasque alias relatas ad nos, non debere significari per quodcumque Sacrificium, sed posse significari modò vnā, modò aliam ex intentione sacrificātis. Confirmatur noster discursus, quia Sacrificium offerri potest in gratiarum actionem pro beneficijs acceptis, in impetrationem aliorum, in expiationem à peccatis, in confirmationem alicuius pacti iuxta illud Poetæ,

Stabant, & cæsa iungebant fœdera porca.

Ergo Sacrificium non modò potest significare infinitam maiestatem Dei, vt est supremus dominus, aut vt est author vitæ, ac mortis, sed etiam vt est beneficus, misericors, &c. Si Sacrificium posset solummodò esse ex fine latreuticum, id est, præcisè posset fieri ad Deū colendum, eiusque principatum, & nostram seruitutem testandam, assentirer aliis modis dicendi, de quibus posteà. Ast potest dari Sacrificium, quod ex fine sit vel latreuticū, seu honorarium, vel Eucharisticum, seu actiuum gratiarum, vel impetratorium, vel propitiatorium, vel pacti alicuius confirmatiuum. Et in veteri quidem lege fuerūt hæ Sacrificiorum differentiæ ratione finis, nuncque in noua lege Sacrificium Missæ adunat mirabiliter in se eas omnes. Inquies, Sacrificium actiuum gratiarum v. g. etsi elicitiuè sit à virtute religionis, tamen imperatiuè est à virtute gratitudinis, vt indicant Suarez D. 73. sect. 7. V. *Quarta diuisio*, Dicastillus D. 1. Dub. 2. n. 50. Non ergo, vt est præcisè actus religionis, significat beneficentiam diuinam. Concedo totum; sed id non obest, quominus Sacrificium, quod non sit merè honorarium, habeat significationem præfatam.

44 Cardinalis de Lugo D. 19. sect. 1. art. 5. ait, per Sacrificium significari excellentiam, qua à Deo habemus totum nostrum esse, & qua dignus est, vt in ipsius cultum, & honorem cōsumatur, ac destruatur vita nostra. siue hæc protestatio fiat per realem destructionem propriæ vitæ, vti facta est à Christo in Sacrificio cruento crucis; siue per destructionem alterius rei, per quam noster affectus explicetur, quando destructio vitæ propriæ non licet, vel non expedit, vti nunc contingit; sed tamen Deus extraordinariè, & absolutè posset velle, ac præcipere, vt offerremus vitam propriam in Sacrificium. Hæc sententia suadetur primò à Cardinali de Lugo ex Eusebio Cæsariensi L. 1. de Euangelica demonstratione C. 10. Suadetur secundò quia huiusmodi protestatio est dignissima, & valde conformis lumini naturæ, & ideo ab omnibus vbique gentibus accepta, vt supremo cultu Sacrificij Deum venerarentur. Vnde Gentilis vates cecinit,

Cum sis ipse nocens, moritur cur victima pro te?
Stultitia est, morte alterius spectare salutem.

In quibus carminibus ridet morē (qui communis erat) sacrificandi vitam alienam animalium irrationaliū loco vitæ propriæ

propriæ humanæ. Suaderi tertiò potest, quia Exodi 29. V. 10. Leuitici C. 1. V. 4. C. 3. V. 2. C. 4. V. 4. C. 8. V. 14. iubetur, sacrificans imponere manū super animal occidēdum, vt significaretur, sacrificantem constituere vnum cum victima, substituique hanc in eius locū. Quartò, quia Leuitici 17. V. 11. & 12. iuxta LXX. dicitur; *Anima omnis carnis sanguis eius est. & ego dedi vobis sanguinem ad expiandum pro peccatis vestris. Sanguis enim eorum pro anima expiabit. Idcirco dixi filijs Israel, omnis anima ex vobis non comedet sanguinem.* Quæ verba sic ponderātur ab Eusebio supra; *Attende igitur diligenter, quomodò in his dictum sit illud, Ego dedi vobis, &c. palàm enim pro humana anima, mactatorum animalium sanguinem piaculum offerri dicit.* Quintò, quia pro Isaac fuit suffectus in Sacrificium aries ab Abraham, cui iusserat Deus, vt sacrificaret Isaac filium dilectissimum, qui erat quasi alter Abraham. Sextò, quia Exodi C. 13. V. 13. præcipiebatur; *Primogenitum asini mutabis oue* (quæ scilicet in Sacrificium offeratur) *quod si non redemeris, interficies. Omne autem primogenitum hominis de filijs tuis pretio redimes*, id est, pro hominis primogenito, quem nolo sacrificari, substitues pretium, nempe quinque siclorum iuxta C. 3. V. 47. C. 18. V. 16. Num.

45 Sed ad primum respondetur, Eusebium allegari in eam opinionem à Cardinali de Lugo, qui (ni fallor) non Eusebium, sed Suariū D. 73. sect. 8. V. *Secundò igitur*, legerat ex Eusebio dicentem verba transcripta iam à nobis in obiectione contra decimumtertium fundamentum. Attamen Eusebij mens est longè diuersa, nam loquens de Patribus antiquis sacrificantibus animalia irrationalia, inquit; *Etenim cum morum sanctitate præstarent, Deoque penitus addicti essent, & ob eam rem, quasi diuino spiritu illustrati, viderent, magno sibi opus esse obsequio, si sua ipsorum humana delicta diluere vellent, pretium pro salute sua, ei, qui vitam, atque animam præbuisset, se debere putabant. Sed cum nihil præstantius, aut pretiosius anima sua haberent, quod dicarent, pro hac interim brutorum animalium vitam offerebant, ita suæ ipsorum animæ Sacrificium illud comparantes.* In quibus verbis sensus Eusebij est, priscos Patres censuisse pretium, quod pro sua anima expianda delictis, offerretur Deo, debere esse in re valde præstante; & cum non haberent tūc quidpiam præstantius anima sua, obtulisse in Sacrificium animalia bruta, quorum animę secundum locum perfectionis tenent post hominum animas. Prosequitur Eusebius infrà; *Dum nulla præstantior, neque maior, neque pretiosior, neque Deo conuenientior victima hominibus aderat, Sacrificia interim ex animalibus pro sua ipsorum vita redimenda, & quoddam quasi naturæ propriæ animatum pretium ipsi Deo reddere illos conuenienter oportebat, sicut etiam Dei veteres amici, & cultores faciebant. Qui venerabilem quandam, Deoque acceptam, & magnam hostiam venturam olim ad homines, diuino indicante spiritu, tanto antè didicerant; quæ totius mundi expiatio existeret, cuius etiam signa quædam, & notas ipsi ante obirent, atque perficerent: quippe qui & Prophetæ essent, & eius, quod futurum expectaretur, figuram in se quandam ante gerentes. Vbi autem quod perfectum erat, aduenit, quemadmodùm vaticinia Prophetarum prædixerant, priora illa desierunt, & præstantiore, verioreque Sacrificio illicò sublata sunt. Is autem fuit Christus Dei, &c.* Vbi vides ex mente Eusebij, Sacrificia brutorum animalium vsurpata fuisse, quousque, *Inuentum est magnum, magnique æstimandum pro redimendis & Iudæis pariter, & Græcis pretium, illud videlicet pro toto mundo piaculum, illud pro anima cunctorum hominum Sacrificium, illa pro omni macula, & peccato purissima hostia, ille vtique agnus Dei, illa Deo accepta, & mundissima ouis, ille agnus, de quo Prophetæ tam multa dixerunt. Per cuius diuinam, ac mysticam doctrinam omnes nos, qui de Gentibus assumpti sumus, remissionem priorum peccatorum inuenimus; ex quo etiam Iudæorum quicumque in illo spem habuerint, à Mosi execratione liberantur. Meritò sanè quando illius memoriam, corporisque eiusdem, & sanguinis recordationem quotidie celebrant, & ad longè præstantius & Sacrificium, & munus assumpti sunt, quàm illud antiquius fuerit.* Quæ sunt omnia verba eiusdem Eusebij; in quibus nullatenus significat cogitationem Suarij, & Cardinalis de Lugo, scilicet Sacrificia brutorum animalium subrogata esse loco animarum propriarum humanarum, quæ deberent offerri Deo in Sacrificium, si liceret, vel expediret. Imò cum o-

lim, & modò non expediat, neque liceat ordinariè; non debuit vnquam ordinariè offerri propria vita humana in Sacrificium; & casu quo Deus extraordinariè vellet offerri; tunc liceret, & expediret.

46 Ad secundum dico, protestationem illam, vt declaratur à Lugo, non videri venisse in mentem sacrificantium olim, nisi vt summùm quando sacrificabant pro suis peccatis, & noxis. Ad tertium, eo ritu significatum, vel quòd transferretur victima de manu, & potestate offerentis in Dei ius; vel quod offerens imponeret victimæ peccata sua, vt imprecaretur ea in illius capite, ostenderetve esse peccatorũ suorum pretiũ caput victimæ. Legantur Eusebius suprà, Cornelius à Lapide in Cap. 1. Leuitici V. 4. noteturque, similem cæremoniam extensionis manuum super oblata esse nunc in vsu, cũ in Canone Missæ dicuntur illa verba; *Hanc igitur oblationẽ &c.* de qua cæremonia agunt Suarez D. 84. sect. 1. Vers. *Alia significatio*, Scortia Lib. 4 de Sacrificio Missæ Cap. 10. Gauantus in Rub. Missalis par. 2. tit. 8. num. 4. obseruatque Diana parte 3. Tract. 6. Res. 104. pollicem dextrum impositum sinistro debere tũc teneri in formam crucis super manus extensas; atque ita in Hispania video communiter fieri. Ad quartum, ex Eusebij interpretatione non aliud deduci, quàm quod sanguis animalium offerretur in pretiũ, & piaculum peccatorum. Ad quintum, & sextum, nihil inde probari, nisi quòd in illis euentibus fuerit vnum immolatũ, aut oblatum loco alterius.

47 Patet Vazquez D. 220 Cap. 2. contendit, per Sacrificium significari dominium Dei in vitam, & mortem, seu Omnipotentiam Dei, quà est author vitæ, ac mortis; sic enim differt significatio Sacrificij à significationibus aliorum actuum virtutis religionis; & differentia non desumitur ex parte materiæ, quæ immutari debet in Sacrificio, & non in alijs actibus virtutis præfatæ; sed desumitur ex parte formæ Sacrificij, nempe ex parte significationis. Nihilominus ratio Vazquij non conuincit, quia expressa significatio Dei vt authoris vitæ, ac mortis non est necessaria, vt Sacrificium vltimò differat ab alijs actibus religiosis; sufficit enim cuiusuis excellentiæ diuinę vt ad creaturas relatę significatio facta per rei oblatæ immutationem; & quia non inconuenit, quòd ex parte materiæ Sacrificij sumatur differentia ipsius ab alijs actibus religiosis, siquidem materia, mutatioque eius non se habeat per accidens ad Sacrificium, sed requiratur essentialiter ad illud. Ad hæc: res cum immutatione potest offerri Deo ex alio titulo, quàm quòd ille sit author vitæ, & mortis: tunc autem, si à legitimo Ministro offeratur, erit Sacrificium. Potest præterea res in animis litari Deo. Tunc verò vndenam opus sit, recognosci ipsum vt vitę, mortisque authorem; & non sufficiat, coli vt authorem præcisè tam essendi, quàm non essendi? Negare tamen non possum, per Sacrificiũ exprimi frequentiùs, quòd Deus sit vitæ, ac mortis author, eoquòd actio destructiua, immutatiuave rei oblatæ excitet connaturaliùs cogitationem, recognitionemque Dei vt authoris vitæ, ac mortis; videmurque hoc attributo diuino explicare magis, ex modo nostro concipiendi, subiectionem nostram, & excellentiam diuinam. Quæ de causa sępe in antecedentibus, sępiùsque in sequentibus præfata significatio fuit, eritque nobis in vsu; & post Vazquiũ increbruit in Scholis, & in Theologorum ore. Reijcit eam Cardinalis de Lugo D. 19. sect. 1. n. 1. & 6. quia alioqui aliquid, quod non destruitur, nec sacrificatur, posset assumi ad significandum Deum authorem vitæ, ac mortis, vt si in tabula pingeretur aliqua figura ad eam significationem: & quia ad eandem denotationem posset homo producere, vel extinguere ignem, protestãdo, se fuisse etiam à Deo productum, & posse à Deo destrui, sicut ille ignis producitur, vel extinguitur; & tamen productio, vel extinctio ignis non esset Sacrificium. Sed hæ rationes non sunt valde vrgentes. Non prima, sicut enim Lugus debet dicere, figuram in tabula pictam non sufficere ad protestationem, qua homo profiteatur, se habere totum suum esse à Deo; proindeque non sufficere ad Sacrificium tabulæ; ita pro Vazquio respondeti potest Cardinali de Lugo. Recolantur quę ex Dicastillo occurrente huic rationi attulimus in fine fundamenti tertij. Non se-

cunda,

cunda, quia extinctio ignis potest esse actio Sacrificatiua, quatenus assumatur ad significandum, Deum esse vitæ, atq; mortis authorem, vel dependere ab ipso totum nostrum esse.

Sacrificium est signum ad placitum.

48 DEcimoseptimò certum esse debet, Sacrificium esse signũ ad placitum. Ita passim Theologi cum Suario D. 73. sect. 1. V. *Atque hinc colligitur*; & probatur insigniter ex S. Augustino L. 10. de Ciuitate Dei C. 19. Vbi ait; *Profectò nesciunt hæc* (externa Sacrificia) *ita esse signa illorum* (id est, officiorum puræ mentis, & bonæ voluntatis) *sicut verba sonantia signa sunt rerum. Quo circa sicut orantes, atque laudantes ad eum dirigimus significantes voces, cui res ipsas in corde, quas significamus, offerimus; ita sacrificantes non alteri visibile Sacrificium offerendum esse nouerimus, quàm illi, cuius in cordibus nostris inuisibile Sacrificium nos ipsi esse debemus.* Probatur deindè, quia significatio Sacrificij non est naturalis actioni sacrificatiuę secundùm se consideratæ, nam exterior actio occidendi agnum, verbi gratia, non exprimit naturaliter recognitionem, & subiectionẽ nostram erga diuinam excellentiam, potestque per se fieri ex diuersa intentione. Quare vt significet, quod diximꝰ, opus est impositione, institutioneq; ad placitum eligente liberè vnam potiùs externã actionem, quã aliam. Cæterùm nemo inficiari potest, destructionem, immutationemve physicam rei in pretio habitæ prę continere in se magnam proportionẽ, & congruẽtiam, vt sit assumpta ad significandam subiectionem nostram, & excellentiam diuinam. Nulla enim alia actione exteriori protestaremur magis aptè, ad Dei nutum omnia posse, & debere, tam esse, quam desinere, in eiusque vsum, & honorem omnia insumẽda, vel, si opus sit, consumẽda. Imò ex debito morali fuit necessarium, vt præfata proportio, & congruitas adesset in actione exteriori assumpta ad significationem per modũ Sacrificij; sicut adfuit in actionibus exterioribus, & materijs, quibus imposuit Christus significationem per modum Sacramenti. Porrò ex dictis de proportione illa infertur, actionem externam destructiuam, immutatiuamve physicè significare quasi naturaliter inchoatè subiectionem nostram erga excellentiam diuinam. Et hinc explicatur Sanctus Thomas, quando quæst. 85. artic. 1. in Corp. ait; *Ex naturali ratione procedere, quòd homo quibusdam rebus sensibilibus vtatur offerens eas Deo in signum debitæ subiectionis, & honoris secundùm similitudinem eorum, qui dominis suis aliqua offerunt in recognitionem dominij. Hoc autem pertinet ad rationem Sacrificij, & ideò oblatio Sacrificij pertinet ad ius naturale.* Hæc ille; quasi lumen naturale dictet, per oblationem rei, quæ destruatur, immuteturve physicè, sacrificandum esse Deo, significandamque subiectionem nostram erga ipsum. Rursus ex significatione imposita actioni externæ sacrificatiuæ, quæ rem oblatam destruit, aut physicè immutat, infertur, dixisse benè Sanctum Thomam suprà artic. 3. & 4. *Sacrificium ex hoc solo laudem habere, quòd in diuinam reuerentiam fit; & quòd offert aliquid in protestationem diuinæ subiectionis.* Nam actio illa non habet laudem, neque honestatem sacrificatiuę, si præcisè consideretur vt destruens, immutansve physicè rem aliquam, posset namque existere, quin esset religiosa, imò neque laudabilis, honestaque moraliter, vti contingit in multis alijs actionibus destruentibus, aut immutantibus physicè complures res. Quocirca laus, honestasque actionis sacrificatiuæ destruẽtis, aut immutantis physicè rem oblatam consideranda est, quatenus talis actio assumpta est ad significandã subiectionem nostram, & excellentiã diuinã, vt attentè inspexit Suarez D. 73. sect. 1. Vers. *Atque hinc.* Et ita quidem assumpta est ad huiusmodi significationem, vt determinata iam sit ex communi consensu ad eam solam significationem. In quo differt ab aliis actionibus externis distinctis à verbis, per quas colimus Deum, nam omnes aliæ sunt adiaphoræ ex se, & possunt non minus creaturis, quàm Deo exhiberi, vt obseruat Lessius Lib. 2. de Iustitia Cap. 38. dub. 1. numero quinto, latiùsque Suarez tomo 1. de Religione Tract. 2. Cap. 2. à num. 7. Imò vt ait Sanctus Gregorius Nyssenus adductus in S. Thomæ Catena aurea ad C. 22

Lucæ; *Honorifica signa, quæ inuicem exhibemus, fatentes nos humiliores esse respectu excellentiæ proximi, transumpta sunt à nobis ad obsequia incomparabilis naturæ, quia humana natura nihil habet Deo condignum, quo eius excellentiam protestetur, ac recognoscat.* Atque vt ait S. Augustinus Lib. 10. de Ciuitate Dei C. 4. *Multa de cultu diuino vsurpata sunt, quæ honoribus deferuntur humanis, siue humilitate nimia, siuè adulatione pestifera: ita tamen vt quibus ea deferuntur, homines haberentur, qui dicuntur colendi, & venerandi; si autem eis multum additur, & adorandi.* Ast actio sacrificatiua habet præ cæteris externis determinationem, quam dixi. Vnde S. Augustinus continuò subiungit; *Quis verò sacrificandum censuit, nisi ei, quē Deū aut sciuit, aut putauit, aut finxit?* Et paulò anteà dixerat; *Sacrificium certè, nullus hominum est, qui audeat dicere deberi, nisi Deo soli.* Quæ de causa ab eodem Sancto Augustino L. 20. contra Faustum Cap. 21. & sæpè aliàs Sacrificium vocatur *cultus diuinus* per antonomasiam. Eademque de causa Gabriel Biel apud Vazquium D. 220. Cap. 2. num. 15. & Suarez D. 73. sect. 6. V. *Vt autē* definierunt Sacrificium, quatenus sit; *Externus actus religionis continens supremum latriæ cultum, solique Deo debitum.* Quanquam Gabriel Lect. 22. in Canonem Missæ lit. A. in fine non nisi sic definiat Sacrificium; *Est oblatio facta Deo in recognitionem supremi domini*; & Lect. 85. lit. D. non nisi sic; *Est cultus soli Deo debitus*, vel *Est oblatio, &c.* vt proximè. Sed quicquid de Gabriele sit, Eximium Doctorem inefficaciter impugnant idem Vazquez Cap. 3. num. 17. & Dicastillus D. & dub. 1. num. 11. quia non explicuerit specialem rationem, & essentiam Sacrificij, sed communem omnibus actibus religionis, vtpote cōtinentibus supremum latriç cultum, debitumque soli Deo. Inefficaciter, inquam, impugnant, nam quòd Sacrificium sit supremus latriç cultus, debitusque soli Deo, speciale est Sacrificio, siquidem sola actiò exterior sacrificandi determinata est ad profitēdum diuinam excellentiam, cum aliç omnes exteriores, distinctæ à verbis, sint indifferentes ad profitendum diuinam, vel humanam excellētiam, vt iam declarauimus, & vt admonuit Suarez in loco citato. Sed non ob id approbo definitionem illam Sacrificij, est enim nimis generalis, seu parùm explicans essentiam Sacrificij, vt si quis definiret hominem; *Est animal supremum.*

49 Cardinalis de Lugo D. 19. S. 1. n. 8. attribuit Suario, quòd dixerit D. 7. sect. 5. V. *Dico primò*, destructionē, vel immutationem rei oblatæ ideo fuisse vsitatam in Sacrificio, quia cum per hoc res Deo offeratur, & quasi dono detur; Deus autem rebus nostris non indigeat, nec possit de nouo earum dominium adquirere; non potest meliùs hæc oblatio significari, quā destruendo, vel immutando rem in honorem Dei. Refutat autem Lugus in hoc sensu Suarium, tum quia alioqui sequeretur, rem offerri meliùs, & quasi dono dari in obsequium Dei per productionē, quàm per destructionem. Tum quia etsi Ethnici sacrificarint nonnunquam Principibus ex adulatione, nunquam tamen sine destructione rei sacrificatæ; fuisset autem vanè adhibita destructio, vt res transferretur in dominium Principis, cui Sacrificiū fiebat, siquidem res ipsa integra posset propriè donari eis. Sed hç refutationes possunt de facili eludi. Prima quidem, quia per consumptionem, aut immutationem rei significatur meliori modo dominium Dei, quàm per productionem, nam dominium erga rem aliquam supponit ipsam iam productam, & existentem, cum plenum dominiū sit ius perfectè disponendi de re, seu sit ius in re extendens se ad omnem eius vsum, & dispositionem, nisi lege prohibeatur: destructio autem rei est vsus, qui maximè ostendit dominium erga illam. Et ideò vt per Sacrificium ostendamus supremum, absolutissimumque dominium Dei erga nos, & omnia alia creata secundùm omnem essendi rationem, quam habent, destruimus rem, quam ei offerimus. Secunda refutatio non est maioris ponderis, nam si Principibus, quibus Ethnici sacrificabant, offerrent res integras, non ostenderent, agnoscere se illos, vt Deos, sed vt homines, quibus tributum soluerent tanquam habentibus dominium iurisdictionis erga offerentes, vel tanquam habentib⁹ dominiū directum erga bona offerentium, in cuius agnitionem subditi gaudentes dominio vtili offerrent rem aliquam. Præterea Suarius non dixit quod ipsi attribuit

buit Lugus, nã in loco citato solũmodò ait, rem in Sacrificio non offerri Deo, quasi ea indigeat, aut eius sit nouũ adquisiturus dominium, sed solùm offerri, vt in honorem eius immutetur, aut consumatur ad significandum omnia à Deo procedere, & sub eius esse potestate, vt declarauerat in sect. 1. eiusdem Disputationis, V. *Dico primò*; quæ declaratio eadem est cum exhibita a nobis.

Quatenus res in Sacrificio oblata debeat esse offerentium propria?

50 DECIMO octauò tandem Tannerus tomo 3. D. 5. q. 3. dub. 1. n. 5. requirit in materia Sacrificij, vt quadantenus sit offerentis Sacerdotis propria. Firmat authoritate S. Thomæ in C. 8. ad Hebræos, Bellarmini L. 1. de Missa C. 6. in 8. argumento, Henrici Henriquez L. 9. Summæ Moralis C. 1. §. 2. & 3. C. 10. §. 4. in Glossa, lit. N. Præsento solius S. Thomæ verba Lect. 1. vbi edisserẽs illa Pauli; *Omnis enim Pontifex ad offerendum munera, & hostias constituitur*, inquit, *Christus autem est Pontifex:: Ergo necesse est, ipsum habere aliqua, quæ offerat:: Quia verò necesse fuit, Christum habere, quod offerret, ipse se ipsum obtulit.* Sic Angelicus Doctor; non satis clarè, atque expresè ad mentem Tanneri, vt neque Bellarminus. Et quidem præfata conditio materiæ sacrificandæ subticetur communiter à Theologis. Nec dubitari potest, fore verum Sacrificium, si Sacerdos, inuito domino ouis, incidisset olim eius jugulum in altari. Simul tamen fatendum est, oblationem sacrificam præseferre speciem dominij erga rem oblatam Deo, in cuius dominium veluti transfertur à Sacerdote per oblationem illam.

SECTIO V.

Proponitur definitio Sacrificij in communi: & delibantur aliqua circa diuisionem, seu circa extrema, in quæ diuiditur Sacrificium.

51 POst altè iacta tot fundamenta, eaq; pro nostro modulo stabilita conficio metaphysicã hãc Sacrificij definitionem; *Externus, atque sensibilis actus religionis à persona per legitimã, & publicam authoritatem designata præstitus, quo offertur Deo soli res aliqua externa, sensibilis, ac permanens cum physica eiusdem rei immutatione assumpta per legitimam, & publicam authoritatem ad significandam internam submissionem humanam erga Deum, & erga quamcumque ipsius perfectionem ad homines relatam, vt superantem illos interuallo infinito.* Video, non esse breuem definitionem. Sed malo in longitudine peccare, quàm in non explicanda Sacrificij essentia metaphysica. Si quis secus, ac nos, malit, poterit vti ea definitione, quam ex Gabriele, seu potiùs ex Suario retulimus suprà, scilicet; *Est actus religionis externus continens supremum latriæ cultum, debitumque soli Deo.* Vtraque hæc definitio est metaphysica, seu per partes metaphysicas. Potest addi alia physica, seu per partes physicas, nempe *Est oblatio Deo soli facta cum immutatione physica rei externæ oblatæ in signum submissionis internæ humanæ erga Deum, &c.* Potest insuper ad imitationem Sacramenti definiri Sacrificium; *Est signũ externum, quod cum immutatione physica rei significat submissionem internam humanam erga Deum, &c.* Harum definitionum probatio petenda est ex fundamentis prefixis in quatuor sectionibus superioribus; ad quæ etiam recurrendum est, vt diluantur obiectiones contra easdem definitiones. Mihi nunc de nouo non occurrit vlla obiectio, aut scrupulus, nisi quòd alicui videbuntur superflua nonnulla verba apposita in definitionibus. Sed certè addita sunt à nobis maioris claritatis amore. Adimat illa, qui breuis esse laborans, obscurus fiat. Nisi etiam quòd cupiam parùm versato in lectione Theologorum ingeret difficultatem, tum aliquando attributum apud litteras sacras nomen Sacrificij nonnullis actionibus, siue internis, siue externis, in quas neutiquam quadrat definitio proposita, vt Psalmo 50. V. 19. *Sacrificium Deo spiritus contribulatus.* Psalmo 49. V. 14. *Immola Deo Sacrificium laudis, &c.* Tum Sancti Augustini dictum Libro 10. de Ciuitate Dei, Cap. 6. *Verum Sacrificium est omne opus, quod agitur, vt sancta societate in-*

hæreamus Deo, relatum scilicet ad illum finem boni, quo veraciter beatiesse possimus. Quam Sacrificij definitionem competere operibus misericordiæ, alijsque charitatis erga Deum, & proximos declarat diffusè tã in eo C.6. quàm in antecedenti. Et ideò Biel Lectione 85. in Canonem Missæ, lit. D. Alfonsus Castrensis Libro 10. aduersus Hæreses in 2. de Missa acquiescunt huiusmodi definitioni. Sed vnam, & alteram difficultatem eleuant adeò dexterè, & planè Bellarminus L. 1. de Missa C. 2. Suarez D. 73. sect. 6. Vazquez D. 220. C. 1. Valentia tomo 3. D. 6. q. 4. punct. 1. Meratius, Arriaga, Dicastillus, Amicus, Ysambertus, alijque scribentes de Sacrificio, vt cõsultius sit, remittere Lectorem ad eos, quàm in puncto exantlato tempus prodigere. Satis sit, per compendium dicere, Scripturam metaphoricè, & similitudinariè vocare Sacrificia actiones illas siue internas, siue externas; vel non absolutè, sed cum addito, vt *Sacrificium laudis*, nam quod propriè, & absolutè tale est, contraponitur ab ipsa eis actionibus, vt Osee C. & V. 6 item 1. Regum 15. V. 22. Eodem modo interpretãdus est S. Augustinus, qui verum appellat Sacrificium per similitudinem, & analogiam, non secus ac Christus vocauit se vitem veram, Ioan. 15. V. 1.

52 Peracto definitionis negotio succedebat diuisio Sacrificij ratione tum temporis, aut causæ efficientis, tum materiæ, aut rei oblatę, tum formę, aut actionis, per quam res oblata immutatur, tum finis, in quem dirigitur. Sed de his diuisionis extremis consulendus est Bellarminus L. 1. de Missa C. 4. necnon Suarius D. 75. sect. 7. Lessius L. 2. de Iustitia C. 38. dub. 3. Franciscus de Lugo L. 5. C. 1. q. 4.

Animaduersio circa conuenientiam Sacrificiorum inter sese.

VBI notandũ est, omnia Sacrificia esse eiusdẽ speciei quoad formale, scilicet quoad significationẽ moralẽ excellẽtiæ Dei vt authoris vitæ, ac mortis, si hęc excellẽtia, quę eadem est non tantũ specificè, sed etiã numericè, respiciatur per omnia Sacrificia. Et hinc patet discrimen ad Sacramenta, quæ non debent esse eiusdem speciei quoad formale significationis, nam sanctitas, quam significant, nõ est eiusdem speciei, siquidẽ aliqua Sacramẽta veteris legis significabant de præsenti sanctitatem legalem, quæ & specificè multiplex est, & specificè differt à gratiæ habitualis sanctitate significata de præsenti per Sacramẽta nouę legis, ita quidem vt ab vno Sacramento nouæ legis significetur gratia habitualis cum auxilijs gratię actualis diuersis in specie, ac significatur ab alio. Cæterùm non omnia Sacrificia sunt eiusdẽ speciei quoad materiale, nempe quoad rem, & actionem assumptam ad significandum, nam res, quæ offertur Deo, & actio, per quã offertur, potest esse multiplex in specie. Quęstionis est, num Sacrificia ob diuersitatẽ quoad materiale queant dici absolutè, & simpliciter speciei diuersæ, nõ obstãte vnitate specifica quoad formale? Exagitat quęstionẽ hanc, nominis potiùs, quàm rei, Dicastillus D. 1. dub. 1. num 47. & 48. dub. 15. à n. 291. Sunt quidem nonnulla concreta, in quibus formale præualet, vt dicantur eiusdem speciei cum alijs, etsi materiale sit diuersum specificè, vt patet in concretis parietis, & hominis albi. Sũt item alia, in quibus materiale pręualet, vt dicantur diuersæ speciei, tametsi formale sit vnum specificè, vt patet in cõcretis serræ ferreę, & ligneæ, monetæ cupreæ, & argenteæ. Prætereà in concreto Sacrificij potest aliquod materiale esse tam præcellens assumique ad significandam tam perfecto modo excellentiam Dei tanquam authoris vitę, ac mortis, vt tale Sacrificium ob materiale illud sit diuersum in æstimatione, & specie morali ab alijs Sacrificijs. Et ita videtur censendum de Sacrificio tum mortis Christi, tum Eucharistiæ comparato cum Sacrificijs priscis. Demum considerabile est, num incidat sermo, in quo reduplicetur supra formale, vel supra materiale Sacrificij, seu in quo formale dicatur de recto, & materiale de obliquo. Legesis Dicastillum; & aduerte cum S. Thoma 2. 2. quæst. 85. artic. 2. *In oblatione Sacrificij non pensari pretium occisi pecoris, sed significationem, qua hoc fit in honorem summi rectoris totius vniuersi.* Quæ Sancti Doctoris verba intel-

intelligenda sunt, quando res oblata non est magni pretij; nam si sit, debet & illud pensari, vt patet in re oblata per Sacrificium cruentum crucis, & incruentum Eucharistiæ; ideoque, vt dixi, est incõparabiliter maioris æstimationis, valdeque inspecie diuersum hoc Sacrificium ab alijs priscis, vt docet etiam Suarez D. 76. sect. 1. V. *Circa primam.* Hactenus ex suppositione, quòd Sacrificium respiciat solummodò Deum vt authorem vitæ, atque mortis. Ast si respicere possit alijs de titulis, vt in fundamento decimosexto præhabuimus, fauente Antonio Hiquæo in 4. Sent. Scoti Dist. 13. q. 1. significatio moralis erit multiplex specificè, proindeque quoad formale non erunt omnia Sacrificia eiᵈem speciei, si vnum v. g. significet Deum vt authorem vitæ, ac mortis, & aliud vt beneficum, & aliud vt misericordem: quæ attributa distinguuntur saltem ratione nostra in Deo, possuntq; in Sacrificijs specificare diuersas significationes. Cum quo stat, vt omnia Sacrificia conueniãt in ratione externi, & sensibilis signi ordinati ad cultum Dei, prout docet idem Suarez ibidem V. *Distinctione igitur*, monetq; esse de Sacrificio sub ea ratione frequẽtiorem sermonem, & in ea adhuc rem externam, atq; sensibilem, quæ offertur, & modum, quo offertur, debere maximè attendi ad iudicandum, & loquendum de vnitate, vel diuersitate specifica Sacrificiorum. Colligitur à fortiori ex dictis, Sacrificia omnia, quæ sint vera, & propria, conuenire vniuocè inter se. Et sanè si ex communi Theologum opinione Sacramenta legis veteris, & nouę gaudent conuenientia vniuoca, etsi omnino differant inter se specie quoad formale significationis, potior ratio elucet, vt Sacrificia prisca habeant conuenientiam vniuocam cum Sacrificio nouæ legis, siquidem formale significationis sit idẽ in illis, & in hoc, vt plures putant satis probabiliter.

53 Noster in præsenti Opere scopus est Sacrificium Missæ; quare omittimus tractationem de Sacrificijs alijs siue sacris, siue profanis in particulari, legis siue naturę, siue scriptę veteris in singulari. Neque ad Theologiam Scholasticam, aut Moralem necessaria est huiusmodi tractatio, si excipias pauca quędam circa Sacrificia legis naturalis, & scriptæ veteris, de quibus commodè instituitur sermo in Tractatu de Sacramentis in genere. Legantur Suarez, & Vazquez ibi, Sayrus tomo 1. Theologię Moralis L. 3. c. 3. & 4 Henriquez L. 9. C. 4. & 5. Azor tomo 1. L. 10. C. 17. Et quoad Sacrificia prophana videantur Ioannes Guilielmus Stuchius in lib. de eis, Lilius Gregorius Gyraldus in Historia Deorum Syntagmate 17. quod est de Sacrificijs, Ioannes Rosinus, & Thomas Dempsterus L. 3. Antiquitatum Romanarum C. 33.

Adnotatio de effectu Sacrificiorum legis antiquæ.

SED non tacebo hìc, non ita altè cogitandum de Sacrificijs legis siue naturalis, siue scriptæ, vt ex opere operato, aut vt typi, & figuræ Sacrificij legis nouæ contulerint gratiam sanctificantem, & abstulerint peccata quoad culpam, pœnamque æternam: neque ita demisse è contrà existimandũ de ijsdem, vt etiamsi in fide, & charitate fierent, non habuerint ex opere operantis, & ex deuotione, vel offerentis, vel eiᵖ, pro quo offerrenter, vim vllam ad gratiam iustificantem, & ad remissionem peccatorum quoad reatum culpæ, pœnæque æternę. Vt primum non cogitetur, oportebit legere Bellarminum L. 2. de Sacramẽtis in genere C. 14. alioſq; Theologos agentes de inefficacia veterum Sacramentorum per se ad eum effectum. Vt autem secundum è contrà nõ existimetur, sufficit, quod dicitur Genesis 4. *Respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius*; in quæ verba ait S. Gregorius L. 22. Moralium C. 12. *Ex Abel munera oblata placuerunt*; & Ecclesia in Canone Missæ orat Deum his verbis, *Suprà quæ propitio, ac sereno vultu respicere digneris, & accepta habere; sicuti accepta habere dignatus es munera pueri tui iusti Abel, & Sacrificium Patriarchæ nostri Abrahæ, & quod tibi obtulit Summus Sacerdos tuus Melchisedech, &c.* Quare Magister Sententiarum, qui in L. 4. Dist. 1. videtur tradidisse secundum, vel non est audiendus, vel explicandus est benignè, vt fit ab Azor suprà q. 4. & à Ioanne Martinez de Ripalda in annotatione ad præcitatam Distinctionem Magistri. Num verò Sacrificia prisca ex opere operato profuerint

rint ad remissionem pœnæ temporalis, attingemus in D. 10. sect. 2. Profuisse autem eo modo quædam ex eis ad tollendas irregularitates, & immunditias carnis deriuatas ex peccato, colligitur ex C. 9. Epistolæ Paulinæ ad Hebræos, & ex C. 4. Leuitici, alijsque locis Testamenti veteris, adstruiturque à Meratio in Tractatu de Eucharistia D. 37. sect. 1. V. *Tertiò Sacrificia*, & sequenti.

DISPVTATIO II.

DE NOMINE MISSAE, ET VERA ratione Sacrificij reperta in ipsa, deque nonnullis Christi Domini actionibus sacris in eius institutione, necnon de aliquibus huius quoad tempus circumstantijs.

1 *ACCEDIMVS AD DISPVtationem, cui præcedens muniuit viam. Sed cum scribamus solummodò ad vsum Theologicæ Scholæ inter Catholicos, omittemus, quæ ad controuersiam cum Hæreticis spectant. Si quid verò pro declarãda vera Sacrificij ratione in Missa exposcebat diffusiorem scriptionem, præstitimus partim in Disputatione antehabita, partimque in sequentibus exhibebimus.*

SECTIO I.

De nomine Missæ.

SANCTVS Thomas q. 83. art. 4. ad 9. scribit, *Propter hoc Missa nominatur, quòd per Angelum Sacerdos preces ad Deũ mittit, sicut populus per Sacerdotẽ. Vel quia Christus est hostia nobis missa à Deo. Vnde & in fine Missæ Diaconus in festiuis diebus populum licentiat dicens, Ite, Missa est, scilicet hostia ad Deum per Angelum, vt scilicet sit Deo accepta.* Sic Angelicus Doctor ibi. Sed Missam dictam esse, quia mittitur, seu dimittitur populus, finita actione hac sacra, vt abeat; vel quia fiebat missio, seu dimissio Catechumenorũ, quando incipiebat præparari materia ad consecrationem, asseruit

asseruit S. Isidorus Hispalensis L. 6. Originum C. 19. & post eum multi alij tam antiqui, quàm recentes. Quæ nominis deriuatio non latuit S. Thomam, nam exponens textum Distinctionis 13. quarti libri Magistri Sententiarum inquit, *Tertiò Missa ab emittendo dicitur, vt quidam dicunt, quia vt Sacerdos hostiam consecrare incipit, per manum Diaconi, & Ostiarij Catechumenos, & non communicantes foras Ecclesiam mittit.* Hæc S. Thomas, magis à nobis probata.

2 Quare *Missa* idem est, ac missio, seu dimissio assistentium actioni huic, quemadmodùm repulsa, collecta, remissa, defensa, & offensa idem est, ac repulsio, collectio, remissio, defensio, & offensio, per probatos Authores, benèque Latinos. Vnde in lib. Sacramentorum, Authore S. Gregorio Magno, apud Iacobū Pamelium, feria sexta in Parasceue ad finem Officij dicitur, *Deinde communicat Sacerdos, & omnis Clerus; & fiant Missæ*, id est, dimittatur populus. Et S. Benedictus in Regula C. 17. *Missas* vocat finē Synaxeos, congregationisque Religiosorum cantantium in Choro, necnon dimissionem eorum; notatque ibi Smaragdus Abbas, *Quod alijs in locis dicit, Et completum est, hac in clausula, Et Missæ sūt, dicit, Et Missæ sunt, repetit. Orationes enim Officij, quæ à nobis sunt completæ, Deo sunt missæ, quia in illius honorem sunt celebratæ.* Idem S. Benedictus C. 25. Missas in eodem sensu, ac nos, appellat, inquiens, *In diebus solemnibus vsque ad Missas sustineant Septimanarij ieiuni.* Interpretaturque Smaragdus, *Vsque ad Missam principalem, quæ omnibus solemniter canitur.* Dissimulanda non sunt, quæ ipse Smaragdus addit post exarata ad C. 17. *Aliter* (ait) *Orationes, id est, collectæ, quæ in fine cursus à Sacerdote dicuntur, Missæ, id est, Deo transmissæ vocantur. A Sacerdote enim mittuntur, sed à Deo excipiuntur. Hinc & Leuita, solemnitate aliqua in Ecclesia celebrata, eleuata voce, Ite, Missa est, populo clamat; hoc est, solemnitas est completa, & per Sacerdotis ministerium iam Deo est missa.* Hactenus ille. Sed & Cassianus L. 3. de Institutis Cœnobiorum C. 7. *Missam* nominat dimissionem cœtus Religiosorum è Choro; quanquam L. 2. C. 13. 15. L. 3. C. 5. 6. 8. 11. ipsimet congregationi nomen *Missæ* tribuat, vt & Victor Vticensis L. 2. de Vuandalica persequutione. S. autem Isidorus Hispalensis in Regula Monachorum C. 6. certum orationum canendarū numerum vocat *Missam*. Iurisconsult. Pomponius l. 39. §. *nupta* ff. ad l. *Iuliam de adulterijs* vtitur nomine *Missa* pro munere misso. Et Imperator Theodosius Codicis lib. 6. pro missione, vt refert Petrus Michael infrà, quanquam ego non inueniam, sed quid valde remotum L. 15. eiusdem Cod. l. 1. tit. 10. de Equis Curulibus.

3 Porrò autem olim duplex missio in altaris sacro ministerio iuberi solebat, indicique à Diacono, altera Catechumenis, pauciique alijs proximè ante Offertorium, altera fidelibus omnibus in fine actionis, vt notat Innocentius Papa L. 6. de Mysterio sacro altaris C. 12. Vbi in hunc modum fatur, *Missa dicitur, & ministerium, & mysterium, id est, officium, quod profertur, & Sacrificium, quod offertur. Officium verò diuiditur in Missam Catechumenorum, & fidelium Missam. Missa Catechumenorum est ab introitu vsque ad Offertorium. Et dicitur Missa ab emittendo, quia tempore, quo Sacerdos incipit Eucharistiam consecrare, Catechumeni foras de Ecclesia emittuntur. Perlecto siquidē Euangelio, Diaconus clamare solebat, si quis Catechumenus adest, exeat foras: Missa fidelium est ab Offertorio vsque post communionē, Et dicitur Missa à dimittendo, quia tunc ad propria fidelis quisque dimittitur*, scilicet per illa verba, nunc etiam vsitata, *Ite, Missa est.* Hinc prior pars Officij vocari cōsueuit Missa Catechumenorū, & posterior Missa fideliū, totumq; Officiū appellatur nonnunquam in plurali à Patribus *Solemnia Missarum* ob vtramque Missam Catechumenorum, & fideliū, quanquam & quondam totum illud fuerit non rarò dictum Missa in singulari, nunc que prævaluerit is modus loquendi, præsertim postquàm omissa est formula dimittendi Catechumenos, solùmque in fine Officij annunciatur dissessus Christiani populi, per verba *Ite, Missa est.* Quæ verba in festiuis diebus, scilicet in quibus dicitur *Gloria in Excelsis*, &c. vsurpantur, nam in alijs vsitata sunt hæc, *Benedicamus Domino*, vel *Requiescant in pace.* Notat verò Micrologus in Ecclesiasticis obseruationibus C. 46. dici congruè in festiuis diebus, *Ite, Missa est, quia tunc generalis conuentus celebrari solet, qui per eiusmodi denunciationem*

nem licentiam discedendi accipere solet. *Ad quotidiana autem Missarum solemnia non generaliter ab omnibus, sed à Religiosis conuenitur, qui plus spiritualibus negotijs, quàm sæcularibus inuigilant, qui & reliqua, dum licèt, Officia frequentant quotidie. Ergo cõuenienter illi, post Missam, vt non statim discedant, sed vt Dominum benedicant, denunciatur. Huic assertioni & Ecclesiastica cõsuetudo videtur adstipulari, quia cum, Ite, Missa est, dicimus, ad populum vertimur, quem discedere iubemus: cum autem, Benedicamus Domino, dicimus, non ad populum, sed ad altare, id est, ad Dominum vertimur, nosque ipsos non ad discedendum, sed ad benedicendum Domino adhortamur.* Sic Micrologus. Quòd si opponatur cũ Scortia L. 4. de Sacrificio Missæ C. 31. n. 3. in Missis solemnibus Dominicarum Aduentus, Septuagesimæ, & Quadragesimæ non dici *Ite, Missa est*, sed *Benedicamus Domino*. Respondet Micrologus, dici ita, *non quasi eo tempore nullus fiat conuentus, qui sit dimittendus; sed potiꝰ pro tristitia temporis insinuanda*. Hæret Micrologo Bellarminus L. 2. de Missa C. 27. prope finem. Concordatque Petrus Blesensis in Serm. 43.

4 Ex dictis constat, censeri à nobis nomen *Missa* non esse Hebraicũ, neque Chaldaicum, neque Græcum, sed Latinum; cuius vsus apud solos Romanos ostendit censuræ nostræ maiorẽ probabilitatem, nam si ex Hebræo, vel Chaldaico, vel Græco fonte originem traheret, vsurparetur in alijs linguis intersacrificandum, non secus, ac tam in nostra Latina, quàm in Græca, & Syriaca retinentur plures voces Hebraicæ. Omitto multa de nomine *Missa*, deq; eius antiquitate, quia non occurrit quidpiam addendum ad eruditè congesta por Authores; quales sunt Alfonsus Salmeron in Epistola de nominis Missæ ratione, ac etymologia, ad finem tomi 16. pag. 498. tomo etiam 9. Tract. 28. ex pag. 270. Bellarminus L. & C. 1. de Missa, Suarez D. 74. sect. 3. Vazquez D. 221. C. 1. Azor tomo 1. Institutionum Moralium L. 10. C. 18. q. 1. Petrus Michael Dialogo de vero, & proprio Christi Sacrificio in Eucharistiæ Sacramento C. 6. Iulius Cæsar Bulengerus parte 2. Diatribe 3. ad C. 58. Casauboni, Augustinus de Herrera in Origine, & progressu cæremoniarum Missæ L. 3. C. 24. Iacobus Gaulterius in Chronologia, Sæculo 1. Veritate 1. §. 15. Ioannes Baptista Scortia L. & C. 1. de Sacrificio Missæ, Lorinus in C. 15. Deuteronomij V. 2. Paulus Grysaldus in Decisionibus fidei Catholicæ, & Apostolicæ Verbo *Missa*, n. 1. Antonius Monchiacenus Demochares L. de diuino Missæ Sacrificio C. 1. Gaspar Cassalius L. 1. de eodem Sacrificio C. 13. & 14. Iudocus Clichtouæus L. 3. Eluciatorij Ecclesiastici n. 2. pag. 130. Iacobus Faber in Præfatione ad librum Bernonis de Missæ Officio, Claudius Sainctes in Præfatione ad Liturgias C. 4. & 5. Gauantus in Rubricas Missalis parte 1. titulo 1. lit. D. Didacus Couarruuias l. 4. Variarum C. 22. Sebastianꝰ Couarruuias in Thesauro Castellanæ linguæ Verbo *Missa*. Loaysa in C. 1. Concilij Toletani 12. Baronius in Annalibus Ecclesiasticis anno Christi 34. n. 59. & 60. Ioannes Stephanus Durantus de Ecclesiæ Catholicæ ritibus L. 2. C. 1. & 56. Philibertus Marchinus Tractatu 3. de Ordinis Sacramento parte 1. C. 4. & duobus sequentibus, Henriquez L. 6. Summæ Theologiæ Moralis C. 10. Vincentius Fernandez de Heredia de Sacrificio Missæ ad Repetitionem textus in C. *Cum Frangitur* de Cõsecratione Dist. 2. parte 1. circa 3. pag. 393. Franciscus Torreblanca L. 2. Iuris spiritualis Practicabilium C. 8. à n. 4. Polydorus Virgilius de Inuentoribꝰ rerum L. 5. C. 12. innumerique alij, quos ipsi referunt, & quos nos accensere possemus. Sed finiamus iam hanc Sectionem notando, tum dies festos dictitatos alicubi *Missas*, vt constat ex Capitulis Caroli Calui, & successorum aliquot Regum Franciæ pag. 68. 269. 305. 306. 308. 309. 319. 329. iuxta editionem Iacobi Sirmondi, eo quod illis diebus solemniùs celebrarentur: tum pro *Missæ* nomine fuisse quondam sæpè vsurpatum *Dominicum* substantiuè, vt constat ex Patribus exaratis à Durando suprà L. & C. 1. n. 5. à Ludouico dela Cerda ad L. 2. Tertulliani ad Vxorem n. 37. tum denique in Concilio Carthaginensi 2. C. 9. *Missam* appellari *Agenda*, eo quòd in agendo consistat, est enim agere; verbaque formæ Sacramenti sunt corporis, & sanguinis Domini effectiua, & operatiua, vt explicat Loaysa ad Cõcilium Hispalense 2. C. 7.

Se-

SECTIO II.

De vera ratione Sacrificij reperta in Missa.

Indagatur mens S. Thomæ.

5 ANGELICVS Doctor q. 83. art. 1. docere iudicatur à pleriſque, conſecrationem, ſeu confectionem Sacramenti Euchariſtici eſſe verum Sacrificium, quo Chriſtus offertur Deo. Et cum licita confectio fiat in Officio, quod vocatur Miſſa, prout eſt actio exterior conſtans ritibus, & cæremonijs præſcriptis ab Eccleſia, ſequitur ex S. Thomę doctrina (quæ dogma Fidei eſt) reperiri in Miſſa veram Sacrificij rationem. Affert verò Sanctus Thomas duplicem argumentationem, vt probet eam doctrinam. Prima eſt, *quia, ſicut dicit Auguſtinus ad Simplicianum, ſolent imagines earum rerum nominibus appellari, quarum imagines ſunt; ſicut cum intuentes tabulam, aut parietem pictũ, dicimus, ille Cicero eſt, & ille Salluſtius. Celebratio autẽ huius Sacramenti imago quedam eſt repræſentatiua Paſsionis Chriſti, quæ eſt vera eius immolatio. Et ideo celebratio huius Sacramenti dicitur Chriſti immolatio. Vnde Ambroſius dicit ſuper Epiſtolã ad Hebræos, In Chriſto ſemel oblata eſt hoſtia, ad ſalutem ſempiternam potens. Quid ergo nos? Nonne per ſingulos dies offerimus? Sed ad recordationem mortis eius.* Hæc S. Thomas attribuens cũ Gratiano C. *In Chriſto ſemel* 53. de Conſecratione Diſt. 2. S. Ambroſio Commentaria in Epiſtolas S. Pauli, cũ tamen nõ ſint S. Ambroſij, ſed Hilarij Diaconi Romani, vt coniectatur Bellarminus in Obſeruationibus ad Opera S. Ambroſij. Illud maioris momenti eſt, quòd S. Thomę ratio non videatur probare, inueniri verum Sacrificium in celebratione Euchariſtici Sacramenti, ſed repræſentationem, atq; imaginem veri Sacrificij peracti cruentè in cruce. Debuiſſet autem probare primum, imò & non eſſe meram repræſentationem, atque imaginem nudam veri Sacrificij cruentè in cruce exhibiti, nam quod nunc intenditur, quodque de fide Catholica eſt, offerri Deo in Miſſa verum, & proprium Sacrificium, vt habemus definitum à Concilio Tridentino Seſ. 22. in proœmio, & Canone 1.

6 Argumentatio ſecunda S. Thomæ eſt, *Alio modo celebratio huius Sacramenti dicitur immolatio Chriſti, quantùm ad effectum Paſsionis Chriſti, quia ſcilicet per hoc Sacramentum participes efficimur fructus Dominicæ Paſsionis; vnde in quadã Dominicali oratione ſecreta dicitur, Quoties huius hoſtiæ commemoratio celebratur, opus noſtræ redemptionis exercetur.* Poſt quæ verba ſubiungit Angelicus Doctor, *Quantùm igitur ad primum modum poterat dici Chriſtus immolari in figuris etiam veteris Teſtamenti. Vnde & Apocalypſis 13. dicitur, quorum nomina non ſunt ſcripta in libro vitæ agni, qui occiſus eſt ab origine mundi. Sed quantùm ad ſecundum modum, proprium eſt huic Sacramento, quòd in eius celebratione Chriſtus immoletur.* Ita S. Thomas; cuius ſecunda hæc ratio non minus eſt difficilis, quàm prima. Quòd enim per Sacramentum Euchariſticum efficiamur participes fructus Dominicę Paſsionis, ex opere etiam operato, non eſt ſufficiens fundamentum ad adſtruẽdum verum, & proprium Sacrificij cõceptum in celebratione huius Sacramẽti; alioqui reliquorum aliorum Sacramentorum actiones, quibus conficiuntur, erunt Sacrificia vera, ac propria, ſiquidem per reliqua alia Sacramenta ex opere operato participemus ſimiliter fructum Paſsionis Dominicæ.

7 Sunt plures Theologi, qui, vt vtraque ratio S. Thomę vim habeat, dicunt, debere ſubintelligi aliqua, quæ S. Doctor ſuppoſuerit. Cæterùm mihi videtur, rationes fore omnino diuerſas, ſi ſubintelligantur, quę illi excogitant. Cardinalis Bellarminus L. 1. de Miſſa C. 15. V. *Porrò Longobardus* meo iudicio aſſequutus eſt perfectè ſenſum Sancti Thomæ; ait namq; S. Thomam nõ fuiſſe ſollicitum circa quæſtionẽ nunc agitatam, an celebratio Euchariſtici Sacramenti ſit Sacrificium propriè dictũ, quanquam incruentum? Sed præſupoſuiſſe id, vt ſuo tempore apud omnes conſtans ex ipſa celebratione quotidiana Sacrificij; proindeq; ſolùm tractaſſe, qui poſsit Sacrificium Miſſæ dici Chriſti immolatio, prout hæc vox occiſionem ſonat, neque enim Chriſtus occciditur verè, & realiter in Sacrificio iſto. Reſpondet autem, dici poſſe immolationem, tum quia eſt repræſentatio

tatio immolationis cruentæ, quę verè, & realiter facta fuit in cruce; tum quia habet effectum similem cum ea Christi immolatione vera, ac reali, quam repræsentat; seu quia redemptio, quæ quoad sufficientiam fuit perfecta in Passione, occisioneque Christi, applicatur nobis quoad efficaciam per istud Sacrificium. Et hinc exponitur S. Augustinus inquiens, *Semel immolatus est in semetipso Christus, & tamen quotidie immolatur in Sacramento*, id est, in imagine, & similitudine. Quæ S. Augustini verba inuenta in Prosperi Sententijs referuntur à Gratiano C. *Semel immolatus* 52. de Consecratione Dist. 2. Potuitque Prosper desumere ea ex S. Augustini Epistola 23. 120. ex L. 20. contra Faustum C. 28. ex interpretatione in Psalmum 79. Germana sunt, quæ leguntur in S. Fulgentij L. de Fide ad Petrum C. 18. Loquuntur eodem modo S. Chrysostomus, Hilarius Diaconus Romanꝰ, Theophylactus in C. 10. Epistolæ ad Hebræos. Sunt itaque explicandi, quatenus Christus semel in cruce sit immolatus verè, & realiter, seu sit occisus physicè; & quotidie in Missæ Sacrificio immoletur sacramentaliter, repræsentatiuè, ac mysticè, non quia verè, & propriè non sacrificetur, sed quia non occiditur physicè. Hinc etiam exponuntur Patres dictitantes passim, Christum in Missę Sacrificio immolari, vocantesque celebrationem, & consecrationem Eucharistici Sacramenti immolationem, ac mactationem Christi. Exponuntur, inquam, de immolatione sacramentali, repræsentatiua, atque mystica; & ideo sæpe appellant illam incruentam, addito hoc epitheto significantes, non esse simpliciter, & absolutè immolationem, seu occisionem victimæ, qualis fuit, quæ peracta est in cruce.

8 Quanuis verò Sacrificium Missæ, & immolatio mystica facta in eo repræsentet Sacrificium crucis, & immolationem physicam, quæ in ipso est facta, non ideo Sacrificium Missæ non erit verum, realeque Sacrificium, neq; ideo immolatio mystica, qua constat, non erit vera, realisque actio sacrificatiua; optimè enim stat, vt vnum Sacrificium verum, & reale, vnaque actio sacrificatiua vera, ac realis sit repręsentatio, atque imago alterius, vt patet ex Sacrificijs veteris legis, quæ fuerunt quidem realia, & vera, simulque imagines Sacrificij crucis, vt docent Tertullianus L. contra Iudæos C. 5. S. Augustinus L. 20. contra Faustum C. 18. L. 10. de Ciuitate Dei C. 20. L. 3. de Baptismo C. vltimo, S. Chrysostomus in Psalmũ 95. S. Damascenus L. 4. de Fide C. 14. Eusebius Emesenus Serm. 5. de Paschate, Ysichius in C. 8. Leuitici. Notatq; S. Thomas suprà, fuisse etiam Christum immolatũ quodãmodò mysticè in Sacrificijs veteris Testamenti, sumpta immolatione mystica pro occisione mystica. Vbi ego noto, verbum *Immolo*, & nomen *Immolatio* in sui origine non significare rei oblatæ sacrificatiuam actionem, quę cum occisione fieri debeat, sed quę præsupponat insperssionem farris moliti, & tosti, salisq; super re offerenda siue animata, siue inanimata, vt Calepinus cum Festo tradit, eo quòd Gentilium sacrificantium consuetudo esset, farre molito, tostoq; necnon sale fusam hostiam offerre. Legatur idem Calepinus in nomine *Mola*; vnde deductũ est verbum *Immolo*, quod communiter significat idem ipsum, ac *Sacrifico*, diciturque de re non tantùm viua, sed etiam de inanimi; tametsi frequentiùs de priori dicatur. Et idcirco S. Thomas, alijque Theologi antiqui post Magistrum Sententiarũ L. 4. Dist. 12. nauarunt operam in exagitãda quæstione non tam de re, quàm de nomine immolationis, quomodò scilicet celebratio Sacramenti Eucharistici dicatur immolatio Christi? Cum hic non sacrificetur actione, quæ sit vera, realisq; occisio. Cui quæstioni respondet Sanctus Thomas eum in modum iam declaratum.

9 Et in solutione ad primum explicat locum ex Epistola ad Hebræos C. 10. vbi dicitur Christus, *vna oblatione consumasse in sempiternum sanctificatos*; explicat, inquam, adductis verbis Sancti Ambrosij, seu potiùs Hilarij Diaconi Romani aientis, *Vna est hostia* (quã scilicet Christus obtulit, & nos offerimꝰ) *non multæ, quia semel oblatus est Christus. Hoc autem Sacrificium exemplũ est illius. Sicut enim quod vbique offertur, vnum est corpus, & non multa corpora, ita & vnum Sacrificium.* Si quis longiorem velit explicationem, consulat Salmeronem tomo 9. Tract. 31. à pag. 309. Bellarminum

num L. 1. de Missa C. 25. Suarium D. 74 sect. 1. à V. *Superest*. Vazquium D. 221. C. 4. & reliquos, qui ex professo disputant contra Hæreticos, vel interpretantur Epistolas S. Pauli. Solutio S. Thom. ad secundum non continet aliud, quàm quòd in Eucharistici Sacramẽti celebratione altare repræsentet crucẽ, in qua Christus cruẽtè est immolatus. Deniq; in solutione ad tertiũ inquit S. Doctor; *Sacerdotem gerere imaginem Christi, in cuius persona, & virtute verba pronunciat ad consecrandum. Et ita quodammodò idem est Sacerdos, & hostia.* Quæ postrema verba reddunt hunc sensũ, sicut in Sacrificio cruẽto idẽ Christus fuit realiter Sacerdos, & hostia; ita in incruento idẽ Christus est Sacerdos repręsẽtatiuè, & hostia realiter, nam illud *Quodammodò* additum à S. Thoma videtur debere intelligi de Christo, quatenus sit in incruẽto Sacrificio Sacerdos repręsentatiuè, sic namq; colligitur tum ex contextu verborum, tum ex argumento, quod dissoluit. Et quidem Christus in Sacrificio incruẽto est principalis offerẽs, ac Sacerdos; estque plurium Theologorum iudicio immediatus etiam offerens, ac Sacerdos; quanquam S. Thom. indicare videatur, non esse immediatum offerentem, & Sacerdotem, aliter enim nõ addidisset aduerbium *Quodãmodò*, planiusq; ad argumentum tertium respondisset, eundem Christum esse absolutè, & simpliciter Sacerdotem, & hostiam: nisi quis cogitet, etiam si Christus sit immediatus offerens, & Sacerdos, cum tamen interueniat Sacerdos ministerialis, sensum Angelici Doctoris esse, repręsentari Christum per Sacerdotem ministerialem, rationeq; huius esse Sacerdotem quodãmodò. Cæterùm de Christo, vt offerente, & Sacerdote Sacrificij Missæ dicemus in D. 11. Hactenus occasione litteræ S. Thomæ. Conclusio sit,

Missa est verum, proprium, & reale Sacrificium à Christo Domino institutum in lege gratiæ.

10 QVæ conclusio est vnum è præcipuis fidei Catholicæ dogmatibus, & à nobis, qui scribimus in gratiã Catholicorum Theologorum, non aliter in præsentiarum probabitur, quàm quia Missæ competunt omnia, quę necessaria sunt, & sufficiunt ad verũ, proprium, & reale Sacrificiũ. Sunt autem illa necessaria, & sufficiũt, quæ in Disputatione superiori stabiliuimus. Omnia verò illa exactè, & adamussim competere Missæ, compertum erit ex duabus Disputationibus sequentibus, in quibus declarabimus actionẽ, in qua consistit essentia Sacrificij Missę, tanquam veri, proprij, & realis Sacrificij. Etsi enim Missa pluribus cõstet, quę non sunt Sacrificium, neq; de Sacrificij essentia, sed accidentia tantùm, qualia sunt multæ orationes, ritusq; ac cæremoniæ, nihilominus reperitur in ea quædã actio continens, seu habens substãtiam, essentiamq; veri, proprij, atq; realis Sacrificij. Et secundũ hanc actionem dicimus, Missam esse Sacrificium à Christo Dño institutum, illis verbis; *Hoc facite in meam commemorationẽ*, essequę acceptum ab Ecclesia Catholica ex Christi Dñi institutione. Nam accidentia Missæ ordinata sunt ab Apostolis, Pontificibusque sanctis.

11 Apostoli quidem initio adhibebant tantùm orationem Dominicã verbis consecrationis, vt ait S. Gregorius Magnus L. 7. Regiſtri Epist. 66. notatque S. Hieronymus L. 3. aduersus Pelagianos, fuisse à Christo Apostolos suos edoctos; *Vt quotidie in corporis illius Sacrificio credentes audeant loqui, Pater noster*, &c. Posteà S. Petrus primꝰ omnium instituit *Ordinem Missæ, vel orationũ, quibus oblata Deo Sacrificia consecrantur*, vt inquiunt S. Isidorus Hispalensis L. 1. de Ecclesiasticis Officijs C. 15. Paschasius Rathbertus in Epist. ad Frudegardum, Etherius, & Beatus L. 1. aduersus Elipãdum. Sequuti sunt S. Petrum S. Iacobus minor, & ipse Apostolus, S. Marcus Euangelista in suis Liturgijs, constatque ex S. Clemente, discipulo S. Petri, in Constitutionibus Apostolicis, ex S. Dionysio Areopagita, discipulo S. Pauli, in L. de Ecclesiastica Hierarchia, fuisse iã primæuo illo Ecclesiæ, & Apostolorum tempore adiectos multos ritus, & cæremonias in celebratione Missę; de qua intelligunt S. Ambrosius L. 6. de Sacramentis Cap. vltimo, Sanctus Augustinus in Epistola 59. ad Paulinum quæst. 5. verba illa Pauli 1. ad Timotheum Cap. 2. Vers. primo; *Obsecro igitur primũ omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus*

hominibus. Explicat S. Augustinus quatuor has Missę partes sua ętate receptas communi Ecclesiæ vsu, quasi traditas à maioribus ex Apostolica institutione. *Eligo*, inquit, *in his verbis hoc intelligere, quod omnis, vel penè omnis frequentat Ecclesia, vt precationes accipiamus dictas, quas facimus in celebratione Sacramentorum, antequàm illud, quod est in Domini mensa incipiat benedici: orationes, cũ benedicitur, & sanctificatur, & ad distribuendum comminuitur, quam totam petitionem ferè omnis Ecclesia Dominica oratione cõcludit:: Interpellationes autem, siue, vt vestri codices habent, postulationes, fiunt, cum populus benedicitur. Tunc enim Antistites, velut aduocati, susceptos suos per manus impositionem misericordissimæ offerunt potestati. Quibus peractis, & participato Sacramento, gratiarum actio cuncta concludit, quam in his etiam verbis vltimam commendauit Apostolus.* Huc vsque S. Augustinus.

12 Vndè scripsit rectè Concilium Tridentinum Sess. 22. C. 5. sacras Missæ cæremonias ex Apostolica disciplina, & traditione dimanasse; Vigiliusque anno 538. cum nondum esset legitimus Papa, in C. 5. Epist. ad Eutherium (seu ad Eleutherium Episcopum Bracarensem, vt in Chronico, anno 540. monet Marcus Maximus Episcopus Cęsaraugustanus) susceptum esse in Ecclesia Romana ex Apostolica traditione textum Canonicæ precis, id est, ordinẽ precum in celebritate Missarum, vt paulò anteà dixerat; forsanq; loquitur speciatim de sacro Canone; *Quem multis antè seculis Ecclesia Catholica instituit, constantem cum ex ipsis Domini verbis, tum ex Apostolorum traditionibus, ac Sanctorum quoque Pontificum pijs institutionibus,* vt docet Concilium Tridentinum Sess. 22. C. 4. Sicut autem reliquis partibus Missę addita sunt aliqua successu tęporis, ita etiam Canoni, à Pontificibus sanctis vsque ad S. Gregorium Magnum, qui vltimus adiecit verba illa; *Dies que nostros in tua pace disponas, atq; ab æterna damnatione nos eripi, & in electorum tuorum iubeas grege numerari.* Sic memoriæ produnt Ioannes Diaconus in eius vita L. 2. C. 17. Venerabilis Beda L. 2. Anglicanæ historiæ C. 1. Alcuinus L. 2. de diuinis Officijs titulo de celebratione Missæ, Amalarius Fortunatus L. 3. de Ecclesiasticis officijs C. 22. Berno Augiensis L. de quibusdam rebus ad Missæ officiũ pertinentibus C. 1. Micrologus de Ecclesiasticis obseruationibus C. 12. Sigebertus in Chronologia ad annũ Dñi. 592. Radulphus Decanus Tungrensis L. de Canonum obseruantia, propositione 23. Hugo Victorinus L. 3. de Eccles. Offic. C. 11. Innocẽtius L. 3. de Mysterio sacro altaris C. 11. Martinus Polonus, Baptista Platina, posteriores que alij. Dixi, S. Gregorium I. imposuisse postremam manum Canoni, tametsi nõ ignorẽ, additionem aliam factam à Gregorio III. memoratamque ab Hugone Victorino L. 2. de Sacramentis fidei p. & C. 9. à Radulpho suprà, Sigeberto ad annũ 731. Vualafrido suprà, Mariano Scoto, Martino Polono, & Platina in Gregorio III. sed fuit pro priuato suo vsu, & in speciali solemnitate, vel communiter in Ecclesia non præualuit.

13 Nec subticendum est, quod legi in S. Aldhelmo L. de laudibus Virginitatis Cap 22. scilicet S. Gregorium (quẽ vocat suum prœceptorem, & pędagogum, vt pote à quo rudimẽta fidei, & Sacramentum baptismi susceperit, prout gloriatur Cap. 7.) *In Canone quotidiano, quando Missarum solemnia celebrantur, pariter copulasse, & hoc modo in catalogo Martyrum posuisse, Felicitate, Anastasia, Agatha, Lucia, quatenus nequaquam litterarum serie sequestrentur, quæ contribuli populo apud Siciliam genitæ* (nimirùm Agatha, & Lucia) *simul cælesti gloria gratulantur.* Sic in S. Aldhelmo. Sed Sanctarũ Martyrũ, quas nominat, habetur mẽtio in Ambrosiana Liturgia antiquiori; nisi inibi adiectæ sint exemplo S. Gregorij. Neque item silendum est, S. Gregorium L. 7. Registri Epist. 63. meminisse Scholastici, qui composuit precem dicendam super oblationem, id est, super corpus, & sanguinem Christi post consecrationem. Ignoratur, num Scholastici nomen proprium ibi sit, an appellatiuum personæ certæ, incertæve. Hugo de S. Victore L. 2. de Ecclesiast. Officijs C. 11. Guilielmus Durãdus L. 4. Rationalis Officiorum diuinorum C. 35. indicant, Scholasticum illũ fuisse S. Gelasium Papam I. quem ordinasse principaliter Canonem, refert ex alijs Innocẽtius III. L. 3. de Mysterio sacro altaris C. 10. addens; *Sed, vt Beatus Gregorius asserit in Registro, Scholasticus illam orationem composuit, quæ super Eucharistiam dicitur in Secreta.* Quicumque fuerit ille,

quem

quē S. Gregorius appellat Scholasticū, non composuit totum Canonē, præter verba etiam consecrationis, nisi nomen Scholastici apud S. Gregorium accipiatur pro viro erudito in vniuersum, comprehendatque proinde S. Petrum, & alios in Pontificatu successores præstantes eruditione, atque eloquentia. Imò ex verbis S. Gregorij non constat, ad Canonem pertinere eam precem, de qua habet sermonem. Et hæc satis, vt noscatur, quo sensu dicamus, reperiri in Missa veram, propriam, & realem rationem Sacrificij à Christo Domino instituti: quod à S. Eulogio Martyre in Epistola ad Aluarum vocatur *Missale Sacrificium*, magis significatiuè, quàm Latinè.

14 Fusiùs imè poterat in hoc loco tractari, quibus de causis fuerit in noua lege institutum hoc Sacrificium, necnon de Christi actionibus in institutione, & de circūstantijs ipsius. Sed primum, qua parte spectat ad Theologiam Scholasticam, præstabitur abundè, cum de huius Sacrificij fructu agamus; cætera autem remittenda sunt ad Theologos Mysticos; eaque breuiter, & sapienter perstringūtur à Ioanne Baptista Scortia L. 1. C. 10. De secundo, & tertio agere, pertinet vt plurimùm ad Theologos Expositiuos. Et quoad actiones, quibus Christus perfecit hoc Sacrificium, præcellit inter Scholasticos Eximius Doctor P. Suarez D. 75. sect. 2. Quoad circūstantias verò temporis, & loci tum ipse D. 41. tum Scortia L. 1. Cap. 2. & Dicastillus Tract. 4. D. 1. à dub. 6. alijque Authores laudati à Leandro parte 2. quæstionum Moralium in septem Sacramenta, Tract. 7. D. 1. à quæst. 4. Ego circa actiones Christi, & temporis circūstantias notabo nonnulla, quorum notitia deseruiet ad Disputationes sequentes, vt enim ait Sanctus Cyprianus in Epistola 63. *Si Iesus Christus Dominus noster ipse est summus Sacerdos Dei Patris, & primus seipsum in Sacrificium obtulit, & hoc fieri in sui commemorationem præcepit, vtiq; ille Sacerdos vice Christi benè fungitur, qui id, quod Christus fecit, imitatur: & Sacrificium verum, ac plenum tunc offert in Ecclesia, si sic incipiat offerre, secundùm quod ipsum Christum viderit obtulisse.*

SECTIO III.

Selectæ septem obseruationes circa actiones Christi, quo tempore instituit hoc Sacrificium.

Non est compertum, fecisse, Christum oblationem verbalem distinctam a consecratione.

15 OBseruo igitur in primis, nusquam constare, factam fuisse à Christo oblationem verbalē panis, & vini ante consecrationem, neque corporis, & sanguinis sui post consecrationem, nam neque in Scriptura sacra memoratur vna, aut altera oblatio, neque per Ecclesiam traditum nobis est quidpiā de ea vt exhibita à Christo, neque vllus Patrum antiquorū inuenitur, qui affirmet, vnā, aut alteram oblationem fuisse à Christo factam. Inquies ex Barrada tomo 4. in Euangelia L. 3. C. 6 Christum in cœna obtulisse Deo Patri corpus, & sanguinem suum sub speciebus panis, & vini. Ergo fecit oblationē vel verbo, vel eleuatione aliqua, quam Euangelistæ prætermiserint. Respondeo, verum esse Antecedens, vtpote quod sit desumptum ex Concilio Tridentino Sess 22. C. 1. Sed eiusmodi oblationem in alio constitisse, quā in consecratione, excogitatur omnino gratis.

Christus manibus apprehendit panem, & suspexit in Cœlum.

16 OBseruo secundò, Christum accepisse panem in sanctas, ac venerabiles manus suas, & eleuasse oculos in cælum ad Deum Patrē suum Omnipotentem. Ita in Liturgia Romana, quanquam Euangelistæ, & Paulus exprimant solummodò, quòd acceperit panem, & de eleuatione oculorum nihil dicant. Sed quòd acceperit manibus, proindeque non vna sola, habetur etiā in Liturgia S. Iacobi, & in S. Clemente L. 8. Constitutionum Apostolicarū C. 12. in S. Augustino Concione 1. super Psalmum 33. Concione etiam

tiam 2. Rursus quòd eleuarit oculos in cælum, dicitur etiam in Liturgijs SS. Iacobi, & Marci, necnon à Sancto Clemente suprà, atque à Sancto Ambrosio Lib. 4. de Sacramentis Cap. 5. Ruperto Lib. 2. de Officijs Cap. 10. Paschasio Rathberto Lib. de Corpore, & sanguine Domini Cap. 15. Innocentio III. Cap. *Cum Marthæ* de celebratione Missarum Lib. 4. de Mysterio sacro altaris Cap. 5. S. Thoma quæst. 83. art. 4. ad 2. vbi ex Innocentio scribit; *Sicut dicitur Ioannis vltimo, Multa sunt à Domino facta, vel dicta, quæ Euangelistæ non scripserunt. Inter quæ fuit hoc, quòd Dominus in cœna oculos leuauit in cælum; quod tamen Ecclesia ex traditione Apostolorum habuit. Rationabile enim videtur, vt qui in suscitatione Lazari* (vt habetur Ioannis 11) *& in oratione, quã pro discipulis fecit,* (Ioannis 7.) *oculos leuauit ad Patrem, in huius Sacramenti institutione multò magis hoc fecerit, tanquàm in re potiori.* Tantũ Angelic. Doctor.

Christus, actis Deo Patri gratijs, benedicto, fractoque pane, consecrauit ipsum.

17 TErtiò obseruo, Christum egisse gratias Deo Patri, benedixisse panem, fregisse, consecrasseq; conuertendo illum in corpus suum ijsdem verbis, quibus nunc Ecclesia vtitur. Distinctio, & ordo harum actionum probatus à me est D. 12. de Eucharistia n. 6. & consecrationem factam esse à Christo verbis, ijsdemque, quibus faciendam à Sacerdotibus instituit, docui ibidem n. 4. & 5. Sed circa ordinem omisi dicere de fractionis ad consecrationem precedentia, quam mihi persuadent contextus Euangelicus Matthæi, Marci, Lucæ, & verba Pauli in Epist. 1. ad Corinthios C. 11. necnon verba Liturgiæ Romanæ. Nec video fundamẽtũ aliquod solidum, vt per anticipationis figurã prænarrata fuerit fractio. Quę nõ fuit mystica, vti est partitio hostiæ consecratę obseruata ab Ecclesia; sed fuit vsualis, vt sentit S. Augustinus in Epistola 59. ad Paulinum quæst. 5. nec fuit in tres tantùm partes, vti ea, quæ fit ab Ecclesia, sed in multò plures, saltem in non pauciores, quã duodecim. Atq; ita de fractionis antecessione sentiunt Sanctus Bonauentura in 4. Dist. 8. art. 2. quæst. 3. Sotus in 4. Dist. 11. quæst. 1. art. 2. Vers. *At verò.* Vazquez D. 187 Cap. 3. num. 21. Suarez D. 58. sect. 2. Vers. *Quanquam de illo.* D. 75. sect. 2. V. *Quintò post.* Scortia L. 4. Cap. 11. num. 8. Ylambertus 3. par. ad quęst. 75. D. 1. art. 17. §. *Ad tertiam.* Gaspar Hurtadus D. 3. de Euch. Dif. 1. Ver. *Circa ordinem,* Barradas tom. 4. in Euangelia Lib. 3. Cap. 2. in fine, Lessius 3, par. quæst. 78 art. 1. dub. 2. ad finem, Tirinus in Cap. & Vers. 26. Matthęi, Iustinianus in 1. ad Cor. C. 11. Dicastillus Tract. 4. D. 3. dub. 1. num. 11. alijque complures; fauentque S. Clemẽs suprà, Tertullianus L. 4. contra Marcionem C. 40. Iuuencus L. 4. Historiæ Euangelicæ. Sed dissentiunt Bessarion, Alensis, Gabriel, Iãsenius, Durantusque L. 2. de Ecclesiæ Catholicæ ritibus Lib. 2. C. 38. n. 15. & S. Thomas quæst. 78. art. 1. ait; *Euangelistæ non semper eundem ordinem in recitãdo seruauerunt, quo res sunt gestæ, vt patet per Augustinum in L. de Consensu Euangelistarum. Vnde intelligendum est, ordinem rei gestæ sic exprimi posse; Accipiens panem, benedixit dicens, Hoc est corpus meum, & deinde fregit, deditque discipulis suis.* Post quę verba addit hæc Angelicus Doctor; *Sed idem sensus haberi potest, etiam verbis Euangelij non mutatis. Nam hoc participium, Dicens, concomitantiam quandam importat verborum prolatorum ad ea, quæ præcedunt. Non autem oportet, quòd hæc concomitantia intelligatur solùm respectu vltimi verbi prolati, quasi Christus tunc ista verba protulerit, quãdo dedit discipulis suis. Sed potest intelligi cõcomitantia respectu totius præcedentis, vt sit sensus, dum benediceret, frangeret, & daret discipulis suis, hæc verba dixit; Accipite, &c.* Huc vsq; S. Thom. Contra quem arguit Sotus, tum quia Christus, dum consecraret, non deberet esse fractioni attentus; tũ quia fractio in tot particulas longiori indigebat tempore, quàm prolatio verborum consecrationis. Sed prior ratio leuidensis est, vt quisq; perspiciet, & animaduertit Suarez; posterior maioris est momenti. Illud vero cauendũ hìc est, ne concomitantia, de qua S. Thomæ sermo est, sic explicetur, vt Apostoli susceperint de manu Domini Eucharistiam, nondum finita à Domino prolatione verborum consecrationis, nã Concilium Trid. Sess. 13. C. 3. expressè declarat contrarium, scribit namque; *In Eucharistia ipse sanctitatis author an-*

rè vsum est. Nondum enim Eucharistiam de manu Domini Apostoli susceperunt, cum verè tamen ipse affirmaret, corpus suum esse, quod præbebat. Sic Tridentina Synodus.

18 Ex dictis colligitur, Christum posuisse super mappam mensę, vel super patinam frusta diuisi panis, & subinde pronunciasse verba consecrationis, inuitatis Apostolis, vt acciperent, & mãducarent. Significat tamen S. Augustinus suprà, Christum tempore consecrationis tenuisse panem manibus: ibi; *Ferebatur Christus in manibus suis, quando cõmendans ipsum corpus suum ait; Hoc est corpus meum.* Exprimit idem ipsum Amadeus Franciscanus apud Petrum de Alba in Bibliotheca Virginali, tomo 1. pag. 668. Vtvt de istopũcto sit, refertur in Liturgia Romana Christus dixisse; *Accipite, & manducate ex hoc omnes.* Notatque S. Thom. q. 83. ar. 4. ad 2. *Quod additur, Ex hoc omnes, intelligitur in verbis Euangelij, licet non exprimatur, quia ipse dixerat Ioannis 6. Nisi manducaueritis carnẽ filij hominis, non habebitis vitam in vobis.* Prætereà quia de calice dictum est etiam iuxta Matthæum C. 26. *Bibite ex eo omnes.* S. Ambrosius L. 4. de Sacramẽtis C. 5. & C. *Panis est* 55. de Cõsecratione Dist. 2. Ordo Romanus, & Magister Florus in expositione Canonis habent illa verba *Ex hoc omnes.* Rursus colligitur, Christum porrexisse singulis Apostolis inuitatis in communi frustũ specierum consecratarum panis, vel ipsos, offerẽte Christo, sumpsisse illud ex mẽsa, vel patina. Stephanus Eduẽsis C. 16. de Sacramento altaris inquit; *Cum Dominus discipulis suis dixerit, Accipite, & manducate; quæritur, si acceperint, & sibi ministrauerint? Ad hoc dicamus, quòd quia ministrare venit, & non ministrari, & qui consecrauit, & ipse ministrauit. Nec intelligendum, quòd in manibus suis acceperint, & sibi ministrauerint; sed Dominus de manu sua ministrauit, & manducare præcepit.* Hactenus Stephanus Eduensis, consonatque Innocentius III. L. 4. de Mysterio sacro altaris C. 14. & Petrus Comestor C. 152 Hist. Euang. Breuioribus his verbis; *Nõ est intelligendum, quòd sumptum corpus de manu Domini sibi discipuli ministrarent, sed qui consecrauit, idem & ministrauit.* Similiter Odo Cameracensis in Expositione Canonis ait; *De manibus* (discipulis) *se porrigebat edendum.* Sed meliùs Salmeron tomo 9. in Euangelia Tract. 12. pag. 98. & 99. tomo 2. in Pauli Epistolas D. 19. in priorem ad Cor. pag. 201. Vualterius de triplici Cœna Christi C. 13. Cœnæ 3. Claudius Sainctes Repititione 10. de Euchar. C. 4. fol. 386. Tirinus in Cap. & Vers. 26. Matthæi. Auersa quæst. 10. de Euchar. sect. 3. Vers. *Sed adhuc.* Maldonatus in Cap. 26. Matthæi Vers. 26. §. *Fecit igitur.* Suarez D. 72. sect. 1. Vers. *Vt veritatem,* Scorti, Lib. 4. Cap. 11. num. 10. & alij cogitant, Christum obtulisse patinam, & ab Apostolis inde suis manibus buccellas fuisse acceptas, orique admotas. Et quidem verbum *Accipite,* quo vsus est Christus, intelligitùr magis propriè de manu, quàm de ore. Cumque calicem manibus acceperint Apostoli, distribuerit que vnus alteri, vt constat ex Christi verbis Cap. 22, Lucæ, *Accipite, & diuidite inter vos,* verisimile etiam est, patinam cum sancto pane propinquiores remotioribus porrexisse, vt ait Salmeron. Suadeturque id, nam Christus ob distantiam à multis, & ob accubitum in toro conuiuali, (vt infertur ex eo, quòd Ioannes recubuerit supra eius pectus) non posset ad illos vsque extendere manus. Id quod fiet credibilius legenti, quæ de magnitudine, figuraque mensę, cui Christus cum Apostolis adfuit, narrantur à Sancto Bonauentura in Cap. 73. Meditationum vitæ Christi; scilicet fuisse quadratam, de pluribus tamen tabellis; & in singulis quadris habuisse latitudinem duorum brachiorum, & trium digitorum, vel palmi, vel citrà, vt ipsemet dimensus est Romæ in Lateranensi Ecclesia, vbi hoc etiam tempore extat. Et addit Sanctus Bonauentura, ternos sedisse Apostolos in quadris, & Christum humiliter in quodam angulo. Fortè ex Christi facto ortum est, vt olim consecratæ species panis darentur in manus fidelium communicare volentium; quanquam iam diu ob maiorem Sacramenti reuerentiam prohibita sit hæc consuetudo.

19 P. Salmeron suprà pag. 98. tam certus est de patina memorata, vt affirmet, Ecclesiam inde didicisse Apostolica traditione vsum patinarum in Missa: Suarez etiam in locis proximè citatis meminit eiusdem patinę, & ante vtrumque Dominicus Sotus in

4. Dist. 12. q. 2. art. 1. V. *Vna autem*, vbi cogitat, Christum, tenendo patinam in manibus, consecrasse tredecim bucellas; sed hanc cogitationem trigidam esse, & puerilem, asseuerat Didacus de Tapia q. 9. de Euch. art. 1. non veritus authoritatem Soti. Porrò eam patinam fuisse ex smaragdo, vel miraculosè conuersam in illum, & nunc asseruari Genuæ magna cum religione, deportatãque in nobilissimam Vrbem ex Almeria, tempore Alfonsi Regis Castellæ, nuncupatique Imperatoris, cui auxiliares aduenerũt Genuenses cõtra Mauros dominantes Almeriæ, narratur à multis. Qui velit certior fieri, quo hæc fundamento asserantur, legat Rodericum Ximenium L. 7. de Hispaniæ rebus C. 11. Marianã L. 10. C. 18. anno 1147. Alfonsum Sanctium L. 4. C. 18. Garibayum L. 12. C. 6. Iacobum Lupium Stunicam Itinerario ab Vrbe Complutensi ad Romanam, tomo 3. Hispanę Bibliothecæ Andreæ Scoti, Gundisaluum Illescam L. 5. Historiæ Ecclesiasticæ in Alphonso VII. fol. 381. Sebastianum Couarruuiam in Thesauro Castellanæ linguæ verbo *Esmeralda*, Ioannem Solorzanum in Politica Indica L. 6. C. 4. pag. 951. Herreram L. 1. de origine, & progressu cæremoniarum Missæ C. 26. Antonium Molinam Tract. 1. de Sacerdotali dignitate C. 14. §. 1. Barradam tomo 4. in Euangelica L. 1. C. 13. Eusebium Nierembergium in Homilia 53. §. 1. pag. 254. Ioscphum Acostam L. 4. Historiæ Indicę C. 14. Salmeronem tomo 9. in Euangelia Tract. 10. pag. 77. Granadum Controu. 6. de Euch. Tract. 1. D. 6. n. 3. Vualterium de triplici Cœna Christi C. 38. Cœna 3. Leandrum Tract. 7. de Sacramentis D. 1. q. 11. Petrum de Medina in L. de Excellentijs Hispaniç C. 142. Bozium de Signis Ecclesię L. 20. C. 6. Primum Cabilonensem, Erasmum Stellam, & Vrretam citatos à Granado. Et de alio smaragdo, miræ magnitudinis, translato è Hierosolymis in Hispaniam, legat prælegatum Ximenium L. 3. C. 23. Marianam L. 6. C. 24. Iulianum Petri in Aduersarijs num. 96. 290. 358. 360. Alcocerium in Historia Toletana fol. 54. col. 3. Rasim Arabẽ, & alios. Notetq; Aimonium de gestis Francorũ L. 2. C. 8. scribere; * Sanè in thesauris, quos Childebertus auexit ab Hispanijs (capta Toletana Ciuitate) reperta sunt Ecclesiastici vtensilia ministerij, ex vasis, quæ dicuntur fuisse Salomonis, sexaginta pretiosissimi calices, quindecim patenæ, viginti capsæ Euangeliorum. *

19 Opponet quis, si Apostoli ex patina sumpserunt fragmenta, non ergo suis manibus Christus eos communicauit; cum tamen Ecclesia in hymno illo celeberrimo canat,

Cibum turbæ duodenæ
Sedat suis manibus.

Et in altero,

Corpus Dominicum datum discipulis,
Sic totum omnibus, quod totum singulis,
Eius fatemur manibus.

Respondeo, ratum, verumq; esse, quod canit Ecclesia, quatenus Christus suis manibus dedit patinam continentẽ suũ corpus; cuius benedictionem manibus Iudæ fuisse receptam, scribit S. Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi 13. Illuminatorũ. Si hæc interpretatio duriuscula videatur, expediet vitare nimiam curiositatem in istis perquirendis. Quã ob causam prętermisi discutere, num Christus in benedictione panis adhibuerit non tantùm verba, sed etiam signum crucis? vt existimat Salmerõ suprà pag. 98. & post ipsum Scortia suprà n. 7. Nũ item cultro, vel manu panem fregerit? De quo S. Thomas in 3. Dist. 21. q. 2. ar. 4. quæstiuncula 1. ad 3. vbi inquit, Christum habuisse *specialem modum frangendi, quia, vt dicitur, sua fractio erat similis incisioni cultelli.*

Christus suscepit sub Sacramento suum corpus, & sanguinem.

20 QVARTO obseruo, Christum in cœna sumpsisse suum corpus, & sanguinem. Ita Albertus Magnus, Alensis, S. Thomas, reliquique Theologi tam veteres, quàm moderni, si excipias innominatos quosdam, qui apud S. Thomam q. 81. art. 1. negarunt; & ex hæreticis Lutherum, qui apud Clichtouæum L. 2. de Officio Missæ C. 21. inficiatus etiam est. Affert S. Tho-

S. Thomas in argumento *Sed contrà*, authoritatem S. Hieronymi, qui Epistola ad Hedibiam 150. quæst. 2. inquit, *Nec Moyses dedit nobis panem verum, sed Dominus Iesus, ipse conuiua, & conuiuium, ipse comedens, & qui comeditur.* Referuntur hæc verba in C. *Nec Moyses* 87. de Consecratione Dist. 2. intelligūturq; ab Authore Glossæ non secus, ac à S. Thoma, quanquam S. Hieronymus expresè nō dicat, Christum fuisse conuiuium sui ipsius, comedisseq; se ipsum; potuitq; Christus vocari conuiua, & comedens, quatenus in cœna siue legali, siue vsuali manducarit cum Apostolis, & in cœna mystica fuerit conuiniū, & id, quod ab Apostolis comestum sit. Sed vt Sancti Hieronymi verba significent aliquid admiratione dignum, continensq; grande miraculum, expedit interpretari ea in sensu, quo sunt accepta à S. Thoma. Et in eodem sensu dixit idem Maximꝰ Doctor ad C. 11. Osee, nomine Christi, *Dedi eis esum corporis mei, ipse cibus, & conuiua.* Item S. Bernardus in Serm. qui ei adscribitur, de Cœna Domini; *Christus in cœna illa munerans, & munus, cibans, & cibus, conuiua, & conuiuium, offerens, & oblatio.* Insuper Angelicus Præceptor, canitque ex illo Ecclesia,

Se nascens dedit socium,
Conuescens in edulium.

Similiter quidam commendati ab eodē S. Doctore q. 81. art. 1. & in Opusculo 60. de Christi humanitate dixerunt metricè,

Rex sedet in cœna
Turba cinctus duodena.
Se tenet in manibus,
Se cibat ipse cibus.

21 Probat verò S. Doctor, *quia Christus ea, quæ ab alijs obseruanda instituit, ipse primitus obseruauit:: Vnde & primò ipse corpus suum, & sanguinem sumpsit, & posteà discipulis sumendū tradidit.* S. Ioannes Chrysostomus Homilia 83. in Matthæum adducit aliam rationē, inquiēs, *Ipse quoque bibit ex eo,* (nempe ex calice consecrato) *ne, auditis verbis illis, dicerent: quid igitur sanguinem bibimus, & carnem comedimus? ac ideo perturbarentur. Nam & quādo priùs de his verba fecit, multi solummodò propter verba scandalum passi sunt. Ne igitur tunc id quoque accideret, primus ipse hoc fecit, vt tranquillo animo ad communicationem mysteriorum induceret.* Sic Os aureum. Sunt & aliæ rationes. Decet enim, vt qui alios ad conuiuium, vel ad cœnam vocat, conuiuat simul, vel cœnet cum eis. Decebat etiam, vt Sacramentum Eucharistiæ reciperetur aliquando cum dispositione sibi adæquata, quam solus Christus potuit habere. Præterea conueniens id fuit *tum ad commendandam excellentiam huius Sacramenti,* prærogatiuamque inter reliqua nouæ legis, nullum enim aliud fuit à Christo susceptum; *tum quia hoc Sacramentum est memoriale suæ Passionis, in qua Christus est Sacerdos, & hostia,* vt ait S. Thomas q. 84. art. 7. ad 4. Ideo autem Christus suscepit hoc Sacramentum, & non alia, quia effectus proprij aliorum Sacramētorum repugnabant dignitati Christi; fuit tamen capax effectus proprij Sacramenti Eucharistici, qui est excitare charitatem, lætificare spiritualiter; & istū effectum, quanquam sine augmēto gratiæ, percepit Christus, vt docet S. Thomas q. 81. art. 1. ad 3. Vnde communicauit Christus spiritualiter. Et licet sumptio à Christo facta caruisset omni effectu, nō obstaret id, quominus spiritualis fuisset, nam vt sumptio Eucharistiæ sit spiritualis, sufficit, quòd dignè, sanctèque fiat cum perfecta spirituali dispositione tā habituali, quàm actuali. Communicauit etiam sacramentaliter Christus, siquidem verè, ac realiter manducauerit Eucharistiam cum intentione sumendi eam. Quòd verò Christus comprehenderit omnia mysteria contenta in Eucharistiæ Sacramēto, non apparet, cur debeat obesse sumptioni eius sacramentali. Addendum hic est, etsi Christus posset recipere effectꝰ aliorum Sacramentorum, non decuisse, vt susciperet talia Sacramenta, quia sūt extrinseca, & à Ministro extrinseco; nō decuit autem Christum perfici ab extrinseco. Ast in sumptione Sacramenti Eucharistici non est vlla indecentia respectu Christi, quia quoad actum secundum perficitur Christus à se ipso conficiente, & ministrante sibi Sacramentū, in quo continetur, & operatur per se ipsum, & per accidentia sibi affixa.

22 Adest & alia ratio ad existimandum, quòd Christus sumpserit corpus suum, & sanguinem, quippe in vltima cœna confecit verum, proprium, & reale Sacrificium sui corporis, & sanguinis sub speciebus panis, & vini. Atqui

qui sacrificans debet particeps esse Sacrificij, vtpote quod constituatur, vel integretur, perficiaturque substantialiter per huiusmodi participationem, seu sumptionem. Vt enim ait Concilium Toletanum 12. C. 5. memoraturq; C. *Relatum est nobis* 11. de Consecratione Dist. 2. *Quale erit Sacrificium, cui nec ipse sacrificans particeps esse dignoscitur?* Mosq; fuit omnium gentium, vt de sacrificatis ederent Sacerdotes, simulque, aut post ipsos alij, vti videre est in Salmerone tomo. 9. Tract. 29. pag. 280. in Scortia L. 1. C. 3. n. 8. Legatur Caput 10. Epistolæ 1. ad Corinthios à V. 16. ibique Cornelius à Lapide n. 61. Proqustu aliquo eius moris satisfit, refricasse memoriam carminum Virgilij L. 8. Æneidos, vbi post peractum Euandri iussu Sacrificium,

Tunc lecti iuuenes certatim, æraque Saeerdos
Viscera tosta ferunt taurorũ, onerantq; canistris
Dona laboratæ Cereris, Baechumque ministrant,
Vescitur Æneas simul, & Troiana iuuentus
Perpetui tergo bouis, & lustralibus extis.

23 Sed contra hanc rationem facit, tum quòd in Sacrificio holocausti, eoque potissimo veteris legis, nihil sumebat Sacerdos; neque item in Sacrificio pro peccato ipsius Sacerdotis, vel totius populi. Tum quòd Melchisedech obtulit verum Sacrificium panis, & vini, prætulitque figuram, & imaginem Sacerdotij Christi, & Sacrificij in cœna ab eo oblati: Scriptura autem in C. 14. Geneseos, (vbi, & non alibi loquitur de pane, & vino sacrificatis à Melchisedech) neutiquã tradit, hũc sumpsisse panem, & vinum; videturq; neque Abrahamum, neque milites ipsũ sumpsisse, quandoquidem paulò anteà abundè comedissent, vt constat ex V. 24. Cap. eiusdem 14. Vlteriùs facit contra rationem proximè redditam, quòd Christus vt verus Sacerdos obtulit in cruce Sacrificium cruentum sui corporis; consumptio autem huius Sacrificij non est facta à Christo, sed à crucifixoribus. Cæterùm in Disputatione præcedenti attigimus has obiectiones, & ex ibi dictis poterit lector facilè colligere, num ratio, contra quam afferuntur, censenda sit demonstratiua, vel tantùm probabilis, similisque vere.

24 Accedit expensis rationibus authoritas Patrum Ecclesiæ, qui apud Thomam Vualdensem C. 43. de Sacramentalibus, Vualterium de triplici cœna Christi C. 11. cœnæ 3. Suarium in Commentario q. 81. art. 1. & in D. 75. sect. 2. V. *Sexta, & vltima actio,* & apud Scortiam L. 1. C. 5. n. 2. dicunt non pauci numero, neq; ambigui verbis, Christum in cœna communicasse se ipsum. Consonatque Glossa Ordinaria in C. 3. Ruth, allegaturque à S. Thoma q. 81. art. 1. in Corp. Qui ad 1. monet, cum Euangelistæ narrant, Christum accepisse panem, & calicem, intelligi debere, vt non tantùm manibus, sed etiam ore acceperit. Verùmtamen Ecclesia in Canone Missæ interpretatur Euangelistas de acceptione panis, & calicis in manibus; Christusque ipse inuitans Apostolos distinxit acceptionem in manib⁹, & in ore; dixit enim, *Accipite, & manducate, Accipite, & bibite.* Idem Angelicus Doctor ad 3. cum Eusebio Emeseno Homilia 5. de Paschate exponit de nouo mysterio noui Testamenti, quod Christus tradebat discipulis, verba illa eiusdem Christi apud Lucam C. 22. V. 15. *Desiderio desideraui hoc Pascha manducare vobiscum, antequàm patiar.* Nec desunt alij Patres, vt Tertullianus L. 4. contra Marcionem C. 40. Chrysostom⁹ Homilia 83. in Matthæum, Hieronymus in C. 26. Matthæi, qui eodem modo exponant. Sed quia sunt etiam multi, qui de Paschate tantùm legali explicent, ideo ex verbis illis non desumitur argumentum, quod conuincat, vt neq; ex illis alijs apud eundem Lucam V. 18. *Dico enim vobis, quòd non bibam de generatio vitis, donec regnum Dei veniat.* Sunt namque plures Patres, & Interpretes, qui non intelligunt de speciebus consecratis vini, sed de vino in cœna legali. Inter quos Interpretes eminent Maldonatus ad C. 26. Matthæi V. 29. Franciscus Lucas, & Cornelius. Tandẽ Theodoretus adductus in Glossa Ordinaria suprà vtitur verbis Pauli ad Hebræos 2. V. 14. *Quia ergo pueri communicarunt carni, & sanguini, & ipse* (nempe Christus) *similiter participauit eisdem.* Sed sensum Pauli esse longè diuersum, comperiet prorsùs, quisquis cõtextui attenderit, quippe Apostolus loquatur de participatione

patione carnis, & sanguinis per assumptionem humanę naturæ.

25 Quare quòd Christus cum Apostolis sumpserit suum corpus, & sanguinem, non constat ex Scriptura, neque certa traditione, aut definitione; quanquam à nobis meritò affirmetur ob satis probabilia fundamenta petita ex Euangelijs, ob authoritatem Patrum, ac Theologorum, & ob rationũ congruitatem. Nec de gestis Christi in cœna vltima negare prorsùs licet quicquid litteris sacris non fuerit consignatum. Exemplo inter alia sit aquæ cum vino mixtio tacita ab Euangelistis; cũ tamen, vt ait Concilium Florentinum in Decreto Eugenij §. *Tertium* est, credatur Christus in vino, aqua permixto, consecrasse.

Num Deipara Virgo nocte postremæ cœnæ particeps fuerit Eucharistiæ?

26 PRO quinta obseruatione Metaphrastes in Oratione de vita, & dormitione Deiparæ apud Surium 15. Augusti pag. 687. scribit; *Ea ratione videntur, ne abfuisse quidem à tẽpore mysteriorum mulieres, quæ solebant sequi Iesum, & ministrare ei; sed cum duodecim quidem minimè accubuisse, fuisse tamen eius domus consequenter participes. Nã discipulos quidem, cum mysteria, & humilitatis summæ traderet doctrinam, vnà habuit accumbentes; matrem autem iussit curam gerere mulierum, quæ ministrabant, tanquã per eam ipsas benignè accipiens, & adimplẽs officium humanitatis, & simul cum eis vescens, & sic pro ministerio eis referens gratiã.* Hactenus Metaphrastes. Cum igitur Deipara Virgo agnum Paschalem ederit in eisdem ædibus, quanquam discretis cœnaculis, eodemque tempore, ac Christus, quidni ad cœnę tam vulgaris, quàm mysticæ fercula, atque pocula fuerit admissa? Amalarius Fortunatus Episcopus Treuerensis L. 3. de Ecclesiasticis Officijs C. 22. inquit; *Multos discipulos Christi doctrina habebat, de quibꝰ erant illi 120. qui die Pentecostes simul inuẽti sunt in vna domo. De quibus erat Ioseph ab Arimathia, discipulus Iesu occultus propter metum Iudæorum, & ipse baiulator aquæ, qui susceperit eum in cœnaculo suo, cui dominus mandauit, dicit tibi Magister. Hi deniq; siue essent corporali positione in cœnaculo, quando Dominus cœnauit, seu non forent, tamen eius obsequio non deerant; sicut is non defuit, qui strauit cœnaculum magnum.* Ita Amalarius; iuxta quem probabile est, vltrà Christum, & Apostolos adfuisse alios, siue vt simul cœnarent, siue vt famularentur. Et inter tunc præsentes refert Martialem cum Cleopha Beatus Aurelianus Episcopus Lemouicensis in eiusdem S. Martialis vita. Hippolytus Thebanus in Chronico cõceptis verbis tradit, Christum dignatum esse diuina corporis, & sanguinis sui communione Nicodemum vnà cum Apostolis. Præterea à Maldonatus ad C. 26. Matthæi V. 21. trahit ex Euthymio, nõ solos discipulos, sed etiã nonnullos alios, quanuis ab Euangelistis non nominatos, discubuisse cũ Christo. Ego tamen in Euthymio inuenio sola hæc verba ad præcitatum Matthęi Caput; *Apparet, quòd fidelis hic paterfamilias* (ad quem pro Paschate parando missi sunt duo discipuli) *siue diuina reuelatione, siue corporali Saluatoris colloquutione, nouerat, quòd apud se facturus erat ille Pascha; & ideo ad susceptionem præparatum habebat cœnaculum.* Quibus in verbis minimè affirmat, quod Maldonatus præsumit. Sed quicquid sit de Euthymio, videbitur alicui, patremfamilias non defuisse in conuiuio illo, præsertim cum dixerit Christꝰ Matthæi C. 26. V. 18. *Apud te facio Pascha cum discipulis meis.* Et incredibile cẽseatur, exclusum fuisse à cœna patremfamilias, hominem alioqui nobilem, & diuitem; cuius in domo propria peragebatur. Quippe comitas Christi videatur fore, vt id non pateretur. Si igitur præter Christum, & Apostolos alij comederunt agnum Paschalem, totiq; cœnæ interfuerunt; cur negetur, Deiparam adfuisse, & suscepisse Eucharistiam? Affirmant itaque Marcus Vigerius Cardinalis, & Didacus Vega, laudatisq; ipsis, Vualterius in triplici cœna Christi C. 11. cœnę 3. Barradas tomo 4. in Euangelia L. 1. C. 17. Granadus tomo 5. Controuersiarum Tractu 10. D. 12. n. 3. Sherlogus in Cantica Volumine 3. Vestigatione 37. n. 20. Antonius Escobar Volumine 3. in Euãgelia Sanctorum L. 3. sect. 2. §. 4. rursùsque in Obseruatione 1. Christophorus

rus Vega in Theologia Mariana, Palæstra 21. Certamine 2. n. 1479. Certamine 5. n. 1487. cum Hieremia Drexelio, Leander Tract. 7. de Sacramentis D. 11. q. 34.

27 Vualterius verò ex Cardinali Vigerio sequentes proponit rationes: Christus vehementer expetiuit, manducare Pascha cum discipulis suis, porrigereque eis suum corpus, & sanguinem. Ergo & Diuæ Matri, à qua plus habuit, quàm quiuis alius filius, & ex cuius vnius purissimo sanguine conceptus fuit; & à qua vt corpus, & sanguinem habuit, ita æquum fuit, vt ei vicissim redderet. Insuper cum amorē matri debeat natus, exhibueritq; præstantissimè Christus, non videtur alia in re magis, quàm in communione sui corporis, & sanguinis potuisse. Rursùs si Adam, ne contristaret Euam, comedit pomum, quod illa suasit. Quidni Christus participem fecerit amatissimam matrē Eucharisticæ cœnæ, ne in dolore maneret? Quid? quod mutuus amor inter filium, atque parentem, & vt hæc adiam iam imminentes illius cruciatus spectandos, & sustinendos nouum acciperet robur, videtur suadere cibi, potusque Cœlestis partitionem cum ipsa. Denique cum Sanctissima Virgo frequēter, imò & quotidie post filij resurrectionem susceperit Eucharistiam, vt religiosè meditantur Albertus Magnus in Mariali de laudibus Virginis super *Missus est* C. 68. & 73. Amadeus Franciscanus Raptu 8. sue Apocalypsis, probatque satis luculenter Christophorus Vega in Certamine illo 5. videtur incæpisse quantocyùs potuit, nimirùm vt primùm instituta est Eucharistia: sic enim satisfieret ingentissimæ auiditati, deuotionique feruentissimæ suscipiendi eam.

28 Sanè quòd Deipara (vt meam interponam censuram) cum alijs mulieribus sectatricibus Christi excepta sit hospitio, & & celebrauerit Pascha in ea ipsa domo, in qua filius, satis habet fundamenti, asseriturq; à Christophoro Castrensi in eius Historia C. 16. n. 6. quin expressè dicat, refectā fuisse Eucharistia, etsi à nonnullis ex Authoribꝰ modernis prælaudatis id illi attribuatur. Deinde quòd cum Christo, & Apostolis non fuerit conuiua in mensa, in qua est peracta triplex cœna, scilicet legalis, vulgaris, & mystica, tum exprimit Simeon Metaphrastes; tum de cœna præsertim secunda, & tertia, quàm apertè significant Euangelistæ Matthæus, Marcus, & Lucas, siquidem sępe, & signanter inculcant, accubuisse Christum cū duodecim Apostolis; quo dicendi modo denotant, neminem aliū fuisse admissum ad mensam; & qui interfuerunt, inaugurati sunt Sacerdotes per illa verba, *Hoc facite in meam commemorationem.* Diuæ autem Matris sexum non decebat Sacerdotium. Digna sunt, quæ hic exscribantur Thomæ Vualdēsis Theologi inprimis perillustris verba tomo de Sacramentalibus C. 43. n. 5. Inquit itaque, *Ergo instituit eos Christus Pontifex, vt iam dixit Origines, Sacerdotes perfectos, vt eo participarent sanguinis Sacramento, quod aliàs facerent, & præ alijs, quia Sacramentū Passionis eius præ alijs memorarent, scilicet septuaginta discipulis, aut sanctis mulieribus, quorum tunc nullus adfuit, sed Apostoli soli.* Præsentanda etiam sunt verba Ioannis de Ragusio insignis itidem Theologi in Oratione ad Concilium Basileense adducta à Bzouio in Annalibus Ecclesiasticis anno 1433. in cuius numero 137. legitur, *Si huiusmodi communio sub vtraque specie fuisset de necessitate salutis, nequaquam matrem, aliosq; vtriusque sexus charos, qui ipsum Dominum ex corporis, & mentis sensibus sequebantur, à prædicta communione excluſissent: quod tamen videtur feciſſe, cum exceptis duodecim, vt dictum est, non legantur dictæ cœnæ interfuisse.* Hactenus Ragusinus. Et hinc infertur, neque dominum domus, in quā Christus deuertit, neque vllum alium, præter Apostolos, discubuisse cū Christo ad cœnam vulgarem, & ad mysticā; vt vt sit, an alij seruitij de causa præsentes fuerint in triclinio, quando Christꝰ consecrauit; verisimileque est Ioanni Fabro L. 3. de Missa Euangelica C. 5. perplures ceu ministros, vel discipulos adstitisse ibi. Sed quid de cœna legali? Abulensis in C. 20. Matthæi q. 45. Iacobus Gordonus ad idem C. V. 20. Adamus Contzen ibidem V. 18. q. 1. §. 2. existimant, non fuisse in vna domo immolandum, & comedendum, nisi vnum agnum; atque adeò dicunt Gordonus, & Contzen, Christum cum Apostolis, & cum patrefamilias, cæterisque domesticis edisse agnum, posteàque se recepisse in conclaue, cœnasseque cum so-

lis

lis Apostolis. Cæterùm Cornelius a Lapide C. 12. Exodi V. 3. Bonfrerius inibi maiori cum probabilitate censent, potuisse vna domo plures agnos mactari, & consumi, non quidem ab ipsis, qui erant eiusdem, sed diuersæ familiæ, & contubernij, eos enim, qui aliunde vndique magno numero confluebāt, necesse erat alicubi in aliorum patrumfamilias domibus comedere, & ad hoc pro aliunde aduentantibus plures agni, & cœnacula in Ciuium Ierosolymitanorum ædi apparabantur: atque ita ait Bonfrerius, Christum suum Pascha haud dubiè seperatim cum discipulis comedisse, patrefamilias domus cum alijs familiaribus alibi comedente. Etsi autem Christus per nuncios dixerit patrifamilias, *Apud te facio Pascha*; ast non, *Tecum facio Pascha*, vt ponderat Raynaudus in L. de Optimæ vitæ fine pessimo C. 9. n. 3. Quare significauit Christus, domi eius, & non cum eo, sed cum Apostolis celebrandum à se Pascha. Eratq; Christus paterfamilias respectu cœtus Apostolici, & dominus domus erat etiam paterfamilias respectu suorum; singulæque familiæ singulos agnos immolare, & edere tenebantur, vt colligitur ex V. 3. C. 12. Exodi. Poterantque fœminæ comedere de eo; sed non constare, quòd fuerint obligatæ, admonet Bōfrerius V. 4. inquiens, vt liberum ipsis erat comparere Ierosolymis, vel abesse, ita comedere, & non comedere. Demū quòd Deipara Virgo admissa tunc sit ad participationem Eucharistiæ, cogitatur piè quidem; sed ingenuè fateor, desiderari à me fundamentum in Ecclesiæ Patribus, iam quando Euangelistæ nec verbo attingunt. Et rogo, num, post refectos Apostolos, Eucharistia sit delata à Petro, vel ab alio Collega ad Virginem in gynæceo manentem; num potiùs Virgo vocata sit ad cœnaculum? Quorum primum dicitur à Barrada, Granado, Leandro; & secundum ab Escobar: verorque, ne vtrumuis gratis confictū iudicetur in seuerioris Theologiæ tribunali. Erit qui, si Deipara communicauit, censeat, æquum fuisse, vt ante Apostolos. Rogo etiam, an susceperit Eucharistiam sub speciebus tantùm panis, vel insuper sub speciebus vini? Et vtrùm sequaces aliæ mulieres deuotæ donatę sint sacra synaxi? Quapropter satius est, nostram ignorantiam fateri, quàm temerè quidpiā definire sub specie pietatis.

Num Christus sit Iudæ impertitus corpus, sanguinemque suum?

29 OBSERVO sextò, esse valde dubitabile, an corpus, sanguinemque suum dederit Christus Iudæ, necne? Fundamenta affirmātis partis sunt. Primum, Matthæi C. 26. V. 20. & 26. Marci C. 14. V. 18. & 22. dicitur Christus discubuisse cum duodecim Apostolis, & cœnantibus illis accepisse panem, & vinum, instituisseque Sacramentum Eucharisticum. Secundò, Marcus ibidem V. 23. ait, omnes ex calice bibisse. Tertiò, Lucas C. 22. V. 21 post Christi verba, *Hic est calix*, &c. refert immediatè hæc alia, *Verumtamen ecce manus tradentis me mecū est in mensa*. Quartò, Iudas fuit Sacerdos, & Episcopus iuxta Psalm. 108. *Et Episcopatum eius accipiat alter*, quòd Petrus Actor. 1. V. 20. exponit de Iuda: Christus autem Sacerdotio, & Episcopatu non initiauit Apostolos, nisi quando dixit, *Hoc facite in meam commemorationem*. Quintò, Ecclesia canit,

Cibum turbæ duodenæ
Se dat suis manibus.

Rursùs,

Turbæ fratrum duodenæ
Datum non ambigitur.

Sextò, Eugenius Papa pronunciat, *Nec Christus Iudam à communione remouit.* Ita in C. *Si Sacerdos de Officio Iud. ord.* Videndus etiam S. Augustinus C. *Christus quid fecit* 1. q. 1. C. *Et Sancta* 66. de Consecratione Dist. 2. Septimò, *cum Christus nobis debuerit esse exemplum iustitiæ, non fuisse conueniens eius magisterio, vt Iudam occultum peccatorem sine accusatore, & euidenti probatione ab aliorum communione separaret, ne per hoc daretur exemplum Prælatis Ecclesiæ similia faciendi, & ipse Iudas exasperatus inde sumeret occasionem peccandi*, vt arguit S. Thomas q. 81. art. 2. in Corp. Octauò, Prateolus in Elencho hæresum L. 9. n. 30. ex Staphylo inquit, *Scariothistæ sunt, qui negant, à Iuda Iscariothe verum corpus Domini acceptū in cœna Domini.* Eademque videtur esse censura Thomæ Beuxamis in Homilia 10. de Passione. Nonò, quia hæc est com-

communis Patrum, & Interpretum Scripturæ sacræ, & Theologorum opinio apud Riberam in C. 13. Ioannis V. 2. Ioannem Fernandez in Thesauro Scripturarum diuinarum, verbo *Buccella* n. 4. Benedictum Pereyram in C. 13. Ioannis D. 27. & tribus sequentibus. Suarium D. 41. sect. 3. Vazquium D. 217. C. 2. Vnde Didacus Tapia q. 9. de Eucharistia art. 2. dixit, insolens fore, ac temerarium recedere à Patribus quoad communionem Iudæ: & Nuño Cabezudo 3. p. q. 81. art. 2. fore nunc temporis temerarium, quoniam omnes Doctores Scholastici tenent sententiam S. Thomæ.

30 Sed vt opponamus

Signa, pares aquilas, & pila minantia pilis,

fundamenta partis negantis sunt. Primum, Iudas *cum accepisset buccellã, exiuit continuò*, vt narrat Ioannes C. 13. V. 30. Tò autem *Continuò* ob proprietatem verbi excludit moram quamcumque. Et Syrus legit, *In eodem momento.* Ergo exiuit Iudas, quin Eucharistiam sumpserit, nam illa buccella nec fuit Eucharistia, neque post hanc à Christo institutam, & distributam fuit suscepta à Iuda. Non fuisse Eucharistiam, docuit Iulius Papa 1. C. *Cum omne crimen* 7. de Cons. Dist. 2. Concilium Bracarense 3. C. 2. Theophilus Patriarcha Antiochenus L. 4. in Euangelia. Petrus Damianus in Epist. 64. S. Laurentius Iustinianus L. de Christi triumphali agone C. 5. S. Augustinus Tract. 62. in Ioannem, & ex ipso Hildebertus Cœnomanensis latè in Epist. 64. necnon idem S. Augustinus Tract. 66. in Ioannem. L. 1. de adulterinis coniugijs C. 27. Sermone (si eius est) 28. ad Fratres in Eremo; tametsi Tract. 6. & 26. in Ioannem, L. 5. de baptismo contra Donatistas C. 8. (referturque C. *Et Sancta* 66. C. *Sicut Iudas* 68. de Cons. D. 2.) videatur significare contrarium, vt & S. Cyrillus Alexandrinus L. 9. in Ioannem C. 16. ac 19. S. Cyprianus, S. Anastasius Sinaita, S. Chrysostomus, Paschasius Rathbertus, Sedulius recensi ab Vualterio C. 6. cœnæ 3. Petrus Abaelardus Serm. 11. in Passione Domini: dubiusque maneat Origines Tract. 32. in Ioannem. Sed certè cum Christus porrexerit singulariter Iudæ buccellam, & vt detegeret eius proditionem, infertur manifestè exinde, non præbuisse in buccella Eucharistiam. Neque hanc vocasset Christus simpliciter panem intinctum; neq; Apostoli simpliciter dicerentur bibisse; nam buccella intincta editur tantùm, non bibitur; neq; decebat, quòd Christus intingeret Eucharistiam. Vnde Angelicus Doctor 3. p. q. 81, art. 2. ad 3. ait, sine dubio Iudam sub pane intincto corpus Christi non sumpsisse, sed simplicem panem. Videantur Innocentius 3. L. 4. de Mysterio sacro altaris C. 13. Simon Cassianus L. 13. de gestis Domini Saluatoris C. 18. Hugo Victorinus de Sacramentis fidei L. 2. p. 8. C. 4. Salmeron tomo 9. in Euangelia Tract. 10. pag. 80. Vazquez D. 217. C. 3. n. 15. Rursùs non fuisse à Iuda acceptam buccellam post institutam, & distributam à Christo Eucharistiam, sed ante, probatur, quia tunc videtur Christus exhibuisse buccellam Iudæ, quando dixit, Matthæi C. 26. V. 23. *Qui intingit mecum manum in paropside, hic me tradet*, & Marci C. 14. V. 20. *Vnus ex duodecim, qui intingit mecum manum in catino, tradet me*: Christus autem id dixit ante confectionem, & distributionem Eucharistiæ, prout referunt Matthæus, atque Marcus; & vt tradit Ioannes C. 13. proximè post pedum lotionem (quæ antecessit institutionem, & porrectionem Eucharistiæ ex communi Patrum, & Interpretum consensu, etsi ex Euangelistis non possit apertè ostendi) dixit Christus V. 21. *Vnus ex vobis tradet me*; & vt Christus aperiret Ioanni, quisnam esset, dedit Iudæ buccellam intinctam. Quapropter colligitur ex Ioanne, verbisq; Christi apud ipsum (si conferantur cum alijs apud Matthæum, & Marcũ) fuisse præstitam buccellam Iudæ ante cœnã mysticam. Adhæc: Christus, *postquàm cœnauit*, vt aiunt Lucas C. 22. V. 20. & Paulus 1. ad Corinthios C. 11. V. 25 qui loqui videntur de cœna vsuali, vt & Ecclesia, quando canit,

Post agnum typicum, expletis epulis.

Christus, inquam, instituit, & distribuit Eucharistiam. Ast non est credibile, ipsum redijsse iterùm ad cœnam, intinxisseque buccellam in paropside, vt porrigeret Iudæ. Legantur Cardinalis Baronius tomo 1. Annalium Ecclesiasticorum, anno Christi 34. n. 63. Vazquez suprà à n. 18. Simon Cassianus suprà. Hoc primum fundamentum

iactum

iactum iam olim fuit, & satis quidem altè à Ruperto Lib. 7. in Ioannem ad Cap. 6. Vers. 72. Lib. 11. ad Cap. 13. Vers. 27. Lib. 10. in Matthæum ad Cap. 26. Vers. 20. Volumine quatuor Euangeliorum Cap. 23. magisque breuiter fuit firmatum ab Innocentio III. suprà.

31 Secundum sit, immediatè post calicis consecrationem, & propinationem narratam à Matthæo Cap. 26. leguntur hæc Christi verba, *Dico autem vobis, non bibam amodò de hoc genimine vitis vsq; in diem illum, cum illud bibam vobiscum nouum in regno Patris mei*: quibus ex verbis Sanctus Hilarius conficit argumentum non spernendum, dum inquit Canone 30. in Matthæum, *Posquæ Iudas proditor indicatur, sine quo Pascha, accepto calice, & fracto pane, conficitur, dignus enim æternorum Sacramentorum non fuerat; nam discessisse statim benè intelligitur, quòd cum turbis reuersus ostenditur. Neque sanè bibere cum eo poterat, qui non erat bibiturus in regno, cum vniuersos tunc bibentes ex vitis istius fructu bibituros secum posteà polliceatur*. Sic Sanctus Hilarius, à quo tanto Doctore sine ambagibus discedit Sanctus Thomas suprà in Corpo. artic. primi. Et hinc disce, non insimulare perfrictæ frontis Theologum, qui, dimissis fucatis interpretationibus, recedat nonnunquam ab aliquo Ecclesiæ Patre, quantumcumque celebri. Premit idem argumentum Innocentius III. suprà. Tertium sit, Christus inuitauit generaliter omnes Apostolos præsentes ad comedendum, & bibendum species consecratas panis, & vini, dixit enim, *Accipite, & comedite, Accipite, & bibite*, vt produnt Euangelistæ: si autem Iudas adesset tunc, sequeretur, inuitatum à Christo fuisse ad communicandum in peccato mortali proditionis, quæ non latebat Christum; proindeque fieret, hunc induxisse illum ad indignam Sacramenti receptionem, & cooperatum fuisse illius sacrilegio. Quæ sequela abhorrentissima est. Et quanuis Suarez Disp. 67. sect. 1. Vers. *Tertio sequitur*, alijque conentur, expedire se ab hac sequela, aliqualem semper difficultatem mouet; videturque, fuisse magis è charitate, & benignitate Christi, sic se gessisse in Eucharistiæ dispensatione, vt quo tempore Apostolos fecit corporis sui, & sanguinis participes, abfuerit sceleſtus Iudas, quem, indignè manducando, atque bibendo, sciebat manducaturum sibi, & bibiturum mortem. Quartum sit, si Iudas interfuisset institutioni, distributionique Eucharistiæ, necnon solemni illi sermoni, quem ad discipulos habuit Iesus, non dixisset ijs sine vlla exceptione, *Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur*, Lucæ Cap. 22. Versic. 19. *Hic est calix nouum testamentum in sanguine meo, qui pro vobis fundetur*, Lucæ Cap. eodem, Vers. 20. neque item dixisset sine vlla exceptione, *Vos estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis, & ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum, vt edatis, & bibatis super mensam meam in regno meo, & sedeatis super thronos iudicantes duodecim tribus Israel*, Lucæ Cap. eodem, à Versic. 20. Cur enim non adiunxisset Christus exceptionem, sicut quando dixit, præsente Iuda, *Et vos mundi estis, sed non omnes*, Ioannis Cap. 13. Versic. 10. *Si hæc scitis, beati eritis, si feceritis ea. Non de omnibus vobis dico. Ego scio, quos elegerim*, Ioannis Cap. eodem, V. 17. & 18. Hunc in modum argumentantur Innocentius, & Rupertus suprà.

32 Quintum desumitur ex ordine ipso, & serie gestorum à Christo. Discubuit initio cum duodecim Apostolis, vt testantur Matthæus Cap. 26. Versic. 20. Marcus Cap. 14. Versic. 17. & 18. Lucas Cap. 22. Vers. 14. & siue discumbens propriè, siue sedens, siue stans (sunt enim varia Interpretum Scripturæ sacræ iudicia circa situm, quem vel ex lege, vel ex more oportuit habere) peregit agni cœnam, quam vt præpararet, præmiserat Petrum, & Ioannem. Posteà exorsus est cœnam vulgarem, sumpsitque alios cibos, quos edere licitum, solitumque erat, consumpto iam agno. Ad finem propè cœnæ ordinariè surrexit, vtpotè qui anteà recumbebat, & lauit discipulorum suorum pedes: quibus lotis, accubuit rursus mensæ, causamque reddidit sui facti, & inter loquendum, *Turbatus est spiritu, & protestatus est, & dixit, Amen,*

men, amen dico vobis, quia vnus ex vobis tradet me, vt habetur apud Ioannem Cap. 13. V. 21. Manserat in mensa portio aliqua ciborum, ad quos Christus, & Apostoli redierunt; tunc Iudæ dedit Christus buccellam intinctam. Et huc spectant, quę leguntur in Matthęo ex V. 20. vsque ad 25. inclusiuè, Marco ex V. 18. vsq; ad 21. Lucæ ex Vers. 21. vsque ad 23. & is solus per recapitulationem est loquutus. Accepta buccella, exiuit Iudas *continuò*, vt ait Ioannes Vers. 30. Tunc autem dixit Christus, quæ continentur in Vers. 31. & 32. Inde processit ad institutionem, distributionemque Eucharistiæ, præteritam silentio à Ioanne, sed narratam à Matthæo ex Vers. 26. vsque ad 29. inclusiuè, à Marco ex Vers. 22. vsque ad 25. à Luca ex Vers. 14. vsque ad 20. Incępitque dicens, *Desiderio desideraui, hoc Pascha manducare vobiscum, &c.* Post distributionem Eucharistiæ, gratiasque Deo actas, & hymnum recitatum, vel cantatum subsequuta est contentio discipulorum memorata à Luca ex Vers. 24. Sedauit eam Christus, dedítque mandatum nouum, de quo Ioannes à Vers. 33. vsque ad 35. inclusiuè. Prædixit negationem Petri, vt refertur à Matthæo ex Vers. 30. vsque ad 35. à Marco ex Vers. 26. vsque ad 31. à Luca ex Vers. 31. vsque ad 38. à Ioanne ex vers. 36. vsque ad 38. Habuit longum ad discipulos sermonem, & ad Patrem orationem, de quibus Ioannes CC. 14. 15. 16. & 17. Quibus finitis, egressus est Christus è cœnaculo. Et hic est gestorum, dictorumque à Christo ordo in cœna postrema contextus accuratè ex quatuor Euangelijs. Cui nihil videtur obstare, nisi verba Lucæ ex Vers. 21. vsque ad 23. Sed Lucam sicut præoccupatione vsum esse Vers. 17. & 18. plerique fatentur; ita ex Vers. 21. vsque ad 23. vsum esse recapitulatione, dicitur per quã accommodè. Qui verò hanc in Luca figuram, passim certè in Oraculis sacris obuiam, detrectãt, conijciunt se in labyrinthos multis viarum anfractibus inflexos; dumque absque ea vnum Euangelistam loquutum conantur, impediunt, velint, nolint, aliorum in suis narrationibus regium cursum. Et quidem, vt notant Innocentius, Rupertus suprà, Zacharias Chrysopolitanus in vnum ex quatuor Lib. 4. (narrans Cap. 155. cum Tatiano in Harmonia Euangelica exitum Iudæ ante cœnam Eucharisticam, quam describit C. 156.) Salmeron suprà pag. 89. aut Lucas per figuram recapitulationis loquutus fuit; aut alij Euangelistæ per anticipationis, quia videlicet id, quod post institutionem Sacramenti narrat Lucas dictum, referant alij ante; aut affirmandum est, bis idem fuisse à Christo dictum, & ante, & post; quod nec necessarium, nec verisimile videtur. Cum ergo aut anticipatio in alijs sit constituenda, vt conueniant cum Luca, aut recapitulatio in solo Luca, vt concordet cum alijs: hoc postremum videtur multò probabilius. Primò quidem, quia idem est, *Ecce manus tradentis me, mecum est in mensa*, Lucæ Cap. 22. Vers. 21. ac dicere, *Qui intingit mecum manum in paropside, in catino, hic me tradet*, Matthæi Cap. 26. Vers. 23. Marci Cap. 14. Vers. 20. Deinde in Luca, & alijs prioribus duobus Euangelistis Matthęo, & Marco eadem verba sequuntur, nempè, *Et quidem filius hominis, secundùm quod definitum est, vadit, verumtamen væ homini illi, per quem tradetur*, vt cogamur, confiteri eadem esse verba, quæ præcedunt hæc. Tertiò, rationi magis accedit, vnum reduci ad duos, vel tres per figuram recapitulationis, quàm duos, vel tres ad vnum, ponendo in illis figuram præoccupationis. Hactenus ferè ex eruditissimo Salmerone. Et verò, vt obseruat Innocentius suprà, sæpe fit in Scriptura sacra, vt quod priùs factum fuerat, posteriùs enarretur, sicut Matthæus commemorat biduo ante Pascha alabastrum vnguenti, quod, secundùm Ioannem, ante sex dies Paschæ mulier effudit in domo Simonis leprosi. Præterea in Geneseos Cap. 2. Vers. 8. dicitur, *Plantauerat autem Dominus Deus paradisum voluptatis à principio, in quem posuit hominem, quem formauerat*, statimque sequitur, *Produxit Dominus Deus omne lignum pulchrum visu, & ad vescendum suaue, lignum etiam vitæ in medio paradisi, lignumque scientiæ boni, & mali.* Quo recapitulationis exemplo vtitur Rupertus ad rem hanc, didicitque illud ex Sancto Augustino Lib. 3. de Doctrina Christia-

Christiana Cap. 36. vbi affert duo alia, & ex Ticonio præscribit hanc regulam in obscuritatem Scripturarum satis ditis diligenter inuentam. Nempe, *Dicuntur quædam, quasi sequantur in ordine temporis, vel rerum continuatione narrentur, cum ad priora, quæ præmissa fuerant, latenter narratio reuocetur.* De hac regula Salmeron tomo 1. Prologomeno 12. à pag. 229. Martinus Cantapetrensis L. 5. Hypotyposeon C. 1. Lib. 10. Reg. 14. diffusè valde.

33 Sextum accipitur ex authoritate Patrum. Nam Sanctus Clemens Romanus Lib. 5. Apostolicarum Constitutionum Cap. 13. scribit, *Cum autem tradidisset nobis antitypa mysteria pretiosi corporis, & sanguinis sui, absente Iuda, egressus est in montem Olineti.* Respondent aliqui, verba illa, *Absente Iuda*, referenda esse non ad verbum, *Tradidisset*, sed ad verbum, *Egressus est*; atque adeo sensum esse, quod exierit Christus in montem Olineti, absente Iuda, non vero, quòd tradiderit mysteria. Cæterùm explicationem hanc non habere locum, constat ex dictis anteà à Sancto Clemente, *Ac quinta feria* (sic Sanctus Pontifex) *cum comedissemus apud eum Pascha, & ille* (nempe Iudas) *manum intinxisset in catino, & panem accepisset, egressusque esset nocte, dixit nobis Dominus; venit hora, vt dispergamini, & me solum relinquatis: & cum vnusquisque eorum assseueraret, se non esse relicturum, cumque ego Petrus, cum eo etiam me esse moriturum promitterem, dixit, Amen dico tibi, priusquàm gallus cantet, ter negabis, nosse me. Cum autem tradidisset nobis antitypa mysteria, &c.* Non igitur de Sancti Clementis mente dubitare potest, nisi qui eum non legerit. Subscribit illi noster Franciscus Turrianus, vir apprimè doctus, in annotationibus.

34 Sanctus Dionysius Areopagita Cap. 3. de Ecclesiastica Hierarchia, Contemplatione 3. §. 1. ex versione nostri Balthasaris Corderij, inquit, *Ipsemet symbolorum author iure meritissimo exortem facit eum, qui neque sanctè, neque animo concordi sacram secum cœnam frequentarat; docens simul sanctè, Deoque consentaneè synceri ad diuina animi accessionem, similitudinis quoque diuinæ participes efficere sic accedentes.* Ad quæ verba Ioachimus Perionius apud Vualterium infrà habet hæc, * Ex ijs, quæ sequuntur, rectè aliquis dicat, Christum, posteaquam à cœna Iudas surrexisset, discipulis tradidisse Sacramentũ. * Et paulò post, * Notandũ etiam, eum quoque à Domino participem factum esse mystici panis, & calicis; mysteria autem, siue Sacramenta data esse discipulis, cum à cœna Iudas, vt illis indignus, surrexisset. * Sanctus Maximus similiter in Scholijs, * Ex sequentibus autem rectè quis inferat, Christum post Iudæ à cœna egressionem discipulis suis mysterium tradidisse. * Et statim, * Vbi nota, eriã ipsum (Iudam) mystici panis, ac calicis Participem fuisse; mysteria vero discipulis data esse, post Iudæ, qui illis indignus erat, à cœna egressionem. * Gregorius Pachymeras interpretans etiam Sanctum Dionysium ait, * Cum ipsi (id est, Iudæ) mysticum panem, calicemque tradidisset, mysteria solis discipulis tradidit, postquàm Iudas, quòd ijs indignus esset, à cœna surrexisset. Vt quid itaque Iudam exortem facit diuinorum mysteriorum, cum tamen vnà cœnarit? Vt ostenderet, non satis esse, corporaliter tantùm adesse, ac concœnare (neque enim hoc perinde est ad communionem) sed secũdùm mentẽ adesse oportet, quoniã illa, quæ secundũ habitũ quasi ex scientia fit accessio, vera est, id est, vt quis animo sic constitutus sit, vt per fidem ex affectu accedat, quod veram facit communionem: quod vtique Iudæ deerat, tametsi corpore præsens erat, atque vnà cœnabat. * Tantum Pachymeras; qui, & duo alij Interpretes nomine cœnæ mysticæ, panis, & calicis mystici significant agnum legalem, & cibum, potumque vsualem, quorum particeps fuit Iudas; sed mysteriorum voce Eucharistiam denotant, cuius institutioni, & distributioni non fuerit præsens ille. Non me latet, afferri Sanctum Dionysium à Sancto Thoma suprà, art. 1. in Corp. & ab alijs communiter pro altera sententia. Sensus saltem est ambiguus.

35 Theophylactus in Matthæi Cap. & Vers. 26. non improbat, quod quidam dicunt, egresso Iuda, Christum tradidisse Sacramentum alijs

discipulis. Subditque, *Proinde & nos sic facere debemus, & malos à Sacramentis abarcere.* Rursus in Marcum Cap. 14. Vers. 22. admonet, *Quidam dicunt, Iudam non fuisse participem Sacramentorum, sed egressum esse, priusquàm Dominus Sacramenta traderet. Alij autem dicunt, quòd etiam ingratus illi sacrosancta dederit.* Idem in priori loco refert, fuisse, qui dicerent, *Iudam accepisse panem, & non comedisse, sed occultasse, vt monstraret Iudæis, quod panem corpus suum vocaret Iesus: poculum autem inuitus bibit, cum non posset occultare. Propterea hoc loco dicebat Christus, Bibite omnes.* Huc fortè an respexit Balsamon ad 3. responsum Timothei Alexādrini inquiēs, Iudam reuelasse Iudæis mysterium. Origenes etiam Tract. 32. in Ioannem dubius hæret, num Iudas comederit Eucharistiam sub specie panis. Præterea Victor Antiochenus ad Cap. 14. Marci consentit Theophylacto in non imitatione illa, & ait, *Sunt tamen, qui Iudam ante porrectum Eucharistiæ Sacramentum exiuisse existiment. Sanè Ioannes quiddam eiusmodi subindicare videtur. Dicunt hi, nequaquam decuisse, vt cædis Christi minister salutaris communionis symbolum acciperet. Addunt ijdem, Christum æquanimiter cætera omnia toleraſſe: hoc verò tantum piaculum neutiquam permittere.* Zacharias Chrysopolitanus, sequutus Tatianum in Harmonia Euangelica, narrat in loco prædicto discessum Iudæ ante cœnam Eucharisticam, vt & Petrus Manducator, in Historia Euangelica Cap. 151. Vnus, & alter reddunt rationem suę narrationis; sed primus in Cap. 156. concludit, *Verum tamen quia simul potuerunt fieri, quæ simul dici non possunt, ordo huius libri nihil repugnat existimantibus, Dominum distribuisse Sacramentum corporis, & sanguinis sui, antequàm per bucellam intinctam suum exprimeret proditorem.* Secundus in C. 152. *Quòd autem ante traditionem Eucharistiæ diximus Iudam exiuisse, videntur contradicere Lucæ, qui, post calicem, traditorem commemorat. Sed fortè Lucas de traditione recapitulat. Hilarius autem super Matthæum probat, Iudam non interfuisse, tunc enim bibentes calicem, secum dixit Iesus bibituros in regno Patris, ad quod Iudas indignus erat. Etiam bibentium nullum excipiens ait, Qui pro vobis effunditur; in alijs autem excepit dicens, pro multis. Dici tamen potest, Iudam accepisse Eucharistiam, & dictum ab Hilario facilè determinari.* Gerardus Zutphanensis de reformatione virium animæ Cap. 27. relinquit sub dubio, num Iudas susceperit corpus Domini. Petrus Abaelardus suprà non omnino firmus circa eam loquitur. Lodulfus de Saxonia in secunda parte vitę Christi Cap. 55. & 56. exitum Iudæ ante Eucharistiam describit. Dedimus suprà verba Sancti Hilarij; designauimus etiam loca Innocentij, & Ruperti, in quibus fauent. Ex Doctoribus nostræ ętati vicinioribus adstipulātur Franciscus Turrianus, vt iam diximus, Barradas tomo 4. in Euangelia Lib. 3. Cap. 3. Ioannes Vualterius de triplici Cœna Christi ex Cap. 6. Cœnæ 3. vsque ad decimum. Franciscus Mendoza in Lib. 1. Regum Cap. 6. Vers. 21. annot. 23. sect. 1. num. 21. Hieronymus Columbus Lib. 4. de Hierarchia Angelica, & Humana Cap. 18. num. 5. Cap. 58. num. 3. Basilius Legionensis Disput. de Agno Typico Cap. 32. §. 4. Salmeron autem suprà pag. 94. pronunciat, vtramque sententiam habere magnam probabilitatem; quam etiam agnoscunt Lorinus in Psalm. 40. ad Vers. 10. Fagundez Lib. 1. in 3. præceptum Ecclesiæ Cap. 2. num. 15. Raynaudus in optimæ vitæ fine pessimo Cap. 9. ex numero 28. vsque ad 31. laudans, sed non bona fide Hildebertum, Cœnomanensem Epistola 64. pro negante. Adijcitque Salmeron, *Et meo quidem iudicio plus ponderis, & neruorum habent, quæ pro secunda sententia confirmanda produximus*, id est, pro inficiante, susceptam fuisse à Iuda Eucharistiam. *Nihil tamen volo magis esse assertum, quàm quod Scripturæ, & Patrum testimonia, atque adeò rationes ipsæ euincere videantur.* Sic Sapientissimus Salmeron, postquàm perattentè librauit momenta authoritatis, & rationis partis vtriusque. Maldonatus in Cap. 26. Matthæi Vers. 20. fatur sic, *Hæc argumenta, quæ pro Iudæ non communione adducuntur, ita mouent me, vt facilè hanc opinionem probaturus essem, nisi contraria plures habere Authores, & magis vulgò probata esset.*

36 Vt verò negantis opinionis plus eluceat probabilitas, tentare opor-

oportet satisfactionem ad fundamenta affirmantis. Ad primum, discubuisse quidem initio Christum cum duodecim discipulis, sed non constare ex Matthæo, & Marco, omnes illos ad vnum perseueraſſe, quousque Christus instituerit, & porrexerit Eucharistiam, nam inter cœnæ legalis principium, quando Christus dicitur discubuisse cum duodecim, & confectionem, distributionemque Eucharistiæ excurrit multum temporis, multæque actiones sunt exhibitæ; finita est enim cœna legalis, facta est lotio pedum, inchoata est cœna vsualis, inceptusque est à Christo non breuis sermo. Ad secundum, non dici à Marco omnes duodecim bibisse ex calice, sed tantùm omnes, videlicet, qui aderant, siue essent duodecim, siue vndecim. Ad tertium obuiàm itum est in quinto fundamento opinionis negantis. Ad quartum, nomine Episcopatus intelligi ibi Apostolatum, Præfecturam, vt declarant ibidem Lorinus, Cornelius, Sanctius. Quanuis verò intelligeretur Ordo sacer Episcopalis; non qui habitus fuisset à Iuda, sed ad quem, vocatus erat, & quem mox consequeretur, nisi defecisset. Negari tamen nequit, Sanctũ Leonem Papam sermone 16. de Passione, Nicephorum L. 1. Ecclesiasticę historię Cap. 30. dicere de Iuda, fuisse mysterijs consecratum, & initiatum; appellarique Episcopum à S. Ambrosio in serm. 50.

37 Ad quintum posset responderi, carmina illa fuisse composita à Sancto Thoma, qui contrariam sentẽtiam amplexus est. Etsi autem Ecclesia vsurpet eos versus, non ideo debet reijci vt improbabile, quidquid ipsis minus consonet. Nam etiam Ecclesia ex S. Ambrosio canit,

Immense Cœli conditor,
Qui mixta ne confunderent,
Aquæ fluenta dirimens,
Cœlum dedisti limitem
Firmans locum Cœlestibus
Simulque terræ riuulis:
Vt vnda flammas temperet,
Terræ solum ne dissipent.

Vbi adstruitur (vti expendit studiosè Ascanius Martinengus in Glossa magna litterali ad Cap. 1. Geneseos pagina 652.) existentia aquarum naturalium suprà firmamentum, eam ob causam, vt temperent æstum, coloremque syderum. Et tamen improbabile haud quaquam est, constitutas non esse aquas suprà firmamentum; & quanuis ibi maneant, sed non ad moderandum ardorem astrorum, quę alioqui Cœlum ipsum, terramve exurerent, sicuti opinati sunt Sanctus Basilius, Sanctus Ambrosius, Claudius Marius Victorinus, Procopius, Beda exarati ab Ascanio, & subscripti suprà pag. 662. & 663. Omitto alia exempla. Vide, si lubet, Suarium tomo 3. in 3. par. Disp. 83. sect. 1. Vers. *Quocirca*. Posset etiam dici ex Vualterio suprà C. 11. numerum illum turbæ duodenæ intelligi, & compleri computando Christum. Sed congruentiùs, & suauiùs respondebitur, dici Eucharistiam datam turbæ duodenæ, quia Apostoli fuerunt duodecim, licet illam non impertierit Christus nisi vndecim. Sic dicuntur Decemuiri conuenire in Senatum, tametsi vnus, aut alter absit. Sic etiam 1. ad Corinthios Cap. 15. Vers. 5. Paulus iuxta Græcam lectionem ait, Christum visum duodecim Apostolis, cum tamen non essent nisi vndecim eo tempore ante electionem Matthæi in Apostolum; imò non constat, Christum visum ab vndecim, nam forte Thomas non erat præsens. Vnde Cornelius explicans verba Pauli, *Visus est Cephæ, & post hoc vndecim*, iuxta vulgatam editionem Latinam, inquit, * In octaua Paschæ, præsente iam Thoma, Christus apparuit vndecim Apostolis, nam duodecimus Iudas iam se suspenderat. Vel potiùs vndecim, id est, toti Apostolorum Collegio, quod iam erat redactum ad vndecim (licet vnus Thomas abesset) apparuit Christus ipsa die Paschæ, siue resurrectionis Christi. * Ita Cornelius. Quo ferè modo interpretantur plures Lucam Cap. 24. V. 33. dicentem de duobus discipulis redeuntibus Emmaunte, *Et surgentes eadem hora regressi sunt in Ierusalem, & inuenerunt congregatos vndecim.* Quæ vox *Vndecim* exponi solet, vt non denoret in rigore numerum personarum, sed per synecdochen, vel appropriationem significet Collegium Apostolorum, quod tunc ex vndecim coalescebat, & poterat dici, adesse, vbi maior pars

præsens erat, tametsi abesset Thomas, vt putant, qui sic interpretantur apud Suarium tomo 2. in 3. p. D. 49. sect. 4. V. *Secunda difficultas.* Præterea Ioannis Cap. 30. Vers. 24. dicitur *Thomas vnus ex duodecim*, tametsi iam non essent nisi vndecim: quo numero vocantur Matthæi Cap. 28. Vers. 16. Marci C. 16. V. 14. Lucæ Cap. 24. Vers. 9. Vers. 33. Actorum Cap. 1. Vers. 26. Demum Marcus Cap. 14. Vers. 17. ait, *Vespere autem facto, venit cum duodecim*, & tamen non videntur fuisse nisi precisè decem, nam duo, videlicet Petrus, & Ioannes, iam præcesserant missi ad præparanda necessaria pro celebrando Paschate: quos reuersos iam fuisse, peracto suo ministerio, asserit Augustinus Torniellus in Annalibus Testamēti veteris, anno mū di 4080. num. 12. sed omnino gratis, & ad effugium difficultatis. Satius est, per duodecim intelligere Collegium Apostolorum, etsi duo paulò anteà venissent, vt Cornelius ad C. 26. Matthæi V. 20. interpretatur.

38 Ad sextum, in ea ratione, quam reddit Papa Eugenius in fine Decretalis, non fegessisse vt Pontificem definiendo ipsam ex cathedra, sed vt priuatum Doctorem, vtendo ea tanquam valde probabili. Ita respondent Turrianus, & Salmeron. Ita etiam Vazquez suprà Cap. 3. num. 32. nam etsi is iudicet, Christum non remouisse Iudam à communione, censet nihilominus, hunc iam fuisse publicum peccatorem, quando ei ab illo data est Eucharistia. Quoad S. August. relatum Cap. *Christus quid fecit*, Cap. *Et sancta* negari non potest stare pro contraria sententia tum ibi, tum in multis alijs locis: *Sed si causa postulauerit, vt in quæstionem veniat, vtrùm Iudas adhuc in illa hora cum discipulis fuerit, an anteiam exierit? Quis horum magis audiendus, vel sequendus erit? Is vtique, cui magis opitulatur ratio sumpta de textu Euangelicæ narrationis. Soli namque sunt Prophetæ, & Apostoli, quorum de Scripturis in aliquo dubitare nefarium sit.* Quæ sunt verba Rupertis suprà. Ad septimum, in primis Christum non separasse Iudam à communione, sed expectasse, vt vltrò ipse discederet, priusquàm conficeretur Eucharistia, & diuideretur inter alios Apostolos. Deinde peccatum Iudæ non fuisse occultum, sed publicum apud Apostolos. Nam Christus lauando pedes eorum dixit, Ioannis 13. Vers. 10. *Et vos mundi estis, sed non omnes.* Et Matthæi 26. Vers. 23. dixit, *Qui intingit mecum manum in paropside, hic me tradet*; interroganteque Iuda Vers. 25. *Numquid ego sum Rabbi?* ait illi, *Tu dixisti.* Tertiò etsi apud Apostolos fuisset occultum peccatum Iudæ, tamen apud Iudæos, cum quibus conuenerat de vendendo Christo, fuisse publicum, euidentia facti paulò post peruenturi ad Apostolorum notitiam. Quando autem peccatum alicuius, maximè si constet, non esse emendatum, est hoc modo publicum, petit religio Sacramenti, vt non admittatur talis homo ad communionem cum alijs, etsi eius peccatum ignorent, præsertim si possit, non admitti, sine turbatione, & scandalo. Et hæc est sententia multorum Theologorum cum Suario Disp. 67. sect. 5. Vers. *Dico tertiò*; quam nomine Barradę memoratam appellat immeritò Fagundez suprà dubium creditu. Quartò licitum Christo fuisse, non admittere ad cōmunionem Iudam occultum peccatorem, habebat enim Christus dominium famæ Iudæ. Nec in Christo militant rationes, ob quas nobis non licet denegare Sacramentum occulto peccatori petenti publicè illud. Responsio hæc non magis est arbitraria, quàm tradita à Vazquio suprà num. 31. quòd scilicet Christo fas fuerit exhibere Eucharistiam peccatori publico, tametsi nefas cuiuis alteri Sacerdoti fuisset. Ad octauum, Staphyli, Prateoli, & Beuxamis censuram Raynaudo suprà videri non modò nimis seueram, sed etiam penè ridiculam, nisi loquantur contra eos, qui inficiantur, contineri in Eucharistia, vel à peccatoribus recipi verum Christi corpus; atque adeò hoc non fuisse acceptum à Iuda, etsi ad illam cum cæteris Apostolis fuisset admissus. Ad nonum, esse quidem communiorem sententiam alteram; sed destitutam non esse hanc authoritate veterum Patrum, & nouiorum Doctorum, habereque magnum præsidium in Scriptura sacra; nec facere certum locum, argumentumve Theologicum multorum S.S. Patrum numerum, si alij, etsi pauciores, reclament. Quibus omnibus consideratis, concludo, posse vnam, & alteram

teram ad cuiusque libitum defendi; quin nouitatis, aut temeritatis notam vllam mereatur, qui neget, Iudam fuisse Eucharistia impertitum.

Dederitne Christus corpus suum passibile, vel impassibile?

39 OBSERVO septimò, Christū discipulis tradidisse corpus suum passibile ex se, & mortale, quale tunc in specie propria erat; quanquam ratione modi, quo existit in Sacramento, dederit immortale, & impassibile ab agentibus naturalibus extrinsecis. Ita S. Thomas q. 81. art. 1. in arg. *Sed contrà*, allegans Innocentius III. L. 4. de Mysterio sacro altaris C. 12. Vbi tamen non improbat, quòd Christus assumserit dotem impassibilitatis, cum manducaretur in cœna. Pro qua sententia Angelicus Doctor in Corp. art. refert Hugonem de S. Victore ex L. 2. de Sacramentis parte 2. C. 3. & ex Eruditionis Theologicæ Summa Sententiarū Tract. 6. C. 9. rursùsque ex Ecclesiæ speculo C. 7. Consonant cum Hugone Algerus L. 1. C. 9 de Sacramento corporis, & sanguinis Domini, Sancta Hildegardis, etsi non omnino clarè, in Epist. ad Prælatos Moguntinenses, Author Glossæ Ordinarię ad C. 17. Matthæi V. 2. & ad C. 2. Leuitici V. 5. Sed dissonat in 1. ad Corinthios 11. §. *Nota, quòd corpus*, vt & Iuo Carnotensis in Epist. 284. ad Haymericum, Beatus Laurentius Iustinianus in Serm. de Eucharistia, Cardinalis Hugo in locum illum ad Corinthios, Petrus Lombardus 4. Sententiarum Dist. 11. S. Bonauētura, ibi, parte, art. & q. 2. Alexander Alensis 4. parte Summæ q. 11. membro 2. art. 1. §. 3. Albertus Magnus de Eucharistia Dist. 3. Tract. 1. C. & n. 6. Dist. 6. Tract. & C. 2. n. 14. item in 4. Sen. Dist. 12. a. 13. Richardus de Mediauilla in 4. Dist. 11. art. & q. 4. S. Antoninus 3. parte Summæ Theologicæ tit. 13. C. 5. §. 15. Raynerius Pisanus in Pantheologia verbo *Eucharistia* C. 45. Iacobus Vitriacensis Serm. de Feria 5. in cœna Domini ex Euangelio iuxta Ioannem, alijque Theologi antiqui, & recentes passim. Sed quanquam tunc exhibitum fuerit à Christo corpus passibile, & mortale ex se, nunc tamen præberi impassibile, & immortale in se factum per dotem gloriæ, & non tantùm ratione modi existendi in Sacramento, certius est, quàm vt in controuersiam debuerit vocari à Græcis, anno 1199. imperante Alexio Comneno, vt prodit memoriæ Nicetas Choniates in eodem Alexio L. 3. Et cum Abrahamus Bzouius transcribat eo anno Nicetam, omisit notare, quinam rectè, vel obliquè sentirent.

SECTIO IIII.

De Tempore, quo Christus instituit hoc Sacrificium.

DISQVISITIONES TRES.

40 CONSTAT ex C. 12. Exodi, 20. Leuitici. 28. Numerorū. lex à Deo data Iudæis de Paschate agendo ad vesperam decimæ quartæ Lunaris diei mensis Nisan, qui erat primus anni apud ipsos, & qui partim respondet anni nostri Solaris mensi Martio, partim Aprili. Quærimus igitur primò.

An Christus instituerit Sacrificium hoc, anticipando celebrationem Paschatis?

ID est, an confecerit Sacrificium sui corporis, & sanguinis post agni Paschalis esum die decimotertio, vel potiùs decimo quarto iuxta præscriptum legis? Sunt pro anticipatione hæc argumenta. Primum, Ioannis C. 13. narrantur, quæ proximè post cœnam Paschalem gesta sunt à Christo, scilicet lotio pedum, &c. At Ioannes initio eius Capitis inquit, *Ante diem festum Paschæ*, &c. Ergo Christus edit agnum ante diem festum Paschæ lege præfixum, & obseruatum à reliquis Iudæis. Secundùm, Ioannis C. 18. V. 28, dici-

dicitur, *Adducunt ergo Iesum à Caipha in prætorium. Erat autem mane. Et ipsi non introierunt in prætorium, vt non contaminarentur, sed vt manducarent Pascha.* Cum igitur die sequenti post peractum à Christo Pascha adductus sit ipse, & tũc Pontifices, & Pharisæi continuerint se ab ingressu in prætorium, vt ad manducandum Pascha puri, illibatique manerent, infertur, Christum in celebratione Paschatis præuenisse Pontifices, ac Pharisæos. Tertium, Christus fecit Pascha pridie, quàm pateretur. Est autem passus, & mortuus, vt scribitur Ioannis C. 19. V. 14. 31. & 42. *in Parasceue Paschæ*, quando præparabantur necessaria ad Paschatis solemnitatem. Quartum, immolatio agni Paschalis figura erat mortis Christi. Ergo vt veritas respondeat figuræ, conueniens fuit, Christum mori, quo die agnus Paschalis mactabatur à singulis familijs, qui dies debebat esse decimus quartus. Quare siquidem Christus pridie, quàm obiret, immolauit agnum, pridie etiã, quàm alij, dedit Paschati operam. Et ita mordicùs defensant Euthymius in C. 26. Matthæi, Theophylactus in C. 18. Ioannis, Nicephorus L. 1. Hist. Eccles. C. 18. Georgius Cedrenus in Compendio Hist. pag. 144 n. 82. multique alij Græci posteriores, exinde inferentes, Christum confecisse, instituisseque Sacramentum Eucharistiæ in pane fermentato, & non in azymo, nã ante diem decimum quartum non incipiebat azymi panis vsus, qui durabat per septem dies. Atque ita etiam censet Petrus Abaelardus Sermone 11. de Passione Domini; vt taceam Centuriatores Magdeburgenses, Martinum Kemnitium, Ioannemque Caluinum, memoratos iam à Bellarmino L. 4. de Euch. C. 7. Et videtur primitiua Ecclesia fuisse in hac persuasione, nam Alexander I. Papa, vt post Martinum Polonum in Chronico ad annum Christi 132. refert Platina, oblationem ex azymo, non autem ex fermentato, vt anteà, fieri mandauit, quia hoc modo purior haberetur, & Ebionitis Hæreticis calumniandi occasio auferretur. Consentiunt narrationi Radulphus Tũgrensis Decanus de Canonum obseruãtia propos. 23. Nauclerus Volumine 2. generatione 4. Polydorus Virgilius L. 5. de rerum Inuentoribus C. 10. Vnde mirandum est, Bellarminum suprà C. 9. Suarium D. 44. sect. 3. Vazquiũ D. 174. C. 1. dixisse, notitiam hãc non haberi ex vllo historico. Circumfertur alia inter Theologos priscos, quæ videri etiam posset fauere Græcis quoad continuationẽ saltem panis fermẽtati. Nam vt ait Claudius Sainctes Repetitione 10. de Euch. C. 4. Leo Papa, teste Richardo Victorino, ad extirpandam hæresim Ebionitarum, qui dicebant, simul cum Euangelio legalia obseruanda, decreuit, ne deinceps ex azymo, sed ex fermentato pane corpus Domini conficeretur. Non inuenitur in Richardo id, quod ex eius testimonio tradit Saincteſius. Sed ex ipsius Leonis Papæ scribit Albertus Magnus in 4. Sẽtent. Dist. 12. art. 9. antiquitus totam Ecclesiam propter insultationem Iudæorum statuisse confici in fermẽtato, ne iudaizare videremur. Habent eadẽ ferè Alensis 4. parte Summæ q. 10. membro 4 art. 1. §. 3. Raynerius Pisanus in Pantheologia verbo *Eucharistia* C. 8. S. Bonauentura in 4. Dist. 11. parte, & art. 2. q. 1. §. *Ad illud, quod quæritur.* Alij verò Theologi non allegant testimonium Leonis Papæ, sed affirmant, fuisse constitutũ tempore illius, vt in fermentato pane fieret consecratio. Ita Scotus in 4. Dist. 11. q. & n. 6. V. *Hoc ergo.* Richardus de Mediauilla ibi, art. 2. q. 3. ad 5. Guillelmus de Rubione q. 1. art. 1. in fine, Ioannes Bassolis in 4. Dist. 8. q. 1. art. 2. Dionysius Cistercienſis ibi, q. & art. 3. in 2. parte, dub. 3. Rursùs alij, vt S. Thomas in 4. Dist. 11. q. 2. art. 2. quæstla. 3 Durãdus ibi q. 4. n 10. Sotus Dist. 9. q. 1. art. 4. alijque cumulati ab Amico D. 16. sect. 4 n. 48. solummodò dicunt, imminente hæresi Ebionitarum factũ esse illud decretum. Recentiores Theologi iam vno, iam alio modo loquuntur, prout reperiunt in hoc, vel illo antiquiori, cui fidem præbent.

41 Nihilominus Christum non anteuertisse celebrationem Paschatis, sentiendum à nobis est. Et probatur primò, nam Matthæi 26. V. 17. *Prima pie azymorum accesserunt discipuli ad Iesum dicentes, vbi vis, paremus tibi comedere Pascha.* Marci 14. V. 12. *Primo die azymorum, quando Pascha immolabant, dicunt ei discipuli, quò, vis, eamus, & paremus tibi, vt manduces Pascha.* Lucæ

22.

22. V 7. *Venit dies azymorum, in qua necesse erat, occidi Pascha. Et misit Petrum, & Ioannem dicens, euntes parate nobis Pascha, vt manducemus.* Ex quibus trium Euangelistarum verbis perspicuumest, Christum manducasse Pascha, die prima azymorum, & quando alij solebāt, & quando necesse erat iuxta legem, nimirùm die decima quarta mensis Lunaris, vti iubebatur in præcitatis locis. Ergo Christus nō anticipauit Paschatis solemnitatem. Probatur secundò, quia Ioannis 13. V. 27. dictum est Iudæ à Christo, *Quod facis, fac citiùs.* Intellexerunt autem aliqui ex Apostolis, vt notatur in V. 29. *quia dixisset ei Iesus, eme ea, quæ opus sunt nobis ad diem festum.* Ast non potuissent prudenter suspicari id, si fuisset tunc dies decimꝰ tertius ad vesperam, nam ante festum restaret integer dies decimus quartus, atque adeò non esset opus festinatione in necessarijs pretio comparandis. Probatur tertiò, nam Ioannis 18. V. 31. Iudæi responderunt Pilato, *Nobis non licet interficere quenquam*, scilicet quia tunc erat dies festus, siquidem alio die fas ipsis erat, occidere blasphemos, vt patet ex C. 7. Actorum ad finem. Probatur quartò, quia ibidem Ioannis, V. 39. Pilatus dicit, *est autem consuetudo vobis, vt vnum dimittam vobis in Pascha. Vultis ergo, dimittam vobis Regem Iudæorum?* Refertque Matthæus C. 27. V. 15. *per diem solemnem consueuisse Præsidē populo dimittere vnum.* Et eum diem vocant festum Marcus C. 15. V. 16. Lucas C. 23. V. 17. Ergo dies, quo Barabbas est liberatus, & Christus est occisus, fuit dies Paschatis, dies solēnis, & festus, proindeque non decimus quartus, sed decimus quintus. Ergo in eo die decimo quarto Christus comedit agnum, cum ederit illum pridie, quàm è viuis excederet. Probatur quintò, nam cum Christus venerit nō soluere legem, sed adimplere, vt ipse ait C. 5. Matthæi V. 17. putandum est, seruasse eam in re tamsæpe, tamque seriò præcepta, & graui, qualis erat comestio agni die præscripta. Et alioqui minùs rectè cantaret Ecclesia Romana,

Obseruata lege plenè
Cibis in legalibus.

Conuenientsque erat, Christum ad vnguem fuisse legis obseruantissimum, ne Iudæis præberet occasionem reijciendi, & calumniandi ipsum tanquā legis transgressorem. Quòd si Christꝰ præueniisset tempus comedendi agnū, cur Iudæi, qui falsa testimonia aduersus ipsum quæsierunt, non obiecerunt manifestam hanc legis transgressionem in anticipatione? Quomodò inuenit omnia ritè disposita in domo illius hospitis, ad quē præmisit duos ex suis discipulis? Nam pro exteris aduentātibus Hierosolymam præparabanrur agni multi, cœnacula, & reliqua necessaria à Ciuibus sanctæ Vrbis, vt compertum est ex Iosepho L. 7. de Iudaico bello C. 17. notantque cum ipso Claudius Sainctes Repetitione 1. de Euch. C. 7. Luisius Turrianus in Selectis parte 1. Disp. 22. dub. 1. Ysambertus 3. p. ad q. 73. D. 4. art. 3. pag. 352. præparabanturq; agni ad certū diem, & horam ex die decima mensis Nisan, ita vt ante decimam quartam non liceret immolare eos, & comedere, vt habetur in C. 12 Exodi. Christus igitur celebrauit Pascha, die illa decima quarta ad vesperam. Atque ita tenent Patres omnes Latini, consentientibus nonnullis ex Græcis. Exinde ortum est, vt Ecclesia Latina existimet, Christum confeciisse Eucharistiam in pane azymo, nam decimus quartus dies erat azymorum primus ex septem, in quibus retinere, comedereque panem fermentatum, erat vetitum sub pœna mortis iuxta C. 12 Exodi. Subticemꝰ multa alia, quæ ad huius puncti illustrationem possent adduci; est enim operosè, & extensè discussum, elucidatumque à Patribus, ab Interpretibus Euangeliorum, & à Theologis in 4. Dist. 11. necnon in 3. p. q. 74. art. 4. Legatur vtrobique S. Thomas, Opusculo etiam 1. contra errores Grecorū in fine, L. 4. contra Gentes C. 69. S. Isidorus Hispalensis in Epist. ad Redēptum. Innocentius III L. & C. 4. de Mysterio sacro altaris, Algerus L. 2. de corp. & sang. Domini C. 10. S. Anselmus L. 3. Epist. 134. qui est Tract. de azymo, & fermentato; Comestor C. 149. Hist. Euangelicę, Gennadius Patriarcha Constantinopolitanus Expositione pro Concilio Florentino in Capitis 2. probatione tota, Manuel Caleca L. 4. contra Græcos C. vel n. 18. Barlaamus Episcopus Gyracensis in Epist.

pist. 1. de vnione Romanæ Ecclesiæ, & processione Spiritus Sancti ad amicos suos in Græcia constitutos. Humbertus Cardinalis Episcopus Syluæ candidæ in L. contra Græcos de azymo. S. Leo Papa IX. in insigni Epistola ad Michaelem Episcopum Constantinopolitanum, Gregorius Papa IX. apud Lucam Vuadingum in Annalibus Franciscanorum anno 1233. pag. 480. 492. 493. Rupertus L. 2. de Officijs diuinis C. 22. Abulēsis in C. 26. Matthęi q. 19. parte 2. Defensorij à C. 3. vsque ad 10. Sotus in 4. Dist. 9. q. 1. art. 4. Ribera in C. 23. Ioannis V. 1. Bellarminus L. 4. de Euch. C. 7. 8. & 9. Suarez tomo 2. in 3. p. D. 40. sect. 2. 3. & 4. tomo 3. D. 41. sect. 1. D. 44. S. 3. Vazquez D. 172. 173. & 174. Henricus Henriquez L. 8. Summæ C. 10. & 11. Alfōsus Castrensis L. 6. aduersus Hæreses in 2. de Euch. Petrus Arcudius de Cōcordia Ecclesiæ Occidentalis, & Orientalis in septem Sacramentorum administratione L. 3. C. 4. 5. & 6. Philippus Faber in 4. Dist. 11. D. 46. C. 2. Pesſātius in 3. p. q. 74. art. 4. D. 1. Gaspar Hurtadus D. 1. de Euch. Dif. 7. & sequentibus, D. 2. Dif. 4. Vualterius de triplici cœna Christi à C. 1. vsque ad 4. cœnæ 1. alijsque penè innumerabiles.

42 Restabat, vt responderemus ad argumenta Græcorum. Sed id magis commodè præstabimus, post duas alias disquisitiones, quas huic attexere decreuimus. Sit itaque secunda.

An, etsi Christus non anticipauerit, Iudæi tamen alij postposuerint celebrationem Paschatis?

POSTERIVS id suaderi potest primò ex Ioanne C. 13. 18. & 19. In verbis expensis pro sententia Gręcorum. Vnum enim è duobus ostēdunt, vel Christum anteuertisse Pascha ad diem decimam tertiam, vel Iudæos alios posthabuisse ad decimam quintā. Ergo cum primum reiectū sit à nobis, debemus amplecti secundum. Et sic conciliantur satis aptè, atque de facili S. Ioannes, ac cæteri tres Euangelistæ. Secundò, quia de Sabbatho succedentl immediatè ad diem, in quo Christus mortem subijt, dicitur à Ioanne C. 19. V. 31. *Erat magnus dies ille Sabbathi*; &, vt videtur, non alia de causa *magnus* appellatur, quàm quia coincidit cum eo festiuitas primæ diei azymorum, ita quidem vt incæperit huiusmodi festiuitas, comedendo agnum Paschalem cum azymis die decima quinta Lunari ad vesperam, seu hebdomadę feria sexta, cū tamen Christus die decima quarta Lunari, seu hebdomadę feria quinta, ad vesperā ederit agnum. Tertio, Ioannis C. 13. V. 27. cum dixisset Iudæ Christus, *Quod facis, fac citiùs*, quidā ex discipulis putauerunt, vt habetur V. 29. perinde esse, ac si diceret, *Eme ea, quæ opus sunt nobis ad diem festum.* Ergo quia communis dies festus azymorum in proximo, & nondum præsens erat, Quartò, Christus dixit Matthęi C. 26. V. 18. *Tempus meum prope est, apud te facio Pascha.* Quibus verbis excusare voluit, quòd ante aliorum Iudæorum tēpus operaretur Paschari. Nec Christus vocaret tempus suum, sed tempus nostrum, si idem futurum esset ipsi, & cęteris Iudæis ad celebrationem Paschatis. Quintò, iuxta Matthæum C. 27. V. 32. Marci 15. V. 21. Lucæ 23. V. 26. Simon Cyrenęus pretio conductus est, vt pro Christo crucem portaret; & Ioseph ab Arimathæa deposuit corpus Christi de cruce, condiuit aromatibus, inuoluit syndone, empta eodie, & sepeliuit, aduolutoſaxo magno ad ostium monumenti, ad quod detulit illud è Caluariæ loco, & eodem die mulieres parauerunt aromata, atque vnguenta tunc empta, vt constat ex Euangelistis. Quę opera, vtpote aut seruilia, aut laboriosa, nō erant licita in die festo. Ergo dies, quo sunt præstita, antecesſit azymorum festum diem primum; proindeq; hic incidit in decimum quintū Lunarem, & in feriam sextam hebdomadæ. Sextò, si à Iudæis celebratum sit Pascha die decima quarta Lunari, & feria quinta hebdomadæ, sequitur, ipsos Christo crucifigendo intendisse die sequenti, qui fuerit primus festus, & solemnis azymorum. Id quod incredibile fit, considerata Iudęorum religione erga diem festum, & consilio anteà dato, ne in die festo prehenderetur, & occideretur, vt in Matthæo, & Marco legitur.

legitur. Septimò, cum esset valde molestum Iudæis obseruare duos dies festos immediatè, eo quòd tunc neque cibi præparandi erant, factum est post tempora Esdræ, vt quoties dies decimus quartus Lunaris caderet in feriam quintam hebdomadæ, celebratio Paschæ transferretur in feriam sextã, atq; ita prima dies festiua azymorum subsequens concurreret cũ Sabbatho. Sic ex traditione Hebræorum referunt Rupertus L. 10. de gloria, & honore filij hominis, Paulus Burgensis in Matthæi C. 26. ex ipsorum Kalendario; & habetur etiam in L. de Solis, & Lunæ motibus, qui Gamalieli adscribitur. Octauò, Pentecoste illo anno, quo Christus decessit, incidit in diem immediatè sequentem post Sabbathum, scilicet in Dominicam, in qua Spiritus Sanctus descendit super Apostolos, vt habet cõmunis traditio Ecclesiæ, & Patrum assertio. Ergo eo anno dies secunda azymorum inciderat in diem etiam Dominicam, proindeque dies prima in Sabbathum subsequutum proximè ad ipsam, & ad hebdomadæ feriam sextã, in qua Christus est crucifixus. Quare prima dies azymorum non incæpit vespere feriæ quintæ, sed sextæ, & in hoc vespere celebratum est Pascha à Iudæis. Antecedens videtur certum. Prior Consequentiæ pars (quæ sola desiderat probationem) ostenditur, nam festum Pentecostes agebatur die quinquagesima ab azymorũ secunda, in qua manipuli offerebantur, vt docemur ex C. 23. Leuitici, & 16. Deuteronomij. Nonò, iuxta Caput istud Deuteronomij debebant manipuli offerri ea ipsa die secunda azymorum, in qua metebantur, & colligebantur. Ergo cum in Sabbatho non liceret secare illos, & colligere, fit, secundam diem azymorum incurrisse in diem subsequutam ad Sabbathum, ideoque primam incidisse in Sabbathum, & in hebdomadæ feriam sextam, in cuius priori vespere agnus comestus sit à Iudæis. Hanc sententiam tuentur Nicolaus de Lyra, Paulus Burgensis, Ioannes Hentenius, Claudius Guillaudus, Ioannes Gagneius, Onuphrius Panuinus, Ioannes Lucidus, Paulus Middelburgensis, Episcopusque Forosempronienfis, Ambrosius Catherinus, Cornelius Iansenius, & Ioãnes Maldonatus citati à Vazquio D. 172. C. 3. n. 23. Insuper Salmeron tomo 9. in Euang. Tract. 4. cum Baptista Mantuano, Ioannes Mariana in Tract. de die mortis Christi C. 18. cũ Ioanne Stosler, Callisto Placentino, Hilarione Monacho Genuensi, & Iosepho Zarlino, Iosephus Scaliger L. 6. de Emendatione temporum à pag. 567. Dionysius Petauius L. 12. de Doctrina temporum C. 15. & 16.

43 Contraria sententia arridet mihi. Primò, quia Christus Matthæi 26. V. 2. dixit, *Scitis, quia post biduum Pascha fiet.* Et Marci 14. V. 1. legitur, *Erat autem Pascha, & azyma post biduum.* Lucæ etiam 22. V. 1. *Appropinquabat autem dies festus azymorum, qui dicitur Pascha.* Quibus in locis sermo est de Pascha te ab omnibus celebrando cum enunciatio sit absoluta, & illimitata. Ast Christus post biduum illud fecit Pascha. Ergo & alij Iudæi. Secundò, Marci 14. V. 12. habetur, *Primo die azymorum, quando Pascha immolabant, dicunt ei discipuli, quò vis, eamus, & paremus tibi, vt manduces Pascha* Ergo illo die primo non solus Christus comedit Pascha, sed etiam Iudæi reliqui; alioqui non fuisset dictum absolutè, & sine restrictione, *Quando Pascha immolabant.* Tertiò, Lucas C. 22. V. 7. inquit, *Venit autem dies azymorum, in qua necesse erat, occidi Pascha.* Si venit dies azymorum. Ergo dies ille, de quo loquitur Euangelista, & qui incidit in decimum quartum Lunarem, fuit etiam primus azymorum. Rursùs si necesse erat, occidi Pascha eo die. Ergo non erat permissum altero die. Vlteriùs si absolutè necesse erat. Ergo omnes tenebantur agere Pascha eodemmet ipso die. Quartò, quia alioqui in domo patrisfamilias Ierosolymitani non fuissent agni, & azymi panes, lactucæque amaræ, inuentę præparatę cum reliquis necessarijs ad Paschatis celebrationem. Quintò, nam si hanc Christus non fecisset eodem die, quo ex traditione alij Iudæi, intendissent crimen ei de illa nõ obseruata, vel habuissent satis apparentem causam, vt calumniarentur, atque vt de singularitate fugillarent. Sexto, quia Iosephus Iudæi L. 2. Antiquitatũ C. 5. vel 13. L. 3. C. 10. vel 13. testatur, fuisse à suis obseruatũ sẽper inuiolabiliter, vt agnus mactaretur die decima quarta Lunari, & primus dies festus azymorum

rum agereretur die decima quinta Lunari. Et hæc satis pro nostra opinione: quam muniunt, exornantque Abulensis 2. p. Defensorij, præcipuè C. 8. Et ne repetam, quos allegaui in sententia præhabita ad disquisitionem primam, Adamus Contzen in C. 26. Matthæi V. 17. q. 2. & 3. Cosmas Magallanes in C. 5. Iosue, sect. 2. Annot. 18. & 19. Luisius Turrianus in Selectis parte 1. D. 22. à dub. 2. vsque ad 8. Ysambert. 3. p. ad q. 73. D. 5. art 6. Lessius ibidem q. 74. art. 4. Coninch dub. 1. & 2. Tannerus tomo. 4. D. 5. q. 1. dub. 3. q. 2. dub. 4. Martinonus tom. 4. D. 29. sect. 4. Granadus Controu. 6. de Euch. Tract. 1. D. 5. Cornelius à Lapide ad C. 26. Matthæi V. 17. Guilielmus Adanus L. 1. de Euch. C. 17. Franciscus Toletus in C. 13. Ioannis Annotatione 5. Baronius tomo 1. Annalium Eccles. anno Christi 34. ex n. 23. vsque ad 35. Pereyra in C. 13. Ioan. à D. 6. vsque ad 9. Raynaud. L. de Iuda C. 9. à n. 6. vsq; ad 11. Auersa q. 16. de Incarnat. sect. 3 Dicastillus Tract. 4. D. 1. dub. 6. Quos designasse Lectori, vt eos consulat, si velit, satis sit. Et argumentis contrariæ opinionis occurremus post tertiam disquisitionem. Quæ huiusmodi est.

Num Christus, & Iudæi alij celebrauerint Pascha in priori, vel in posteriori vespere diei decimæ quartæ Lunaris.

44 PRO priori vespere differitur primò, quia si Christus feciſſet Pascha in posteriori, fuisset quæsitus, exagitatusque ad mortem, crucifixus, & sepultus decima quinta die Lunari, primaque azymorum, proindeque die valde festiua, & solemni; cum tamen Iudæis non liceret exercere iudicia, aut sepultura quenquam afficere talibus diebus; & cum ex C. 19. Ioannis V. 14. Christus sit occisus *in Parasceue Paschæ*, nempe ante diem festum Paschatis. Secundò, nam sic melius respondet veritas figuræ, scilicet Sacrificio agni Sacrificium crucis, etiã quoad tempus. Si enim agnus typicus occisus sit, & comestus in priori vespere diei decimæ quartæ Lunaris, stat optimè, Christum in cruce fuisse immolatum eodem die circa posteriorem vesperam. Tertiò, quia cum Pascha agi deberet die decima quarta Lunæ ad vesperam, vt dicitur, iubeturque C. 12. Exodi V. 6. Numerorum 9. V. 3. nomine vesperæ in festis Iudæorum intelligi debet prior, & non posterior, initium diei, & non finis, celebrabant enim Iudæi festa sua à vespera in vesperam, vt constat ex C. 23. Leuitici V. 32. ducto origine exinde, quòd prima mundi dies incæperit à vespere iuxta illud Geneſis 1. V. 6. *Factumq; est vespere, & mane dies vnus.* Et alioqui si in secundo vespere peractum fuisset Pascha, non diceretur incidisse in diem decimum quartũ, sed in decimum quintum Lunarem, & concurrisse cum primo festo die azymorum. Quartò, nam agnus immolabatur Hierosolymis à Iudæis eadem die, & hora, qua à parentib⁹ in Ægypto fuit mactatus. Sed fuit sacrificatus die decima quarta Lunari ineunte, & non finiente. Ergo, &c. Maior est certa ex C. 12. Exodi. Minor probatur in primis ex Iosepho dicente, L. 2. Antiquitatũ C. 5. vel 13. *Apperente autem die decima quarta omnes ad iter accincti sacrificarunt, & sanguine domos lustrarunt.* Roboratur deinde, tunc enim tẽporis discesserunt Hebræi de Ægyto, quãdò egressi sunt de Rameſſe Ægypti iuxta illud Exodi C. 12. V. 37. *Profectique sunt filij Israel de Rameſse in Socoth.* Et de Rameſſe exierunt noctu, siquidẽ in illo C. 12. Exodi V. 42. dicatur, *Nox ista est obseruabilis Domini, quando eduxit eos de terra Ægypti.* Abieruntque initio noctis, seu Sole occidente, vt habetur Deuteronomij 16. V. 6. *Immolabis Phase vespere ad Solis occasum, quando egressus es de Ægypto.* Et abierunt quidẽ in fine Lunæ decimæ quartæ, inchoanteque decima quinta, vt patet ex C. 33 Numerorum V. 3. vbi legimus, *Profecti igitur de Rameſse mense primo, quintadecima die mensis primi.* Tunc sic: ergo non potuerunt ea nocte agnum immolare, & comedere. Igitur necessarium fuit, vt id præstiterint nocte proximè antecedenti, quæ fuit exordium diei decimæ quartæ. Monstratur prior Cõsequentia, quia post immolatum, & comestum agnum in propriis domibus ad occasum Solis sunt iussi, ne inde exirent tota ea nocte, in cuius medio Angelus pertransiuit interficiens primogenitos Ægypti, vt refertur C. 12. Exodi. Et post tantam stragem itineri

se dederunt *altera die Phase filij Israel in manu excelsa, videntibus cunctis Ægyptijs, & sepelientibus primogenitos, quos percusserat Dominus*, vt scribitur C. 33. Numerorum Vers. 3. & 4. Certè cum post mactationem agni acciderint, quæ diximus, & vltra hæc Hebræi insumpserint tempus in petendis, accipiendisque commodatò ab Ægyptijs vasa argentea, & aurea, ac vestem plurimam, posteàque ex omnibus terræ Gessen vicis, in quibus habitabant, conuenerint in Rameſſe, vt inde cuncti simul se conferrent in Socoth, prout ex Cap. 12. Exodi noscitur, non potuerunt non necessariæ ipsis esse viginti quatuor horæ ad tot, tantaque exequenda ante egressionem è Rameſſe in Socoth. Defensant hanc sententiam Hieronymus Oleaster in C. 23. Leuitici, Didacus Stella in C. 22. Lucæ, Christophorus Rosiniacus Commentarijs historiarum à creato Orbe, Libro de Romanorum origine, Luisius Legionensis in opusculo ad Ioannem Grialem de vtriusque agni typici, atque veri immolationis legitimo tempore (cum eã verbo accepisset à Doctore Hieronymo Muñoz Professore Hebraicæ linguæ in Academia Salmantina) Petrus Lopez de Montoya in Annotationibus ad sacrum Missæ Canonem, Basilius Pontius Legionensis in Disp. de agno typico, quã provulgauit anno 1604. & quam magis auctam posteà recudit anno 1611. videturque approbare Puteanus 3. part. quæst. 73. dub. 6. in fine, & tanquam valde probabilem agnoscit Azor noster tomo 1. Institutionum moralium L. 6. Cap. 33. quæst. 3. tomo 2. Lib. primo Cap. 6. quæst. 1. proferens verba Alensis, Sancti Bonauenturæ, Ioannis Maioris, in quibus conscios eius fuisse, & reputasse probabilem, comperitur: ex eaque Iosephus Scaliger Lib. quinto de emendatione temporum illustrat multa Euãgelistarum testimonia.

45 Ego tamen pro posteriori vespere sto, & disputo. Primò, nam Exodi Cap. 12. Versiculo 6. dicitur de agno quæsito, & comparato ex decima die, *Seruabitis eum vsque ad decimam quartam mensis huius, immolabitque eum vniuersa multitudo filiorum Israel ad vesperam*. Vbi per Tò *vesperam* denotatur finis diei decimæ quartæ, & non exordium, sicut Genesis 30. Vers. 16. *Redeuntique ad vesperam Iacob de agro egressa est in occursum eius Lia*. Exodi 18. Versiculo 14. Ecclesiastic. 18. Versiculo 26. Leuitici 11. Versiculo 27. Versiculo 28. Lib. 2. Regum 1. Versiculo 12. Psalm. 103. Versiculo 23. alibique sæpe. Et in ipso Cap. 12. Exodi Versiculo 18. dicitur, *Primo mense, quartadecima die mensis ad vesperam comedetis azyma vsque ad diem vigesimam primam eiusdem mensis ad vesperam*: quę vespera erat posterior diei septimę azymorum. Certè tam in Scriptura Sacra, quàm in communi modo loquendi omnium nationum, dum dicitur aliquid fieri, vel faciendum ad vesperam, significatur non prior, sed posterior. Secundò, Christus celebrauit Pascha primo azymorum die (scilicet inchoante, & quo etiam fiebat à Iudæis) vt constat ex Cap. 26. Matthæi, Versiculo 17 Marci Cap. 14. Versiculo 1. & 12. Lucæ Cap. 22. Versiculo 7. At si celebrasset in priori vespere decimæ quartæ Lunę, non egisset illud primo die azymorum, sed antecedenti ad primum, nam primus incipiebat cum esu agni in priori vespere Lunę decimę quintę; & vsque ad diem vigesimam primam eiusdem mensis durabat ad vesperam festiuitas azymorum. Expendantur verba Exodi Cap. 12. in cuius Versic. 8. dicitur, *Et edent carnes nocte illa* (nempè diei decimæ quartæ ad vesperam, iuxta Versic. 6.) *assas igni*. Et posteà in Versiculo 15. *Septem diebus azyma comedetis. In die primo non erit fermentum in domibus vestris. Quicumque comederit fermentum, peribit anima illa de Israel, à primo die vsque ad diem septimum, &c.* Vrgeo, quia Iosue Cap. 5. Versiculo 10. dicitur, *Manseruntque filij Israel in Galgalis, & fecerunt Phase quarta decima die mensis ad vesperum in campestribus Iericho: & comederunt de frugibus terræ die altero, azymos panes, & polentam eiusdem anni*. Vbi dies alter vocatur, qui fuit frugum, & manipulorum, & qui erat secundus azymorum. Si autem Israelitæ fecissent Pascha in priori vespere quartæ decimæ diei, & non in posteriori (ex quo incipiebat primus dies azymorum) non diceretur dies frugum, & manipulorum alter à Pascha te, sed deberet dici tertius dies. Videatur Bonfrerius ibi. Tertiò, quia alioqui, vel dies azymorum fuissent

octo, vel Christus, & Iudæi comedissent agnum cum pane fermentato, vel saltem in huiusmodi pane confecisset Eucharistiam Christus. Primum alienum est à sacris litteris, quæ solos septem dies azymorum deprædicant. Secundum est contra legem præscriptã C. 12. Exodi V. 8. Tandem tertiũ est cõtrà persuasionẽ Romanæ Ecclesiæ. Etsi verò Paschalis agnus edendus esset cum azymo pane; tamen si ex tempore, quo comedebatur, non incipiebant dies plenè, & integrè azymi, cur ad alias epulas interdictus esset fermentati panis vsus? Curve negabitur, Christum cõsecrasse in ipso? Vnde Latina Ecclesia carebit argumento, quo possit conuincere Græcos, stabilireque suam de consecratione in azymo sententiam. Petrus Lopez de Motoya significauit per litteras Luisio Legionensi difficultatem hanc, & vt ipse testatur in loco præcitato, folio (mihi) 21. rescripsit Luisius, emendatum iri à se in secunda editione, quod in prima dixerat de non plenè, & integrè die azymo, qui destinatus erat esui agni Paschalis. Sed, re infecta, concessit naturæ Vir ille sapientissimus, primariusque Academiæ Salmantinæ Interpres Bibliorum sacrorum, de quo tanto Magistro gloriatur Eximius Doctor P. Franciscus Suarez D. 41. sect. 1. V. *Confirmat.* Quarto, Christus, *celebrato veteri Paschate nouum instituit Pascha se ipsum ab Ecclesia per Sacerdotes sub signis visibilibus immolandum*, vt ait Tridentina Synodus Sess. 22. Cap. 1. Instituitque Pascha se ipsum, in qua nocte tradebatur, pridieque quàm pateretur, vt constat ex Paulo. 1. ad Corinthios 11. V. 23. ex Euangelistis, ex Romano Canone Liturgiæ, ex Clementina vnica de reliquijs, & veneratione SS. Atqui Christus passus est die decimaquinta Lunari, primaque azymorum ad vesperam secũdam, vt docent communiter Patres, & vt probatur exinde, quòd, sicut in Epistola ad Polycarpũ scribit S. Dionysius Areopagita, mortuus est in plenilunio, quod non potuit non incidere nisi in diem decimam quintam Lunarem. Ergo vespera antecedens, in qua ex præscripto legis fecit vetus Pascha, & in qua Eucharistiã confecit, fuit diei decimæ quartæ Lunaris nõ prior, sed posterior. Quinto, Hebræi iuxta C. 33 Numer. V. 3. *profecti sunt de Rameſſe mense primo, decimaquinta die mensis primi, altera die Phase.* Ergo Phase incidit in vesperam proximè præcedẽtem, nempe in secundã decimæ quartæ diei, nam si in primam, non fuissent egressi de Rameſſe die altera, sed die tertia à Phase, videlicet ab agni immolatione, quę intelligitur in verbis illis Numerorum, vtpote quæ fuerit principalis circumstantia præuia ad discessum ex Ægypto, & vt talis memoretur præ alijs ab historiographo sacro. Sextò, exitus Iudæorum de Ægypto contigit die decima quinta, proximè post noctẽ immolati agni ad vesperam diei decimę quartæ. Ergo ea vespera fuit posterior, & non prior. Consequentia est clara, de prima Antecedentis parte dubitare non licet; conuincitur secunda, quia Exodi 12. post iussam mactationem agni ad diei decimæ quartæ vesperam sermo est de nocte diei illius, & de ijs, quæ acciderunt in ipsa, cum quibus non stat, quòd Hebræi egressi sint de Ægypto, ante tempus matutinum, neque quòd post illud manserint in Ægypto, vsque ad vesperam posteriorem diei decimæ quintę. Interfecit Angelus in medio noctis primogenita Ægyptiorum; & idcirco Pharao, & Ægyptij surgentes è lectis timore perculsi ex immani suorum strage vrgebant Hebræos, vt celerrimè abirent. Fuit verò tanta horum festinatio, vt cum non possent concoquere panes, tulerint conspersam farinam, antequàm fermentaretur, & ligantes in pallijs posuerint super humeros suos, sicque se itineri versus Rameſſe tradiderint, prout præmoniti iam fuerant à Moyse; & de Rameſſe, mane primo, signoque dato contulerunt se in Soceth, videntibus cunctis Ægyptijs, & sepelientibus primogenitos, vt dicitur Numerorum Cap. 33. Vers. 3. & 4. Accedit septimò Iosephi Iudęi authoritas Lib. 3. Antiquitatum Cap. 10. vbi scribit iuxta Ruffini versionem, qua nunc vtor, ✠ Mense Xantico, qui apud nos Nisan appellatur, idest, anni principium, quarta decima Luna, Sole opposito in ariete, quo mense liberati sumus à seruitute Ægyptiorum, Sacrificium, quod tunc egredientes ex Ægypto fecerunt, immolare nos annis singulis, quod Pascha dicitur, celebrareque sanciuit. Et vtique celebramus illud per tribus nostras, nihil immolatorum in crastinum

num

num reseruantes. Quinta decima autem succedit festiuitas azymorum, &c. * Hactenus testis oculatus Iosephus, qui dicit, quintam decimam diem Lunæ, & azymorum primam successisse immediatè post vesperam immolati agni, vocatque primam azymorum illam diem, ad cuius vsque mane non remansurum erat quidpiam agni, vt habetur Cap. 12. Exodi Vers. 10. Philo etiam Iudæus in vita Mosis denotat quartam decimam diem exeuntem, cum inquit, * Eius mensis die decima quarta, sub ipsum tempus, quo Luna solet orbem suum complere lumine. * Nam plenilunium non fit, nisi finiente decimaquarta die, & inchoante decima quinta, in qua Lunæ lumen incipit decrescere. Plura in fauorem huius opinionis non minus diligenter elaborata, quàm elucubrata afferunt Franciscus Ribera Lib. 5. de templo Cap. 3. Henriquez Lib. 8. Summę Cap. 10. & 11. Barradas tomo 4. in Euangelia Lib. 1. Cap. 13. Lib. 2. Itinerarij filiorum Israel ex Ægypto in terram promissionis Cap. 22. numero 12. Marcellus Francolinus de horis Canonicis Cap. 67. num. 10. Serarius in Cap. 5. Iosue quæst. 29. Luisius Turrianus parte 1. Selectarum D. 22. dub. 9. Cornelius, & Bonfrerius in Cap. 12. Exodi Vers. 6. Suarez D. 41. sect. 1. Vazquez D. 172. à Cap. 4. Coninch 3. par. quæst. 74. art. 4. dub. 1. Salianus in Annalibus Eccles. ast. vet. Testamenti, ad annum mundi 2544. à num. 104. Torniellus eodem anno, à numero 14. Iacobus Pintus de Christo crucifixo Lib. & tit. 5. loco 2. præsertim num. 12. Lorinus Cap. 23. Leuitici V. 5. Pereyra in Cap. 12. Exodi Disp. 3. Ochagauia Tract. 1 de Euch. q. 7. n. 13. Ysambertus, Dicastillus, Lessius, Gaspar Hurtadus, Tannerus, & alij, quos in numerum reducere, esset nimiæ prolixitatis. Supereſt, vt eodemus argumenta sententiarum, à quibus recessimus in tribus disquisitionibus huius Sectionis. Id iam præstamus, sed magna cum breuitate.

***

Extricantur argumenta, quæ in præcedentibus quæstionibus vrgebant aduersus nos.

47 AD primum quęsiti primi dico, S. Ioannem Euangelistam per *diem festum Paschæ* significare vsualem, vel naturalem, qui computabatur ex media nocte, vel ex Solis ortu in alteram mediam noctem, vel in alterum Solis ortum; secus ac cæremonialis, & legalis incipiēs ex vespera, & durans in vesperam sequentem, vt notat inter alios Pereyra ad C. 1. Geneſis V. 5. Christus igitur edit agnum, lauit discipulorum pedes, confecitque Eucharistiam ante diem vsualem, vel naturalem Paschę, sed in ipso die cęremoniali, in quo alij Iudæi. Addo, non scribi à Ioanne ante Pascha, vel ante diem Paschæ; sed *ante diem festum*, nam dies festus erat decimus quintus Lunaris, & non decimus quartus, vt perspicuum est ex Cap. 12. Exodi, & ex Cap. 23. Leuitici. Ad secundum, per *Pascha*, ad cuius manducationem Scribæ, & Pharisæi simulabant, se velle manere incontaminatos, intelligi vel azymos panes, vt ait Sanctus Thomas 3. part. q. 46. art. 9. ad 1. vel (quia nusquam azymi panes vocantur Pascha, nusquamq; exprimitur necessitas munditię legalis ad eorum esum in totis septem illis diebus) intelligi diuersas ab agno Paschali victimas, quæ offerebantur, & de quibus comedebatur per illos dies non nisi à mundis, & quæ appellabantur Phase, seu Pascha, vt constat ex C. 16. Deut. V. 2. Numer. 28. à V. 16. Lib. 2. Paralip. C. 30. & 35. Lib. 3. Esdræ (qui tamen Canonicus non est) Cap. 1. Ad tertium, per *Parasceue Paschæ* denotari Paschatis diem, qui proximè præcedebat Sabbathum, & in quo præparabantur cibi ad manducandum Sabbathi die, nam in hoc fas non erat, cibos quærere, vt patet Exodi 12. 15. & 35. etsi liceret in alijs diebus etiam azymorum, vt noscitur ex eodem Cap. 12. Exodi. Hinc quod à Ioanne dicitur *Parasceue Paschæ*, vocatur à Marco Cap. 15. Vers. 42. *Parasceue ante Sabbathum*; & à Luca C. 23. V. 54. scribitur, *Et dies erat Parasceues, & Sabbathum illucescebat*. Qua-

re *Paraſceue Paſchæ* in Ioanne, & *Veſpera Paſchæ* in Eccleſię Romanæ Canonicis horis de feſto corporis Chriſti, dum ait, *Immolabit hœdum multitudo filiorum Iſrael ad veſperam Paſchæ*, idem eſt, ac paraſceue, & veſpera Sabbathi Paſchalis, ſeu occurrentis intra hebdomadā Paſchæ, & neutiquā eſt idem, ac dies præcedens ad Paſcha totum. Ad quartum, quanuis agnus Paſchalis fuerit figura Chriſti immolati cruentè in cruce, non ſemper figurę debere reſpondere figuratum, & veritatem quoad omnes circumſtantias temporis. Et neque ipſos Græcos velle, Chriſtum paſſum eſſe eadem prorſus hora, qua agnus typicus ſacrificabatur. Omitto, hunc fuiſſe etiam figuram Chriſti immolati incruentè in Euchariſtia. Vnde non minori iure poſſumus nos contendere, oportuiſſe, vt cœna Euchariſtica celebraretur à Chriſto die decima quarta Lunari ad veſperam. Illud, quod adijcitur de Eccleſiæ primæuæ vſu conſecrandi in fermentato ante Alexandum I. Papam, eſt omnino à veritate alienum, quodque fuit primò dictum à Martino Polono, homine ſimplici, & aſſueto fabellas pro hiſtorijs obtrudere; arreptumque ex illo cæcè, & ſine examine à poſterioribus alijs. Conceſſerim facilè, Alexandrū I. præcepiſſe, vt conſecratio fieret in pane azymo, non quia anteà in fermẽtato, ſed quia tantùm ex traditione, & vſu fiebat in azymo, vſq; ad ſuum tempus. Sanctus Leo IX. in Epiſtola miſſa anno 1053. ad Michaelem Cõſtantinopolitanum Patriarcham, & ad Leonem Acridanum Archiepiſcopum Bulgarorum notās ipſorum audaciam in reprehendenda Eccleſia Romana ob azymi uſum, inquit, *Ecce iam poſt mille, ac fermè viginti á Paſsione Saluatoris noſtri annos incipit per vos diſcere Romana Eccleſia, qualiter memoria Paſsionis eiuſdem ſit recolenda.* Et in alia Epiſtola data ad eundem Michaelem anno inſequenti ait, *Illud autem quis non obſtupeſcat, quòd poſt tot S S. & Orthodoxos Patres per mille, & viginti à Paſsione Saluatoris annos nouus calumniator Eccleſiæ Latinorum emerſiſti, anathematizans omnes, & publicam perſequutionem excitans, quicumque participarentur Sacramentorum ex azymis.* Innocentius etiam III. Lib. & Cap. 4. de ſacro altaris myſterio affirmat, Eccleſiam Romanam accepiſſe à SS. Apoſtolis Petro, & Paulo ritum conſecrandi in azymo, ſeruaſſeque eum inuiolabili cultu. Non igitur temerè de falſitate taxauimus narrationē illā Martini Poloni. Quid verò dicam de alia Abrahami Bzouij in Pontifice Romano C. 19? Anceps quidem ſum. Ibi enim ſcribit, * Fermentatum, ne in Euchariſtię conſecrationem veniret, propter Ebionitas reiecit. * Si repulit: ergo anteà erat in vſu. Et cur propter Ebionitas? Hi enim dicebāt, legalia omnia cum Euangelio retinenda; & proinde Alexander repudians fermentatum, & admittens azymum, videretur potiùs condeſcendere Ebionitis, quàm ab eis ſeſeparare. Vnde ſimilius vero eſt ex parte hac, quod tradunt Theologi antiqui, nempe Eccleſiam, ne videretur conſentire Ebionitis, decreuiſſe aliquando, vt in fermentato conficeretur Euchariſtia: ſed ceſſante illa hæreſi, Eccleſiam Romanam redijſſe ad priſtinum morē, & Græcam voluiſſe permanere in nouo. Quanquam quo ex authore dimanarit ad Theologos veteres notitia iſta, lateat prorſus Suarium D. 44. ſect. 3. V. *Ex his*, Vazquium D. 174. C. 1. àn. 3. Et quidem vſque ad ſæculum Eccleſiæ quintum (quo extincta iam erat ſecta Ebionitarum, quæ eruperat ſęculo ſecundo) nullus fuit Papa nomine Leo. Qui autem fuit Leo primus, & ſucceſſores eius vſque ad Leonem IX. nihil tale ſtatuerunt, vt neque ipſe Leo IX. neque poſt hunc alij vſque ad Innocentium III. Ita enim teſtantur verba Leonis, & Innocentij, in duabus Epiſtolis memoratis, & in L. ac C. 4. de myſterio ſacro altaris. Videturque incredibile, Græcos in concertationibus adeò acribus pro ſuo fermentato non oppoſuiſſe morem illum temporaneum Eccleſiæ Romanæ, ſiue vt arguerent ad homines contra Latinos, ſiue vt ſe excuſarent. Henriquez L. 8. C. 11. §. 7. habet hæc verba, * A principio Eccleſiæ etiam Latini conſecrarunt in fermentato ob vitandam hæreſim Ebionitarum, dicentium, legalia etiam de azymo ſeruanda eſſe ſimul cum Euangelio. * Notatque in Gloſſa littera O ſic referri à Leone Papa I. ſerm. 4. de ieiunio ſeptimi menſis, & Epiſt. 62. Sed S. Leo vtrobique nec verbum de hac re.

47 Age iam, & deueniamus ad argumenta nobis contraria in ſecunda dil-

disquisitione. Sed eorum primum enervatum iam manet. Ad secundū respondeo, diem illum Sabbathi (ante quem proximè Christus mortuus est) nominari *magnum* ob concurrentiam cum Paschate, & non cum primo, sed cum secūdo azymorum die, omnes enim septem dies erant valde celebres, tametsi primus, ac septimus multò solemniores; & solemnissimus, ac sanctissimus, inter reliquos totius anni, dies Sabbathi Paschalis, in quemcumque diem azymorū incideret. Ad tertium, potuisse discipulos intelligere de emptione necessariorum pro Christo, & comitatu suo (nam de alijs Iudæis non curabat Iudas) ad primum diem festum vsualem, vel naturalem azymorum, qui inchoabat ex media nocte vicina, vel ex Solis ortu. Ad quartū, esse tempus suæ mortis post peractum Pascha, & intra primam diem azymorum, illud, quod Christus vocat suum specialiter. Ad quintum, fuisse vi compulsum Simonem à Gentilibus Pilati ministris, vt portaret crucem; & id significari per verbum *Angario* Persicum Latinizatum; siue pretio conductus fuerit Simon, siue non. Vnde vis, metusque de causa excusabilis est Simon in opere illo seruili. Vbi noto, iter à Simone factum Ierosolymam, fuisse è villa, quæ fortè non distabat vltra spatium, vel vnius Sabbathi. Sed quid de Iosepho ab Arimathea? Respondeo, opera misericordiæ, etsi laboriosa, non fuisse prohibita, nedum in festis quibuscumque, sed neque in Sabbathis, vt colligitur ex Tobiæ 2. Matthæi 12. Marci 6. Lucæ 6. atque 13. Ioannis 7. Neque item fuit vetitum, vēnalem exponere syndonem, & mercari eam in die festo, quod non erat Sabbathum, vt neque cibos opsonare, & prēparare. Ast fuisse prohibitum vendere, & pretio conciliare quidpiam in Sabbatho, deducitur ex C. 16. Marci V. 1. vbi dicitur, *Et cum transisset Sabbathum, Maria Magdalenæ, & Maria Iacobi, & Salome emerunt aromata, vt venientes vngerent Iesum.* Quod autem Lucas Cap. 23. Vers. 56. ait, *Et reuertentes* (nempe in fine diei Parasceues, primæque azymorum) *parauerunt aromata, & vnguenta: & Sabbatho quidem siluerunt secundùm mandatum*, intelligitur, quatenus apparatus aromatum prēnarretur per figuram anticipationis. Ad sextum, vel in die festo, qui non esset Sabbathum, non fuisse interdicta iudicialia, & forensia, nempe comprehendere, accusare, & occidere reū; vel si fuerunt aliàs vetita, tamen Iudæos ex animi liuore, atq; passione obcæcatos putasse, fas sibi tunc esse; præsertim cum agerent aduersus hominem, quem proclamabant seditiosum, subuersorēque gentis suæ, ac blasphemum, & quē in festo Scenopegię, & in alio die festiuo voluerant anteà apprehendere, & lapidare, vt narrat Ioannes C. 7. & 10. Adde, Iudæos altera post Parasceuen die (quæ non potuit non esse festiua) adijsse Pilatum, petijsse, accepisseque custodiam, obsignasse sepulchrum, vt refert Matthæus Cap. 27. ex Vers. 62. quæ omnia ad iudicium, & strepitum fori pertinent. Atque hinc vel mutarunt consilium, comprehendendo Christum in die festo, ne è manibus elaberetur occasio, quam tam anxiè procurarant; vel ideo solummodò decreuerāt, capturam non aggrediendam in die festo, ne tumultus fieret in populo, qui eo die prælijs Ierosolymam confluebat. Ad septimum, illius translationis nullum extare vestigium in Authoribus probatis. Quę si fieret, vt vnus dies festus non succederet immediatè post alium, inciderent Iudæi paulò post in idem inconueniens, quod intendissent vitare, nam septimus dies azymorum, qui erat primo non minus celebris, & solemnis, præcederet Sabbathum. Etsi autem die primo, & septimo azymorū nihil operis seruilis faciendum esset; sed exceptis ijs, quæ ad vescendum pertinerent, vt dicitur Exodi 12. Vers. 16. Quare licebat, quęrere cibos, accendere ignem, coquere, condireq; escas, secus, ac in Sabbatho. Et ideo non erat tam molesta consequutio Sabbathi post diem primum, vel septimum azymorū. Sed & aliquando (Esdra iam diu defuncto) post Sabbathum incidisse continuè festum Pentecostes, edocet nos Iosephus L. 13. C. 15. vel 16. Antiq. Ad octauū, numerandos esse quinquaginta dies, nō incluso, sed excluso secundo azymorum, qui erat simul messionis, & oblationis manipulorum; vel ad euitandam concurrētiam cum Sabbatho fuisse dilatam messionem illam, & oblationem vsque ad tertiam azymorum diem; vel festum Pentecostes Iudaicæ eo anno, quo Christus est mortuus, incidisse

in Sabbathum, quanuis Spiritus Sanctus descenderit Dominica die, & in ea, quę fuit quinquagesima à resurrectione Christi, cæperit celebrari Pentecoste Christiana. Habet quælibet trium harum solutionum plures, & magnos patronos. Gratior mihi est prima, vt & Gaspari Sanctio in C. 2. Actuum Apostolorũ V. 1. Theophiloque Raynaudo nouissimè in Tractatione de prima Missa, & prærogatiuis Christianę Pẽtecostes sect. 1. Cap. 7. Ad nonum, licuisse die Sabbathi metere, colligereque spicas hordei ad cultum Dei; sicut fas erat, excoriare, secare, iugulareque pecudes, & cremare ipsas spicas. Nisi magis placeat dicere, spicas fuisse messas, & collectas vno, vel altero die ante, quando Sabbathum futurum esset impedimento.

48 Accedo ad enodanda argumenta, quæ in tertio quæsito contra meam sententiam militant. Ad primũ, & secundum diximus sufficienter in superioribus. Sed circa secundum ex abũdanti addimus, fuisse Christum cruentè immolatum in cruce ante tranactũ diem Lunarem decimum quintum, cuius prior vespera erat diei Lunaris decimi quarti posterior, in qua ante occasum Solis duabus circiter horis, nempe nona ab eius ortu, vt ait Iosephus L. 7. de Bello Iudaico C. 17. & Egesippus in Anacephaleosi non longè a principio, cædebatur, assabaturque agnus Paschalis, & post occasum comedebatur, ita vt duabus alijs horis, parùm plus, minusve, absolueretur cœna, tam legalis, quàm vulgaris. Quapropter ritus agni partim coincidit eodem die cæremoniali cum morte Christi, nam comestio agni facta fuit die decimoquinto Lunari, & mors Christi contigit eodem die cęremoniali ante Solis occasum. Etsi uerò iugulatio agni facta fuerit in alio die cæremoniali; nó desunt, qui velint, Sacrificiũ agni constitisse magis in eius comestione, quã in iugulatione, ideoque discipulos dixisse Christo, *Vbi vis, paremus tibi comedere Pascha*, Matthæi 26. V. 17. videturque, Petrum, & Ioannem ex commissione Christi, tanquam patris familias respectu Collegii Apostolici, iugulasse, excoriasse, assasseque agnum, antequàm Christus aduenire; & ob id de Petro, & Ioanne dici, *Parasse Pascha*: quo iam dispositio, & *vespere facto* venit Christus, vt Marcus ait C. 14. Vers. 17. & *vespere facto*, vt inquit Matthęus C. 26. V. 20. discubuit cũ duodecim discipulis, vt comederet agnũ. Sed quia huius occisio vocatur immolatio Exodi 12. V. 6. alibique sępe, dubitari potest, num in ea principaliùs, quàm in comestione constiterit illud Sacrificiũ; vel saltem dici potest, constitisse æquè præcipuè in vtraque. Quicquid tamen de his sit, totus ritus agni coincidit cum Christi morte sufficienter, vt figuræ respondeat veritas quoad circumstantiam etiam temporis, quatenus totus exhibitus sit in confinio decimæ quartæ, & decimæ quintæ diei Lunaris, id est, desinente illa, & exordiente hac. Ad tertium, celebritatem mactandi agni, diemq; decimamquartam, dicatam eius occisioni, non fuisse festiuam, vt agnoscit ipse Luisius Legionensis ad finẽ §. *Sed vt doceam*, ideoque non debuisse ducere initium à priori vespera, sed potuisse peragi circa finem posterioris vesperæ iugulationem agni, & fieri comestionem eius, inchoante die decimaquinta Lunari. Quare cum Luisius Legionensis dicat expresis verbis, decimum quartum diem non fuisse festum, prodest nihil, aut parùm, quod immediatè subiungit, ✠ Tamen mactatu agni, & azymorum esu, & instantis diei festi parasceue, & apparatu omnino erat celebris, ac solemnis dies; quare à vespera, & ipse initium ducebat. ✠ Certè si festus non erat ea ratione, vt in illo vacandum esset ab operibus seruilibus, & laboriosis, siue non exceptis (vt in Sabbathis) siue exceptis ijs, quę ad vescendũ pertinent (vt in alijs festis) frustrà affingitur ipsi, quod diebus propriè festis cõpetebat, vt scilicet coleretur à vespera in vesperam. Et quanuis gratis concederemus, fuisse sic cultum quoad vacationem à prefatis operibus, ratione cuius dicitur Leuitici 23. V. 32. *A vespera vsque ad vesperam celebrabitis Sabbatha vestra*: cæterùm quoad eædem, mactationemque agni, arguitur inde minus aptè, non enim omnis actio sacra exequenda in die festo debebat fieri in eius priori vespere, vel incipere tunc, neque in hoc sensu intelligitur illud Leuitici. Nusquam in sacris oraculis iubetur mactatio agni à vespera in vesperã diei decimæ quartæ; sed semper præcipitur, vt fiat ad huius diei vesperam. Quo loquendi

quēdi modo prorsùs significatur posterior vespera. Ita tamen vt simul imperetur, fieri comestionem agni cum azymis decima quinta die post Solis occasum, vt constat ex C. 12. Exodi V. 8. Leuitici 23. V. 6. Numerorum 28. V. 17. Quapropter absurdum non est, si fateamur, celebritatem agni incidisse partim in diem quartam, partim in quintam decimam Lunarē. Quod additur ab aduersarijs de vespere creationis mundi inchoante primum diem iuxta illud Geneſis, *Factumque est vespere, & mane dies vnus*, nobis non obesset, etsi verum foret, vt patet ex prædictis de non festo die decimoquarto. An autem verum sit, necne? Controuertunt Interpretes Geneseos, & Theologi scribentes de Opere sex dierum, alijq; affirmant, alij negant, nec voto viuitur vno. Probabile admodū est, computari primum diem ex vespere vt finiente lucem diurnā, & ex mane vt terminante præcedentem noctē. Ad quartum, Hebræos non ineunte die decima quarta Lunari, sed desinente mactasse agnum, & decimæquintæ primo mane egressos esse de Rameſe in Socoth, cum ex mediæ noctis tempore reliquentes domus suas maturassent, acceleraſſentve viam in Rameſe. Neque obstat, Moysem iussisse Exodi 12. V. 22. vt post agni esum nullus excederet ostio domus suę, vsque mane. Nam respondetur, anticipasse exitum ad instantiam Ægyptiorum, vt deducitur ex V. 31. & sequentibus. Neq; rursùs obest, quod dicitur eodem C. 12. Exodi V. 42. *Nox ista est obseruabilis Domini, quando eduxit eos de terra Ægypti.* & C. 16. Deuteronomij V. 1. *Eduxit te Dominus Deus tuus de Ægypto nocte.* Occurro enim, inquiens, eductos fuisse noctu inchoatè, quatenus è domibus suis egrediētes compararunt se ad exitum ex Ægypto mane insequenti, in quo completè educti sunt. Neque vlteriùs incommodat, quod Deuteronomij 16. V. 6. legitur, *Immolabis Phase vespere ad Solis occasum, quando egressus es de Ægypto.* Respondeo namque, intelligi hæc verba de procinctu ad profectionem facto in vespera ad Solis occasum. Præterea non obstat, quòd ad petenda vasa, & vestes ab Ægyptijs, & ad accipiēda commodatò ab eis, necessarium foret plùs temporis, quā à media nocte vsque ad mane. Dico enim, vt Deus dedit populo suo gratiā ad id iuxta C. 11. Exodi V. 3. C. 12. V. 36. ita etiam celeritatem; & fortè iam ante decimam plagam postulauerant, & obtinuerant. Insuper non aduersatur nobis Iosephus, siquidem ex loco L. 3. C. 13. vel 10. Antiquitatum Iudaicarum à nobis allegato constet propitia eius mens. Alter verò locus L. 2. C. 5. vel 13. vbi dicitur, illucescēte, vel appetente, vel instante decima quarta die Hebræos ad iter accinctos sacrificasse; & alter in L. 6. de Bello Iudaico C. 4. vbi etiam dicitur, *Azymorum instante die, qui est Aprilis quartus decimus; hoc enim se primùm tempore opinantur Iudæi ab Ægyptijs esse liberatos, &c.* Vel non sunt benè conuersi è Græco Iosephi autographo in Latinum, vt causantur post Riberam multi, vel Iosephus per decimam quartam diem, eamque illucescentem, vel appetentē, vel instantem significat eam, quæ re vera esset initialiter decimaquinta Lunaris, & legalis, sed quę vocetur ab ipso decima quarta, quia secundùm computum naturalium, & vsualium dierū erat decima quarta, & quia in Lunari, atque legali decimaquarta fiebat occisio, excoriatio, lotio, assatioque agni, licet comestio fieret in decima quinta. Et hinc intelligitur, cur Iosephus L. 2. C. 5. vel 13. scribat, dies azymorum fuisse octo, etsi L. 3. C. 13. vel 10. L. 9. C. 14. vel 13. non recenseat nisi septem, & ex eis primum asserat, fuisse Lunarem decimum quintum. Cur itē B. Leo IX. Papa in Epist. ad Michaelē Patriarcham Constantinopolitanum, Rupertus L. 2. in Exodū C. 15. (quāquam hic ex falsa lectione C. 12. V. 16 Exodi) tribuant diebus azymorum octonarium numerum. Cur etiam dies decimus quartus appelletur ante immolatum agnum primus azymorum à Matthæo C. 26. V. 17. à Marco C. 14. V. 12. à Luca C. 22. V. 7. Intelligitur, inquam, quia prior vespera diei decimæ quintæ Lunaris, ac legalis, & azymorum primæ pertinebat ad decimam quartam naturalem, & vsualem, includendoq; hanc dicuntur octo dies azymorum, & ipsa dicitur prima azymorum dies, vt acutè, doctèque notarunt Gaspar Sanctius ad C. 12. Actuū Apostolorum V. 3. Iacobus Bonfrerius

ad

ad C. 12. Exodi V. 15. explicatque Sanctius appositissimo exemplo desumpto ex C. 23. Leuitici, vbi dies, qui in V. 27. nominatur decimus, postea in V. 32. appellatur nonus. Hactenus de tribus disquisitionibus.

DISPVTATIO III.

DE ESSENTIA SACRIFICII Missæ.

1 *VLTÆ SVNT IN MISSÆ Sacrificio actiones, de quibus controuerti potest, an in eis omnibus simul, vel in aliquibus earum consistat essentia Sacrificij Missæ, vel an aliquæ sint extrà huius essentiam? Conabimur, Deo fauente, discutere radicitus difficultatem præsentem; quæ in isto Tractatu exerit caput supra alias.*

SECTIO I.

Quatuor, vel quinque actiones excluduntur à constitutione essentiæ Sacrificij Missæ.

In primis oblatio verbalis, siue præcedens, siue subsequens consecrationem.

DVPLEX vocalis oblatio fit in Sacrificio Missę, altera, cum Sacerdos dicit, *Suscipe, Sancte Pater Omnipotens, æterne Deus, hanc immaculatam hostiam*, &c. *Offerimus tibi, Domine, calicē salutaris*, &c. Altera, cum post consecrationem inquit, *Offerimus præclaræ maiestati tuæ de tuis donis, ac datis hostiam puram*, &c. Neutram ex his oblationib⁹ esse vel partialiter de essentia Sacrificij Missæ, censeo cum communi Theologorum contrà paucos alios. Et quoad primam attinet, probo primò, quia in hoc Sacrificio victima non est panis, & vinum. Ergo in oblatione vocali panis, & vini nequit consistere vel inadæquatè essentia huius Sacrificij. Si dicas, panem, & vinum esse saltem inadæquatè victimam. Contrà, tum quia id falsum est, vt ostendemus D. 9. S. 1. & 2. tum quia saltem in oblatione vocali panis, & vini non consistet adequatè essentia huius Sacrificij; sed viteri⁹ requireturverbalis oblatio rei alterius pertinentis ad victimam. Probo secundò, nam per huiusmodi oblationem nō fit vlla in pane, & vino immutatio, qua Deum profiteamur authorem vitæ, & mortis; vti opus esset ad actionem sacrificandi.

crificandi. Quæ ratio deservit etiam ad probandum, nō consistere essentiam Sacrificij huius in oblatione secunda. Probo tertiò, sunt nonnulli casus, in quibus post primam oblationem dimittenda est Missa. Ast si vel partialiter essentia Sacrificij consisteret in ea, secꝰ fieri deberet, ne Sacrificium remaneat essentialiter imperfectum. Quartò, quia in Missa solemni non se solo Sacerdos, sed etiam Diaconus facit, & pronunciat primam oblationem calicis, vt constat ex Liturgia Romana. Et tamen Diaconus neque partialiter sacrificat ratione eius oblationis; de qua, prout ad Diaconum spectat, agit Guilielmus Durandus in Rationali diuinorum Officiorum L. 4. C. 30. n. 17. & post ipsum Gauantus in Rub. Missalis parte 2. tit. 7. n. 9. lit. Q.

2 Iam verò quoad vtramque attinet, probo quintò, quia nec in Sacrificijs veteris legis, neq; in celebrato à Christo in vltima cœna, neque in crucis cruento factam nouimus vocalē oblationem; & potiùs scimus ex Sancto Gregorio L. 7. Registri, Epist. 63. *morem Apostolorum fuisse, vt ad ipsam solummodò orationem Dominicam oblationis hostiā consecrarent.* Si autem verbalis oblatio esset de essentia Sacrificij vt sic, non adeò sileretur in Sacrificijs memoratis; nec, si esset de essentia Sacrificij huius, omitteretur à Christo in vltima cœna, aut ab Apostolis in Missis, quas ipsi celebrabant. Et sanè cum Ecclesia prescripserit vnam, & alteram oblationem, sequitur, neutram esse de essentia Sacrificij instituti à Christo. Atq; vt Ecclesia instituit duas, potuit similiter plures, quæ fierent inter celebrandum, quin variaretur Sacrificium. Sextò, offerre nunc Deo per aliqua verba Sacrificium cruentum Passionis Christi, non est Sacrificium. Ergo nec per verba antecedentia, aut subsequentia consecrationem offerre Sacrificium incruentum. Et ratio est, quia Sacrificium debet esse actio quędam realis distincta à verbis immutans rem oblatam. Septimò, etsi Sacerdos ex inaduertentia, vel ex malitia omiserit vnam, aut alteram oblationem, non tenetur supplere primam post consecrationem, nec secundam post dictam orationem Dominicam; neque item tenetur, cum consecrat secundam hostiam, quia deprehēdit, primam non esse verè triticeam, aut cum consecrat secundò calicem, quia nosci, non fuisse anteà vinum appositum, non, inquam, tenetur repetere posteriorem oblationem, sed potest sumere statim hostiam, aut vinum de nouo consecratum; & quanquam cum consecrat secundam hostiam, debeat iuxta Rubricas Missalis priorem facere oblationem, sed non quę verbalis sit, sufficit enim, quæ concepta sit mente; & cum consecrat secundo calicem, non debet resumere à vocali oblatione, sed ab illis verbis, *Simili modo postquàm cœnatum est*, vt dicitur in eisdē Rubricis, & in Synodalibus Statutis Odonis Episcopi Parisiensis C. de communibus præceptis, vbi legitur. ✻ Si negligentia euenerit, vt perfecto Canone, & peracta consecratione, nec vinum, nec aqua reperiatur in calice, debet statim infundi vtrumque, & Sacerdos reiterabit consecrationem ab illo loco Canonis, Simili modo poste aquā cœnatum est, vsque ad finem. ita tamē vt duas illas cruces omittat, quas singulariter fecit super panem. Quòd si de simplice vino, vel de aqua sine vino fiat consecratio, vinum reputatur pro Sacramento; sed aqua non reputatur, & ideo ista negligentia de aqua posita sine vino, maior, & maiori pœnitentia emendanda est. ✻ Sic ibi. Ex quibus omnibus consequens est, neutram oblationem verbalem constituere essentiam Sacrificij Missę, nam si componeret, foret de Sacrificij necessitate repetitio eius in casibus propositis. Et hæc de prima Sectionis parte.

Deinde excluduntur fractio, mixtio, distributio specierum consecratarum.

3 IN secunda pronuncio, specierū consecratarum panis fractionem nullatenus esse de essentia Sacrificij Missæ, vt & neq; mixtionem hostiæ consecratæ, aut cuiusdam particulæ ex ea scissæ, cum speciebus vini. Simulque assero, distributionem specierum consecratarum inter fideles longè etiam abesse à munere constituendi eā essentiam. Postremum id vix eget probatione,

batione, cum constet apud Catholicos, Sacrificij essentiam saluam manere, etsi Eucharistia non diuidatur inter fideles, siue quia non adsint Missæ, quando celebratur, siue quia, licet præsentes sint, nolint communicare. Nam vt Synodus Tridentina docet Sess. 22. C. 6. & Can. 8. Missæ, in quibus solus Sacerdos sacramentaliter communicet, non modo sunt validæ, sed etiam licitæ; & in eiusdē Sessionis Can. 1. interminatur anathema aduersus eum, qui dixerit, *Offerri Sacrificium, non esse aliud, quā nobis Christum ad manducandum dari.* Ex quibus verbis infertur, distributionē, quando datur, non habere totā saltē rationē Sacrificij; sed hoc esse quidpiam aliud vltrà illā. Iam verò prius aliud de fractione stabiliendum est, eòq; magis accuratè, quo Melchior Canus L. 12. de locis C. 13. V. *Quartum* scribit, ✻ Constat sanè, Sacrificij Eucharistici partes quatuor esse, vnam consecrationem corporis, & sanguinis, alteram oblationem, tertiam fractionem, postremam consumptionē. His quippe quatuor partibus nostrum Sacrificium redintegrari, confici, absolui, qui negauerit, nihil illum de ratione perfecti Sacrificij didicisse, nihil quæsisse, nihil scire, conuincam. ✻ Ita Canus. Iudicent alij, an Thrasonicè? Me, saltem quoad fractionem, non conuincet. Nā eam non esse de constitutione essentiæ Sacrificij Missę, persuadent mihi multa, eaque efficacia argumenta. Primū, non est de illa essentia, vel partialiter vlla actio, quam Christus in vltima cęna non exercuerit, vt mysticam, & inter consecrandum, aut post. Ast Christus in præfata cœna non fregit species post consecrationem, sed ante. Neque fractio fuit facta à Christo vt mystica actio, sed vt vsualis, quatenus ipse diuisit panem in tot partes, quot erāt necessariæ ad communicandum Apostolos. Quod vtrumque manet fundatum in Disp. 2. n. 17. Secundum, consecratæ hostiæ fractio non fit in omnibus Liturgijs, neque eodem modo in illis, in quibus fit. Hoc posterius patet ex Liturgia S. Chrysostomi, ibi enim diuiditur hostia in quatuor partes, & in crucis similitudinem. Prius aliud constat ex Liturgia S. Basilij, vt notauit Suarez D. 75. sect. 3. V. *Tertiò dicendum.* At Cardinalis de Lugo D. 19. sect. 3. n. 4. ait, ✻ Nescio, quo fundamento id de Liturgia Basilij affirmet Suarez; in qua clarissimè inuenimus hostiam consecratam frangi à Sacerdote eisdem ferè verbis, quibus nos vtimur in fractione, vt videre est in eadem Liturgia tomo 4. Bibliothecæ VV. PP. vel tom. 6. in editione Parisiensi anni 1610 Neque ego adhuc aliquam Liturgiam vidi, vbi fractio non præcipiatur. ✻ Sed certè Eminentissimus Purpuratus, quo tempore hæc scribebat, non habebat præ oculis Liturgiam S. Basilij, quę vsui fuit Patri Suario, & quæ extat inter Opera eiusdem S. Basilij in editione Antuerpiensi anni 1568. & in Parisiensi anni 1603. alijsq; tam antiquioribus, quàm recentioribus. Ego nunc Parisiensem lustro oculos, & recentissimam Antuerpiensem anni 1616. studio nostri Andreæ Scoti, nullamq; obseruo fractionis exequendæ à Sacerdote in Missa mentionem, sed tantum in Anaphora, quam Andreas Masius ex vetustissimo codice Syriaca lingua, & charactere scripto traduxit; colligiturque ex vita eiusdem S. Basilij descripta à Surio solitam fieri ab ipso fractionem, cum celebraret. Tertium, S. Thomas 3. p. q. 83. art. 6. ad 6. inquit, *Fractio hostiæ consecratæ, & quòd vna sola pars mittatur in calicem, respicit corpus mysticum, sicut admixtio aquæ significat populum. Et ideo horum prætermissio non facit imperfectionem Sacrificij, vt propter hoc sit necesse aliquid reiterare circa celebrationem huius Sacramenti:* Tantùm Angelicus Præceptor. Et in Rubricis Missalis Romani tit. de Defectibus in celebratione Missarum occurrentibus §. ac n. 10. dicitur, *Si propter frigus, vel negligentiam hostia consecrata dilabitur in calicem, propterea nihil est reiterandum; sed Sacerdos Missam prosequatur, faciendo cæremonias, & signa consueta cum residua parte hostiæ, quæ non est madefacta sanguine, si commodè potest. Si verò tota fuerit madefacta, non extrahat eam, sed omnia dicat, omittendo signa, & sumat pariter corpus, & sanguinem, signans se cum calice, & dicens, Corpus, & sanguis Domini nostri,* &c. Hactenus Rubricæ. Ex quibus, & ex S. Thoma sic disputo; non est reiterandum aliquid propter lapsum hostiæ consecratæ in calicem, ante fractionem. Ergo hęc nō est de essentia, imò & neque de integritate substantiali Sacrificij. Et cum

ob

ob omissam fractionem non remanebit Sacrificium imperfectum; non erit necesse, nec licitè poterit, suppleri eius defectus consecrando aliam hostiam, quæ frangatur, quia id esset inchoare aliud Sacrificium sine necessitate. Idē docet S. Thomas casu, quo prętermissa esset admixtio particulæ hostiæ cum speciebus consecratis vini, quia scilicet ea admixtio non est de essentia, imò neq; de integritate substantiali Sacrificij. Vnde quando ob deprehensum defectum materiæ necessariæ ad consecrationem calicis, post sumptionem corporis, apponitur in calice vinum, & consecratur, non est necesse consecrare aliam hostiam ea de causa, vt non desit admixtio præfata.

4 Asque hinc innotescit, Canū trahere violentè S. Thomam in suam sententiam de Sacrificij Missæ per fractionem constitutione; nihil enim repugnantius Doctori Angelico, quàm fractionem pertinere ad perfectionem essentialem, aut ad integritatem substātialem Sacrificij, vt constat tū ex verbis præexaratis, tum exinde, quòd in præcedentibus docuit, occurrendum esse defectibus circa spectātia ad Sacrificij perfectionem essentialem, aut integralem substantialiter. Ergo cū fractionis defectui obuiàm non esse eundū tradat expresè, censuit proculdubiò, ipsam non esse de perfectione essentiali, aut integrali substantialiter. Fateor, ea alia verba ex art. 4. q. 83. in Corp. vbi de Sacerdote post consecrationem, ait S. Doctor, *Quartò perfit, hoc Sacrificiū peractum, esse Deo acceptum, cum dicit, Suprà quæ propitio*, &c. quibus Canus, se ne minimū quidem moueri affirmat. Fateor, inquam, admittere interpretationē aliquam, conuenientem menti S. Thomæ; alioqui consumptio, quę post consecrationem, & petitionem illam sequitur, non esset de perfectione substantiali Sacrificij, dissentiente ipso S. Præceptore, & vulgatiori opinione. Locus ex 2. 2. q. 85. art. 3. ad 3. adductus pro se à Cano extra rem est. Nam ibi non est sermo de fractione hostiæ consecratæ, nec de Sacrificio Missæ, sed de fractione panis sacrificati in lege veteri: quod Sacrificium dicebatur *Mincha*, vt notat Cornelius in 1. ad Corinthios C. 11. V. 24. Verba S. Thomæ sunt, *Sacrificia propriè dicuntur, quādo circa res Deo oblatas aliquid fit, sicut quòd animalia occidebantur, & comburebantur; quòd panis frangitur, & comeditur, & benedicitur: & hoc ipsum nomen sonat. Nam Sacrificium dicitur ex hoc, quòd homo facit aliquid sacrum. Oblatio autem directè dicitur, cum aliquid Deo offertur, etiamsi nihil circa ipsum fiat*, &c. Quæ omnia verba attentè legenti exploratum erit, quod diximus. Nec fractio hostiæ consecratæ necessaria est, vt aliquid fiat circa Christum oblatum, fit enim sufficienter per consecrationem; imò per fractionem non fit aliquid propriè circa Christum, sed tantùm circa accidentia panis. Et quomodocumq; aliquid fiat, scilicet denominatiuè, est quidem Sacrificio accidentale, quòd fiat, nam si Christi corpus denominatiuè frangi, esset essentiale; potiori, vel pari iure esset, diuidi denominatiuè sanguinem, qui non minus sacrificatur, quam corpus; & qui in Sacrificio cruento, repręsentato per incruentum, diuisus re ipsa est multas in partes. Non igitur Sacrificium Missæ consistit vel partialiter in fractione. Nec vnquam id conuincet Canus. Quem videtur sequi P. Gregorius de Valentia Lib. 1. de Sacrificio Missæ C. 2. §. *Ne autem*, & tomo 4. Commentariorum Theologicorum D. 6. punct. & q. 1. §. *De quæstione*; idēq; sensisse Nicolaum Cabasilam in Liturgia C. 8. testatur Scortia L. 1. Cap. 5. num. 1. penes quem fides sit. Sed quòd ad Valentiam attinet, conceptis verbis asserit, istud Sacrificium per consecrationem præcipuè confici, in eaque præcipuè consistere. Quare cum addit benedictionem, fractionem, mixtionem, & sumptionem, explicari potest, quatenus memoratæ actiones compleant omnino Sacrificium, aliquę quidem substantialiter, aliq verò accidentaliter, vel omnes sic, & præsertim fractio, ac mixtio. Postremam hanc attinere ad Sacrificij integritatem substātialem, probabilissimum est Cano, vt ait in margine ad §. *Quartum verò*, & vt indicarat in §. *Sed quia Sacramentarij*. Negandum tamen est, eisdem ferè de causis, ac Inficiati sumus, attinere fractionem. Nec Christus mixtionē adhibuit. Etsi enim Iudæ buccellam intinctam dederit, *Non debet intelligi, quòd sub buccella panis intincta Christus Eucharistiam dederit traditori; sed per buccellam intinctam*,

intinctam, atque porrectam suum denique traditorem expressit, fortasis per panis intinctionem illius significans fictionem. Ita Innocentius Papa Lib. 4. de Sacro altaris Mysterio C. 13. alijque Patres iam recensiti in n. 29. Disp. 2.

5 Neque opponas pro fractione hostiæ consecratæ, eam in Missa esse actionem mysticam, significantem Passionis, mortisque Christi in cruce, vt enim dicitur C. *Cum frangitur* 37. de Cons. Dist. 2. *Cum frangitur hostia :: quid aliud, quàm Dominici corporis in cruce immolatio designatur*: & vt ait Algerus L. 1. de Sacramento corporis, & sanguinis Christi C. 19. *Multò magis ipsi placitum, & glorioſum est, vt fidelium suorum manibus deuotè in Sacramento frangatur, dentibus atteratur (sicut ipse præcepit) in suam commemorationem, non vt in veritate quidem Passionis, crucifixionis, mortis, vt suprà dictum est; sed significante mysterio, vt ipse quidem fractus, & attritus integer permaneat*, &c. Quodque magis est, Christus Dominus inquiens, *Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur*, seu *frangitur*, vt in Græco legitur, iubensq; Apostolis, & nobis, vt idem faciamus, significare videtur fractionem pro Apostolis, & pro nobis factam. Ergo fractio pertinet ad rationem Sacrificij cõmemoratiui Passionis, mortisq; Christi. Respondeo, concedendo, fractionem, in Missa factã, habendam esse inter actiones mysticas, cuius significationes permultæ vltrà adnotatas videri possunt in Durando L. 4. Rationalis C. 51. in Duranto L. 2. de Ritibus C. 51. in Scortia L. 4. de Sacrificio Missæ C. 24. num. 1. Sed tamen non omnem actionem mysticam, institutamque ab Ecclesia in Missa ad significandum aliquod mysterium, esse vel de essentia, vel de integritate substantiali Sacrificij, vt patet ex compluribus alijs actionibus, & cæremonijs in Missa adhibitis ab eadem Ecclesia. Verbum illud *Frangitur*, referendum est, non ad Sacrificium incruentum, sed cruentum, quatenus corpus Christi in cruce fractum sit molestijs, laboribus, & ærumnis, quanquam nullum eius os sit comminutum. Sed permittamus, referri ad corpus Christi sub Sacramento. Cur tunc non respiciet fractionem, quæ solet fieri, vt distribuatur fidelibus Sacramentum? De qua sermo est in Can. *Cũ frangitur*, & in eo Algeri loco. Et hæc satis pro secunda Sectionis parte. Enodemus in tertia difficultates nõnullas, quæ contra primã facessunt negotiũ.

Dissoluuntur rationes in fauorem oblationis verbalis.

6 OBIICITVR primò, Tridentinum Concilium Sess. 23. C. 1. dicens, traditam esse à Christo Sacerdotibus potestatem consecrãdi, offerendi, & ministrandi corpus, & sanguinem eius. Repetitque id ipsum in Can. 1. Ergo potestas Sacerdotum ad sacrificandum est etiam formaliter ad offerendum. Ergo oblatio pertinet formaliter ad essentiam Sacrificij. Atq; ita quidem pertinet, vt in Ordinatione Sacerdotum non exprimatur potestas ad consecrandum, sed ad offerendum, dicitur enim, *Accipe potestatem offerendi Sacrificia Deo*, &c. Hinc S. Thomas 3. p. q. 76. art. 5 Corp. & ad 3. ait, *Hoc Sacramentum simul est Sacrificium, & Sacramentum; sed rationem Sacrificij habet, in quantum offertur; rationem autem Sacramenti, in quantum sumitur.* Et q. 83. art. 4. in Corp. *Acceditur ad celebrationem Mysterij, quod quidem & offertur vt Sacrificium, & consecratur, & sumitur, vt Sacramentum.* Catechismus etiam Romanus parte 2. C. 4. n. 71. de Eucharistiæ Sacramento inquit, *Differunt plurimùm inter se hæ duæ rationes, Sacramentum enim consecratione perficitur; omnis verò Sacrificij vis in eo est, vt offeratur.* Secundò, ex Bonacina D. 4. q. vltima, puncto 2. n. 5. Non censetur Sacrificium, donec res offeratur; & casu, quo Sacerdos, facta consecratione, pereat, tenetur alius Sacerdos offerre, & sumere, vt integrum faciat Sacrificium. Ergo signũ est, oblationem esse de essentia Sacrificij, alioquin alius Sacerdos non teneretur offerre. Deducit ex principio hoc Bonacina in n. 6. particulas, quæ ad altare deferuntur pro communione Laicorum, debere in altari adesse ante primum Offertorium, videntur enim ad idem Sacrificium pertinere, ad quod pertinet hostia grandior; sicut autem hęc prorsùs præsens esse debet ante primum Offertorium, ita etiam adesse debent

bẽt particulæ pro communione Laicorum. Et ita iubetur in Rubrica Clemẽtis VIII. de defectib⁹ in celebratione occurrentibus C. 3. n. 4. Hæc ferè verbatim ex Bonacina. Tertiò, verbalis oblatio panis, & vini facta à Sacerdote est vera oblatio & à fortiori est vera Christi oblatio ea altera verbalis, quæ fit à Sacerdote post consecrationẽ. Ergo vtraq; est verũ Sacrificium. Quartò, Sacrificiũ significat ad modum Sacramenti, vt docet S. August. Epist. 23. ad Bonifaciũ Episcopum. Ergo sicut materijs Sacramẽtorum addita sunt aliqua verba à Christo Domino, quibus determinatur ad significandum, & causandum talem, vel talem effectum, ita etiam victimæ, & hostiæ Sacrificij huius additã esse oblationem aliquam verbalem, qua determinetur ad significandam protestationem supremi dominij diuini, credi debet.

7 Ad primam obiectionem respondeo, oblationem quidem esse de essentia Sacrificij, non verbalem, sed realem, consistentẽ in actione reali externa, vt instituta à Christo ad significandũ affectum recognoscendi maiestatem, & dominium Dei. Legatur Suarez D. 75. sect. 3. V. *Secundò dicendũ est.* Ad secundæ obiectionis priorem rationẽ dico, oblationem realem, qua fit victima in altari præsens ad cultum, & honorem Dei tãquam supremi Domini, esse necessariã ad conceptum Sactificij, non verò oblationẽ verbalem. Ad eiusdem obiectionis posteriorem rationem fateor, si Sacerdos continuò post sub vtraque specie factam consecrationẽ moriatur subitò, aut infirmetur grauiter, debere aliũ Sacerdotem offerre per illa verba, *Offerimus præclaræ maiestati tuæ, &c.* sumereque vtramque speciem, debet enim explere Missã ab eo loco, vbi alter desijt, vt iubetur in Rubricis Missalis Romani tit. de defectib⁹ §. 10. n. 3. Sed hinc minimè infertur, illa verba esse de essentia Sacrificij, vt neque sunt ea alia antecedẽtia, *Hæc quotiescumq; feceritis, &c.* neque cætera subsequentia secundam oblationem verbalem, cum tamen tam antecedentia, quam subsequentia dicẽda sint à Sacerdote supplẽte, si alter defecerit immediatè post prolata verba consecrationis calicis. Ratio est, quia Ecclesia voluit, vt perinde perficeretur Sacrificium quoad constitutionem essentialem, vel substantialem integritatem, & quoad accidentalia omnia, ac si Sacerdos, qui exorsus est Missam, prosequeretur, & absolueret eam. Vnde si ille deficiat post oblationem secundam, non est resumendhęc à succedente. Efficaciùs in speciem argumentaretur Bonacina pro cõstitutione Sacrificij ex prima oblatione, quę mente saltem concipiatur, nã iuxta præfatas Rubricas semper, ac emendatur defectus materiæ requisitę ad Sacrificium, facienda est oblatio saltem mentalis panis, aut vini de nouo adducti, vt constat in præcitato titulo §. 3. n. 4. tribusque alijs sequentibus, & ex §. 4. n. 2. & 4. necnon ex §. 10. n. 5. & 13. Responderi potest, in Rubricis nõ semper prescribi faciendam prędictam oblationem mente saltem conceptam, vt videre est in §. 4. n. 3. & 5. in §. 10. n. 6. & 7. ac 9. Non acquiesco, nec censeo, sufficienter satisfieri, etsi enim non exprimatur in locis allegatis, debere fieri oblationem, subintelligitur tacitè; nec enim est potior ratio, vt fiat in quibusdam casibus, & non in alijs. Quare respõdeo, concedẽdo, debere non omitti vnquam oblationem verbalem, vel mẽtalem; negando tamen inde sequi, vnam, vel alteram requisitam esse ad essentiã Sacrificij; sed vt summùm esse quasi dispositionem, & præparationem ad eã, vt materia panis, aut vini mixti separetur à communi, profanoq; vsu, initietur q; sacro ministerio per oblationẽ Deo factã. Et ideo Ecclesia vocat *Sacrificium præparatũ* Dei nomini materiam illam post oblationem factam; iubetq; in Rubricis memoratis §. 10. n. 9. vt si post oblationem hostia inuenitur fracta, & alia loco eius cõsecretur, sumat Sacerdos posi ablutionem hostiã fractam, vtpotè quodammodò iam sacratam per oblationẽ. Deductio Bonacinæ placet nobis, traditurq; in Rubricis generalibus Missalis, titulo de ritu seruando in celebratione Missę §. 7. n. 3. his verbis, *Si fuerint aliæ hostiæ non super patenam, sed super corporale, vel in alio calice, seu vase pro cõmunione populi consecrandæ, calicem illum, seu vas dextra discooperit, & intentionem suam etiam ad illas offerendas, & consecrandas dirigens, dicit vt suprà, Suscipe, &c.* Sic ibi. Quare sine causa recurrit Bonacina ad titulum de defectibus §. 3. numero quarto, vbi sermo non est, nisi de hostia grandiori, quæ ante consecrationem animaduertatur corrupta, aut non tri-

ticea ; admonemurque , vt remoueamus illam , ponamusque aliam, adhibendo oblationem saltem mente concepta. Sed Bonacinæ imposuit Posseuinus, qui C. 2. de Officio Curati n. 27. alienam à proposito Rubricâ citauit, relicta propria, & expressa. Atque hinc ortum est, vt Posseuinus loquatur ambiguè. Sed absolutè dicendum est , debere offerri non minus , quam hostiam grandiorē , vt iubetur in Rubrica suprà transcriptâ. Quòd si post oblationē hostiæ grandioris afferantur particulę cōsecrandæ pro communicandis infirmis, vel sanis, qui Æditui significarint suum de Eucharistię susceptione desiderium, quādo iā Sacerdos erat in altari: tunc debet Sacerdos nō cōsecrare eas, nisi prę missa oblatione saltem mentali, vt satis constat ex dictis ; & ad hunc casum deseruit Rubrica allegata à Bonacina ob paritatem rationis. Sed admittendæ non sunt vt offerantur, & consecrētur, si, qui volunt communicare, possint commodè expectare , vt in alia Missa ministretur ipsis Eucharistia, non enim decet invertere , vel in re minima ordinē Missę sine aliqua necessitate, cōsecrareq; vel partem accessoriam , quin super eam fiant ritus omnes consueti ; multòque minus decebit , si particulæ afferantur post inceptū Canonem. Et hæc videtur esse æqua resolutio huius casus; de quo tractāt Posseuinus suprà n. 28. Philibertus Marchinus de Sacr. Ordinis Tract. 3. parte 2. C. 4. n. 15. Thomas Tamburinus L. 2. de Missa C. 5. §. 2. à n. 8. Franciscus de Lugo L. 5. C. 10. n. 6. alijque apud Dianam parte 2. Tract. 14. Resol. 71. p. 6. Tract. 6. Resol. 7. & apud Leandrum Tract. 8. D. 1. q. 23.

8 Ad tertiam obiectionem dico, verbalem oblationem siue panis , & vini, siue Christi esse veram oblationē; sed non omnem veram oblationem esse verum Sacrificiū ; latiùs patet oblatio, quàm Sacrificium, vt visum est in D. 1. & ibidem etiam probauimus, Sacrificiū debere esse actionem religiosam distinctam à verbis; quanuis id, quod per verba offertur , seu quod est materia oblationis verbalis , possit etiam esse materia Sacrificij , seu circa quam versetur actio sacrificatiua. Ad quartā obiectionem respondeo, posse sine verbis exprimentibus oblationem significari sufficiēter per actionem realem externam, atque sensibilem id totum, cuius significādi gratia institutum est Sacrificium; non secus ac sine verbis potest quis alterū honorare, aperiendo caput in occursu. Neque opus est, vt Sacrificium imitetur in omnibus Sacramēta. Taceo, Sacramentum matrimonij non debere necessariò constare verbis significantibus id, quod operatur interiùs ; sed in illo sufficere nutus , seu actionem realē externam, atque sensibilem. Taceo, Sacrificium Missæ non carere prorsus verbis, quandoquidē necessaria ad ipsum sint verba consecrationis.

SECTIO II.

Essentia Sacrificij Missæ nullatenus consistit in sumptione facta à Sacerdote.

Probatur non tam positiuè, quàm negatiuè, retundendo argumenta affirmantium.

9 ESentiam Sacrificij Missæ saluari adæquatè, vel saltem inadæquatè in sumptione specierum consecratarū facta à Sacerdote , opinio est plurium Theologorum. Quæ fulciri solet primò ex Concilio Toletano 12. C. 5. adducto C. *Relatum est nobis* 11. de Cōsecratione Dist. 2. vbi dicitur, *Quale erit Sacrificium, cui nec ipse sacrificans particeps esse cognoscitur?* Sed in primis Concilium Toletanum non ait, non fore Sacrificium, sed non habiturum competentē qualitatem, & ritū ex iure, siue diuino, siue solùm humano, si Sacerdos non participet de eo. Expēdatur vox *Quale*. Deinde comperietur, probationem nō esse considerabilis momenti, si sedulò notētur verba hæc, quę sequuntur, *Ergo modis omnibus est tenendum, vt quoticscumque sacrificans corpus, & sanguinem Domini nostri Iesu Christi in altario immolat , toties perceptionis corporis , & sanguinis Christi se participem præbeat*. Sic ibi. Et in his quidem verbis distinguitur immolatio , seu Sacrificium corporis , & sanguinis Christi à participatione eorum ; vt & in illis alijs eiusdem Canonis , *Quasi non sit toties illi vero , & singulari Sacrificio participandum, quoties*

corpo

corporis, & sanguinis Domini nostri Iesu-Christi immolatio facta constiterit. Secernitur similiter Sacrificium à participatione, quando in Missa orat Sacerdos, *Vt quotquot ex hac altaris participatione sacrosanctum filij tui corpus, & sanguinem sumpserimus, &c.*

10 Consueuit muniri secundò ex C. *Cum frangitur* 37. Dist. eadem, vbi legitur, *Cum frangitur hostia, dum sanguis de calice in ora fidelium funditur, quid aliud, quàm Dominici corporis in cruce immolatio, eiusque sanguinis de latere effusio designatur?* Sed cum in hoc Canone apertè sit sermo de hostiæ fractione facta ad distribuendam eam fidelibus, & de speciebus consecratis vini fusis olim in ipsorum ora, inefficax inde desumitur probatio, nam qui illam vsurpant, fatentur, non cõsistere Sacrificium in sumptione specierum consecratarum facta ab eis, qui Sacerdotes non sunt. Et quanquam sermo esset de sumptione facta a Sacerdotibus, & per eam significetur tũ immolatio corporis Christi in cruce, tum sanguinis de latere effusio, non sufficit id, vt pertineat ad essentiam Sacrificij incruenti, vt perspicuum erit ex Disputationis decursu.

11 Probari solet tertiò ex Cõcilio Neocæsarensi Cap. 13. apud quod sunt idem offerre, & communicare. Atqui offerre, & sacrificare idem sunt. Ergo, &c. Cęterùm gratis attribuitur Cõcilio Neocęsarẽsi, quòd non distinguat offerre, seu sacrificare, & communicare. Verba Concilij sunt, *Presbyteri, qui conregionales sunt, in Ecclesia præsentibus Episcopis, vel Presbyteris ciuitatis offerre non possunt, nec dare panem sanctificatum, nec calicem porrigere.* Sic ibi. Sed non video, quo iure dicatur, illud *offerre* significare ibi idem, ac Sacerdotem communicare se ipsum. P. Salmeron tomo 9. in Euangelia Tract. 19. pagin. 281. cum Concilio Neocæsarensi coniungit Laodicenum C. 19. quatenus in hoc tradatur, fructum oblationis esse in communione. Ast in eo Capite aliud traditur, scilicet *solis ministerio sacro deditis ad altare ingredi, & communicare ibidem licere.* Et quanuis traderetur, quod dicitur, quid inde?

12 Adstruitur quartò à permultis ex S. Augustino L. 17. de Ciuitate Dei C. 5. dicente, *Manducare panem, est in nouo Testamento Sacrificium Christianorum.* Idem Sanctus Doctor in Epist. 23. ait, *Nonne semel immolatus est Christus in se ipso; & tamen in Sacramento non solùm per omnes Paschæ solẽnitates, sed omni die populis immolatur; nec vtique mentitur, qui interrogatus, eum responderit immolari.* Vbi nomine immolationis significare videtur consumptionem. Rursus Lib. 20. contra Faustum Manichæum Cap. 18. inquit, *Vnde iam Christiani, peracti eiusdem Sacrificij memoriam celebrant, sacrosancta oblatione, & participatione corporis, & sanguinis Christi.* Vlteriùs Libro 20. de Ciuitate Dei Cap. 9. scribit, *Neque enim piorum animæ mortuorum separantur ab Ecclesia, quæ etiam nunc est regnum Christi. Alioquin nec ad altare Dei fieret eorũ memoria in communicatione corporis Christi*, id est, in Sacrificio, quod per se requirit altare. Accedit Petrus Abbas Cluniacẽsis Epistola cõtra Petrobrusianos titulo contra id, quod dicunt, Missam nihil esse, neque celebrari debere, inquiens, *Neque enim ibi* (nempe in altari) *Christus, vt olim dolores, aut mortem patitur, cum tamen immolari dicatur. Dicitur autem immolari, cum, licet inuiolabiliter, in altari frangitur, diuiditur, comeditur, cum his, & quibusdam alijs signis, in quantum fieri potest, mors Domini maximè repræsẽtatur.* Accedit Guerricus Igniacensis serm. 5. de Purificatione B. Mariæ V. dicens, *Tales oportet nos esse, cum corpus Christi consecramus, cũ consecratum manducantes sacrificamus, cum vobis idem corpus in salutem corporis, & animæ porrigimus.* Item Humbertus S. R. E. Cardinalis in responsione aduersus Nicetam cognomento Pectoratum, vbi ait, *Quodlibet horũ trium sine reliquis fiat, scilicet aut benedictio sine distributione, aut fractio sine benedictione, & distributione, perfectam memoriam Christi non repræsentat, sicut distributio nullã sine benedictione, & fractione.* Sed vt ab Humberto incipiam, loquitur ille de toto Missę Officio accidẽ taliter etiam perfecto, contra Græcos, qui duobus tantum diebus hebdomadæ Missã integrã celebrabãt. De Guerrico fateor, fauere mognopere Aduersarijs. Venerabilis Petrus Clunacensis non facilè explicatur. Sed responderi potest, extendisse immolationis nomen ad comestionem, quæ in altatari fit à Sacerdote, & quæ est Sacrificij complementum, non secus ac extendit ad specierum consecrata-

rum fractionm, & diuisionem, ex quibus tamen nec partialiter constituitur essentia Sacrificij. Quatuor testimonia S. Augustini comprehendunt cō sumptionem, quæ fit etiam à fidelibus non celebrantibus; & ideo qui eis vtuntur, debent curare de eorum interpretatione. Testimonium ex L. 20. de Ciuitate Dei intelligēdū est de corporis Christi communicatione aptitudinali; nam per consecrationem, adeòq; per sacrificatiuam actionē redditur corpus Christi aptum ad cōmunicationē actualem. Aliud testimonium ex L. 20. contra Faustum significat in participatione corporis, & sanguinis Christi repræsentari Sacrificium cruētum crucis. Sed talis repræsentatio non sufficit, vt participatio sit ipsum Sacrificium incruentum. In altero testimonio ex Ebist. 23. To *Immolari populis* non est suscipi à populis, sed sacrificari coram eis, vel in eorum vtilitatem. Primum ordine testimoniū ex L. 17. de Ciuitate Dei vocat Sacrificium rem oblatam, & sacrificatam sub specie panis, sumptamque non solùm à Sacerdotibus, sed etiam à cunctis fidelibus; & hāc interpretationem quadrare menti S. Augustini, ostendit totus cō textus; quē, quia prolixus est, non huc transfero.

13 Roborari solet quintò ex S. Tho. qui 2. 2. q. 85. ar. 3. ad 3. habet verba, quæ dedimus in n. 4. Et præterea 3. p. q. 80. art. 12. ad 3. inquit, *Potest à populo corpus sine sanguine sumi. Nec exindè sequitur aliquod detrimentum, quia Sacerdos in personā omnium sanguinem offert, & sumit, & sub vtraque specie totus Christus continetur.* Ex quibus verbis deducitur, sumptionem sanguinis à Sacerdote esse Sacrificium, tum quia id, quod nomine omnium fidelium exequitur Sacerdos, Sacrificium est, & non Sacramētum, tū quia sumptio nomine omnium est actio publica, & non priuata, proindeque est actio Sacerdotis vt sacrificantis. Q. 82. ar. 4. docet, Sacerdotem teneri ad sumptionem, quia de ratione Sacrificij est, vt Sacerdos sit particeps illius. Q. 83. ar. 2. ad 2. scribit, *In die, quo ipsa Passio Domini recolitur, prout realiter gesta est, non celebratur consecratio huius Sacramenti; ne tamen Ecclesia ea etiam die sit sine fructu Passionis per hoc Sacramentum nobis exhibito, corpus Christi, consecratum in die præcedenti, reseruatur sumendū in illo die.* Vnde infertur, communicari Eucharistiæ fructum per sumptionem non soli sumenti Sacerdoti, sed etiam Ecclesiæ; huic autem communicari non potest per sumptionem, nisi vt habētem rationem Sacrificij, nam sumptio, vt Sacramenti est, soli sumenti prodest. In eadem q. ar. 6. ad 3. ait, Sacramentum Eucharistiæ manere imperfectum in ratione Sacrificij, si desit sumptio facta à Sacerdote; & per hāc perfici illud. Verumtamen S. Thomas in primo loco non agit de Sacrificio Eucharistico sub speciebus panis, sed de Sacrificio veteris legis in ipsa substantia panis oblato. Et alioqui S. Doctor requireret fractionem hostiæ consecratæ ad essentiam Eucharistici Sacrificij contra id, quod docet 3. p. q. 83. art. 6. ad 6. In secundo loco non magis potest adstrui constitutio essentiæ Sacrificij per sumptionem sanguinis factam à Sacerdote, quàm per reliquas alias actiones Missæ, quandoquidem tota Missa celebretur à Sacerdote nomine Ecclesiæ, fidelium-que omnium, & nulla sit in Missa actio, quæ non sit publicæ potestatis. Tertio in loco non aliud docetur à S. Thoma, quàm sumptionem Sacerdotalem esse complementum Sacrificij, sicut pes, aut manus est complementum hominis, sed non de eius essentia. Ex quo patet etiam interpretatio ad quintum locum. Quarto autem in loco intelligendus est S. Doctor de Passionis fructu, qui ex sumptione corporis Christi in Parasceue percipitur à sacerdote, & proinde ab Ecclesia, cuius pars est valde præcipua Sacerdos. Vel in eliigi potest de fructu, quē comparant fideles per impetrationem Ecclesiæ in Officio, & orationibus diei illius.

14 Potest probari sextò ex Cōcilio Colonienſi Prouinciali celebrato ad annum 1536. parte 7. C. 26. vbi dicitur *Communio pars præcipua Missæ*; & in C. 27. additur, *Quotidie immolatur in Sacramento Christus; non quòd toties occidatur; sed quòd illud vnicum Sacrificium mysticis ritibus quotidie renouetur, quotidianaque recordatione mortis Domini nostri (qua liberati sumus) in edendo, & potando carnem, & sanguinem, quæ pro nobis oblata sunt, hoc ipsum repræsentatur, quod olim factum est; facitque oblatio ista sacramentalis, moneri nos, tanquam videamus præsentem Dominum in cruce.* Postrema hæc verba parùm conuincerent, nisi

nisi præcessissent priora; in quibus fateor, Concilium Colonienſe magnopere fauere ſententiæ, quæ eſſentiã Sacrificij componit ex ſumptione Sacerdotali.

15 Arguitur ſeptimò, nam feria ſexta in Paraſceue celebrãs ſumit ſolummodò Sacramentum pridie confectum; & tamen tunc datur verum Sacrificium, nam tunc etiam dicit Sacerdos, *In ſpiritu humilitatis, & in animo contrito ſuſcipiamur à te Domine: vt ſic fiat Sacrificiũ noſtrũ in conſpectu tuo hodiè, &c.* Et rurſus, *Orate fratres, vt meum, ac veſtrum Sacrificium acceptabile fiat, &c.* Confirmatur ex Canone Trullano §2. vbi conſumptio hoſtiç, quæ præteritis diebus fuerat cõſecrata, vocatur Sacrificium. Eodemq; modo diu anteà appellatur à Cõcilio Laodicẽſi C.49 Sed in hoc Concilio nihil præſidij habetur, nã eius verba ſunt, *Nõ oportet, in Quadrageſima panem benedictũ offerri, niſi in Sabbatho, & Dominica.* Non magis fauet Trullanus Canon dicens, *In omnibus ſanctæ Quadrageſimæ ieiunij diebus, præterquàm Sabbatho, & Dominica, & ſancto Annunciationis die, fiat ſacrum præſanctificatorum miniſterium.* Vbi *Sacrum miniſterium* idem eſt, ac ſacrum Officiũ. Neque iuuant verba vſitata in Eccleſia Romana, nam in eis Sacrificium non ſignificat actionem ſacrificandi, ſed rem oblatam, & iam anteà ſacrificatam, vel poſteà ſacrificabilem, non ſecus ac in aliis Liturgiæ verbis, vt cum in Canone poſt conſecrationem dicitur, *Sanctum Sacrificium, immaculatam hoſtiam*; & ante conſecrationem, *Hæc dona, hæc munera, hæc ſancta Sacrificia illibata.* Retorqueo argumentum petitum ex verbis Romanæ Eccleſiæ, nam in feria ſexta Paraſceues non dicit Sacerdos, *Placeat tibi, ſancta Trinitas, obſequiũ ſeruitutis meæ, & præſta, vt Sacrificiũ; &c.* Quę verba hoc die omittuntur, ne minus verè aſſeratur, eſſe oblatum Sacrificium, vt animaduertit Gauantus in Rub. Miſſalis p.4.tit.9. num.20.

16 Octauò, ſi ſumptio non pertineat ad eſſentiam Sacrificij, nulla erit ratio efficax ad perſuadendam in Sacerdote tam ſtrictam obligationem, quantam re ipſa habet ſumendi Euchariſtiam à ſe conſecratam; neq; debebit Eccleſia tã ſollicita eſſe, vt ſi morte, vel infirmitate impediatur Sacerdos exequi ſumptionem, ſuccedat alius loco illius, vt præcipitur C. *Illud diui* [illegible] & C. *Nihil contrà* 7.q.1. Inſt[illegible] argumentũ in oblatione prima, ſiue [illegible] tali, materiæ conſecrand[illegible] blatio nunquam eſt relinq[illegible] curat Eccleſia, vt non omi[illegible], etiam quãdo ob defectum prioris materiæ affertur alia; hinc tamen nõ deducitur, talem oblationem eſſe de Sacrificij eſſentia. Poteſt quidem ſumptio Sacerdotalis eſſe præcepta iure diuino, & non conſtituere eſſentiam Sacrificij; poteſt etiã Eccleſia obligare arctiſsimè ad eam, ne Sacrificium maneat mutilum, & imperfectũ ſubſtantialiter, ſicut corpus humanum ſine manu, aut pede. Ad hæc: contingere poteſt caſus, in quo poſt conſecrationem ambarum ſpecierum (in quib⁹ appareant caro, & ſanguis) nõ detur obligatio ad ſumptionem, neque ad conſecrandas de nouo alias ſpecies, eaſque ſumendas, imò & in quo debeat Sacerdos non facere vnum, neque alterũ; de quo caſu agemus in D.29.S.4. Reſq; citra controuerſiam erit, ſi ſemel, & iterùm euenìat caſus ille Sacerdoti celebranti in eodem die, & altari; ſic enim ſatis ſignificabit Deus, non placere ſibi, vt Sacrificiũ perficiatur ſubſtantialiter.

17 Nonò, quia de ratione Sacrificij eſt immutatio hoſtiæ, conſumptioque ipſius. Sed in Miſſa non datur alia actio, quę ſit immutatio, conſumptioq; Chriſti per modum hoſtiæ ſacrificatæ, quam ſumptio Sacerdotalis. Ergo, &c. Decimò, hoc Sacrificium eſt immolatio hoſtiæ. Sed non immolatur huius Sacrificij hoſtia, niſi quando conſumitur, non enim immolatur, quãdo cõſecratio fit, tunc enim tantùm conſumuntur ſubſtãtię panis, & vini, quæ non ſunt hoſtia, neque res oblatę in hoc Sacrificio. Vndecimò, eſſentia Sacrificij cruenti conſiſtit tantùm in morte Chriſti, vt ab ipſo in actu exercito eſt oblata in ſatisfactionem Deo debitã pro noſtris delictis. Ergo eſſentia Sacrificij incruenti conſiſtet tantùm in ſumptione, vt oblata à Sacerdote in prędictum finem. Duodecimò, ſumptio prędicto modo facta repręſentat perfectiſsimè mortem Chriſti, cruentumq; Sacrificium eius in cruce, iuxta illud Pauli ad Corinthios 1.C.11 *Quotieſcumq; mãducabitis panẽ hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis.* Ergo ſumptio prædicto modo facta eſt eſſentialiter Sacrificium cruentum.

Sed has rationes inefficaces esse, cõstabit abundè ex Sectionibus sequentibus. Vnde cum nullum sit argumentum, siue ab authoritate, siue à ratione, quo ostendatur, sumptionem Sacerdotalẽ esse adæquatam, vel inadæquatam essentiam Sacrificij Missæ, asserendum est, hanc nullatenus consistere in tali sumptione. Id quod argumentis positiuis desumptis ex authoritate, & ex ratione fulcietur à nobis in Sectionibus venientibus, simulque declarabitur, quo pacto sumptio pertineat ad integritatem, & complementum substantiale Sacrificij Missę.

SECTIO III.

Essentia Sacrificij Missæ constituenda est adæquatè in consecratione.

18 DVO sunt à nobis firmanda, alterum, essentiam Sacrificij Missę consistere in consecratio; alterũ, saluari adæquatè in ea. Præstabimus vtrumque simul.

Probationes ex auihoritate VV. PP.

FAVET in primis S. Thomas, nam 3. p. q. 82. art. 4. cum in primo loco proposuisset hoc argumẽtum, *Videtur, quòd Sacerdos consecrans non teneatur sumere hoc Sacramentum. In alijs enim consecrationibus ille, qui consecrat materiã, non vtitur ea, sicut Episcopus, cõsecrãs chrisma, non linitur eodem. Sed hoc Sacramentum consistit in consecratione materiæ:* S. Doctor respondet, *consecratio chrismatis, vel cuiuscumque alterius materiæ non est Sacrificium, sicut consecratio Eucharistiæ: & ideo non est similis ratio.* Dices, sensum S. Thomę esse, chrisma non esse hostiam, quę necessariò debeat sumi in Sacrificio, sicut est Eucharistia. Sed certè hęc interpretatio est valde extorta. Idem S. Doctor ibi ad 2. & ar. 10. in Cor. & ad 1. ait, *perfici in consecratione Sacramentum Eucharistiæ, in qua Sacrificium offertur Deo; & consecratione huius Sacramenti Sacrificiũ offerri.* q. etiam 83. art. 4. in Corp. declarãs quid significetur per verba Canonis Missæ subsequentia consecrationem, inquit, *Excusat Sacerdos præsumptionem per obediẽtiam ad mandatum Christi, cum dicit, Vnde & memores. Petit, hoc Sacrificium peractum, esse Deo acceptum, cum dicit, Suprà quæ propitio.* Sed replicabis, nam Sanctus Thomas addit immediatè, *Petit Sacerdos huius Sacrificij, & Sacramenti effectum, primò quidem quantùm ad ipsos sumentes, cum dicit, Supplices te rogamus. Secũdò quãtùm ad mortuos, qui iam sumere non possunt, cum dicit, Memento etiam Domine. Tertiò specialiter quantùm ad ipsos Sacerdotes offerentes.* Si ergo iuxta Sanctum Doctorem petitur post consecrationem effectus Sacrificij. Ergo in consecratione non saluatur essentia Sacrificij, hoc enim statim, ac existit, causat suum effectum ex opere operato. Cæterùm hæc difficultas, quæ grauis est, non versatur contrà literam Sancti Thomæ, sed contrà opinionem ipsam; & ideo ad eam respondebimus posteà.

19 Fauet Rupertus Lib. 2. in Exodum C. 6. dicens, ✻ Priùs proprijs manibus Deo Patri semetipsum Christus immolauit, accipiens panem, & vinum, & mira, atque ineffabili sanctificationis potẽtia transferens hæc in corporis, & sanguinis sui Sacramentum. ✻ Et posteà, ✻ Quòd verò manibus suis corpus, & sanguinem suum sub specie panis ipse summus Pontifex obtulit, &, Hoc facite in meã commemorationẽ, dixit, eorum salus est, qui in ista vita detinentur. ✻ En consecrationẽ à Christo in vltima cœna factam vocat immolationem, & oblationem.

20 Fauet Sanctus Ambrosius enarratione in Psalmum 38. inquiens, ✻ Vidimus Principem Sacerdotum ad nos venientem Christum, vidimus, & audiuimus offerentem pro nobis sanguinem suum. Sequamur, vt possumus, Sacerdotes, vt offeramus pro populo Sacrificium, etsi infirmi merito, tamen honorabiles Sacrificio; quia etsi nunc Christus non videtur offerre, tamen ipse offertur in terris, quando Christi corpus offertur. Imò ipse offerre manifestatur in nobis, cuius sermo sanctificat Sacrificium, quod offertur. ✻ En sermo consecratorius prolatus à Sacerdote in persona Christi sanctificat Sacrificium, quod offertur.

21 Fauet Sanctus Gregorius Magnus L. 4. Dialogorum C. 58. scribens,

bens, ✻ Hæc singulariter victima ab æterno interitu animam saluat, quę illam nobis mortem Vnigeniti per mysterium reparat, qui licet resurgens à mortuis iam non moritur, & mors ei vltrà non dominabitur, tamẽ in semetipso immortaliter, atque incorruptibiliter viuens, pro nobis iterùm in hoc mysterio sacræ oblationis immolatur. Eius quippe ibi corpus sumitur, cuius caro in populi salutem partitur, eius sanguis non iam in manus infidelium, sed in ora fidelium funditur. Hinc ergo pensemus, quale sit pro nobis Sacrificium, quod pro absolutione nostra Passionẽ Vnigeniti filij semper imitatur. Quis enim fidelium habere dubiũ possit, in ipsa immolationis hora ad Sacerdotis vocem cœlos aperiri, in illo Iesu Christi mysterio Angelorum choros adesse, summis ima sociari, terrena cęlestibus iungi, vnum quoque ex visibilibus, atque inuisibilibus fieri? ✻ En immolationis hora, seu instans idẽ est, quod consecrationis.

22 Fauet S. Isidorus Hispalensis L. 6. Etymologiarum C. 19. dicẽs, *Sacrificium dictum, quasi sacrum factum, quia prece mystica consecratur in memoriam pro nobis Dominicæ Passionis.* Quibus verbis vtitur Magister Sententiarum L. 4. Dist. 13. referunturq; ex S. Gregorio in C. *Multi* 1. q. 1.

23 Fauet S. Gregorius Nyssenus Oratione 1. de Christi Resurrectione inquiens, *Cum corpus suum discipulis congregatis edendum, & sanguinem bibendum præbuit Christus, tunc apertè declarauit, agni Sacrificium iam esse perfectũ: nam victimæ corpus non est ad edendum idoneum, si animatum sit. Quare cum corpus edendum, & sanguinem bibendum discipulis exhibuit, iam arcana, & non aspectabili ratione corpus erat immolatum, vt ipsius mysterium peragentis potestati collibuerat.* Ex quibus vltimis verbis habetur, corpus Christi fuisse incruentè immolatũ per consecrationem in vltima cœna, antequàm distribueretur; quanquã ex prioribus colligi possit, eium corporis, & potum sanguinis pertinere ad perfectionem, & complementum Sacrificij. Sed neque id officit nobis, neque prodest Aduersarijs, nam consumptio vt facta à discipulis Christi aliena omnino fuit à constitutione essentiæ Sacrificij incruenti celebrati à Christo; imò neque illud perfecit, & complenit substãtialiter; sola enim consumptio facta ab ipsomet Christo præstitit id. Associo S. Nysseno orationem, in qua dicit Ecclesia ad Missam Epiphaniæ, *Christum immolatum sumi.*

24 Fauet S. Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi 5. Mystagogica dicens, *Postquàm confectum est illud spirituale Sacrificium, & ille cultus incruentus super ipsa propitiationis hostia, obsecramus Deum pro communi Ecclesiæ pace.* Et inferiùs, *cum hoc Sacrificium offerimus, posteà facimus mentionem etiam eorum, qui ante nos obdormierunt.* Sic ille. Iam igitur est Sacrificium confectum, & oblatum, quando ante consumptionem oratur pro Ecclesiæ pace, & pro defunctis.

25 Fauet S. Irenæus L. 4. contra Hæreses C. 32. scribens, *Suis discipulis dans consilium, primitias Deo offerre ex suis creaturis (non quasi indigenti, sed vt ipsi nec infructuosi, nec ingrati sint) eum, qui ex creatura panis est, accepit, & gratias egit dicens, Hoc est corpus meum: & calicẽ similiter, qui est ex ea creatura, quæ est secũdùm nos, suum sanguinem confessus est, & noui Testamenti nouam docuit oblationem.* Quare iuxta S. Irenæum noua docta est à Christo oblatio, quæ in nouo Testamento fiat, quando fit consecratio huiꝰ Sacramenti.

26 Fauet S. Cyprianus, vel quisquis est Author Sermonis de cœna Domini inquiens, *Ex quo á Domino dictum est, Hæc est caro mea, & Hic est sanguis meus, quotiescumque his verbis, & hac fide actum est, panis iste substantialis, & calix benedictione solemni sacratus, ad totius hominis vitam, salutemque proficit, simul medicamentum, & holocaustum existens ad sanandas infirmitates, & purgandas iniquitates.* Censet itaque antiquus is Pater, fieri holocaustum eisdem verbis consecratorijs, quibus fit Sacramentum, & medicamentum.

27 Fauet S. Cæsarius Arelatensis dicens in Homilia 12. *Non tunc fiunt Missæ, quando diuinæ lectiones in Ecclesia recitantur, sed quando munera offerũtur, & corpus, vel sanguis Domini consecratur.* Refert ex S. Augustino in communibus Sermonibus in 19. eadem verba Thomas Vualdensis C. 35. de Sacramẽ talibus.

28 Fauet Paschasius Rathbertꝰ C. 4. de Corpore, & sanguine Domini inquiens,

inquiens, *Voluit in mysterio hunc panem, & vinum verè carnem suam, & sanguinem consecratione Spiritus Sancti potentialiter creari; creando verè, quotidie pro mundi vita mysticè immolari, vt sicut de Virgine per Spiritum vera caro sine coitu creatur, ita per eundem ex substantia panis, & vini mysticè idem Christi corpus, & sanguis immoletur.* Rursus C. 19. *Iam immolato Christo per Sacramentum diuinæ traditionis, corpus frãgitur ad escam populis.* Non eget expensione testimonium hoc Paschasij, neq; præcedens S. Cæsarij.

29 Fauet S. Leo Papa Serm. 7. de Passione, vbi de Christo inquit, *Corporis, & sanguinis sui ordinans Sacramentum, docebat, qualis Deo hostia deberet offerri.* In quibus verbis institutionem, confectionemque Sacramenti Eucharistici factam à Christo vocat oblationẽ hostiæ.

30 Fauet S. Gaudentius Tractatu 2. in Exodum dicens de Christo, *Idem per singulas Ecclesiarum domos in mysterio panis, ac vini reficit immolatus, viuificat creditus, consecrantes sanctificat consecratus.* En refectio spiritualis, quam efficit Christus in suscipientibus Eucharistiam, subsequitur ad immolationem. S. Zeno Veronensis Sermone de Continentia inquit, *Sacrificium* Christianorum *consecrari*, id est, per consecrationem effici. S. Dionysius Areopagita refertur à nonnullis, quatenus in C. 3. de Hierarchia Ecclesiastica consecrationem nominet mysticam sacrificationem. Ego ibi id non lego, sed quædam verba nonnihil remota §. 12. Contemplationis 3. ideoque ea huc nõ transfero. His Patribus adiunget quis ex Suarez Disp. 76. sect. 5. V. *Secunda sententia*, & ex Vazquez D. 222. C. 5. n. 39. Simeonem, & Nicolaum Cabasilam Archiepiscopos Thessalonicenses, quorum primum allegant ex nostro Francisco Turriano in Librum 8. Cõstitutionum Apostolicarum Clementis; & secundi verba leguntur in expositione Liturgiæ C. 32. Sed secundus est Schismaticus, odioque in Romanã Ecclesiam incensus. Requiritq; in eo C. & in 27. ex falsa, hæreticaque sententia ad Sacrificij constitutionem, perfectionemque essentialem, vt post Sacramẽti Eucharistici, quas Latini vocant, formas, accedant preces quædam, ita vt anteà corpus, sanguisque Christi non ponantur sub panis, vinique speciebus. Primi verò verba non inuenit Cardinalis de Lugo D. 18. sect. 3. n. 43. in Turriano Lib. 8. Constitutionum earum, Cap. 50. citato à Vazquio. Sed verba relata ab ipso reperiuntur in num. 3. Scholiorum Turriani ad C. 5. illius L. 8. & eadem sunt cum his, quæ habet Nicolaus. Video, responderi posse ad authoritates adductas, consecrationem dici immolationem, & Sacrificium. Primò, quia per illam fit hostia consecrata, id est, victima sacrificanda; quæ sæpe in Scriptura Sacrificium dicitur. Secundò, quia à consecratione incipit id, quod est de iure diuino, & absolutè vocatur Missa, nam id, quod præcedit, appellatur solummò Missa Catechumenorum; imò & id aliquando per anticipationem nominatur Sacrificium. Video, responderi sic posse. Sed in re non discussa ex professo à Patribus, leuia haudquaquam sunt indicia, quæ nobis reliquerunt; & maiora certè, quàm, quæ aduersarij venantur pro suis opinionibus.

31 Progrediamur iam ad argumenta deprompta ex loco Theologico rationis.

Probationes ex ratione.

PRIMAQVE sit, sola consecratio fit à Sacerdote in persona Christi. Ergo sola consecratio est de essentia Sacrificij Missæ, nam ea sola actio est de huius essentia, quæ in persona Christi fit, & respectu cuius Christus est principalis offerens. Respondebis, sumptionem Sacerdotalem fieri etiam à Sacerdote in persona Christi. Sed cõtrà, quia si Sacerdos exerceret Christi nomine actionem manducandi cœlestem panem, diceretur Christus manducans semetipsum per Sacerdotem, qui modus dicendi absonus valde esset. Si ob id respondeas, satis esse, quòd Christus offerat se, vt manducandum per Sacerdotem in protestationem authenticam diuinæ excellentiæ, sicut se obtulit vt occidendum in cruce per Iudæos. Impugnaberis, tum quia sic non saluatur, Christum esse proximum, & immediatum sacrificantem, prout volunt esse multi ex Aduersarijs: tũ quia Christus non offert se vt manducandũ

per

per Sacerdotem, nisi præsupposita cõsecratione, in qua præcedit Sacrificij essentia.

32 Secundum argumentum, Sacerdos per se primò ordinatur ad sacrificandum. Sed per se primò ordinatur ad consecrandum. Ergo consecrare est sacrificare. Consequentia rectè deducitur. Maior est indubitata. Minor autem probatur, quia Sacerdos per se primò ordinatur ad id, quod est maximè proprium Sacerdotis, & per quod differt à Laicis. Sed hoc est consecrare; ad quod tantùm indiget charactere Sacerdotali, non ad sumendum, neque ad alias actiones, quæ sunt communes cũ non Sacerdotibus. Vnde Concilium Tridentinum Sess. 23. C. 4. hinc colligit, non omnes Christianos esse Sacerdotes, quia non omnes habent potestatem consecrandi. Et alioqui peraccidens se haberet potestas consecrandi ad officium Sacerdotis; & ita Ecclesia posset separare hoc munus à Sacerdotio, cum non esset de Sacerdotij ratione. Confirmatur, nam potestas præcipua Sacerdotis est ad offerendum corpus, & sanguinem Christi per consecrationem, vt constat ex Concilio Tridẽtino Sess. 23. C. 1. & 4. Sed potestas præcipua Sacerdotis est sacrificatiua. Ergo oblatio corporis, & sanguinis Cristi per consecrationem est actus potestatis huius, & proindè sacrificatio. Respondebis, Sacerdotem per se primò ordinari ad consecrandum, etsi enim in consecratione non consistat essentia Sacrificij, attamen consecratio est præparatio hostiæ offerendæ, & sacrificandæ per sumptionem Sacerdotalem; ideòque mirum non esse, quòd etiam ad consecrationem ordinetur per se primò Sacerdos. Sed contrà, quia si consecratio non sit ipsa Sacrificij essentia adæquatè, vel inadæquatè, non respicietur à potestate Sacerdotali tanquàm actus, & exercitium, quod necessariò debeat respondere ipsi; sed satis erit, si præsupponatur ad actum, & exercitium potestatis Sacerdotalis, videlicet ad sumptionem Sacerdotalem, vndecumque inducta sit, & per aliam potestatem.

33 Tertium argumentum, si in aliquo alio præter consecrationem consisteret essentia Sacrificij, maximè in Sacerdotali sumptione. Sed in hac non consistit. Ergo saluatur in sola cõsecratione. Minor, quæ tantùm eget probatione, roboratur primò, quia Sacrificij celebrati à Christo in cœna, & eius, quod nunc à Sacerdotibus celebratur, eadem est essentia. Ast non est expressum in Euangelio, Christũ sumpsisse corpus suum, & sanguinem in cœna, vt notauimus in D. 2. n. 25. Si autem Sacrificium incruentum, celebratum à Christo in cœna, componeretur essentialiter ex facta a Christo sumptione, haberetur de hac sermo in Euãgelio; nec sine absurdo concederetur, fileri in eo aliquid spectans ad Sacrificij incruenti essentiam. Secundò, nã Christus non solùm immolatur sub accidentibus, sub quibus sumitur à Sacerdote, sed etiam sub alijs, sub quibus sumitur à cęteris fidelibus, quandoquidem, & hi participes sint Sacrificij. Sed si essentia istius consisteret vel partialiter in Sacerdotali sumptione, non immolaretur Christus, nisi vt sub accidentibus à Sacerdote sumptis. Ergo &c. Tertiò, quia iuxta S. Thomam 3. p. q. 22. art. 6 ad 2. *Verum Christi Sacrificium communicatur fidelibus sub speciebus panis, & vini.* Sed fidelibus non communicatur sumptio Sacerdotalis, nec aliquis eius terminus. Ergo sumptio Sacerdotalis non est etiam partialiter Sacrificium. Dices, verum Christi Sacrificiũ communicari Laicis, quia communicatur ipsis Christus, qui est victima sacrificata sub alijs specierũ particulis sumptis à Sacerdote; vel quia specierũ particulę sumptę à Laicis dicuntur sacrificatæ, seu potiùs Christus sub eis, denominatione accepta ex alijs particulis à Sacerdote sumptis, seu potiùs ex Christo sub eis. Sed contrà, nam communicari Christum fidelibus, non est cõmunicari Sacrificium vt tale, nisi vt summùm denominatiuè, qui modus communicationis est valde improprius; vel non est nisi communicari victimam Sacrificij; quo quidem modo non communicatur Sacrificium, sed res sacrificata. Quartò, quia sumptio Sacerdotalis est participatio Sacrificij, seu victimæ sacrificatæ. Ergo non est vel inadæquatè ipsum Sacrificium; alioqui vt participatio subsequetur victimam sacrificatam; & vt Sacrificium, seu actio sacrificatiua antecedet eamdemmet victimam. Confirmatur exindè, quòd

quòd sūptio aliorū, qui Sacerdotes nō sunt; imò & sumptio Sacerdotum, quādo ipsi non consecrarunt, non est Sacrificium. Ergo neque quando consecrarunt, nam quòd præiverit consecratio ab ipsismet facta, non est, cur sumptioni, aut participationi Sacrificij adscisçat conceptum constituendi essentialiter illud. Quintò, quia aliquando licet Sacerdoti, non progredi ad sumptionem hostiæ consecratæ, vt docet S. Thomas 3. p. q. 82. art. 4. ad 3. Nunquam autem liceret, si sumptio à Sacerdote facienda pertineret ad essentiam Sacrificij. Sextò, si Sacrificium coalesceret essentialiter ex sumptione Sacerdotali, foret hęc necessaria iure diuino, essetque de fide, dari eius præceptum, cum de fide sit, extare obligationem sacrificandi. Sed de fide non est certū, sumptionem Sacerdotalem præceptam esse iure diuino; imò cum Concilium Tridentinum Sess. 13. C. 8. loquens de obligatione ad eam, & de eius vsu, dicat, descendere ex tradititione Apostolica, quin meminerit præcepti diuini, videtur indicare, non esse necessariam ex iure diuino Christi. Septimò, si ob aliquam rationem sumptio Sacerdotalis componeret essentiam Sacrificij, maximè quia requiritur aliquid, quod sit destructio victimæ sacrificatæ. Atqui sumptio Sacerdotalis nō est destructio Christi vt sacrificati sub accidentibus panis, & vini, nā adhuc post sumptionem manet Christus sub eis, quandiu in stomacho non digeruntur, & corrumpuntur. Si ergo ob requisitam ad Sacrificium destructionem victimę adstruitur constitutio Sacrificij ex aliquo alio vltrà consecrationem, illud aliud non erit sumptio Sacerdotalis, sed corruptio accidentium panis, & vini intra stomachum. Dices, per sumptionem destrui efficienter Christum vt sub eis accidentibus, tametsi destructio formaliter non sequatur, quoadvsq; corrumpantur accidentia. Sed contrà, quia similiter ego dicam, victimam Eucharistici Sacrificij destrui per consecrationem efficienter, nō modò quatenus consecratio inducit obligationē sumptionis Sacerdotalis, sed etiā quatenus ponit Christum sub accidentibus In eo statu, in quo diu conseruari non potest. De hoc tamen puncto posteà. Octauò, sumptio subsequitur Missæ Canonem, in quo contineri censetur actio sacrificandi; & ideò ab Vualafrido Strabone C. 22. de Ecclesiasticis rebus Canon vocatur actio sacra, quia in eo conficitur Sacramentum, & Sacrificium. Huic tamen rationi peritæ ex nomine non admodùm fido, cum eiusdem Canonis pars quædam Incipiens ab illis verbis *Communicantes*, &c. quæ præcedunt consecrationem, dicatur, *Lefrá Actionem*. Nonò, Eucharistiæ, vt Sacramēti, essentia totalis salua est ante omnem vsum. Ergo & eiusdem vt Sacrificij. Neq; huic rationi firmiter adhæreo, sicut enim diuersa sunt constitutiua Eucharistiæ vt Sacramenti, & vt Sacrificij per modum actionis; ita vt Sacramentum poterit respuere constitutionem ex vsu, & non vt Sacrificium.

34 Quartum argumentum, Sacrificij Missæ essentia saluatur sufficienter in consecratione. Ergo ad illius constitutionem non sunt admittendæ aliæ actiones, siue antecedentes, siue subsequentes: antecedentes quidem, vt oblatio prima verbalis; subsequentes, vt oblatio secunda verbalis, fractio, mixtio, sumptio Sacerdotalis, & distributio nō celebrantibus facta. Probatio Antecedentis non aliunde meliùs desumetur, quàm ex solutione argumentorum, quæ ab Aduersarijs conficiuntur.

SECTIO IIII.

Dissoluuntur obiectiones tres.

Prima de Officio in feria sexta hebdomadæ sanctæ.

35 OPPONITVR primò, Sacrificium Missæ celebratur feria sexta in Paraseue, etiamsi eo die Sacerdos non consecret, sed sumat ex præconsecratis. Ergo consecratio non est de essentia Sacrificij etiā inadæquatè. Antecedens suadetur, quia si in eum diem incidat festum solemne, quod alio die afferret obligationem audiendi sacrum, tenebuntur fideles non omittere auditionem Missæ, vt vsus Ecclesiæ habet comprobatum, testante Araujo ad q. 83. part. 3. S. Thomæ.

mæ. Ergo quia tunc verum peragitur Sacrificium. Respondeo, negando Antecedens, quia iuxta Innocentium l. C. *Sabbatho* 13. de Cōsecratione Dist. 3. *Sacramenta penitus non celebrantur* tali die; nomine autem celebrationis Sacramētorum significatur per antonomasiam Sacrificium Missæ. Ait etiam Concilium Toletanum XVI. Can. 8. non *Celebrari* eo die *Solemnia Missarum*; quæ verba non admittunt interpretationē, quam posset quis adhibere prioribus Innocentij, vt scilicet verum sit, non celebrari Sacramentum Eucharistiæ, quia non fit consecratio; cum quo rectè stat, quòd nihilominus celebretur Sacrificium ratione sumptionis Sacerdotalis. Posset excogitari alia expositio ad Innocentij, & Concilij Toletani verba, nimirùm olim in feria sexta Parasceues, nec ex hostia præconsecrata factam fuisse celebrationem; quæ consuetudo abrogata nunc est; & ideo inefficax esse argumentum acceptum ex Innocentio, & Concilio Toletano, vt modò dicatur non celebrari Sacrificiū eo die. Non habeo quidpiam, quo manifestè impugnem expositionem hanc, nisi sint S. Gregorij verba, quæ in eius Sacramentorum libro referuntur à Iacobo Pamelio, ibi enim fit mentio eiusdem Officij, quod nunc peragitur in feria sexta; S. autem Gregorius antecessit Concilium Toletanum XVI. Nisi item Concilium Toletanum IV. C. 7. dicens, *Comperimus, quòd per nonnullas Ecclesias in die sextæ feriæ Passionis Domini, clausis Basilicarum foribus, nec celebratur Officium, nec Passio Domini populis prædicatur.* Nisi, inquam Officij celebratio, cuius omissio reprehenditur, fuerit eiusdem rationis cum vsitata nunc. Ausim tamen asserere, eam expositionem discordare à communi intelligentia Scriptorum veterum de Officijs Ecclesiasticis, qui etsi attestentur de hostiæ præconsecratæ in sexta feria sumptione, non negant, seruari ad vnguem traditionem Ecclesiæ ab Innocentio memoratam de non celebrandis Sacramētis in feria sexta. Et quidem quòd ea die non cantet Missam, non sacrificet, non peragat Sacerdotale officium Sacerdos, tametsi sumat hostiam pridie consecratam, tradunt Author Ordinis Romani in die cœnæ Domini, & Parasceues, Alcuinus de Officijs diuinis in cœna Domini, & in feria sexta, quæ & Parasceue, Amalarius L. 1. de Officijs Ecclesiasticis C. 12. 13. & 15. L. 4. C. 20. (vbi non ait, celebrari Missam, in qua consecretur, prout ipsum intellexit Cardinalis de Lugo D. 19. sect. 4. n. 44. sed in qua non consecretur, quāquam quoad alia fiat instar eius Missæ, quam celebrarunt Apostoli) Rabanus Maurus de Institutione Clericorum L. 1. C. 37. Vualafridus Strabo L. de Ecclesiasticis rebus C. 22. Micrologus de Ecclesiasticis obseruationibus C. 52. Rupertus de Officijs diuinis L. 6. C. 2. & 3. Author Gemmæ animæ L. 3. de antiquo ritu Missæ in C. 89. Hugo de S. Victore L. 3. de Obseruationibus specialibus Missæ C. 20. Lib. 5. ex 2. Codice Miscellaneorum C. 43. Guilielmus Durandus in Rationali diuinorum Officiorum L. 6. C. 75. & 77. Vualdensis in tomo 2. de Sacramentis C. 88. & 89. Author Glossæ Ordinariæ in C. 2. Threnorum V. 7. cum alijs antiquis Theologis recensis à Suario D. 75 sect. 4. V. *In confirmatione.* Instar multorum sit S. Thomas 3. p. q. 83. art. 2. ad 2. vbi concedit, intermitti totaliter in Parasceue celebrationem huius Sacramenti, etiamsi eo die sumatur corpus Christi præconsecratum. Si S. Doctor sentiret, fieri eo die verum Sacrificium, non redderet rationem de trina celebratione in die Natalis Domini, & de omnimoda intermissione in Parasceue, sed de vna tantùm celebratione in ea feria. Addo Theodroum Balsamonem, qui In Canonem 52. Trullanū loquens de sacro præsanctificatorum ministerio in Ecclesia Græca diebus Quadragesimæ notat, illud non dici *incruentum Sacrificium, sed oblationem priùs oblati, & perfecti Sacrificij, sacriq; Mysterij.* Vnde audiendus non est Nuñus Cabezudus, quando 3. p. q. 83. art. 1. ait, nullum dubitare; sed potiùs sensum omnium fidelium esse, quòd in Parasceue celebratur Missa, verumque Sacrificium. Et quidem eo die vltrà defectum consecrationis sub vna, & altera specie datur defectus sumptionis sub vini specie; defectus autem consecrandi speciem vini, & eam sumendi præiudicat in communi sententia veritati Sacrificij. Nec apparet, cur eo die Officium peractum à Sacerdote sit Sacrificium verum potiori iure, quàm si Sacerdos

cerdos sine cæremonijs, & ritibus ab Ecclesia pro eo die institutis sumeret hostiam præconsecratam. Ex quibus omnibus concluditur, fuisse à nobis non immeritò negatum Antecedens obiectionis propositæ. Ad eius probationē dicemus, tum in D. 20. sect. 2. tum in D. 30. sect. 1. & vno verbo nunc respōdemus, negando obligationem assistendi Officio feriæ sextæ in Parasceue, si cum ea feria cōcurrat festum solemne, quod alio die afferret onus audiendi Sacrum.

36 Quæret quis, an Sacerdotalis sumptio in die Parasceues compleat Sacrificium celebratum præcedēti die? Cardinalis de Lugo D. 15. sect. 4. n. 82. & 86. D. 19. sect. 5. n. 68. S. 8. n. 121. respondet affirmatiuè. Sed nobis non placet primò, quia Sacrificiū pridie celebratum habuit iam totam suam essentiam in consecratione, totumque substantiale suum complemētum integrale in Sacerdotali sumptione pridie facta. Secundò, quia alioqui quoties Sacerdos inter celebrandum consumeret hostias, quę ex alijs Missis manserint consecratæ, toties compleret Sacrificia præcedentia. Ex quo sequeretur, relinqui substantialiter, & quoad integritatem incompleta omnia Sacrificia, in quibus Sacerdos non consumit cunctas panis species cōsecratas, nam talia Sacrificia apta sunt, vt compleantur, si Sacerdos faciens Sacrum alio die accipiat residuas illas species consecratas. Tertiò, quia ad consummandum Sacrificium requiritur, vt Sacerdos exerceat potestatem sacrificatiuam. Ast in die Parasceues, etsi ex institutione Ecclesiæ debeat esse Sacerdos, qui peragit Officium sacrum, tamen functiones tunc præstitæ non petunt per se potestatem sacrificatiuam; possentque, si vellet Summus Pontifex, fieri à Diacono, quandoquidem non interueniat consecratio, quæ exigit characterem Sacerdotalem. Neque dicas, in homine, qui aliunde præditus est charactere illo, sufficere sumptionem ad id, vt partialiter sacrificet, si ipsam exequatur animo sacrificādi. Impugnaberis enim, quia alioqui Sacerdos toties sacrificaret saltem validè, quoties sine Missa sumeret cum eo animo communionem manu propria, vel aliena. Licet autem videatur Cardinalis de Lugo D. 19. S. 6. n. 79. admittere sequelam, mihi tamen ex ipsiusmet doctrina in D. 18. sect. 1. à n. 28. vsque ad 23. apparet absurda, nam communio extrà diem Parasceues facta absq; Missa à Sacerdote manu propria, vel aliena est priuata, & quasi Laica, & respectu cuius Sacerdotium habet se peraccidens; nequit autem esse validè sacrificatiua illa actio, ad quam Sacerdotiū, & characteris potestas habet se sic, etsi detur intētio sacrificādi; alioqui validè sacrificaret Laicus per sumptionem de manu Sacerdotis, attentata illicitè ea intentione. Quartò, Sacrificium celebratum in die cœnę Domini, & Sacerdotalis sumptio facta in Parasceue non habent continuitatem physicam, nec moralem, tanta enim temporis distantia, totque actionum interpositarū diuersitas videtur maximè opposita continuitati morali. Ergo Sacerdotalis sumptio facta in Parasceue nequit cōplere Sacrificium pridie celebratum, nequit enim esse complemētum actionis, ex qua, & ipsa non resultet vna cōtinuatiuè physicè, vel moraliter. Quintò, Sacerdotalis sumptio in Parasceue est moraliter distincta, & non tantùm physicè à sumptione Sacerdotali in cęna Domini. Non igitur vtraque potest complere, atque integrare idem Sacrificium, sicut ob eandem rationem non potest sumptio hodierna hostiæ consecratæ quindecim anteà diebus consūmare Sacrificium, quod tunc peractum sit cum sumptione alterius hostię simul consecratæ. Imò si ex communi Theologorum sensu sumptio reliquiarum specierum consecratarum panis facta à Sacerdote in Sacristia post recessum ab altari non pertineret ad consūmationē Sacrificij proximè celebrati; ideòque communiter illicita putatur facto iam ieiunio per oblationem, nisi immineret periculum irreuerentiæ, aut inducentiæ, aut amissionis, vel corruptionis specierum: pertinebit multòminus ad consummationem Sacrificij heri celebrati sumptio facta hodie. Et verò si pertineat, debebit fieri sub eodem saltem ieiunio Ecclesiastico, sub quo celebratum est Sacrificium hesternum. Legantur Franciscus de Lugo L. 5. C. 2. q. 5. n. 62. Dicastillus Tract. 4. D. 9 Dub. 17. n. 369. Tract. 5. D. 1. Dub. 10 à n. 197. Aduersa q. 11. S. 2. V. *Respondetur*,

detur, Ysambertus 3.p.q.83.D.3.a.5.

Vtràquam partem Missæ non est differenda applicatio fructus satisfactorij.

37 OBijcitur secundò cõtra nostrã sententiam, consuetudo Ecclesiæ est, offerre Sacrificium pro defunctis, quando iam facta est consecratio; quare Sacerdos obligatus ex stipẽdio celebrare pro defuncto, satisfaciet, si applicet ei fructum Sacrificij in secũdo *Memento*. Ast si essentia Sacrificij cõsisteret in sola consecratione, foret irrita applicatio, quæ post eam fiat, nam Sacrificij fructus ex opere operato confertur, eo ipso instãti, quo Sacrificium existit in sua essentia perfectum. Respõderi primò potest, applicationẽ Sacrificij, vt fructuosa sit ex opere operato, debere fieri ante finitã consecrationẽ; ideòque non satisfacturũ stipendij oneri, aut obligationi aliunde prouenienti Sacerdotẽ, qui applicaret siue pro viuo, siue pro defuncto Missam post transactã consecrationem Neq; obstat, quòd in secũdo *Memento* fiat commemoratio defunctorum, pro quibus Sacerdos orare intẽdit, nam talis commemoratio vel fit ex fine impetrationis, vel ad magis exprimendam applicationem antecedentem pro pluribus, aut pro vno defuncto, pro quo Sacerdos voluntariè, vel obligatoriè celebrat, & cui satisfactionis fructũ ex opere operato conferri vult. Nõ approbo responsionem hanc, tum quia recepta in Sacerdotũ animis persuasio est, sufficere applicationem pro defuncto factam in secundo *Memento*, vt comparet ille fructum satisfactorium ex opere operato: tum quia applicatio, quæ in secundo *Memẽto* fit pro defunctis in generali, satis est, vt ipsi adquirant fructũ ex opere operato satisfactoriũ. Ergo similiter respectu alicuius singularis defuncti sufficiet applicatio tũc facta. Fateor, euenturum rarò, vt qui ex obligatione sacrificat pro aliquo defuncto, non habeat intentionem formalem, vel virtualẽ, vel habitualẽ applicatiuã Sacrificij pro eo antecedenter ad consecrationẽ. Oportetq; vt Sacerdos non ignoret admonitionẽ datã in Rubricis generalib⁹ Missalis titulo de ritu seruando in celebratione Missæ §.8.n.3. vbi sermo est de priori *Memento*, & vbi dicitur, *Facit commemorationem viuorum Christi fidelium ad suam volũtatem: quorum nomina, si vult, secreò commemoret: non tamen necesse est, ea exprimere; sed mente tantũ eorum memoriam habeat. Potest etiam celebrans, si pro pluribus orare intendit, ne circũstantibus sit morosus, ante Missam in animo proponere sibi omnes illos tam viuos, quàm defunctos, pro quibus in ipsa Missa orare intendit, & hoc loco generaliter vnico contextu ipsorum viuorũ commemorationem agere, pro quibus ante Missam orare proposuit in Missa.* Sic ibi. Respõderi secundò potest, etiamsi essentia Sacrificij consistat in sola consecratione; sed illius complementũ integrale, ac substãtiale esse sumptionẽ Sacerdotalem: ad quam vsq; non confertur Sacrificij effectus ex opere operato satisfactorius, nihil enim obest, quominus talis effectus respondeat consecrationi non vtcumq; sed vt completæ per Sacerdotalẽ sumptionẽ. Sicut enim anima rationalis nõ operatur pro priori aduentionẽ cũ corpore quod est ipsius cõplemẽtum; ita potest Sacrificiũ non causare suum ex opere operato effectũ antecedẽter ad Sacerdotalẽ sumptionẽ, per quã completur. Inquies, Sacerdotalis sumptio nõ aliter cõplet Sacrificium, quã satisfactio Sacramẽtum pœnitentiæ. Sed hoc præuiè ad satisfactionem causat suum effectum ex opere operato. Ergo similiter Sacrificium præuiè ad sumptionẽ Sacerdotalẽ præstabit etiam ex opere operato suum effectum. Respõdebitur, disparẽ esse rationem, nã effectus ex opere operato Sacramẽti pœnitẽtiæ, & satisfactionis nõ est vnus, & idem, quandoquidẽ effectus Sacramenti pœnitentiæ sit prima gratia, vel augumẽtum eius; & effectus satisfactionis sit remissio pœnæ temporalis; ideoq; mirum non est, quòd Sacramentũ pœnitẽtiæ operetur suum effectum, antequã satisfactio causet eum, qui ad ipsam spectat. Ast Sacrificij, & Sacerdotalis sumptionis, vt illud cõplentis, vnus est, & idẽ effectus ex opere operato. Cardinalis de Lugo D.19.S.5.n.72. videtur respondere tertiò ad obiectionẽ, augeri Sacrificij effectum vsq; ad Sacerdotalẽ sumptionẽ, si fiat alia, & alia applicatio; sicut augetur effectus Sacramenti Eucharistici, si sumatur alia particula consecrata, aut si accrescat maior, & maior dispositio, quãdiù speciesSacramẽtales manẽt incorruptæ intra stomachũ. Sed Emin. Cardinalis, etsi initiò significet,

esse sibi sermonem de effectu satisfactorio ex opere operato Sacrificij, posteà se restringit ad effectũ impetrationis, de quo nõ procedit difficultas, sed de satisfactorio; qui si ante consecrationẽ nõ applicetur pro ea persona, pro quae debet Sacerdos celebrare, defraudabitur illa vel toto eo effectu, vel maiori parte ipsius. Quare mihi magis placet secunda responsio, cuius doctrina approbatur ab Alfonso Castrensi L. 10. aduersus hæreses V. *Missa*. Nec prima est depretiãda, traditur namq; ab Eximio Doctore P. Suarez D. 76. sect. 5. V. *Dices, cur ergo*. Idq; noto, vt Sacerdotes, qui ex obligatione, præsertim stipẽdij, sacrificãt pro aliquo siue viuo, siue defũcto, curẽt ante consecrationem facere applicationẽ Sacrificij, hic enim est modus tutissimꝰ satisfaciẽdi suę obligationi; imò & suadebo, vt faciant ante primã hostiæ oblationem, vel simul cum ipsa, quando dicunt, *Suscipe, sancte Pater Omnipotẽs, &c. pro innumerabilibꝰ peccatis, & offensionibꝰ, & negligentijs meis, & pro omnibus circumstantibus; sed & pro omnibus fidelibus, &c.* Sic enim absq; controuersia fiet conueniẽti tẽpore. Qui autẽ mecũ iudicent, sufficere applicationem, quæ fiat ante sumptionem Sacerdotalem, animaduertant, intelligi id debere, quando sumptio constituit moraliter vnũ Sacrificiũ cũ consecratione præcedente; nã applicatio, quę fieret in Parasceue à Sacerdote, non sufficeret, vt ille adimpleret obligationẽ celebrandi pro aliquo, à quo accepisset stipendiũ, non enim est applicatio facta tempore, quo Sacrificiũ diei præcedẽtis restet adhuc complendum, vt probaui suprà contra Cardin. de Lugo. Et ideo olim consultus, an Sacerdos celebrans Officiũ feriæ sextæ in Parasceue, & applicans illud pro persona, quę erogarat stipendiũ, satisfaceret suæ obligationi? Respondi negatiuè contrà quendam Theologum, qui affirmatiuè decideratcasum ob doctrinã Cardinalis de Lugo: posteàque inueni fauentem Franciscum Amicũ D. 33. sect. 3. n. 70. Sed addidi, nisi fidelis, qui dederat stipendium, petijsset explicitè, vel implicitè applicationem Officij in die Parasceues. Confirmaui meam resolutionem exinde, quòd sicut nomine auditionis Missę non intelligitur præsentia ad Officium diei illius, ita neque nomine petitæ applicationis Missæ intelligitur oblatio Officij die illo peracti, nisi qui petit, significet, contentum se esse tali oblatione prosc. Admonet autem Ysambertus 3. p. q. 83. D. 3. ar. 5. cõmunionẽ Sacerdotalem factam eo die extendi ex intentione Ecclesiæ, vt prosit adstantibus, quà fit à Sacerdote tanquàm à persona publica, & Ministro Ecclesiæ.

Num in triduo mortis Christi potuisset fieri Sacrificium?

38 OBijcitur tertiò, eadẽ esset Sacrificij celebrati ab Apostolo aliquo in mortis Christi triduo essentia, quę nunc est. Sed tunc Sacrificium non consisteret in cõsecratione. Ergo neq; modò in ea consistit. Maior, & Cõsequẽtia non egent probatione, sed sola Minor; cuius probatio sit, quia tunc non per consecrationem, sed per sumptionem immutaretur, destrueretur q; victima vt subsans specieb⁹, siquidem ante consecrationem supponeretur Christus immutatus, ac destructus ratione separationis animę, & sanguinis à corpore. Respondeo, fore, vt tunc etiã essentia Sacrificij cõsisteret in cõsecratione, nã ex vi verborum, consecrantiũ corpus, poneretur hoc sine anima, ac sine sanguine; & ex vi verborũ consecrãtium sanguinem poneretur hic absq; anima, & absq; corpore: qui modus positionis satis est ad immutationẽ, & destructionem requisitã in victima huius Sacrificij, tametsi quoad esse naturale supponeretur Christus immutatus, & destructus physicè, atq; realiter. Solutio hæc clarescet ex dicendis in sect. sequenti. Tentat solutionem aliam Cardinalis de Lugo. D. 19. S. 6. à n. 86. propẽdet enim in id, vt neget suppositũ Maioris, quòd scilicet ex vi præsentis institutionis posset aliquis Apostolus cõsecrare in triduo mortis Christi. Mouetur autẽ Eminentissimus Cardinalis eis rationibus, quibus probari solet, Christum esse principalem offerentem huius Sacrificij, & Sacerdotes in eius persona, & nomine proferre consecrationis verba. Cũ autem in triduo non existeret Christus homo, nõ posset esse principalis offerẽs, nec posset aliquis Apostolus, & Sacerdos loqui in eius persona, ac nomine. Mouetur etiam Doctor ille ex Glossa in C. *Timorem* 25. de Consecratione Distinct. 2. vbi dicitur, *Quid si quis proferret verba hæc* (nẽpe cõsecrationis corporis)

post

post mortem Christi ante resurrectionem, conficeret ne? videtur, quòd non, quia corpus Christi tunc erat mortuum, & inanimatum. Ergo si transubstantiatio tũc fieret, tunc trãsiret in corpus mortuum, & inanimatum, & sic inutiliter sumeretur. Quomodo enim viuificaret, vel vitam conferret aliquod corpus mortuum? Resp. Nemo potuit ante resurrectionem conficere verum corpus Christi, nisi Christus. Sic ergo data est forma, vt post resurrectionẽ hoc fieret, per illud, Hoc facite in meam commemorationem. Ideo enim non cantatur Missa in illo triduo. Et intelligo per synecdochen. Sic in ea Glossa approbata à Francisco de Rouere Minorita (assumpto posteà ad Pontificatum, dictoque Sixto IV.) in Tract. M.S. de sanguine Christi. Attingitur in fine verborum Glossæ illius ratio quędam non incongrua. Si enim Ecclesia non consecrat eo tempore, quo Christũ recolit mortuũ, ne simul repræsentet eundem Christũ, vt offerentem principaliter, & vt loquẽtem in persona, & nomine proprio, quæ representationes sunt inter se oppositę; sequitur exinde, Apostolos non potuisse cõsecrare validè, quando re ipsa Christus erat mortuus. Et ita videtur sentire, aut agnoscere vt probabile Martin? Ledesmius 1.4. quæst. 17. art. 1. dub. 5. & in 2.4. q. 19. art. 1. in titulo de ortu potestatis Ecclesiasticæ, Victoria Relectione de potestate Ecclesiæ q. 4. ad finem, & Peña apud Henriquez L. 8. C. 27. §. 1. littera A. in Glossa, & apud Suarez D. 48. sect. 2. V. *Ex hac verò*, vbi allegat M. Ledesmam, adducitque Glossam transcriptam. Fagundez in 1. præceptum Ecclesiæ L. 3. C. 1. n. 10. rem hãc in medio relinquit. Sed adijcit Cardinalis de Lugo, *Hæc non dicta sunt à me eo animo, vt aliquid in hoc puncto velim definire: video enim modũ communem loquendi in contrarium tendere, à quo non est facilè recedendum.*

39 Tentata tamen solutio neutiquam admittenda est. Primò, quia S. Thomas q. 76. ar. 1. ad 1. & ar. 2. in Cor. q. 81. ar. 4. supponit, potuisse fieri consecrationem in triduo mortis Christi, & statim post factam institutionem Sacramenti, ac Sacrificij Eucharistici. Estque hæc communis doctrina Theologorũ, vt testatur Suarez suprà, & Amicus D. 24. sect. 6. n. 283. ait, esse receptum ipsorum axioma, sententiamque communem, ac constantem: nec ego inuenio aliquos dissentientes vltrà citatos ab Hẽriquez, & vltrà Dicastillum Tract. 4. D. 5. Dub. 15. n. 276. Tract. 5. D. 1. Dub. 10. n. 209. Etsi enim Cardinalis de Lugo referat Ægidium Coninch dicentem q. 83. art. 1. Dub. 4. n. 76. Christum *nunquam voluisse hoc Sacrificium celebrari, quin sub vtraque specie totus poneretur.* Loquitur tamen Coninch de Sacrificio celebrato post Christi resurrectionem; satisq; expresserat q. 76. art. 2. q. 81. art. 4. cõcordem suum sensum cum cęteris Theologis. Secundò quia in Concilio Tridentino Sess. 13. C. 3. dicitur, *Semper hæc fides in Ecclesia Dei fuit, statim post consecrationem verum Domini nostri corpus, verumq; eius sanguinem sub panis, & vini specie vnà cum ipsius anima, & diuinitate existere; sed corpus quidem sub specie panis, & sanguinem sub vini specie ex vi verborum, ipsum autem corpus sub specie vini, & sanguinem sub specie panis, animamque sub vtraq; vi naturalis illius connexionis, & concomitantiæ, qua partes Christi Domini, qui iam ex mortuis resurrexit, non amplius moriturus, inter se copulantur: diuinitatẽ porrò propter admirabilem illam cum corpore, & anima hypostaticam vnionem.* Quibus verbis Concilium insinuat, animam Christi nõ fore per concomitantiam in Eucharistia in triduo mortis, & fore, vt mortuo Christo, posset adhuc consecrari etiam corpus illius; alioqui quid referret dicere, Christum iam non moriturum, si corpus Christi post mortem non posset esse in Eucharistia? Dicendum enim videbatur sine vlla exceptione, animam Christi sẽper esse in Eucharistia per concomitantiã propter naturalẽ connexionem; sicut absolutè, & sine vlla exceptione dicitur, diuinitatẽ esse per cõcomitãtiam propter vnionem eius hypostaticã cũ corpore, & sanguine Christi. Non ergo hìc adhibuit Tridẽtina Synodus limitationem, sicut suprà, quia nũquã fuit dissoluta vnio Verbi cum corpore, & sanguine, sicut contigit in vnione corporis Christi, & animæ. Quare non immeritò dixisse suprà videbitur alicui Henricus Henriquez, supponi in Tridẽtino, potuisse Apostolos, cũ essẽt in Cœna initiati Sacerdotio, conficere Eucharistiam in triduo mortis Christi; nec immeritò scripsisse Petrũ de Soto Lect. 6. de Eucharistia, *Tenendum esse id certissima fide, quoniam ex creditis, & apertissima ratione sequitur.* Tertiò, quia iam

tunc Apostoli erant ordinati Sacerdotes, dataque illis erat potestas consecrandi, ex quo Christus dixit in nocte cœnæ, *Hoc facite in meam commemorationem.* Temerèque ex censura Suarij limitabitur ea potestas, visque tributa à Christo verbis consecratorijs ad tẽpus, quo eius corpus sit iam suscitatũ, & viuificatum. Quartò, nam in triduo posset conseruari hoc Sacramentum, vt si permaneret aliqua particula cõsecrata in Cœna à Christo; vel Apostolus aliquis post Cœnã consecrasset ante Christi mortem. Ergo & in triduo posset confici hoc Sacramentum. De Antecedenti ait Cardinalis de Lugo, nullam posse esse controuersiam. Vnde quoad hanc partem improbat Glossam præcitatam, quæ tradit, non potuisse in Eucharistia existere corpus Christi inanime, nam proculdubiò existeret mortuum, si particula consecrata in Cœna conseruaretur vsque ad tempus tridui, vt cum S. Thoma q. 81. art. 4. docent vnanimiter Theologi. Nec ratio Glossæ quicquam valet, quandoquidem corpus Christi ratione vnionis ad Verbum esset viuificatiuum animarum, non obstante defectu vnionis ad animam, quæ vnio etiam nunc non est causa, vt corpus Christi viuificet animas, sola enim altera vnió est huius viuificationis causa. Vt igitur authoritas Glossæ non obstat, quominus admittatur Antecedens, sic neque obstare debet, quominus concedatur Consequentia. Imò eam Glossam Palatius in 4. Dist. 8. Disp. 4. pag. 261. futilem, & ridendam compellat nimiùm intrepidè. Indicium verò ab ipsa desumptum exinde, quòd Ecclesia nunc non cõsecret in Parasceue, non vrget, nam id non prouenit ex eo, quòd non posset validè consecrare, sed ex eo, quòd nolit, & quòd prohibeat Sacerdotibus vsum suæ potestatis. Sufficit autem ad præsens punctum, si Apostoli possent validè consecrare in triduo mortis Christi; neque constat de expressa prohibitione facta à Christo, quanquam iudicandum sit, non consecrasse actu in illo triduo; consternatio enim, turbatioque animorum, profunda tristitia, & ceu ouium sine Pastore dispersio mentem, quietem, tempus, locumque ademerant ad quid tale aggrediendum. Atque hinc patet ad motiua, quæ ex authoritate affert Cardinalis de Lugo. Ad motiuum verò ex ratione dico, sicut homo mortuus est principalis causa generationis factæ, virtute seminis ab eo relicti, ita Christum, hominem mortuum in triduo, fore huius Sacrificij principalem offerentem, mediante virtute, quam Apostolis tribuerat. Quòd autem Christus in triduo fuerit homo mortuus, docetur à S. Thoma 3. p. q. 50. art. 4. in Corp. Si replices, ergo nõ foret Christus principalis offerens concursu proximo, & immediato in Sacrificium, prout opus esset tum ad valorem infinitum Sacrificij, tũ ad alia, ob quæ multi Theologi existimant, Christum esse proximum, & immediatum offerentem Sacrificij huius. Respondeo, exhibendum tunc influxũ in Sacrificium mediante corpore, & anima tanquam instrumentis diuini Verbi vniti ipsis hypostaticè; ideoque Sacrificium habiturum infinitum valorẽ, & Christum Deum viuum, atque hominem mortuum fore proximum, ac immediatum offerentem Sacrificij tunc celebrati, si Sacrificio Missæ competere debeat infinitus valor, & Christo proximus, & immediatus influxus in illud, ità vt non tantùm sit principalis offerens, sed etiam proximus, ac immediatus; quorum vnum, & alterum non est compertũ inter Theologos, de quo in progressu Tractatus; & de replica proposita agemus iterùm in D. 11. sect. 1. Sintque hęc satis de secunda solutione ad obiectionem tertiam; & qui plura velit, legat Henricum Henriquez tũ loco præcitato, tum Cap. 26. §. 1. littera I. in Glossa, Franciscum Suarium vbi suprà, & D. 51. sect. 3. V. *Dico secundò*, & sect. 4. V. *Secunda conclusio.* Arriagam Tract. de Euch. D. 50. sect. 8. num. 49. Raynaudum in Tract. de Missa prima sect. 1. Cap. 2. & ex antiquis Ioannem Gersonem parte 2. suorum Operum in Compendio Theologiæ, vbi de Sacramento Euch. titulo de tempore institutionis, Albertum Magnum in 4. Dist. 12. art. 14. ad quæst. 2. Alexandrum Alensem 4. par. quæst. 11. membro 2. art. 1. §. 6. S. Antoninum 3. part. Summæ Theologicæ, titulo 13. Cap. 6. §. 13.

***

SE-

SECTIO V.

Enodantur obiectiones quatuor.

Quo pacto consecratio sit oblatio.

40 OPponitur quartò, Sacrificium est essentialiter oblatio, hæc enim est genus respectu illius. Sed consecratio nō est oblatio, nec pars oblationis. Ergo non est Sacrificiū, nec eius pars. Adstruitur Minor primò ex Concilio Trident. Sess. 23. C. 1. & Can. 1. vbi dicitur, datam esse Sacerdotibus potestatē consecrandi, & offerendi. Cū autem Concilium distinguat actum cōsecrandi, & actum offerendi, significat, actum consecrandi non esse actū sacrificandi, nam hic actus coincidit cum actu offerendi, seu communiter appellatur nomine generis, qui est actus offerendi; & ideo forma pro Sacerdotis ordinatione non exprimit actū consecrādi, sed *offerendi Sacrificia Deo*. Adstruitur secūdò, quia oblatio supponit rem offerendam. sed consecratio non supponit, quin potiùs efficit, præparatq; eā, scilicet Christum sub speciebus panis, & vini. Ergo consecratio non est Sacrificiū, sed quasi factio, ac præparatio materiæ offerēdæ; sicut consecratio chrismatis nō est pars Sacramenti Confirmationis, sed præparatio ad illud. Respondeo, negando Minorem, habet enim cōsecratio perfectā rationē oblationis, quatenus subest institutioni Christi, & intentioni Sacerdotis, licet formā oblationis exteriùs præferre non videatur; vti neque sic præsetulit Sacrificiū crucis, cum tamē fuerit perfectissima oblatio. Ad primā probationem dico, non distingui realiter actum consecrandi ab actu offerendi; sed tantùm ratione, quatenus non omnis actus offerendi sit actus consecrandi, neque è conuerso, si sola cōsecratio vnius speciei non sufficiat ad Sacrificium; & vtvt de hoc sit, non omnis consecratio in genere est actus offerendi, nam consecratio chrismatis non est oblatio, nec Sacrificium. Distinctio autem rationis inter vtrumque actum consecrandi, & offerendi sufficit, vt Concilium exprimat vtrumq; sine redundantia verborum. Et sæpe contingit, vt eadē res maioris claritatis gratia alijs, & alijs verbis significetur in Decretis etiā Conciliorum. Ad secundam probationem dico, non omnē oblationem debere supponere rem offerendā, non enim id est de oblationis conceptu; atq; adeò potest dari oblatio, quę offerendo efficiat, & efficiendo offerat. Sed etsi omnis oblatio deberet supponere rem offerendam, dico, Christū penes esse naturale præcedere consecrationē, positionēq; sui sub specieb⁹ panis, ac vini. Vrgebit adhuc aliquis ex Catechismo Romano in verbis transcriptis iam n. 6. ex quibus constat, consecrationem pertinere ad rationē Sacramēti, & oblationem ad rationem Sacrificij. Additq; Catechismus, *Quare sacra Eucharistia, dum in pyxide continetur, vel ad ægrotū defertur, Sacramenti, non Sacrificij rationē habet.* Vbi videtur alludere ad verba, quæ ex S. Thoma retulim⁹ in eodē num. attributa perperàm Concilio Tridentino ab Arriaga D. 50. sect. 2. n. 10. Respondeo, mentem Authorum Catechismi esse, declarare differentiam Sacramēti, & Sacrificij Eucharistici, quatenus illud perficiatur consecratione, tādiuq; maneat, quandiu species, sub quibus facta est consecratio, perseuerāt incorruptę; istud verò consistat in oblatione trāseūte, & proinde non maneat post elapsam oblationē; cuius nomine quidnā significetur ab Authoribus Catechismi, an oblatio verbalis, an mentalis, an ipsamet consecratio, non possumus certò affirmare. Fortè Authores Catechismi censuerunt, Sacrificium Missæ consistere in oblatione verbali prima, aut secunda, vel in oblatione mentali saltem, si deest verbalis. Sed eorū sententia, si hæc fuerit, non obligat nos ad deserendam, quā suscepimus, nam, vt notat P. Vazquez D. 298. C. 3. n. 32. *Catechismus non habet tantam authoritatem, vt credamus aliquid in eo fuisse definitum à Pōtifice; sed solùm Doctorum Theologorum authoritas ei tribuenda est; ac proinde non semel tantùm cōtra ipsum alij Theologi Scholastici opinantur.* Sic Vazquez. Et quod dicit de dissensu nō raro aliorum Theologorum à Catechismo, perspicuum erit non semel in præsenti etiam Tract. de Sacrificio. Ad S. Thomā fateor, habere eo in loco sermonem de oblatione verbali, inquit enim continuò, *Vnde primò peragitur oblatio, secundò consecratio materiæ oblatæ, tertiò eiusdem perceptio. Circa oblationem verò duo aguntur, scilicet laus populi in cantu Offertorij &c.* Sed quāuis S. Doct. dicat, Mysterium

riũ Missæ offerri verbaliter, vt Sacrificiũ, & consecrari vt Sacramẽtũ, non idcircò nobis cõtrarius est, quia cõsecratio effectiua Sacramenti potest simul esse actio sacrificatiua, & vt talis connotare ex accidentali institutione Ecclesiæ oblationem verbalem.

Quomodò per consecrationem fiat destructio hostiæ oblatæ.

41 OBIICITVR quintò, per Sacrificium consumenda, destruendaque est aliquo modo hostia, quæ offertur. Sed Christus Dominus sub speciebus contentus, qui est hostia oblata, non consumitur, destruiturq; aliquo modo per consecrationẽ, quin potiùs per eam ponitur de nouo; imò & producitur sub speciebus. Licet autem consumantur, destruãturq; substantiæ panis, & vini; ast non sunt res in hoc Sacrificio oblatę; neque intenditur per se desitio earum ad protestandam diuinam excellentiam, sed sequitur ex præsentia Christi Sacramentali sub speciebus, sub quibus existebant substantię illæ. Ad hanc obiectionem adhiberi possunt multæ solutiones, quæ iã sunt prę-occupatæ, & impugnatæ in D. 1. sect. 1. Feremus nunc iudicium de alijs, eligemusque eam, quæ congruentior visa fuerit.

42 Cardinalis de Lugo D. 19. sect. 5. à n. 65. Martinonus D. 38. sect. 1 n. 7. sect. 4. n. 41. sect. 6. n. 63. alijque recentiores respondent, Christum per consecrationem destrui nõ physicè, sed moraliter, quia humanis functionibus in Sacramento exercendis incapax constituitur, capaxque ad vsus cibi, & potus. Sed non satisfaciunt primò, quia id non est destrui aliquid, quod anteà daretur in Christo; hic namq; etiam post consecrationem aptus manet ad humanas actiones exercendas extra Sacramẽtum, sicut aptus erat ante consecratiõnem. Nihil ergo destruitur post consecrationem, & positionem Christi sub speciebus Sacramentalibus; sed solùm adquiritur nouus modus essendi, sub quo impeditus est Christus ad humanas actiones externas, retenta tamen expeditione, quã anteà habebat, prout existens in suo modo connaturali essendi. Occurrit Franciscus de Lugo L. 5. C. & quæst. 2. n. 36. dicens pro suo fratre, deberi connaturaliter corpori Christi in omnibus locis, quibus præsens fiat, extensionem quantitati suæ proportionatam, & vbicationem independentẽ ab alienis accidentib⁹, capacem etiã humanũ functionum. Quando ergo colligatur, & coarctatur ad species panis, & ad vsum cibi comestibilis, subit mutationem deperditiuam, & destructiuam moraliter. Sed contra, quia ad humanas functiones impediri corpus Christi ratione præsentiæ Sacramentalis, non est deperdi, & destrui quidpiam habitum anteà à Christi corpore; sed tantùm est, non conferri huic statum, qualem suapte natura exigebat. Vt autem aliqua res sacrificetur, non sufficit, quòd ei negetur status debitus ipsi connaturaliter, maximè si talem statum habeat alibi; nec enim sacrificaretur ignis, quẽ existẽtem in vno loco cum calore Deus bilocaret in alio loco sine calore. Non satisfaciunt secundò, quia corpus Christi reddi inutile ad vsus ordinarios corporis humani, satis non est ad Sacrificiũ, nisi interueniat aliqua destructio; si enim ouẽ v. g. in altari positã ad Sacrificium iuxta morem veteris legis cõtingeret alienari omnino à sensibus, non secus ac si mortua esset, neutiquam id sufficeret, vt diceretur sacrificata. Tertiò, quia corpus Christi fieri capax ad vsum cibi, nihil aliud est, quàm constitui sub specieb⁹ panis comestibilis. Hoc autem satis haud quaquam est, vt Christi corpus existimetur sacrificatũ; alioquì substantia panis comestibilis existens sub propriis accidentib⁹ esset formaliter quid sacrificatum, tametsi nullam mutationem, aut destructionẽ subiret. Quartò denique, quia actio sacrificatiua rei alicuius debet inducere in ea re mutationem aliquã, aut destructionem physicam. Ast consecratio in sententia Cardinalis de Lugo inducit solummodò mutationem, & destructionem moralem. Ergo &c. Maior proposito probata à nobis est in D. 1. sect. 1. Impugnationes alias ministrant Vlambertus 3. p. q. 83. D. 3. art. 5. Auersaq. 11. de Euch. Sacramento, & Sacrificio sect. 4. ex V. *Propter hæc*, Arriaga tomo 7. D. 50. sect. 5. Subs. 3. Bernal D. 22. de Sacramentis sect. 2. §. 2.

43 Is autem §. 3. & Thomas Tam-

Tamburinus L. 2. de Sacrificio Missæ C. & §. 1. respondent, consecrationem esse causam mediatam, & moralem, vt Christus sub speciebus Eucharisticis citiùs, quã exte postulet, desinat physicè, quia eum ponit productione pendẽte essentialiter ab speciebus, ac proinde cum physica necessitate desinendi ad corruptionem ipsarum; imò consecratio moraliter cõsiderata constituit ibi Christum cum obligatione Sacerdotis ad ipsum sub vtraque specie sumendum statim; quã post sumptionem breuiter corrumpuntur species, hisq; corruptis deficit actio, qua Christus conseruabatur in esse Sacramentali. Neq; hæc solutio quietat animũ. In primis enim multi Theologi negant, consecrationem esse actionem substantialiter effectiuam Christi, sed solius præsentiæ Sacramentalis, consequenterque dicunt, desitionem Christi sub speciebus non esse eius, sed præsentiæ tantùm Sacramentalis destructionem, seu esse solummodò localem Christi mutationem; quæ non sufficit ad Sacrificium, siquidem non sit destructio victimæ, neque tendat ad illius destructionem. Deinde actio sacrificatiua debet esse destructiua victimæ de præsenti, & nõ sufficit, quòd sit destructiua in tempus proximum, eo enim ipso quòd de præsenti sit adequatè Sacrificium, est prorsùs necesse, vt de præsenti sit destructio ipsa realis, & physica. Declaratur exemplo ouis, cui Sacerdos veteris legis præberet venenum, vel quam ligaret suprà altare, relinqueretq; ibi, quin ab vllo esset cibanda; quanquam enim tunc imponeretur oui necessitas, vt moreretur multò anteà, quàm aliàs, nõ ideo exhibitio veneni, vel ligatio manuum, & pedum esset actio sacrificatiua. Præterea Christus desinit citiùs sub speciebus ratione sumptionis harũ, quàm ratione consecrationis. Ergo etsi consecratio priùs, quàm sumptio, faciat Christum obnoxium destructioni sub speciebus, tamẽ quia sumptio proximior est destructioni, vel ipsa sola erit essentia Sacrificij, vel erit essentiæ Sacrificij constitutiuum principalius, quàm consecratio, quandoquidem ad essentiam Sacrificij spectet vel vnicè, vel magis præcipuè ea actio, quæ plus accedit ad rei oblatæ destructionem. Ratio hęc vrget etiam contrà Cardinalem de Lugo, nam sumptio corporis, aut sanguinis Christi proximùs facit Christum ineptum humanis actionibus exercendis sub speciebus Sacramentalibus, quàm faciat consecratio; estque sumptio vsus ipse cibi, aut potus, & per sumptionem moraliter æstimatur cib⁹, aut potus consumptus. Vnde nascitur, vt quando species Sacramentales iam sunt sumptæ à Sacerdote, vel à Laico, non adoremus Christum existentẽ per modum cibi, aut potus intra Illius stomachũ per breue aliquod tempus, quoadusque deficiant species Sacramentales, non enim genuflectimus coram Sacerdote, vel Laico, quem scimus paulò anteà sumpsisse Eucharistiam, quia nimirùm Christus sub speciebus panis existit per modum cibi, & sub speciebus vini per modum potus; censetur autem morali æstimatione cibus, aut potus consumptus eo ipso, quòd sit comestus, aut bibitus, etiamsi aliquandiu maneat intra stomachũ, quin destruatur eius substantia, & accidentia omnino corrumpantur, vt appositè obseruauit Dicastillus Tract. 5. D. 1. Dub. 10. n. 196. Dicet quis pro Augustino Bernal, consecrationem esse actionem sacrificam potiori iure, quàm sumptionem, tum quia præcedit hanc, tũ quia Sacrificium stare non potest sine consecratione, potest tamen stare sine sumptione. Sed contrà, tum quia consecrationem ipsam præcedit oblatio verbalis, quæ affert Sacerdoti obligationẽ, vt consecret, & sumat vtramque speciem; nec ideò in oblatione consistit, vel partialiter essentia Sacrificij iuxta Augustinum Bernal. Tum quia quòd stare possit sine sumptione Sacrificiũ, dependet ab eo, quòd in consecratione consistat adæquatè essentia Sacrificij, & cum de hoc puncto sit controuersia, agit se in gyrum, qui dicit, ideo consecrationem esse actionem sacrificam potiori de iure, quàm sumptionem, quia sine hac saluum esse potest Sacrificium. Deniq; contrà Augustinum Bernal insurgo, quia respectu consecrationis vt ponentis Christum sub speciebus Sacramentalibus peraccidens est, quòd species sint obnoxiæ corruptioni ad nõ valde longum tempus, & quòd corruptis speciebus desiturus sit substantialiter Christus vt conseruatus sub eis. Nã etsi poneretur Christus sub speciebus, quas

quas Deus decernat præseruare miraculosè à corruptione in omne tempus, ponetur sub speciebus Christus per cōsecrationem tanquam per actionem sacrificam eodem modo, ac nunc ponitur, & sub eis existet vsque ad finem mundi.

44 Alfonsus Salmeron tomo 9. in Euangelia Tract. 29. à pag. 284. Leonardus Lessius L. 12. de perfectionibus diuinis C. 13. n. 95. & alij respōdent, consecrationem esse actionem sacrificatiuam, quia ex vi verborum cōsecrationis corporis ponitur hoc, & nō sanguis, neque anima sub speciebus panis; & ex vi verborum consecrationis sanguinis ponitur hic, & non corpus, neque anima sub speciebus vini, atque ideo vi verborum consecrationis Christus vt sub speciebus immutatur sacramentaliter, atq; destruitur modo sufficienti ad verum, & proprium Sacrificium. Non approbant Cardinales Bellarminus, & Lugus hanc solutionem, ille L. 1. de Missa C. 27. hic D. 19. S. 4. n. 61. quia cum per naturalem concomitantiam ponantur sanguis, & anima sub speciebus panis simul cum corpore posito ex vi verborum, impeditur eo ipso vera, & realis mors, aut destructio, & proinde verum, ac reale Sacrificiū. Sicut si tempore veteris Testamenti Sacerdos immolaturus ouem, adhiberet ictum, qui ex se mactare posset, sed aliquo impedimēto interueniēte ouis non occideretur, non diceretur peracta mactatio re ipsa, sed voluntate sola. Confirmat Lugus, nam consecratio corporis non tendit ex se ad separādūm hoc à sanguine, & anima, etsi enim significet corpus solummodò, non tamen significat nō poni cum illo sanguinem, neque animam; imò quia significat corpus, quod hic, & nunc in suo esse naturali est vnitum sanguini, & animæ, petit consequenter, & mediatè, vt sub speciebus panis ponatur corpus coniunctum, atque vnitum sanguini, & animæ. Vrget Lugus, quia ex hac solutione sequeretur, non fore verum Sacrificium, quod in triduo mortis Christi fieret per consecrationem Eucharistiæ, tunc namq; per verba non separarentur corpus, sanguis, & anima, quæ essent coniuncta, sed ponerētur separata, quæ iam re ipsa erant seiuncta. Ast postrema hæc difficultas superari potest, negando possibilitatēm consecrationis in triduo mortis Christi; & vt negetur, præbet magnum fundamentū ipsemet Lugus S. 6. à n. 86. Cæterùm quanuis conuenienter ad nostram in n. 39. sententiam concedatur, potest dici, per verba consecrationis corporis, & per verba consecrationis sanguinis faciendam separationem vnius ab alio sub speciebus vnius, & alterius; quę separatio satis est ad Sacramentalem immutationem, & destructionem, tametsi re ipsa in esse naturali existerent separata corpus, & sanguis. Id quod ex sequentibus elucidabitur. Porrò autem, confirmatio addita à Lugo parùm officit. Responderi namque potest, concedendo totum, quod in ea affertur, & notando, consecrationem corporis tendere ex se ad separandum ipsum vt sub speciebus panis à sanguine vt sub speciebus vini, & è conuerso; rationeque huius separationis saluari quidquid opus est ad verum, & reale Sacrificium, tametsi corpus vt sub speciebus panis non separetur à sanguine, neque è contra à corpore sanguis, vt sub speciebus vini. Hinc ad principalem impugnationem dici potest, naturalem concomitātiam in causa esse, ne corpus sub speciebus panis ponatur nunc sine sanguine, non tamen, ne vt sub speciebus panis separetur à sanguine vt sub speciebus vini: quæ separatio est quędam immutatio, & destructio Sacramentalis vera, & realis, proindeque sufficiens ad verum, & reale Sacrificium, tametsi corpus sub speciebus panis non sit separatū à sanguine vt sub eisdem speciebus existente, neq; vice versa sanguis sub speciebus vini sit separatus à corpore, vt existente sub eisdem speciebus. Cogitemus, Sacerdotem veteris legis ictu gladij diuidere corpus, & sanguinem ouis, constituereque ea in diuersis locis; nemo asseret, talem ictū non fore sacrificationem, etsi Deus per replicationem miraculosè in spatio corporis conseruaret sanguinem vnitum ipsi, & in spatio sanguinis conseruaret corpus eidem vnitum; daretur enim tunc immutatio, destructioque ouis ob separationem corporis, & sanguinis, quanuis simpliciter mors non daretur ob vnionem corporis cum sanguine, & anima in vno loco, sanguinisque cum corpore, & anima in alio; sed tamen separa-

tio

tio tenderet ex se ad causandam mortẽ, quãdoquidem diuideret corpus, & sãguinem, constitueretq; in diuersis locis coquidem pacto, vt positio corporis in vno loco, & sanguinis in alio fieret ad separationem vnius ab altero ex intentione Sacerdotis operantis, ita vt respectu huiusmodi intentionis, & actionis à Sacerdote ortę haberet se per accidens, quòd in loco corporis maneret sanguis, & in loco sanguinis maneret corpus, nam quod intenderet Sacerdos, & faceret illius actio, id esset, vt corpus, & sanguis invicem seiungerentur, tametsi aliunde miraculosè in loco corporis existeret sanguis, & in loco sanguinis existeret corpus.

45 Vlteriùs eandem solutionem impugnat Bellarminus, quia vel fit vera, & realis mactatio, & occisio Christi, vel non fit. Si hoc secundum. Ergo verum erit dicere, à Sacerdotib⁹ Christianis verè, & realiter occidi Christum. At hoc sacrilegium, non Sacrificium esse videtur. Si illud primũ. Ergo Sacrificium Missæ non erit verũ, & reale, nam verum, & reale Sacrificium exigit veram, & realem occisionem, quando essentia Sacrificij in occisione ponitur. Sed responderi potest, non occidi absolutè, & simpliciter Christum, nam cum separatione corporis sub speciebus panis à sanguine sub speciebus vini stat, vt sub speciebus panis existat etiam sanguis, & sub speciebus vini existat etiã corpus, maneantq; vnita inter se, & cum anima; sed tamẽ occidi Christum secundùm quid ob separationem illam. Vnde Apocalysis 5. V. 6. Christus dicitur *agnus tanquam occisus* propter Eucharistiam, vt interpretantur Alcazar, & Cornelius emphasim agnoscentes in aduerbio *Tanquàm*, quatenus ibi non dicatur Christ⁹ simpliciter, & absolutè occisus. Porrò modus declaratus occisionis sufficit ad verum, & reale Sacrificium, immune prorsùs à sacrilegio, quia Christo re ipsa non adimitur vita. Et iuxta hęc interpretandus est S. Ioannes Chrysostomus inquiens, pati, & occidi Christum in Eucharistia, & Ysychius dicens, Christum, cum cœnaret, occidisse se ipsum. Allegat hos, & alios Patres Salmeron supra pag. 286. Hinc etiam intelligitur textus in Can. *Quid sit sanguis* 73. de Cons. Dist. 2. vbi de Christo legitur, *Pro nobis iterùm in hoc Mysterio mori*; quanquam in Originali S. Gregorij L. 4. Dialogorum C. 58. (vnde desũptus est) nõ habeatur, nisi *Pro nobis iterũ in hoc Mysterio sacræ oblationis immolatur.* Atque hinc præterea innotescit, cur Sacrificium Missæ vocetur à Concilio Tridentino Sess. 22. Cap. 1. & à Patribus apud Vazquium D. 222. C. 5. n. 40 & toto C. 7. imago, & repræsentatio Sacrificij cruenti oblati in cruce, nam separatio corporis, & sanguinis facta sub speciebus panis, & vini repręsentat illã, quæ facta est in Passione, & morte Christi, nisi quòd illa facta est, quin corpus alicubi maneret vnitum toti sãguini, ac animæ, & quin totus sanguis maneret alicubi vnitus corpori, atque animæ.

46 Vltimò Bellarminus repudiat eandem solutionem, quia si per consecrationem vera, & realis immolatio fieret, ea tamen non fieret in altari, sed in cœlo. Nam immolatio ibi fieri dicitur, vbi animal viuum occiditur, siue vbi diuisio fit corporis ab anima, & sanguine. Porrò diuisio corporis Christi ab anima, & sanguine, si qua fit per verba Sacramentalia, non fit in altari, sed in cœlo. Ibi enim fieri debet diuisio, vbi præexistit res ante diuisionem: Christus autem ante diuisionem istam, in cælo, non in altari, præexistit. Itaq; secundùm hanc sententiam immolatio non fit in altari, sed tantùm partes rei immolatæ post immolationem in altari collocantur. At quis concederet, immolationem, quę est Sacrificium Christianæ religionis, non in terra, sed in cęlo tantummodò celebrari? Ita Bellarminus, & eisdem verbis. Sed dici potest, occisionem, quam secundùm quid admittit hæc solutio, non fieri in cœlo, sed in altari, quandoquidem corpus vt existens sub speciebus panis in altari separetur à sanguine, vt existẽte sub speciebus vini in eodem altari. Arridet mihi solutio, quam ab impugnationib⁹ Bellarmini, & Lugi vendicani, eaque tradi videtur à Vazquio D. 222. Materatio D. 36. Dicastillo Tract. 5. D. 1. Dub. 10. Gaspare Hurtado D. 1. Diff. 8. multisq; alijs Theologis, nisi quòd plerique ex eis non insistant, quantùm opus est, in separatione corporis sub speciebus panis à sanguine sub specieb⁹ vini, nec declarent, sicut nos, modum,

quo

quo necessaria est talis separatio, vt in consecratione, per quam fit, saluetur essentia Sacrificij.

Qui stet, vt consecratio sit simul productio, & destructio.

47 OBIICITVR sextò, consecratio corporis sub speciebus panis, & consecratio sanguinis sub speciebus vini producunt substantialiter corpus, & sanguinem Christi sub eis. Ergo essentia Sacrificij non consistit in consecratione, nam Sacrificium debet esse actio destructiua rei, quæ sacrificatur. Respondeo, vnam, & alteram consecrationem esse actionē substantialiter productiuam sui termini, separatiuamque simul vnius termini sub speciebus panis ab altero termino sub speciebus vini, & hac ratione esse destructiuam Christi Sacramentaliter. Neque repugnat, vel conceptu difficile est, vt consecratio corporis sub speciebus panis sit actio productiua respectu corporis, seu quatenus comparatur ad ipsum, simulque sit destructiua Christi Sacramentaliter respectu sanguinis, seu quatenus comparatur adeū vt productum separatum sub speciebus vini per consecrationem ipsius sanguinis. Ne verò scandalum pariat alicui, aut de nouitate nominis nos incuset, quòd dicamus, Christum destrui Sacramentaliter per consecrationem, legat hęc Salmeronis verba in Tract. prę citato pag. 285. *Dici potest, quòd hic mactatur Christus, dum scilicet est sub diuersis speciebus, vbi à sanguine separatum est corpus. Vt enim exiſtit Christus Sacramentaliter, sic etiam Sacramentaliter mactari, & mori dicitur.* Sic sapientissimus ille Theologus. Sed replicabit quis, si productio corporis Christi sub speciebus panis, & productio sanguinis sub speciebus vini sint Sacrificium, tandiu hoc durabit, quandiu duret cōseruatio corporis, & sanguinis sub eis speciebus. Nego sequelam, quia conseruatio illa est actio solius Dei, qui non sacrificat, siquidem sacrificare sit actio naturę diuinitate inferioris. *Sacerdotium* quippe, *& Sacrificium humanæ conditionis officium est*, vt ait S. Ambrosius L. 3. de Fide ad Gratianum C. 3. Et hac de causa Patres apud Becanum in Opusculo de triplici Sacrificio L. 3. C. 1. num. 3. dicitant, Christum penes humanitatem, & non penes diuinitatem fuisse Sacerdotem Sacrificij cruenti in cruce. Legatur Dionysius Petauius in Theologicis dogmatibus L. 12. de Incarnatione C. 11. consultò priùs S. Thoma 3. p. q. 22. a. 3. ad 1. vbi Theologi moderni examinant luculenter doctrinam hanc. Quare Sacrificium incruentum nō amplius durat, quàm quousque perficitur consecratio sub vtraq; specie, seu quousque à Sacerdote proferuntur verba consecratoria, imponiturq; ipsis finis, quippe Sacrificium consistat in actione Sacerdotis per verba consecrationis tā quàm per instrumentum operantis; & cessante actione Sacerdotis, succedit Dei actio, quæ Sacrificium non est, sed conseruatio corporis, & sanguinis productorum per consecrationem; quæ sub speciebus conseruatio tandiu permanet, quandiu species ipsæ non corrumpuntur. Sed rursùs adhuc replicabit alius, si corpus Christi (idem de sāguine) reproducitur substantialiter sub speciebus panis per consecrationē, iam hæc erit immutatio physica rei oblatæ, non quidem destructiua, seu traductiua de esse ad non esse, sed positiua realis, seu translatiua de nō esse ad esse sub speciebus. Cum igitur adsit hæc immutatio, cur soliciti sumus de illa alia? Et quidem de ea non curarunt Suarius D. 75. sect. 5. Lessius (cum scriberet de Iustitia, & ad q. 83. partis 3. S. Thomæ) Coninch ad eandem q. Granadus Controu. 6. de Euch. Tract. 14. D. 3. sect. 2. n. 6. Auersa q. 11. S. 4. V. *Dicendum ergo*, Arriaga D. 50. S. 5 Subs. 4. n. 35. sed sufficientem putarūt alteram immutationem positiuam realem. Respondeo, ideo à me requiri immutationem destructiuam, quia in Missa debet defendi Sacrificij ratio, non qualē nos ad libitum comminiscamur, sed quæ sit ad instar aliorum Sacrificiorum, & quæ repræsentet cruentū crucis. At actionis, quæ fuerit sacrificatiua, constiteritque nihilominus in rei oblatæ productione formaliter, nullum siue in sacris, siue in profanis monumētis exemplum extat; neque apparet ad repræsentandam Christi Passionem, & mortem vlla proportio in reproductione

ne corpotis, & sanguinis Christi sub speciebus panis, & vini. Addo, æquum esse, vt essentia Sacrificij Eucharistici constituatur in ea immutatiua actione, cuius existentia non sit litigiosa inter Catholicos Theologos; reproductio autem corporis, & sanguinis Christi sub accidentibus illis est admodùm anceps, & controuersa apud eos. Reuisat Lector numerum 7. Disp. 1.

Separatio, quam facit consecratio, quatenus sufficiat ad Sacrificium.

48 OBIICITVR septimò, etsi per consecrationem sub vtraque specie separetur localiter corpus sub specie panis à sanguine sub specie vini; hæc tamen separatio non est sufficiens ad Sacrificium, cum sit solummodò mutatio localis, qua nō deperditur substantiale aliquid, imò neque aliquid accidentale prę habitum à corpore, & sanguine, sed tantùm adquiritur præsentia separata vnius, vt sub specie panis, ab alterius, vt sub vini specie, præsentia, cum tamen ex natura rei non deberent habere, nisi in vno loco præsentiā; imò supposito miraculo, quòd corpori sub specie panis sit data præsentia Sacramentalis in aliquo loco, est nouum miraculum, quòd sanguini sub specie vini detur simul præsentia Sacramentalis alio in loco. Respondeo, prædictam separationem esse sufficientem ad Sacrificium, nam etsi reapse nō sit nisi mutatio localis; ast significatio vetborum, actionesque ex eis ortæ tēdunt ad diuisionem corporis, ac sanguinis, & consequenter animæ ab vtroque sub speciebus panis, & vini, quæ diuisio causaret mortem physicam, & naturalem, nisi sub specie panis cum corpore existerent sanguis, atque anima per concomitantiam, & sub specie vini cū sanguine existerent per concomitantiā corpus, animaque. Licet autem actioni ponenti corpus sub specie panis connaturale sit, vt ibi sequatur positio sanguinis, & animæ, ex suppositione, quòd corpus in statu suo naturali sit alibi vnitum cum sanguine, & anima; ast cōnaturale non est, vt detur alia actio, quæ in diuerso loco præsentet sanguinem sub specie vini

Per quid consecratio fiat sensibilis.

49 OBIICITVR octauò, actio sacrificatiua, siquidem sensibilis sit, debet habere terminum sensibilem. Consecratio autem tali termino caret. Respondeo, consecrationem, quà est actio sacrificatiua, fieri sensibilem per verba, & per species. Sic licet Sacramentum debeat esse signum sensibile, non est necesse, quòd omnia eius constitutiua sint per se sensibilia; sed sufficit, quòd vnum sit per se sensibile, & alterum ratione illius. Vbi notare libet cōtra Martinonum D. 38. sect. 6. n. 56. consecrationem, in qua consistit essentia Sacrificij Missæ, non esse formaliter actum sensibilem, & externum Sacerdotis proferentis verba, seu nō esse formaliter ipsam prolationem verborum factam ore Sacerdotis; sed esse actionem insensibilem per se, & occultam egredientem ex ea alia, ponentemque vi verborum corpus, & sanguinem Christi sub speciebus. Ita Meratius D. 36. sect. 4. in fine, adhærens Vazquio D. 223. C. 4. n. 41. & 42. Becano de Sacramentis C. 25. parte 1. q. 6. in fine. Et quanquam Tannerus tomo 4. D. 5. q. 9. dub. 2. n. 36. & 39. indecisè loquatur; ast præter Martinonum non inuenio Theologum, qui consecrationem in præsenti sumat assertiuè pro ipsa verborum prolatione formaliter, neque pro eius immediato termino, qui est sonus quidā articulatus ex hominum instituto significans. Sed inquit ille, nisi sic sumatur, fiet, vt sacrificatio non sit actus sēsibilis, & externus religionis. Huic tamen scrupulo iam satisfeci. Omitto contra Martinonum, fore, vt Sacrificium Eucharisticum consisteret in verbis, cum tamen de Sacrificio in genere doceant passim Theologi, debere esse actionem distinctam ab illis: fore item, vt actio sacrificatiua Eucharistica non esset talis essentialiter per se ipsam, siquidem prolatio verborum, & hæc ipsa, nempe *Hoc est corpus meum*, possunt existere, quin procedant à Sacerdote; & quanuis à Sacerdote, potest is habere

re intentionem non consecrandi; & quanuis habeat consecrandi, potest abesse legitima materia: fore rursùs, vt sacrificatio Eucharistica terminaretur immediatè ad sonum vocalem, & non ad corpus, sanguinemque Christi, qui est res oblata, & sacrificata.

SECTIO VI.

Eleuatur vis nonæ obiectionis.

Sumptio Sacerdotalis integrat essentiam Sacrificij huius.

50 OPPONITVR nonò, quia si vera sunt, quæ diximus, sūptio specierum cōsecratarum, facta à Sacerdote, non modò non pertinebit ad essentiam Sacrificij, sed neque ad eius substantiale complementum, & integritatem; sed habebit se peraccidens respectu Sacrificij, sicut sumptio facta à Laicis. P. Bernal D. 22. sect. 2. §. 5. n. 36. & 37. concedit, Sacrificiū non compleri per sumptionem Sacerdotalem, sicut completur per pedem, & manum homo: arguitque Bernal ad hominem contra Cardinalem de Lugo, qui D. 19. sect. 5. & 6. docet oppositū; arguit, inquam, primò, quia iuxta Lugum sacrificatur Christus consecratione, quatenus hæc dat Christo statum cibi, & potus. Atqui sumptio adimit Christo hunc statum. Ergo implicat, compleri Sacrificium per eam, non secus ac implicat, quòd Sacrificium, consistens in percussione lethali ouis, compleretur per actionem auferentem oui eam percussionem. Secundò, quia pars integrans debet habere eandem essentiam cùm toto, cuius est pars: essentia autem sumptionis valde differt à consecratione. Tertiò, quia iuxta Lugum sumptio Sacerdotalis habet se respectu essentiæ Sacrificij sicut satisfactio respectu Sacramenti pœnitentiæ, & sicut sumptio vnius partis hostiæ consecratæ respectu sumptionis partis alterius. Ergo sicut aliquando licet prætermittere satisfactionem Sacramentalem, necnon sumptionem posterioris partis hostiæ consecratæ, sic etiam licebit, aliquando derelinquere totam sumptionem Sacerdotalem; cum tamen hæc ideo dicatur spectare ad substantiam, & integritatem Sacrificij, vt inde colligatur, non posse vllo casu consecrari sine sumptione Sacerdotali. Sed hæc leuidensia sunt. Primum quidem, nam potiùs per sumptionem Sacerdotalem reducitur Christus ad actum cibi, & potꝰ. Quare longè abest illa, vt adimat Christo statum cibi, & potus. Secundum etiam, quia sumptio Sacerdotalis est pars integrans heterogenea, vt notat Lugus sect. 5. n. 73. essentia verò partis heterogeneæ non debet esse eiusdē rationis, & speciei cum alijs partibus. Tertium denique, quia exemplis illis vtitur Lugus, vt & exemplo potestatis absoluendi, quæ integrat, & complet essentiam Sacramenti Sacerdotij; quin tamen intendat Lugus similitudinem quoad omnia.

51 Quare ad obiectionem nonam nego, sumptionem Sacerdotalem non esse complementum substantiale, & integritatem Sacrificij; etsi enim ad huius essentiam constituendam non pertineat, potest tamen esse requisita ad eius perfectionem, & non habere se omnino peraccidens. Cuius necessitatis declarandæ gratiâ adducuntur exempla proximè memorata. Et in hoc sensu intelligo S. Thomam dicentem q. 80. a. 12. ad 2. *Perfectio huius Sacramenti non est in vsu fidelium, sed in consecratione materiæ. Et ideo nihil derogat perfectioni huius Sacramenti, si populus sumat corpus sine sanguine, dummodò Sacerdos cōsecrans sumat vtrumque.* Vbi noto, Sanctum Thomam addere pro conditione Sacerdotalem sumptionem, vt Sacrificij Eucharistici perfectio salua maneat; nō autem perfectio, quæ essentialis sit, sed quæ integralis, quandoquidem in primis verbis dicat, huiꝰ Sacrificij perfectionem sitam esse in consecratione materiæ. Eodem sensu idem S. Doctor q. 83. art. 6. sumptionem Sacerdotalē sæpe vocat perfectionē Sacrificij illius. Sic olim Sacrificium dictum holocaustum, cuius essentia adæquatè consistebat in mactatione physica animalis, perficiebatur, & complebatur per combustionem. Sic item alia Sacrificia, distincta ab holocausto, perficiebātur, ac cōplebantur per comestionem rei sacrificatę factam à Sacerdotibus, quin ea comestio esset de essentia Sacrificiorū; & ideo

ideo Sacerdotes dicebantur *comedere Sacrificia*, vt videre est Deuteronomij C. 18. V. 1. Quia verò Leuitici C. 6. V. 26 dicitur, *Sacerdos qui offert, comedet eam* (scilicet hostiam) *in loco sancto, in atrio tabernaculi*, infert Rupertus Lib. 1. Commentariorum in Leuiticum Cap. 32. *Benè ergo, ac legitimè Canonica censuit authoritas, vt nunquam Sacerdos, qui Missas celebrat, omittere audeat, quin ipse communicet.* Qua propter communio Sacerdotalis integrat essentiam Eucharistici Sacrificij, & nullo modo eam constituit. Vnde S. Chrysostomus L. 6. de Sacerdotio ait, *Quando Sacrificia habes in manibus, &c.* Theodorusq; Ballamō suprà adductus inquit, vtentem præconsecratis non sacrificare, non conficere Sacrificium; & in Officio Græcorum de Mysterijs præconsecratis citato à Cardinali de Lugo D. 19. sect. 3. num. 44. dicitur, prę sanctificatum, & cōsummatum esse Sacrificium, quando Sacerdos sumit ex Sacrario hostiam præconsecratam, vti fieri à Græcis, solebat in tota Quadragesima, excepto Sabbatho, & Dominica, & aliquibus festis. Videatur Arcudius L. 3. de Ecclesiæ Occidentalis, & Oriē talis concordia in administratione septem Sacramentorum C. 57. vbi simul confirmat, non esse Sacrificium, quod ex præconsecratis celebratur siue à Græcis, siue à Latinis.

52 Ac sanè nisi Sacerdotalis sumptio esset de substantiali complemento, & integritate Sacrificij Missæ, non apparet, cur tam stricta detur obligatio eius sumptionis in Sacerdote, qui consecrando sacrificauit. Concilium Toletanum 12. Cap. 5. dixit, *Certum est, quòd hi, qui sacrificantes non edunt, rei sunt Dominicis Sacramentis.* Tridentinum etiam Sess. 13. Cap. 8. scripsit, *In Sacramentali autem sumptione semper in Ecclesia Dei mos fuit, vt Laici à Sacerdotibus communionem acciperent: Sacerdotes autem celebrantes se ipsos communicarent: qui mos, tanquam ex Apostolica traditione descendens, iure, ac meritò retineri debet.* Missale Romanum titulo de defectibus in celebratione Missarum occurrentibus, §. 3. num. 5. ait, *præceptum de perfectione Sacramenti* per Sacerdotalem sumptionem *esse maioris ponderis, quàm quòd à ieiunis sumatur*; & in toto eo titulo præcauet multos defectus, qui occurrere possunt; prę cauetque ex fine, ne Sacrificium remaneat imperfectum, si desit sumptio, vt notatur ad n. 6. In vita Sancti Annonis Archiepiscopi Colonienis Lib. 1. C. 22. apud Surium 4. Decembris dicitur, *culpam formidasse, si desistens* à Missa post consecrationem, *infringeret ritum vniuersalis Ecclesiæ.* Apud Luitprandum Lib. 6. de rebus Imperat. & Reg. Cap. 7. magnæ culpæ imputatum cuidam est Sacerdoti, quòd Missam celebrarit, & non communicarit. Amadeus Franciscanus raptu 8. suæ Apocalypsis ait de Sancto Petro, dum in terris versaretur, & operaretur rei diuinæ, *Accepit panem, & benedixit, similiter & calicem, non enim licebat vnum Sacramentum sine alio conficere, & conficientem oportebat primum sumere.* Ansegisus Abbas in Capitulis Caroli Magni, & Ludouici Pij Lib. 1. Cap. 6. refert ex edicto Caroli, *Auditum est, aliquos Presbyteros Missam celebrare, & non communicare. Quod omnino in Canonibus Apostolorum interdictum esse legitur.* Nempe in Can. 8. & in Lib. 8. Constitutionum Apostol. Cap. 13. Consonat que Sanctus Dionysius Areopagita Cap. 3. de Ecclesiastica Hierarchia ad finem. Ex quibus omnibus satis liquet, quàm grauis sit obligatio sumptionis Sacerdotalis. Nec de prę cepto Eccleſię, nec de more descendente vsque ad hodiernum diem ex traditione Apostolica dubitari potest inter Catholicos, & Theologos.

Quo ex iure sit debita sumptio Sacerdotalis.

53 NVM autem talis obligatio sit ex solo Ecclesiæ præcepto, vel etiam ex Christi? In controuersiam vertitur. Azor Lib. 10. tomi 1. Institutionum Moralium Cap. 19 quæstione quarta censet, in illis verbis Christi Domini, *Hoc facite in meam commemorationem*, contineri implicitè præceptum Christi de sumptione Sacerdotali. Non acquiesco, nam ea verba sufficienter intelliguntur de consecratione, & de sumptione, quæ Sacerdotalis non sit, seu quæ abstrahat tam à Sacerdotali, quàm à Laica. Cæterùm etsi non extet præceptum Christi superadditum institutioni huius Sacrificij, docent communiter

Theologi contrà Adrianum in 4. q. 1. & 7. de Eucharistia, & contrà Maiorem in 4. Dist. 9. q. 3. Dist. 13. q. 3. esse de iure diuino Sacerdotalem sumptionē, quatenus institutio Sacrificij huius, quæ de iure diuino est, affert intrinsecè annexā obligationem perficiendi, complēdiq; illud tam essentialiter, quàm integraliter; sumptio autem Sacerdotalis perficit, completq; Sacrificiū Missæ vno ex his modis. Nam vt ait S. Thomas q. 82. art 4. in Corp. *Quicumque Sacrificium offert, debet Sacrificij fieri particeps; quia exterius Sacrificium, quod offertur, signum est interioris Sacrificij, quo quis se ipsum offert Deo, vt Augustinus dicit 10. de Ciuitate Dei C. 5. Vnde per hoc, quod participat Sacrificio, ostendit, ad se Sacrificium interiùs pertinere.* Hactenus Angelicus Doctor; qui continuò subiungit aliam rationem nō tam ex Sacrificij, quàm ex institutione Sacramenti Eucharistici desumptam, prosequitur namque, *Similiter etiam per hoc, quòd Sacrificium populo dispensat, ostendit, se esse dispensatorem diuinorum, quorum ipse primò debet esse particeps, sicut Dionysius dicit in L. Eccles. hierarchiæ C. 3. Et ideo ipse ante sumere debet, quàm populo dispenset. Vnde & in prædicto Cap. Relatum legitur, Quale est Sacrificium, cui nec ipse sacrificans particeps esse dignoscitur? Per hoc autem fit particeps, quòd de Sacrificio sumit, secundùm illud Apost. 1. Cor. 10. Nonne qui edunt hostias, participes sunt altaris? Et ideo necesse est, quòd Sacerdos, quotiescumque consecrat, sumat integrè hoc Sacramentum.* Rationem hanc approbat Coninch q. 83. art. 1. dub. 5. n. 95. nam cum Sacerdos conficiat Sacramentum Eucharisticum, & prçparet spirituale conuiuium, debet eius esse particeps, ne cibum, quē alijs in persona Christi præparat, ipse fastidiosus reijciat; quod magnam indecentiam per se inuoluit. Sed tamen Coninch alteram illam rationem non approbat; & Patri Suarez D. 75. sect. 5. V. *Vna verò* incertum est, an obligatio sumptionis Sacerdotalis sit de iure diuino. Quo in puncto, nec pro vna, nec pro alia parte quidpiam, quod valde vrgeat, offert se nobis. Si præfata sumptio cōstituat essentiam Sacrificij, erit proculdubiò de iure diuino. Si non constituat, potest pertinere ad complementum, & integritatem eius substantialē, quin de iure diuino sit, vt probatur exemplo oblationis verbalis, vel mentalis, quæ de iure diuino non est, & nihilominus requiritur non minus, quàm sumptio ad Sacrificium, prout possumus colligere ex cura Ecclesiæ, ne vnquam prætermittatur oblatio. Vbi obiter obseruo, quod iam attigi n. 1. oblationem non esse inadæquatam essentiam Sacrificij, alioqui Ecclesia deberet prouidisse, vt quoties præcesserit oblatio, sequatur consecratio, & sumptio, vt Sacrificium non maneat imperfectum essentialiter, & integraliter. Constat autem, Ecclesiam iubere potiùs, vt sæpe post oblationem non procedat Sacerdos ad consecrationem, vt videre est in Missali Romano, titulo de defectibus §. 10. Et quando Sacerdos moritur post oblationem, sed ante consecrationem, non debet Missa perfici ab alio. Obseruo rursus, vnum, aut alterū esse casum, in quo ex sententia probabili Sacerdos non tenetur progredi ad sūptionem. Sed de hoc in Disputat. 29. sectione 4.

54 Dicet quis, si sumptio Sacerdotalis est de substantiali complemē to, & integritate Sacrificij, non poterit non oriri ex iure diuino obligatio ad ipsam, ne Sacrificium maneat substantialiter imperfectum ob defectum ipsius. Sed contrà, quia non apparet, cur de iure diuino debeat esse substantialis perfe fectio Sacrificij, vt distincta ab essentiali. Nonne Sacramenti pœnitentiæ pars integralis est satisfactio; & vt probabile non sit, Confessarium no teneri vnquā ad imponendam satisfactionem, tamen probabile est, non teneri de iure diuino, imò nec de Ecclesiastico ad præceptiuè eam imponendam semper; probabile etiam est, quin & certum, non teneri ad eam vllo modo imponendam in aliquibus casibus; & sunt, qui contendant, pœnitentem non debere accepta re impositam satisfactionem, imò & non debere exequi acceptatam semel; sed hos Authores neutiquam audiendos esse, existimo. Illud extra dubitationem videtur, integritatē Sacramenti pœnitentiæ per satisfactionem tanti non esse, vt de iure diuino grauiter obligetur pœnitens ad leuissimam satisfactionem, quæ sit imposita, implendam, ne Sacramentum pœnitentiæ relinquatur sine sui integritate. Quod animaduersum volo, ne præcisè, quia sumptio Sacerdotalis sit de integritate

Sacri-

Sacrificij, existimet quispiam, resultare tam grauem eius obligationem. Aliud enim est, non fore tam grauem eius obligationem, si non esset de integritate Sacrificij; & aliud est, præcisè integritatē Sacrificij esse caput tā grauis obligationis. Sic Petrus nō esset homo, nisi foret animal; sed quòd sit homo, non consistit præcisè in animalitate. Ratio igitur tā grauis obligationis ad sumptionem Sacerdotalem erit tum integritas Sacrificij, tum traditio, præceptumque Ecclesiæ intellectum semper à fidelibus, vt strictissimè obligans. Dicet quis rursus, ex Apostolica traditione vsitatum esse in Ecclesia Dei, vt Sacerdotes celebrātes communicent se ipsos. Apostolica autem traditio videtur fundata in iure positiuo diuino. Sed contra primò, quia non quæuis Apostolica traditio rei cuiusuis infert statim ius diuinum de ea re. Secundò quia hæc Apostolica traditio potuit fundari in facto Christi, qui celebrans incruentè in vltima cœna communicauit se ipsum; non est autem de iure diuino quicquid Christus tunc fecit. Præterea hæc traditio potuit fundari in Apostolorum placito, qui se, & posteros Sacerdotes voluerint obligare ad sumptionem in Sacrificio Missæ. Potuerunt q; Apostoli moueri ex compluribus rationibus suprà tactis, quę etsi nō sufficiant ad totam, vel ad inadęquatam essentiam Sacrificij Missæ ponendam in Sacerdotali sumptione; secus adhāc imperandam tanquam appendicem, complementumq; ac perfectionem, & consummationem illius; quidquid sit, an dici debeat pertinere ad substātiam, & integritatem illius; nolim enim de nominibus disputare.

55 Erit alius, qui dicat, si sumptio Sacerdotalis est de iure diuino, spectabit ad essentiam Sacrificij Missæ. Sed certè non quicquid est de iure diuino in celebratione Sacrificij, & in confectione Sacramentorum, constituit eorū essentiam, vt vel nouitius Theologus nō ignorat. Et cur nequeat esse de iure diuino aliquid siue subsequens, siue præcedens essentiam Sacrificij Missę? Quapropter cū Eximio Doctore concludo, incertam esse iuris diuini obligationem ad sumptionem Sacerdotalē. Dissentit Auersa q. 11. S. 2. V. *Quartò etiā*, alijque frequēter; & Marchinus Tract. 3. de Ordine, parte, C. & n. 2. appellat suspectā, atque singularem censuram Suarij; sed quam approbant Becanus in Tract. de Sacramentis C. 25. parte 1. q. 6. n. 14. & in Opusculo de triplici Sacrificio L. 3. C. 8. n. 15. Granadus tomo 5. Controu. 6. Tractatu 14. D. 3. sect. 4. n. 14. Coninch 3. p. q. 83. art. 1. dub. 5. n. 95. Dicastillus Tract. 5. D. 1. dub. 9. num. 163. Martinonus Disp. 38. num. 69. Quare inconsultò Marchinus taxat censuram Eximij Doctoris.

56 Suboritur quæstio.

An sumptio, ad quam obligatur Sacerdos, qui celebrat consecrando, debeat esse hostiæ tunc consecratæ ab ipso, vel possit esse hostiæ ab alio consecratæ?

DIXI à consilio *Qui celebrat consecrando*, vt excludam Sacerdotem sine consecratione celebrantem feria sexta in Parasceue, qui potest, & debet sumere hostiam ab alio consecratam feria quinta in Cœna Domini, si ipse in eodem templo non peregit Officium solemne feriæ illius quintæ. Et à quocumque sit peractum, incumbit obligatio celebranti feria sexta, vt sumat hostiam reseruatam ex feria quinta, vt traditur in Rubricis vnius, & alterius feriæ. Vnde consultus à quodam Curato, qui præerat duabus Ecclesijs Parochialibus, an posset in vna sacrificare feria quinta, & in altera celebrare feria sexta, sumereque hostiam reseruatā ex die Dominico in tabernaculo? respondi negatiuè, monuiq; posse feria quinta sacrificare in vtraque Parochiali Ecclesia, & in ea, in qua vellet celebrare feria sexta, relinquere hostiam cōsecratā, quam sumeret feria illa sexta, Num autem posset in vtraq; celebrare feria illa sexta, sumereq; hostias præconsecratas feria quinta? decidetur in D. 22. Dixi rursus à consilio *Qui celebrat consecrando*, vt excludam Sacerdotē, qui supplet defectū alterius impediti prosequi Missā, quæ vltrà consecrationē, sed non vltrà sumptionem processerat, nam talis Sacerdos potest, & debet sumere hostiam ab altero consecratam, vt perficiat Sacrificium, consumatque victimam eandem,

dem, quam alter relinquit inconsumptã, & imperfectam. Igitur ad quæstionem ait post Conc. Turonẽse, de quo in n. 5. D. seq. & post Martinũ Ledesmiũ prima 4. quæst. 24. art. 2, Dub. 3. cum Syluestro laudato Noster Henriquez Lib. 9. Cap. 19. §. 2. *Si Parochus, dum renouat Eucharistiam, consumat hostiam ab alio consecratam, eam verò, quam consecrauit, reponat in Sacrario, fit integra Missa ex eo, quòd celebrans, in eo Officio vtitur triplici actione, qua consecrauit, obtulit, ac sumpsit corpus Christi.* Et in margine notat Henriquez, sic facere interdum quosdam Parochos. Adhærent huic Authori Bonacina Disp. 4. quæst. vltima, puncto 2. num. 5. Fagundez in 1. Ecclesiæ præceptum Lib. 3. Cap. 4. num. 26. Cap. 5. n. 20. Cæres Relectione 4. de Sacramento Euchar. V. *Sacrific. Missæ.* Sed resolutionem ipsorum esse improbabilem, censuit Ioannes Præpositus 3. part. quæst. 83. art. 1. Dub. 7. num. 50. & minus Theologicam esse, dixit Cardinalis de Lugo Disp. 19. sect. 5. num. 76. reijciuntque eam Franciscus de Lugo Lib. 5. Cap. 2. quæst. 4. à num. 52. Dicastillus Tract. 1. Disp. 5. Dub. 10. num. 201. Marchinus Tract. 3. de Ordine parte 2. Cap. & num. 3. Nuñus 3. parte quæst. 83. art. 6. pag. 989. Nicolaus Ysambertus ad eandem quæst. D. 3. art. 5. num. 3. Quintanadueñas tomo, & tractatu 2. singularium in 9. Thomas Tamburinus Lib. 2. de Missa Cap. & §. 18. num. 19. Martinonus D. 38. sect. 6. n. 69. Auersa quæst. 11. sect. 2. V. *Sextò sumptio.* Barbosa de Offic. & potest. Parochi C. 20. n. 45. pluresque alij citati à Diana p. 5. Tract. 13. Resolutione 96. à Leandro Tract. 8. Disp. 1. quæst. 22. Et meritò, nam *quale erit illud Sacrificium, cui nec ipse sacrificans particeps esse cognoscitur?* Vt dicitur in Cap. *Relatum* 11. de Consecratione Distinct. 2. Ergo debet Sacerdos participare de eodem Sacrificio, de eademque victima sub eisdem speciebus, quas ipse consecrauit, & non tantùm debet participare de hoc Sacramento in Missa. Et ratio est, quia Sacerdos debet per sumptionem consummare, & perficere Sacrificium à se peractum, victimãq; à se oblatã; cui obligationi non satisfacit per consumptionem Sacrificij ab alio peracti, & victimæ ab alio oblatæ. Et quidem vel alius participauit de Sacrificio suo, vel non participauit? Si primum. Ergo Sacerdos, qui posteà sumit solam hostiam, quam ille alius consecrauit, non consummat, neque perficit Sacrificium peractum, & victimam oblatam ab illo alio, vtpotè quæ sit consummata, & perfecta per partialem sumptionem factam ab illo alio (vt probauimus n. 36. contra Ioannem de Lugo, & contra Pessantium 3. parte, quæst. 83. D. 3. Vers. *Respondeo illam sumptionem*) aliundeque relinquit suum Sacrificium, & victimã inconsummatam, & imperfectam. Si secundum. Ergo solum Sacrificium ab illo alio peractum, & sola victima ab illo alio oblatã consummatur, & perficitur per sumptionem Sacerdotis, qui posteà accipit solam hostiam præconsecratam ab illo alio. Adhæc, si Sacrificium, quod ego celebro, intelligitur sufficiẽter, & ritè consummatum, atque perfectum per sumptionem hostiæ ab alio Sacerdote consecratæ, cur, si hostia, quam ego consecraui, dispareat, aut deprehendatur esse veneno infecta, fas non erit, sumere hostiam præconsecratam, quæ reseruata sit in tabernaculo altaris, aut Ecclesiæ, in qua facio Sacrum; imò cur licebit non sumere, & cur fas erit, consecrare aliam hostiam à me sumendam, relicta ea, quæ præconsecrata est? Nunc verò nemò impunè asserere potest, nefas esse in casu hostiæ vel disparentis, vel venenatæ repetere consecrationem, super aliã, quandoquidem Romana Ecclesia in Rubricis Missalis titulo de defectibus §. 3. n. 7. §. 10. n. 7. consulat, sic facere, ne Sacrificium remaneat imperfectum ob defectũ sumptionis hostiæ consecratæ. Porrò autem si Sacrificij à me celebrati stare posset perfectio, sumẽdo hostiam ab alio consecratam, iniquum esset (quod absit cogitare) consilium Ecclesiæ de repetita consecratione à me facienda. Quare faceſſant Parochi illi, quorum vsum commendat Henriquez, cum re vera sit abusus ex ignorantia proueniens, proindeque debet corrigi, admonitis Parochis, vt quando velint renouare Eucharistiam, seruareque hostiam mãgnam, consecrent duas, quarum vnam sumãt, & aliam seruent; & post bibitum sanguinem, sed ante ablutionem sumant etiam antiquam. Quòd si Sacerdos, qui vltimus celebrat, obliuiscatur consecrare hostiam, vt vespere in oratione

qua-

quadraginta horarum exponatur populo adoranda, non erit obliuionis remedium, seruare hostiam integram, quam consecrauit, & extrahere è tabernaculo formulam præconsecratam. Debebit igitur hæc exponi vespere, vel maior aliqua pars, quam ista de causa diuidat Sacerdos ex hostia magna, videtur enim sufficiens causa interuenire ad diuisionem. Addit loco citato Henriquez, *Si Parochus carens pane, quem consecret, ostendat populo hostiam Sacrarij pridem consecratam (quam uis eam eleuaret, frangeret, & sumeret etiam sub vtraque specie, ea intentione, vt populus audiat Missam in festo) non est Sacrificium, quod alijs profit ex operato.* Additio hæc verissima est. Sed quid si Parochus, vt celebret in die festo, nō habeat nisi formulam, quam possit consecrare, licebit ne ipsi extrahere è tabernaculo hostiam magnam præconsecratam, quam eleuet, ne populus scandalizetur videns eleuari formulam, eamq; solam esse consecratam? De hoc casu agam in D. 28. Alia quæstio subnascitur, eaque est.

Num liceat Sacerdoti diuidere hostiam, quam vt ipse sumeret, consecrauit, porrigereque partem alteri ad sumptionem Laicalem?

37 VNus est casus, in quo ex Ecclesiæ Romanę iudicio licet, nā in Rubricis Missalis titulo de defectib⁹ §. 10. n. 3. dicitur, *Si non obierit Sacerdos,* (qui post consecrationē incidit in syncopen, & cuius loco alius successit) *sed fuerit infirmus, adeò tamen, vt possit communicare, & non adsit alia hostia consecrata, Sacerdos, qui Missam supplet diuidat hostiam, & vnam partem præbeat infirmo, aliam ipse sumat.* Sic ibi. Et illud *Si non adsit, &c.* intelligitur de formula siue consecrata tunc, siue præconsecrata in alia Missa. Quod si præconsecrata adsit, porrigenda est ea Sacerdoti infirmo, quin necesse sit, vt communicetur parte hostię grandioris ad participandum de inchoato à se Sacrificio, sicut excogitat Thomas Tamburinus C. & §. 6. de Communione, contra planum, & sincerum sensum Rubricæ, non enim infirmus consummat Sacrificium illud. Ysambertus 3. p. q. 83. D. 3. art. 5 §. *Primum est* ait idem ipsum, quod Tāburinus, sed quia non aduertit ad illa Rubricarum verba *Si non adsit, &c.* omisit enim ea, cum transcripserit reliqua. Vnde infertur, etiam si moribundus nō sit Sacerdos, sed Laicus, partiendā esse hostiam ad viaticum, si non suppetat alia hostia; debereque partiri, si aliàs infirmus decessurus esset sine viatico. Et quanquam in Missali Romano sit sermo de Sacerdote, videtur eadem quoad hoc esse ratio de Laico. Atque vniuersim de quolibet existente in extrema viatici necessitate docent Sylvester V. *Eucharistia* 2. quæst. 10. dicto 3. *Eucharistia* 3. quæst. 15. dicto 1. cum S. Thoma, quem citat in 4. Dist. 17. & cum Paludano in 4. Dist. 12. quæst. 1. art. 5. Cōsonantque innumeri alij apud Scortiam Lib. 4. Cap. 29. num. 12. Marchinum Tract. 3. parte 2. Cap. 4. num. 16. Granadum tomo 5. Controu. 6. Tract. 12. Disput. & num. 3. Ioannem Sanchez in Selectis D. 22. num. 21. Dianam parte 2. Tract. 14. Resol. 37. parte 3. Tract. 4. Resolut. 34. parte 5. Tract. 3. Resolut. 54. Dicastillum Tract. 4. Disp. 11. Dub. 6. num. 117. Leandrum Tract. 7. Disp. 4. quæst. 17. Franciscum de Lugo Lib. 4. C. 12. quæst. 2. num. 12. Progreditur autem Dicastillus suprà num. 113. vt dicat idem ipsum de eo, quem vrget obligatio communionis annuæ, & nisi Eucharistiam in illa Missa suscipiat, elabetur tempus, videtur enim & hęc sufficiens causa, vt Sacerdos diuidat hostiam destinatam ad sumptionem Sacerdotalem, si contingeret non inueniri aliam. Imò multi docent, partiendam esse hostiam cum eo, qui solùm ex deuotione communicare desiderat.

58 Ego censeo, si Sacerdos ante Missam admoneatur tempore apto, vt præparentur aliæ hostiæ, aut formulæ pro volentibus communicare, non fore immunem à culpa vt minimùm veniali, si non curet præparari, & omittat consecrare eas, diuidatque hostiam à se sumendam. Moueor duplici ratione, quarum prima est, quia iuxta ritum seruandum ex more Romano in celebratione Missæ §. 7. numero tertio, §. 10. n. 6. debent consecrari aliæ hostiæ pro communione populi. Ratio

secunda est, quia diuidere hostiam destinatam ad Sacerdotalem sumptionē, est contra consuetudinem, quæ nunc tēporis viget. Vix vnquam ego vidi fieri; nec fieret ex mero Sacerdotis libito sine nota eorum, qui scirent, vel sine offensione adstantium, quantùm iudicare possum. Si ergo ex sola sua voluntate Sacerdos exequatur eam partitionem, cum posset, cōsecrando formulas, satisfacere petentibus communionem, peccabit vt minimū venialiter. Olim quidem in vsu fuit, vt de eadem hostia diuisa in plures partes participarent Sacerdos, & fideles adstātes, sicut & Christus *benedixit, ac fregit, deditque discipulis*, Matthæi C. & V. 26. à duobusq; discipulis apud Emmaūtinū Castellum cognitus est Christus *in fractione panis*, Lucę 24. V. 35. panis autem ille fractus, sumptus à Christo, & porrectus discipulis, Eucharisticus fuit, vt plures existimant Patres Ecclesiæ, & Interpretes Bibliorum sacrorum. S. etiam Paulus 1. ad Corin. C. 10. V. 16. ait, *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? Et panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est?* Diuidebatur itaque eadem hostia ad communionem præsentium fidelium, vt & de eodem calice omnes illi bibebant, dispensante Diacono, nec enim duo, vel plures calices consecrandi ponebantur in eadem Missa, congruumque id non esse, respōdit S. Gregorius II. Papa perconctatus à S. Bonifacio anno Christi 726. vt videre est in Baronio ad eum annum n. 46. Constat ex C. *Triforme* 22. de Consecratione Dist. 2. hostiæ in tres partes diuisæ vnam partem seruatam vsque in Missæ finem, ad communicandum alios, vt aduertit Paludanus suprà. Et Guilielmus Durandus L. 4. Rationalis diuinorum Officiorum C. 51. n. 21. ait, ✻ Pars in calice posita significat corpus Christi, quod de Virgine traxit; pars sicca comesta à Sacerdote significat omnes fideles; pars reseruata vsque in finem Missæ, secundùm antiquum Ecclesiæ Romanæ morem, pro ministris, vel infirmis, significat omnes mortuos:: Hæc pars remanet in altari vsque ad finem Missæ, quia vsque ad finem sæculi corpora Sanctorum in sepulchris erunt. Sed quòd pars vsque in finem Missæ reseruetur, non est in vsu. ✻ Micrologus de Ecclesiasticis obseruationibus C. 16. inquit, ✻ Rumpit Sacerdos hostiam ex dextro latere iuxta Ordinem, ad designandam Dominici lateris percussionem. Deinde maiorem partem in duo confringit, vt tres portiones de corpore Domini efficere possit. Nam vnam in calicem, faciendo crucem, mittere debet, cum dixit, Pax Domini sit semper vobiscum, ad designandum corporis, & animę coniunctionem in resurrectione Christi. Alteram verò ipse Presbyter necessariò sumit ante calicis participationem, iuxta Dominicam institutionem. Tertiam autem communicaturis, siue infirmis necessariò dimittit:: quam viaticum moriētium appellare solemus. ✻ Author Gemmæ animæ de antiquo ritu Missę L. 1. C. 64. scribit, ✻ Oblata non integra sumitur, sed in tria diuiditur. Vnum in calicem mittitur, aliud à Sacerdote consumitur, tertium in pyxide morituris ad viaticum reponitur, quia corpus Domini est triforme. ✻ Legantur Amalarius Fortunatus L. 3. de Ecclesiasticis Officijs C. 35. Radulphus Decanus Tungrensis Lib. de Canonum obseruantia, propositione 23. Ioannes à S. Geminiano in Summa exemplorum Lib. 10. C. 26. Albertus Magnus in Tract. 3. de Sacrificio Missæ C. 1. n. 1. Berno C. 18. de Missæ Officio. Sed licet quondam ita factum sit, iam tamen vsus est in contrarium, nec enim tertia pars hostiæ reseruatur ex ordinatione Ecclesiæ ad communionem aliorum, nec hostia est tam magna, quàm olim erat, vt secari posset competens portio ad distribuendum inter fideles prçsentes. Notatque Author Gemmæ animæ suprà C. 66. *Quia populo non communicante, non erat necesse, panem tam magnum fieri, statutum est, eum in modum denarij formari, vel fieri, & vt populus pro oblatione farinæ* (quam anteà singuli contribuebant ad conficiendum panem, qui consecrandus esset) *denarios offerrent, pro quibus traditum Dominum recognoscerent; qui tamen denarij in vsum pauperum, qui membra sunt Christi, cederēt, vel in aliquid, quod ad hoc Sacrificium pertineret.*

59 Deinde cēseo, si Sacerdos incępta Missa, sed ante primam oblationē admoneatur adesse aliquem, qui velit communionem, debere potiꝰ expectare aliquantisper, quoadvsque formula afferatur, quàm progredi vltrà cū pro-

posi

posito partiendi hostiam, vt satisfaciat desideranti communicare, nam breuis interruptio Missæ, præsertim si adstantibus non timeatur fore molesta, videtur minoris momenti, quàm illa hostiæ partitio. Si verò post primam oblationem admoneatur Sacerdos, tuncque afferatur offerenda saltem mentaliter, & consecranda formula, opus est rationabili causa præter deuotionem petentis communionem, vt dixi suprà. Dubitarique potest, num eligibilius esset, offere mentaliter saltem, & consecrare eam formulam, quàm diuidere posteà hostiam magnam? Ego eligerem potiùs primum, quàm secundum, quia quoad primum extant plura exempla, in quibus Ecclesia non recusat iteratam oblationem, quę saltem mentalis sit. Si plures petant communionem, faueatq; ipsis rationabilis causa vltrà deuotionem, debet incunctanter præeligi primum, debentque offerri, & consecrari multæ formulæ, quæ adducuntur, nam non decet diuidi hostiam magnam in tot minutas partes, neque decet non sumi à Sacerdote hostiam in quantitate notabili.

60 Censeo præterea, si post hostiæ magnę consecrationem postulet communionem quispiam non præcisè ex deuotione, & desiderio volendi cōmunicare in ea Missa, cum posset facilè, & æquè commodè in alia, aut in altari maiori, sed quia nisi tunc communicet, non aderit copia suscipiendi Eucharistiam eo die, vel non nisi post longam expectationem, quæ sit nociua saluti, aut agendis negotijs considerabilis momenti; censeo, inquam, fas tunc fore partiri hostiam magnam, & ex ea frustum præbere præsertim personæ graui, aut nobili, vbi non timeretur aliarum scandalum, aut admiratio. Quare Sacerdos, qui quando suppeterent formulæ, vel, etsi non suppeterent, qnando petenti communionem expectatio non esset incommoda, diuideret hostiam magnam, vt distribueret in alium, peccaret vt minimùm venialiter ob geminam rationem suprà traditam. Inclinorque magis, vt putem, nō peccaturū per se mortaliter, quia non sumi à Sacerdote partem quandam homogeneam hostiæ, neutiquam est contra perfectionem siue essentialem, siue integralem Sacrificij, neque grauiter opponitur reuerentiæ, quæ ipsi, aut Sacramento debetur. Et hæc ex occasione obiectionis nonæ.

SECTIO VII.

Clausula disputationis, eneruatis nonnullis argumentis pro constitutione Sacrificij huius ex Sacerdotali sumptione.

61 NOBIS non occurrunt alia, quæ momenti sint contrà assertam, & defensatam sentētiam de Sacrificij Missæ essentia consistente in consecratione, & completa substantialiter, integraliterque, seu nō merè accidentaliter, per sumptionem Sacerdotalem. Indicasse videtur opinionem hanc Rex Alfonsus Sapiens, cū in l. 47. tit. 4. Partita 1. scripsit, *maiorem vim Missæ consistere in consecratione.* Item Potho Prumiensis L. 2. de statu domus Dei inquiens, *Præter vnum verū, summumque Sacrificium, quod secundùm ordinem Melchisedech in consecratione Eucharistiæ offerimus, nullum aliud munus præstantius altari sancto superponimus.* Rursùs S. Auitus Serm. de Natali calicis, vbi ait, *Agnoscamus nunc fideliter sūmā hæreditatis indebitæ. Illud & videlicet, quòd cœnantibus Apostolis æterni libaminis ordinem consecrauit. Itaque videmus, quòd nihil nobis de substantiæ plenitudine minuit, qui quod pro nobis assumpsit, totum nobis reliquit. Alij hæredibus suis sua tribuunt; ille semetipsum, id est, carnem, vel sanguinem corporis sui.* Sic S. Auitus. Sed de V V. PP. pro nostra sententia suffragijs iam satis ex num. 18. Exequamur nunc promissa in titulo huius Sect.

52 Et quidem in n. 17. retulimus aliqua argumenta pro opinione, quæ essentiam Sacrificij huius, constituit ex Sacerdotali sumptione, remisimusque eorum solutionem ad sequentes Sectiones. Sed nonum, ac decimum manent satis enodata ex superioribus. Ad vndecimum dico, essentiam Sacrificij cruenti sitam fuisse in actione, quę fuit cruenta Christi immolatio, vt oblata à Christo in satisfactionem Deo debitam

debitam pro peccatis nostris. Si arguës intendit id, cum inquit, positam fuisse in morte Christi, vt ab ipso in actu exercito est oblata in illum finem, conniuebimus arguenti. Sed inde nihil infertur, quod propitium sit constitutioni Sacrificij incruenti per Sacerdotalẽ sumptionem. Ad duodecimum dico, mortem Christi non minus repræsentari per Laicam, quàm per Sacerdotalem sumptionem: non ideo tamen ab Aduersarijs asseri, Sacrificium Missæ consistere in Laicali sumptione. Quare sola illa repræsentatio non sufficit, vt ea res, cui inest, vendicet sibi essentiã Sacrificij Missæ. Addo, repræsentari Christi mortem in Sacerdotali sumptione tanquam in quodam complemẽto Sacrificij Missę, & velut in appendice consecrationis, quæ est anterior, & principalior repræsentatio mortis illius.

63 Sed insurget adhuc non nemo, Sacrificium Missæ non tantùm debet versari circa perfectissimam hostiam, sed etiam erga eam se habere perfectissimo modo. Sed is est holocausti, de cuius ratione est cõsumptio. Ergo hæc pertinet ad essentiam Sacrificij Missę. Hieronymꝰ Columbus L. 4. de Angel. & hum. Hierarchia, C. 64. n. 6. respondet, Sacrificiũ Missæ non esse holocausti, sed solũmodò cõmemorationem cruenti holocausti, scilicet corporis, & sanguinis Dominici pro nobis consumpti suæ charitatis igne in ara crucis. Sed satius est, fateri esse holocausti, in primis ex fine, quatenus precisè offertur ad Deum venerandum, eiusque supremam potestatem contestandam, & laudandam; deinde sufficiẽter ex modo, seu forma, quatenus per consecrationem fit, quod in superioribus diximus, totiesque inculcauimus. Certè si Sacrificium Missæ deberet omnino referre holocaustum, necesse esset, vt consecratio, vel sumptio esset ignitio; imò vt sumptio aliena prorsus esset ab eo, nam in holocausto comburebatur tota res oblata, nihilque ex ea manebat ad cibum, vsumque Sacerdotum, aut populi. Quòd si mors Christi fuit Sacrificium holocausti, perfectissimumque, etsi nec corpus, nec sanguis redacta sint in cineres, neque anima perierit, quidni Sacrificium Missæ erit holocausti ratione consecrationis separantis corpus, vt sub speciebus panis, à sanguine, vt sub speciebus vini. Et per consecrationem quidem hoc modo declaratam fit mutatio, destructioque physica sufficiens ad Sacrificium. Licet autem Pater Arriaga D. 50. sect. 5. Subs. 4. n. 35. contendat, non requiri ampliùs, quàm quòd Christus offeratur Deo Patri in signum publicum diuini dominij erga vitam, & necem nostram; probetque id, quia ad Sacrificium in vniuersum non est necessaria mutatio, destructioque physica, siquidem Sacrificium Zelotypiæ, de quo in C. 5. Numerorum, caruit omni consumptione; quo exemplo triumphare videtur ipse in Sect. & Subs. 3. n. 22. & 23. Nihilominus huiusmodi exemplum nõ faciet, vt titubemus in sententia suscepta, cõstat namque ex eo C. 5. Numerorum, Sacrificium Zelotypiæ debuisse offerri ex farina hordeacea, cuius pars cremabatur in altari holocausti. Demum quispiam arguet ex Concilio Tridentino Sess. 22. C. 1. vbi significatur, Apostolos inauguratos esse à Christo Sacerdotes, dum eis tradidit sumendum suum corpus, & sanguinem. Respondeo, non esse initiatos Sacerdotes, nisi quando potestatem, præceptumq; dedit, vt offerrent; quæ sunt verba eiusdem Concilij. Et sumptio facta ab Apostolis subsequuta est receptionẽ Sacerdotij, quanuis ipsa non fuerit Sacerdotalis, id est facta ab ijs, qui consecrarint; solus enim Christus consecrauit tunc. Hactenus de tota hac celebri Disputatione.

DIS-

DISPVTATIO IIII.

AN ESSENTIA SACRIFCII MISSAE consistat in vtriusque, vel in alterutrius speciei consecratione?

1

TRIVSQVE SPECIEI consecratione coalescere essentiam Sacrificij Missæ, supposuimus potiùs, quàm tractauimus in Disputatione præcedenti. Nunc seduló agendum est de hoc puncto. Sed priùs præmittenda est discussio duorum, aut trium aliorum, ex quorum decisione munitur via ad ferendum punctum in Disputatione, quam auspicamur.

SECTIO I.

Num consecratio vtriusque speciei simul sit necessaria ex præcepto Christi Domini?

Necessaria prorsus est siue ex eo, siue aliunde.

ARI obligationē, eamque valde grauem non consecrādi vnam speciem solam panis, vel vini, sed vtramque simul, est omnino certum. Probarique solet primò ex C. *Nihil contra* 7. q. 1. vbi dicunt Patres Toletani, *Censuimus conuenire debere, vt cum à Sacerdotibus Missarum tempore sacra Mysteria consecrantur, si ægritudinis accidat cuiuslibet euentus, quo cæptum nequeant consecrationis explere Mysterium, sit liberum Episcopo, vel Presbytero alteri cōsecrationem exequi cæpti Officij. Non enim aliud ad supplementum initiatis Mysteriis conuenit, quàm aut incipientis, aut subsequentis benedictione sint completa Sacerdotis; quia nec perfecta videri possunt, nisi perfectionis ordine compleantur.* In quibus verbis expendenda sunt illa, *Quo cæptum nequeant consecrationis explere Mysterium*, &c. Etsi enim in eis non esset sermo de consecratione speciei panis potiùs, quàm de reliquis Missæ partibus, quæ vniuersali nomine consecrationis appellentur, mensque Patrum Toletanorum esset solūmodò, vt quòcumque peruenerit Missa incæpta ab vno Sacerdote, si hic deficiat, perficiatur, expleaturque ab alio; nihilominꝰ inde validum conficitur argumentum, nam si Missa semel incepta, finienda est etiam per alium, quando prosequi non possit, qui exortus est. Ergo si ab incipiente sit facta consecratio sub specie panis, nequeatq; ille vlteriùs progredi, necesse erit, vt alius procedat ad consecrationem sub specie vini, quandoquidem

doquidem nihil sit maioris momenti in Missæ actionibus, nihilque maiori iure perfectionem, complementumq; sui exigat, quàm consecrandi actio.

2 Probari secundò solet ex C. *Relatum* 11. de Consecratione Dist. 2. Sed ibi non est sermo nisi de Sacerdotibus, qui offerebant plura Sacrificia vno die, & sumebant communionis sanctæ gratiam in sola tantùm extrema Sacrificij oblatione. Quòd verò illi consecrauerint sub vtraque specie, supponitur quidem in fine Canonis; ast de obligatione sic consecrandi non habetur vllum verbũ, nisi de distincta alia, scilicet communicandi sub vtraque specie, *Quotiescumque sacrificantes, corpus, & sanguinem Domini nostri Iesu Christi in altario immolarint.* Probari tertiò solet ex C. *Comperimus* 12. ibidem. Quo tamẽ in C. loquitur S. Gelasius Papa I. non n contrà eos, qui non consecrabant sub vtraque specie panis, & vini, sed contra eos, *qui sumpta tantummodò corporis sacri portione, à calice sacrati cruoris abstinebant.* Prætereà in hoc C. non est sermo de solis Sacerdotibus, vt volunt Gratianus in titulo præfixo, S. Thomas q. 80. art. 12. ad 1. & multi alij cum ipsis; sed de Laicis etiam, vt doctè notarunt Salmeron tomo 9. in Euangel. Tract. 35. pag. 372. Æneas Syluius (qui posteà Pius II. Pontifex Maximus) in Dialogo contra Thaboritas hæreticos, Baroni⁹ in Annalibus anno Christi 496 Bellarminus L. 4. de Eucharistia C. 26. Reprehendit igitur S. Gelasius eos occultos Manichæos, qui vt se simularẽt Catholicos, communicabant cum alijs veris Catholicis, sed ex superstitione Manichæorum abhorrentium à vino, existimantiumque, defuisse Christo sanguinem, abstinebant à calice; admonetque veros Catholicos, ne calicẽ omittant cum periculo suspicionis de Manichæa hæresi. Imitatus fuit Sanct⁹ Gelasius antecessorem suum S. Leonẽ I. qui non multò anteà dixerat Serm. 4. de Quadragesima detestans errores Manichæorum, *Cum ad tegendam infidelitatem suam nostris audeant interesse Mysterijs, ita in Sacramentorum communione se temperant, vt interdum tutiùs lateant, ore indigno Christi corpus accipiunt, sanguinem verò redemptionis nostræ haurire omnino declinant. Quod ideo vestram volumus scire sanctitatem, vt nobis huiuscemodi homines ex his manifestentur indicijs, & quorum deprehensa fuerit sacrilega simulatio, notati, & proditi, à Sanctorum societate Sacerdotali authoritate pellantur.* Ita S. Leo, qui, & S. Gelasius, in odium Manichææ hæresis iudicarunt conuenire tunc temporis, vt non solùm à Sacerdotibus, sed etiam à Laicis frequentaretur communio sub vtraque specie. Vnde C. *Comperimus* plenam accipit lucem. Eius integra verba sunt, *Comperimus autem, quòd quidam sumpta tantummodò corporis sacri portione à calice sacrati cruoris abstineant. Qui proculdubiò, quoniã nescio qua superstitione docentur adstringi, aut integra Sacramenta percipiant, aut ab integris arceantur, quia diuisio vnius, eiusdemque Mysterij sine grandi sacrilegio non potest prouenire.* Vbi Tò *Grande sacrilegium* sumitur pro indigna tractatione Sacramenti contra præceptum, iusque Ecclesiasticum, & non contra diuinum, vt malè interpretatur Marchin⁹ Tract. 3. de Ordine, parte, C. & n. 2. quasi non possit quidpiam esse sacrilegium, nisi sit contra ius diuinum prohibens talem determinatam tractationem. Sed certè ad sacrilegium, sufficit, quòd sit actio, vel omissio contra præceptum Ecclesiæ iubentis in ordine ad finem religionis, & ad cultum diuinum, vt patet ex celebratione Missæ sine vestibus sacris, ex percussione Clerici, ex pollutione, sanguinisque in Ecclesia effusione, centumque alijs exemplis, quorum aliqua in hanc rem prænotauerat iam Claudius Sainctes Repetione 10. de Eucharist. fol. 377. Probatur quartò, ex Innocentio Papa III. L. 4. de Mysterio sacro altaris C. 23. in cui⁹ fine habet hæc verba, *Grauiter offendit, qui negligenter, aut ignoranter alterutram speciem prætermittit; grauiùs, qui scienter, aut sponte; maximè si formam intendit mutare, vel hæresim introducere.* Quintò, ex S. Thoma q. 74. art. 1. ad 2. q. 80. ar. 12. ad 3. q. 83. art. 12. per totum ferè. Sextò, ex Missali Romano, titulo de defectibus §. 4. per totum ferè, & §. 10. n. 3. Concordant Theologi omnes; & hic est communis fidelium sensus, quin vllus ambigat de admodùm stricta obligatione orta ex præcepto siue solùm humano, siue etiam diuino Christi Domini extrinseco institutioni Sacramenti.

Præ-

Præceptum Christi inducit præfatæ consecrationis necessitatem.

3 MIHI persuasum est, dimanare etiam ex hoc. Nam iuxta Cōcilium Tridentinum Sess. 22. C. 1. Christus in cœna nouissima *corpus, & sanguinem suum sub speciebus panis, & vini Deo Patri obtulit, ac sub earundē rerū symbolis, Apostolis, quos tunc noui Testamēti Sacerdotes constituebat, vt sumerent, tradidit; & eisdem, eorumque in Sacerdotio successoribus, vt offerrent, præcepit per hæc verba, Hoc facite in meam commemorationem, vti semper Catholica Ecclesia intellexit, & docuit.* Quæ verba tam clara sunt pro præcepto Christi de oblatione facienda ab Apostolis, & à Sacerdotibus successoribus eorum sub speciebus panis, & vini simul, seu sub earundem rerum symbolis, vt non egeant expensione nostra. Consonant cum verbis transcriptis hæc alia verba Canonis 2. *Si quis dixerit, illis verbis, Hoc facite in meā commemorationem, Christum non instituisse Apostolos Sacerdotes, aut non ordinasse, vt ipsi, aliique Sacerdotes offerrent corpus* (scilicet sub speciebus panis) *& sanguinem suum* (scilicet sub speciebus vini) *anathema sit.* Meritò autem Concilium Tridentinum intulit præceptum Christi ex verbis illis, *Hoc facite in meam cōmemorationem*, nam etsi à S. Luca Euangelista referantur post solam corporis consecrationem, tamen satis significat, fuisse à Christo repetita post sanguinis consecrationem, subiungit enim, *Similiter, & calicem*, &c. vbi aduerbium *Similiter* denotat repetionem eorundem verborum, quæ post corporis consecrationē pronunciauerat Christus. Præterea S. Paul. 1. & C. 11. Corinth. narrat, Christum dixisse post consecrationem corporis, *Hoc facite in meam commemorationem*; & post sanguinis consecrationem, *Hoc facite, quotiescumque bibetis, in meam commemorationem.* Neque proderit respondere, Christum præcepisse consecrationem vtriusque speciei, sed non simultaneam, seu quarum vna cōsecratio debeat sequi post aliam. Non, inquam, proderit, tū quia Christi verba intelliguntur à Concilio Tridentino de oblatione sub speciebus panis, & vini, non autem vel panis, vel vini; intelliguntur etiam de oblatione corporis, & sanguinis, non autem vel corporis, vel sanguinis: tum quia Christus præcepit id, quod ipse fecit tanquam præcipuum in tanto Mysterio; id verò fuit consecratio sub vna, atque altera specie, & non sub vna, vel altera: tū quia (vt communiter additur, & satis vrgenter) si præceptum Christi esset de consecratione vel vtriusq;, vel vtriuslibet speciei, quid causæ foret, vt Ecclesia adeò solicitè curet, ne post consecrationem vnam prætermittatur altera? Cur obligationem consecrandi vtramque speciem prę poneret tot alijs obligationibus iuris humani, quot expendētur in Disputatione de modo occurrendi defectibus, qui in celebratione Sacrificij contingere queunt? Quapropter tenendum est, consecrationem sub duabus speciebus panis, & vini simul esse preceptam à Christo Domino; quidquid sit, an Sacrificium Missæ constituatur essentialiter, necne ex consecratione sub duabus illis speciebus: de quo posteà. Nunc solùm aduertimus, si constituatur, inde consequens fore, vt eiusmodi consecrationis obligatio proueniat ex iure diuino contento intrinsecè in Sacrificij Missæ institutione facta à Christo Domino.

Sex obiectiones diluuntur.

4 OPPONES primò, si consecratio sub vtraque specie debeat fieri ex præcepto Christi, non poterit Summus Pontifex concedere facultatem, vt sub vna tantùm specie fiat consecratio, nequit enim inferior dispensare in præcepto superioris. Refert tamen Raphael Volaterranus L. 7. Geographiæ C. 4. seu titulo de Saxonibus, &c. Innocentium Papam VIII. anno 1490. permisisse Nortuegijs, vt in sola panis specie consecrarent; nec putandum est, erasse Papam in re tā graui, vniuersali, & publica, cuius fuisse satis conscium Volaterranum, colligitur exinde, quòd eo tempore degeret Romæ; dedicauitque libros suos Iulio II. (qui tunc erat Cardinalis) à quo facilè conuinci posset de falsa narratione, vt & ab alijs syncronis. Secundò, Christus post resurrectionem cōsecrauit apud Emmauntinum Castellum, vt docent

docent S. Hieronymus in Epitaphio Paulæ, S. Augustinus L. 3. de Consensu Euangelistarum C. 25. Serm. 146. de Tempore, Sermone. 1. in feria 2. Paschæ, Epistola 59. q. 8. multique alij Patres, & Interpretes ad C. 24. Lucę, vbi latè Maldonatus, & ex Theologis Scholasticis nōminus diffusè Vazquez D. 216. C. 2. Christus autem consecranit sub sola panis specie, non enim fit vlla vini mentio. Ergo signum est, nō præcepisse anteà Apostolis, vt non nisi sub duabus panis, & vini speciebus cōficerent, nam qui se exhibebat magistrum, & doctorem Apostolis, ea in functione, nullatenꝰ faceret contra id, quòd iusserat paucis anteà diebꝰ. Tertio, S. Paulus Actorum 27. V. 35. Eucharistiam confecit sub sola specie panis in mari, & naui, nam de Eucharistia intelligit Author Imperfecti in Matthæum Homilia 17. verba hęc Actorū, *Sumens panem, gratias egit Deo in conspectu omnium, & cum fregisset, cæpit manducare.* Hic locus ex Apostolicis Actis vrgentior videtur, quàm alij C. 2. V. 42. C. 20. V. 7. vbi dicitur, *Erant autem perseuerantes in doctrina Apostolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibꝰ:* rursus, *Vna autem Sabbathi cum conuenissemus ad frangendum panem, Paulus disputabat*, &c. Quibus in verbis non describitur, quid Apostoli, Paulusvè fecerint, sed quid populi, aut fideles alij præsentes, vt notant Bellarminus L. 4. de Euch. C. 24. Lorinus ad C. illud 2. V. 42. Nihil itaque est, vnde deducatur, Apostolos non consecrasse sub specie vtraque panis, & vini, etsi alijs adstantibus ministrauerint tunc solā priorem. Oppones quartò, si consecrationem vtriusque speciei simul præcepisset Christus Sacerdotibus celebrantibus, vtique & vtriusque sumptionem. Sed hanc non præcepit. Ergo neque illam. Minor probatur, nam alioqui non benè decreuisset Ecclesia, vt Neopresbyteri concelebrantes cum Episcopo non sumerent calicem. Quintò, verba illa Christi, *Hoc facite in meam commemorationem*, non minus continent præceptum consecrandi impositum Apostolis, & eorum in Sacerdotio successoribus, quàm præceptum de sumptione impositum omnibus fidelibus. Sed huiusmodi præceptum non obligat fideles omnes ad sumptionem vtriusque speciei. Ergo neque obligat Sacerdotes ad consecrationem vtriusque. Sextò, S. Thomas in 4. Dist. 11. q. 2. art. 1. quęstiuncula 1. ad 4. dicere solummodò, *esse præter morem Ecclesiæ in vna tantū specie conficere*. Non igitur iudicauit, esse contra Christi præceptum.

Expenditur quidam S. Thomæ locus. Non tenentur omnes fideles ad vtriusque speciei sumptionem.

5 AD hoc vltimum argumentum repondeo, S. Thomam dicere quidem, esse pręter morem Ecclesię consecrare in vna tantùm specie; sed non ideo negari à S. Doctore, esse contrà Christi præceptum. Ad quintum dico cum Concilio Tridētino Sess. 21. C. 1. *Etsi Christus Dominus in vltima cœna venerabile hoc Sacramentum in panis, & vini speciebus instituit, & Apostolis tradidit; non tamen illa institutio, & traditio eò tendunt, vt omnes Christi fideles statuto Domini ad vtramque speciem accipiendam astringantur.* In quibus verbis Conciliū ex primæua Ecclesiæ traditione, & cōmuni sensu declarat, prœceptum Christi non debere sic intelligi, vt obliget omnes fideles ad sumptionem vtriusque speciei. Nobis, qui contrà Hæreticos non disputamus ex professo, sed cum Catholicis agimus, sufficit hæc solutio. Videat, qui velit, Bellarminum L. 4. de Eucharistia C. 25. Salmeronē tomo 9. in Euangelia Tractatu 34. Valentiam in Controuersijs L. de legitimo vsu Eucharistiæ, & tomo 4. D. 6. q. 8. puncto 5. §. 2. & sequentibus vsque ad 8. Suarium D. 71. sect. 1. & 2. Vazquium D. 216. Cap. 5. Martinum Becanum tomo 2. Opusculorum in 1. de Cōmunione sub vtraque specie, C. 1. & 2. ac 10 Cuius puncti occasione noto, Eucharistiam sub vtraque specie aliquando asseruari solitam. Quod etsi post Baronium in Annalibus Ecclesiasticis anno Christi 57. num. 153. neget Vazquez C. 3. n. 26. & violenter interpretetur verba hæc S. Chrysostomi in Epistola 1. ad Innocentium Papam, *Sanctuaria ingressi sunt milites, quorum aliquos scimus, nullis initiatos mysterijs, & viderūt omnia, quæ intus erant. Quin & sanctissi-*

mus

mus Christi sanguis, sicut in tali tumultu contingit, in prædictorum militum vestes effusus est, magno Sabbatho Paschali, cum iã in vesperum vergeret dies ante Missarũ solemnia. Neget autem Vazquez, quia nullum aliud testimonium Patrum præter citatum ex S. Chrysostomo allegari possit. Nihilominus Lib. 3. Dialogorum Sancti Gregorij C. 36. habemus expressum testimonium, nam Maximianus, & socij portabant in naui corpus Christi, & sanguinem, *iamque non ex morte vicina, sed ex ipsa eius præsentia, ac visione turbati, omnes sibimet pacem dederunt, corpus, & sanguinem Redẽptoris acceperunt, Deo se singuli commendantes, vt eorum animas benignè susciperet, quorum corpora in tã pauenda morte tradiderat.* Hæc S. Gregorius loquens de tempestate, quæ in extremum periculum redegit Maximianum, & comites. Nec quisquam dicet, celebrasse tunc Sacrum. Legatur etiam Ioannes Diaconus in vita eiusdẽ Sancti Gregorij L. 1. C. 33. Extat & aliud in S. Gregorio Nazianzeno Oratione 11. vbi de S. Gorgonia sorore sua vexata graui infirmitate ait, *intempesta nocte captata, ad altare* (quod domi habebat) *procubuisse, eumque, qui super ipso honoratur, ingenti clamore inuocasse:: ac deinde hoc suo pharmaco corpus totum perfudisse, & si quid vspiam antityporum pretiosi corporis, aut sanguinis manus* (scilicet ipsius, pro more antiquo deferendi Eucharistiã in domos priuatas, vt ibi eã sumerent, quando ad Ecclesiã accedere non possent, sicut obseruat Iacobus Billius) *id lachrymis admiscuisse.* Habem⁹ aliud testimoniũ in S. Hieronymo Epist. 4. ad Rusticũ Monachum de viuendi forma, vbi de Exuperio Tolosano Episcopo ait, *Nihil illo ditius, qui corpus Domini canistro vimineo, sanguinem portat in vitro.* Prætereà in Concilio Turonico apud Burchardum L. 5. C. 9. decretum fuit, *sacram oblationem, quæ ad viaticum recedentibus de seculo reseruatur, intinctam debere esse in sanguine Christi, vt veraciter Presbyter possit dicere infirmo, corpus, & sanguis Domini proficiat tibi, &c.* Quare vel seruabatur sanguis, quo madefieret hostiæ pars porrigenda infirmo, seu infundenda eius ori, vel tũc madefiebat pars hostiæ, quãdo in Sacrificio seperabatur adviaticum. Vti solere fieri à Græcis, quãdo in Cœna Domini Eucharistiam pro infirmis præparant, testatur Arcudius L. 3. de Concordia Ecclesiæ Occidẽtalis, & Orientalis C. 56. quo etiam modo, quãdiu hostiæ pars nõ exsiccabatur, manebat sãguis sub specieb⁹ vini. Sed illud decretum emendatũ fuit in Concilio Bracarensi 3. Can. 2. cuius Canonis verba omnia legũtur sub nomine Iulij Papæ I. C. *Cum omne crimen* 7. de Consecratione Dist. 2. Ideoq; Innocentius III. L. 4. de sacro altaris Mysterio C. 13. admonet, *constitutum esse ab Ecclesia, vt Eucharistia non detur intincta.* Consulatur Paschalis Papa 2. in Epist. 32. apud Binnium, Micrologus C. 19. de Ecclesiasticis obseruationibus, Hildebertus Cenomanensis Episcopus Epist. 64. relatũq; ab eodem Binnio Concilium Londinense celebratum anno 1175. Et antequam hinc ego discedã; moneo, præfatum decretum Concilij Turonici fauere satis in speciẽ Authoribus, qui dixerunt, Sacerdotẽ celebrantẽ posse recludere in Pastophorio hostiam, quam tũc consecrauit, & sumere aliã anteà consecratã, ibiq; custoditã, additur enim in eo decreto, *De septimo in septimum diem semper mutetur, id est, illa à Presbytero sumatur, & alia, quæ eodem die consecrata est, in locum eius subrogetur, ne forte diutiùs reseruata, mucida, quod absit, fiat.* Sed interpretari quis poterit, quatenus alia, non quidem sola, sed ex duabus denuò consecratis, recondatur in Ciborio sacro, ita vt sumatur vna ex illis, & antiqua etiã. Legatur n. 56. D. præcedentis.

Qua de causa Neopresbyteri nõ sumant speciem vini.

6 AD quartum dico primò, si probabile sit, non esse Sacerdoti celebranti necessariã ex Christi præcepto sumptionem absolutè, probabile à fortiori erit, non esse eo præcepto necessariã sumptionẽ vtriusq; speciei. Prius autẽ illud visum est probabile P. Suario D. 75. S. 5. V. *Vna verò.* Arriagæ D. 40. S. 9. n. 69. & nobis in Disputatione superiori à n. 53. Dices Cõcilij Trident. Sess. 21. Cap. 1. & Can. 1. cum declarat, Laicos, & Clericos non conficientes, nullo præcepto diuino obligari ad Eucharistiæ Sacramentũ sub vtraque specie sumẽdũ, indicare tacitè, Clericos conficiẽtes obligari. Hoc argumẽto vtitur P. Suarez D. 43. sect. 3. Vers. *Tertiò ex his.* Sed contrà, quia potius videtur, Concilium voluisse relinquere indecisam hanc controuersiam, & Theo-

logorum opinationibus subiectam. Atque ita Suarez sentire debet, ne sit sibi contrarius. Dices rursus, et si expresso Christi præcepto, superadditoque institutioni Sacrificij non sit Sacerdoti imperata sumptio inter celebrandum, tamē iniuncta est Christi præcepto implicito, contentoq; intrinsecè in Sacrificij institutione. Ergo sic etiam imperata erit sumptio vtriusque speciei, nam non apparet potior ratio, vt iubeatur vnius speciei sumptio præ alia, neque item vt vnius, vel alterius, præsertim cum vtriusque simul speciei consecratio sit imperata præcepto Christi, cumque ad complementum conuiuij, instar cuius institutum est hoc Sacrificium, & Sacramentum, pertineat sumptio cibi, & potus. Hinc probile est Ægidio Coninch q. 83. art. 1. dub. 5. n. 102. celebrātem teneri iure diuino sumere vtramque speciem, & à Pontifice dispensari non posse, vt celebrans sumat alterutrā tantum speciem. Quæ Ægidij doctrina intelligenda est iuxta dicta ab ipso in n. 95. ratione habita non tam institutionis Sacrificij, quàm Sacramenti Eucharistici. Sed cōtrà, tū quia incertum est, an absolutè sumptio Sacerdotalis, seu inter celebrandum facta à Sacerdote, vel vnius tantùm speciei, sit de iure diuino Christi penes modum etiam propositū in Antecedenti: tum quia excogitari posset, Sacerdotem obligari iure diuino ad sumendam vnam, vel alteram speciem, quam vellet, & non ad vtramque simul sumendam, sicut de obligatione Laici, & Sacerdotis non celebrantis dicitur, quatenus iure diuino satisfacerent, si alterutram sumerent, quāquam nunc, & iam diu debeant ex præcepto Ecclesiæ non sumere, nisi determinatè speciem panis: tum quia sub lite est, an vtriusque simul speciei consecratio necessaria sit ex iure diuino: tum quia difficilè probabitur, non sufficere ad complementum Sacrificij, & Sacramenti Eucharistici, si Sacerdos sacrificans, & conficiens sumat vnam speciem, vti sufficit respectu cæterorum, qui neque sacrificant, neque conficiunt: tum quia difficilè etiam probabitur, complementum Sacrificij (etsi admittatur consistere in sumptione vtriusque simul speciei à Sacerdote) debere esse de iure diuino, vt notabam in Disputatione proxima, n. 55. Si hæc, quæ vt probabilia tentata à me sunt, & non asserta, videantur similia vero, dicendum esset, non sequi ex præcepta à Christo cōsecratione vtriusque simul speciei præceptam etiam esse consecranti Sacerdoti sumptionem vtriusque simul. Id autem si diceretur, pateret cōmoda, suauisq; responsio ad illud de Neopresbyteris non sumentibus vtramque speciem, nam cum obligatio sumendi vtramq; non oriretur in Sacerdotib⁹ celebrātibus ex præcepto Christi, sed Ecclesiæ, nihil mirum, quòd hæc in suo præcepto potuerit dispensare, dispensaritque actu cum Neopresbyteris, quando celebrāt vnà cum Episcopo. Similiter, si credimus Cardinali de Lugo D. 11. sect. 8. n. 174. dispēsabat olim Ecclesia cum Presbyteris Cardinalibus, vt non omnes communicarent, vel sub vna specie, qui præsentes Missæ Pontificis Summi consecrabant simul cum eo. Qua in narratione concordat Dicastillus Tract. 4. D. 3. dub. 13. num. 224. Et vterque adducit in testem Innocentium III. Lib. 4. C. 25. vbi non legi id, sed potiùs contrarium, ait enim, *Consueuerunt autem Presbyteri Cardinales Romanum circumstare Pontificem, & cum eo pariter celebrare. Cumque consummatum est Sacrificium, de manu eius communionem recipere, significantes Apostolos, qui cum Domino pariter discumbentes sacram de manu eius Eucharistiam acceperunt, & in eo, quòd ipsi concelebrant, ostendunt, Apostolos tunc à Domino ritum huius Sacrificij didicisse.* Sic Innocentius. Vnde nisi aliūde constet, nō omnes Presbyteros Cardinales communicasse, ex testimonio Innocentij nullatenus constat, sed potiùs oppositum. Non exprimit ille, an acceperint communionem sub vna tantùm, vel sub vtraque specie; & in Lib. 6. C. 9. tradit hęc, *Vt autem in perceptione corporis, & sanguinis Christi nulla possit fallacia suboriri, sed in vtroque perceptionis veritas euidenter appareat, Summus Pontifex non statim particulam hostiæ dimittit in calicem, sed eam prius trinū crucis signaculū in patenā reponit, & post osculum pacis ad sedem ascendens, ibi consistens, vniuersis cernentibus partem maiorem suscipit oblatæ de patena, quā ei Diaconus repræsentat, ipsamq; videntib⁹ diuidens, vnāque particulam sumens, aliā mittit in calicē, quem tenet corā ipso Subdiaconus, de quo sanguinem haurit cum calamo, deinde particulā vnam cum osculo tradit Diacono, aliamque Subdiacono sine osculo, quem ad altare minis-*

stran

strantem ei calicem Diaconus osculatur. Et tunc Subdiaconus particulam dimissam in calice sumit cum sanguine. Hæc ibi. Ex quibus noscimus, Subdiaconum sumpsisse particulam hostiæ cum sanguine, no autē Diaconum, neq; Presbyteros, si qui adessent. Thomas Vualdensis C. 88. de Sacramentis tradidit, moris esse Romani, vt Summus Pontifex Diaconum, & Altaris Ministros communicet sub vtraque specie. Potest responderi secundò, requiri quidē ex Christi præcepto sumptionem vtriusque speciei, non tamen ab omnibus simul celebrantibus, & consecrantibus eandem vtranque speciem, sed à præcipuo celebrante, atque consecrante, qualis est Episcopus, quando cū ipso celebrant, & consecrant ordinati nouiter. Sed hæc responsio approbata à Dicastillo Tract. 4. D. 3. dub. 13. num. 245. Tract. 5. D. 1. dub. 12. num. 253. videtur admodùm voluntaria, & gratis excogitata ad effugium difficultas, non secus ac si ego dicerem, solum Sacerdotem celebrantem, & consecrantem principaliter debere ex præcepto Christi conficere sub vtraque specie; posse verò alios celebrantes, & consecrantes secundario, & accessoriè conficere sub vna tantùm. Adhæc: Neopresbyteri non minus verè, & propriè consecrant, ac sacrificant, quam si vnusquisque eorum solus consecraret, & sacrificaret. Ergo si consecranti, & sacrificanti necessaria est ex Christi præcepto sumptio vtriusque speciei, tenebuntur Neopresbyteri eodem præcepto. Respōderi tertio potest, satisfactum esse præcepto Christi de sumptione vtriusque speciei, quandoquidem Episcopus accipiat vtramque, sufficit enim ad illud præceptum, vt vnus ex consecrantibus, & sacrificantibus perficiat Sacrificium, sumendo ambas species. Militant eædem difficultates contra hanc responsionem præstitam à Francisco de Lugo L. 5. C. 2. q. 4. n. 55. cum Raphaele Auersa; qui vtuntur exemplo Sacrificij incæpti ab vno Sacerdote, & perducti vsq; ad consecrationem inclusiuè, sed in huius Sacerdotis defectu finiti, & perfecti ab alio per vtriusque speciei sumptionem. Attamen illud exemplum videtur alienum à proposito, nā eo in casu sumptio est physicè impossibilis Sacerdoti, qui consecrauit, & ideo recurrit Ecclesia ad Sacrificij complementum, & perfectionem, qualem qualem habere potest Sacrificium per sumptionem ab alio Sacerdote factam. Cæterùm quādo nouiter ordinati consecrant, possent physicè ipsi complere, & perficere Sacrificiū vt ab ipsis oblatū, sumēdo vtramq; speciē. Cur igitur Ecclesia prohibet eis vsum calicis? Insuper si exemplum quadantenus conducit, maximè, vt exinde inferatur, præceptum Christi non obligare determinatè, vt idem, qui consecrat, sumat vtramque speciem, sed vt validē, vel alius Sacerdos, siue simul consecret, siue non consecret. Et ita indicari à Suario D. 75. sect. 5. V. *Vna verò*, docerique à Hieronimo de Llamas 1. par. Methodi Curationis animorum C. 12. §. 11. incipiente *Demum sunt*. probabileq; esse aiunt Cardinalis de Lugo D. 11. sect. 8. n. 173. Arriaga D. 40. sect. 9. n. 69. & Dicastillus Tract. 4. D. 3. dub. 13. n. 144. quanquam in Suario ego non id legam, sed quod incerta sit Sacerdotis ad sumptionem obligatio ex iure diuino, quin faciat vllam mentionem de complemēto, & perfectione Sacrificij per alterius Sacerdotis sumptionem. Addunt ibidē Cardinalis de Lugo, & Dicastillus, non esse certum, non posse de iure diuino fieri consecrationem, quin sequatur sumptio à Sacerdote. Potest quarto responderi, sumptionem vtriusque speciei à Sacerdote quouis consecrante esse de præcepto Christi; sed tamen Ecclesiam posse interpretari præceptum Christi, vel dispēsare in illo, vt non obliget Neomystas consecrantes cum Episcopo, sicut multi dicunt, posse Ecclesiam dispēsare in præcepto consecrandi vtramque simul speciem. Si prima responsio non probetur, amplectar ego hanc quartam. Libet que notare primò cum Cardinali de Lugo suprà n. 175. Neopresbyteros non posse ex licentia Episcopi omittere sumptionem specierum panis, vtpote quæ pertineat ad complementum, & perfectionem Sacrificij oblati ab ipsis, & quia præceptum non consecrandi sine sumptione non potest dispensari nisi ab Ecclesia. Noto secundò cum Diana parte octaua, Tractatu primo, Resolutione 44. si Episcopus deficiat post consecrationem, debere aliquem ex Neopresbyteris perficere Sacrificium, sumēdo calicē; quin opus sit, imò quin liceat vocare aliū Sacerdotē ant̄ quū, nam ratione cōcelebrationis cū Episcopo inest

peculiaris obligatio, vt aliquis ex nouiter ordinatis consummet Sacrificiū. Noto tertiò cum Quintanadueñas tomo, & Tract. 2. Singularium in 3. siquidem Neopresbyter non communicet tunc more Laico, sed Sacerdotali, posse celebrare secundo, si occurrat causa, quę Sacerdotem alium ante ablutionem, purificationemve sumptam posset iustè mouere ad repetitam celebrationem eodem die. Noto quartò contra Gamachæum Cap. 13. de Sacrificio Missæ pag. 500. non idcirco Neopresbyterum, carentem legitima ætate, aut intrudentem se ordinationi extra statuta tempora, nō fieri ex suspensō irregularem, ob simul cum Episcopo factam consecrationem, quia non censetur celebrare propriè Missam; sed quia susceptio Ordinis, & celebratio reputatur vnus actus, siquidem hæc celebratio sit annexa susceptioni illi. Ita Lessius de Irregularitate Cap. 6. dub. 4. num. 52. Suarez de Censuris Disput. 31. sect. 1. à num. 70. Iosephus Gibalinus de Irregularitate Cap. 5. quęst. 2. num. 10. cū Henriquez, Bartholomæo de Medina, Sayro, & Laymano. Notò quintò ex Sancto Fulberto Episcopo Carnotensi in Epistola 2. ad Finardum fuisse, quondam vsitatum in Diœcesi Carnotensi, totaque Prouincia Senonensi, vt nouiter ordinato daretur seruanda in pergameno hostia, ex qua per quadraginta dies ipse, sacrificatione abstinēs, decerperet, consumeretque totidem particulas. Noto sextò cum Dicastillo Tract. 4. D. 11. dub. 2. num. 15. casu quo non esset materia, locus, & tempus, nisi pro vna Missa, & duo Principes æquè potētes non consentirent, vter ex duobus Sacerdotibus deberet celebrare, tunc licitum fore, vt vterque simul sacrificaret consecrando eandem materiam, si id non fieret in contemptum religionis, sed ob vitanda bella, aut discordias graues inter eos Principes. Et tunc vterque Sacerdos participaturus esset de speciebus panis, ac vini, vt colligitur ex dictis in notatione prima.

[!]

Num S. Paulus consecrarit in sola specie panis? Num etiam Christus Dominus post Resurrectionem? Num Papa dispensarit, vel possit dispensare, vt in vna sola specie consecretur?

7 AD tertium argumentum dico cum Lorino, & Cornelio in Acta, cū Thoma Massutio in Paulo Apostolo L. 11. C. 9. allegante *S.* Chrysostomum, *S.* Hieronymum, V. Bedam, cum Vazquio D. 216. C. 2. numero 11. & alijs, S. Paulū non cōfeciſſe Eucharistiam in illo euentu, sed sumpsisse vsitatum, & vulgarem panem. Ad secundum repono, alios etiam Patres, & Interpretes existimare, Christum non consecrasse panem, quem dedit discipulis in Castello Emmauntino. Legantur Cornelius Ianſenius in Concordia Euāgelica C. 146. Suarez Disp. 43. sect. 3. Versic. *Ad fundamentum.* Raynaudus de Missa prima sect. & Cap. 1. pag. 9. Si autem opposita existimatio vt communior, ita & probabilior videatur, dicam, Christum eo in casu vsum fuisse potestate excellentiæ, consecrando solam panis speciem, quia sic expedire iudicauit. Ad primum argumentum respondeo primò, verba Volaterrani esse, *Norvegiæ Innocentij VIII. Pontificis concessione permissum sine vino calicem sacrificare, quòd ob immēsa frigora vinum in ea regione importatum acescat, cuius rei gratia legatio missa.* Quę verba falsitatem sonare videntur, nam quòd calix sacrificetur cum alio liquore, quàm devite, excedit indubitanter potestatem Summi Pontificis, cum sit Sacramenti Eucharistici quoad substantiam mutatio; potestas autem Ecclesiæ in Sacramentorum dispensatione debet esse *salua illorum substantia*, vt declarat Concilium Trident. Sess. 21. Cap. 2. Et antea Clemens VI. Papa in Bulla ad Patriarcham Armenorum anno 1351. apud Bzovium proposuerat illi credendum, *posse Romanum Pōtificem circa administrationē Sacramentorū Ecclesiæ, saluis sēper illis, quæ sunt de integritate, & necessitate Sacramentorū, tolerare diuersos ritus Ecclesiarum Christi, & etiam cēcedere, vt seruentur.* Vnde testantibus Armillæ, & Tabienæ Summę Authoribus

bus V. *Eucharistia* tẽpore Alexandri VI. decisum fuit, non posse Papam dispẽsare, vt sine vino cõsecraretur calix, proposita sola aqua. Vnde etiam cum quidam ob vini penuriam offerrẽt Sacrificium ex aqua, vel ex alio potus genere, castigauit eorum temeritatem, crassũque errorem S. Vuolfangus, vt traditur in ipsius vita C. 25. apud Surium, die 31 Octobris. Onuphrius Panuinius in Chronico Ecclesiastico sub annum 1490. correxit verba Volaterrani, posuitq; permissum Nortvegianis, vt sine vino sacrificarent, id est, vt solam panis speciẽ consecrarent, prætermissa specie vini. Sed adhuc in hoc sensu narratio Volaterrani est dubiæ fidei apud plerosque. Legantur Iacobus Gordonus in Chronologia, Abrahamus Bzovius, Henricus Spondanus in Annalibus Ecclesiasticis anno 1489. vel 1490. Suarez Disp. 42. sect. 4. Vers. *Secunda sententia*, & V. *Tertiò hoc confirmat*. Vazquez D. 223. C. 1. n. 6. C. 3. ex num. 26. Bellarminus L. 4. de Eucharist. Cap. 24. Vers. *Quartum incommodum*. Sunt, qui non Innocẽtio VIII. sed IV. tribuant permissionem illam. Ita Alanus Lib. 2. de Euchar. Cap. 20. & Claudius Sainctes Repetitione 10. de Eucharist. Cap. 3. Sed cum Claudius citet Volaterranum, & hic non de Innocentio IV. sed de VIII. loquatur, videtur ille incurrisse lapsum memoriæ, vel calami. Sunt, qui dicant vnum dispensasse cum Saxonibus, aliũ cum Nortvegianis. Ita Villalobos Tractat. 7. diff. 10. n. 1. deceptus exinde, quòd apud aliquem legit allegatum Volaterranum L. 7. Geographæ C. 4. vel titulo de Saxonib⁹, &c. Quod ego in Ioanne Mariana L. 5. de Hispaniæ rebus C. 1. lego, illud est, * Nortvegia maioris frigoris sæuitia vastatur, vsque eò vt importatum vinum vi frigoris cõtinuò acescere feratur: quæ res magnam aliquando Pontificibus Romanis ingessit curam, vt diuinę hostiæ pars vtraq; retineretur, perficereturq; oppidatim. * Sic Mariana. Quapropter de dispensatione cum Nortvegijs facta à Romano Pontifice nihil certi statui potest. Respondeo secundò, si consecratio vtriusque speciei spectet ad essentiam Sacrificij, non poterit vnquam Pontifex dispensare, vel interpretari præceptum Christi, quatenus liceat consecrare vnam speciem sine alia; sicut enim iuxta Concilium Tridentinum suprà Pontifex caret potestate ad mutandam Sacramentorum substantiam, seu essentiam, ita etiam ad mutandam essentiam Sacrificij instituti à Christo, eadem enim vtrobique militat ratio. Imò Alexandrum Sextum Papam declarasse non esse suæ potestatis concedere, vt in vna sola specie Eucharisticum Sacramentum conficeretur, aiunt ex Armilla Summa Viualdus, & qui ipsum refert Moure in Examine Theologiæ Moralis parte 3. Cap. 4. §. 7. num. 2. Amicus Disp. 16. sect. 9. n. 155. Quanquam attentè consideratis verbis Summæ illius §. 10. de Eucharistia, dignoscetur, non dici in eis aliud, quàm quòd suprà ex ipsa, & ex Summa Tabiena nos retulimus, admonitumque id iam fuerat à Vazquio Disp. illa 223. Cap. 3. n. 20. Si verò consecratio vtriusque speciei non sit de essentia Sacrificij, sed ad hanc sufficiat consecratio alterutrius speciei, probabile est, posse Pontificem dispensare, aut interpretari præceptũ Christi; probabile est, non posse. Huius responsionis tres partes habent multos, graueisque patronos passim obvios, & notos.

8 Sed contrà primam partem dices primò, etsi Pontifex non possit mutare essentiam Sacramentorum, vt definit concilium Tridentinum suprà; nihilominus quoad essentiam Sacrificij Eucharistici non esse id definitum. Futilis est hæc euasio, tum quia Sacrificium Missæ sæpe vocatur nomine Sacramenti, vt tertiò quoque verbo obseruare est in Sancto Thoma, & in alijs Theologis antiquis, ac recentibus: tum quia, vt iam notaui, eadem militat ratio, ne Pontifex possit mutare essentiã Sacrificij Eucharistici, ac ne possit alicuius Sacramenti essentiam inuertere; quãdoquidem Sacrificium Eucharisticum sit non minus necessarium Christianę Religioni, & non minus à Christo institutum, quàm quodlibet ex Sacramentis; nec minus ex institutione Christi habeat suã significationẽ, quã quodlibet ex Sacramẽtis suã deriuat. Si igitur significatio Eucharistici Sacrificij ex institutione Christi est, quatenꝰ offertur sub vtraq; specie, & non tantũ sub vna, non poterit Pontifex licitè, neq; validè mutationem aliquam circa id adhibere. Dices secundò, poterit saltem Pontifex

concedere, vt sine celebratione Sacrificij cõficiatur Sacramentũ, consecrando vnam tantùm speciem. Etsi enim confectio Sacramenti Eucharistici debeat ex precepto Christi esse associata celebrationi Sacrificij, non apparet, cur non possit Pontifex dispensare in tali præcepto, aut interpretari illud, sicut in Parasceue separat à consecratione celebrationem, seu oblationem Sacrificij, tunc enim Sacerdos offert Sacrificium, sed non consecrat; offert sub vna specie, nõ sub duplici. Cardinalis de Lugo D. 19. sect. 8. num. 116. excludit hoc effugiũ, nam non componitur valida vnius speciei consecratio cum animo efficaciter impediente intentionem offerendi Sacrificium. Si autem dicatur, extituram tunc intentionem offerendi inchoatè Sacrificium ratione consecrationis speciei vnius. Impugnat alterum hoc effugium, quia esset inchoatio Sacrificij cũ animo non perficiendi essentialiter illud, & proinde esset actio irrisoria, ac vana, malaque intrinsicè ex suppositione institutionis Sacrificij. Quare cum esset contra ius diuinum etiam naturale, non posset Pontifex dispensare. Sed de ista Lugi doctrina feremus iudicium in Sectione sequenti. Nunc reijcimus effugium illud, quia consecratio vnius speciei cum animo non consecrandi aliam, si iam non presupponatur consecrata, est illicita ex Christi precepto prohibente, indispensabilique à Pontifice. Si reclames, ac dicas, excogitari à nobis sine sufficienti fundamento indispensabilitatem in præfato præcepto. Cõcedemus, posse Pontificem dispensare. Sed tunc consecratio vnius solius speciei non erit Sacrificium; & in controuersia redacta ad hoc punctum, an Sacrificium, ad quod ex præcepto Christi requiritur consecratio vtriusque speciei, possit ex dispensatione Pontificia saluari in vnius tantùm speciei consecratione? nos defendemus, non posse.

9 Iam verò contrà secundam partem dices, quanquam consecratio vtriusque speciei non sit de essentia Sacrificij, est tamen de huius substantia, & integritate, sicut pes, aut manus respectu hominis, & sumptio Sacerdotalis respectu eiusdem Sacrificij; Pontifex autem non potest mutare substantiam Sacrificij, seu quæ respectu huius non se habent peraccidens. Occurri potest, dicendo, non mutari substantiam Sacrificij per concessionem Pontificiam consecrandi vnam solam speciem, quia non statuitur, esse de substantia Sacrificij aliquid, quod ex Christi institutione non sit de eius substantia, neque tollitur de ipsius substantia aliquid, quod Christus voluerit esse de substantia illius, sed tãtùm fit variatio, quantùm ad vsum substantię, vtendo vna huius parte, & non alia, id est, consecrando vnam speciem, & non aliam; sicut non mutatur Sacrificij substantia per receptionem vnius speciei, & non alterius, & sicut neq; mutatur substantia Sacramenti per vnius, & non alterius speciei consecrationem. Occurri aliter potest, dicendo, Concilium Tridentinum intelligendum esse de sola mutatione Sacrificij, quoad essentiam, quatenus talis mutatio non cadat sub potestate Pontificia; quidquid sit de alia mutatione quoad substantiã, & integritatem Sacrificij. Porrò autem Pontifex concedens, vt consecraretur sub vna tantùm specie, non mutaret essentiam Sacrificij, siquidem ea saluetur sufficienter in vnica specie; sed solummodò mutaret Sacrificij substantiam, & integritatem, vtpote quæ coalescat ex ambarum specierum consecratione.

10 Contrà tertiam partem dices, multa sunt de iure diuino siue naturali, siue positiuo, in quibus non potest Pontifex dispensare, seu quorum obligationem aliquando non vrgere, non potest Pontifex interpretari, ac declarare. Si autem quidpiam huius conditionis est, præsertim consecratio vtriusque simul speciei, siue vnica species sufficiat ad Sacrificij essentiam, siue duplex requiratur, & consecratio vnius post consecrationem alterius nõ pertineat præcisè ad substantiam, & integritatem Sacrificij, sed ad essentialem huius compositionem, & constitutionem. Impugnaberis, nam desideratur ratio, ob quã sit supra Pontificis potestatem dispensatio, vel interpretatio in precepto diuino positiuo de consecratione vtriusque speciei simul, si admittatur semel, geminę speciei consecrationem non esse de Sacrificij essentia. Hactenus breuiter, & inuolutè satisfecimus ijs, quæ contra secundam nostram responsionẽ ad primum argumentum obijci possunt generaliter. Res est, quæ exigit, vt diffusiùs tractetur, & explicatiùs edisseratur,

tur, ideoque secundam, & tertiam adiungam Sectiones, quæ cum prima sint prœambulę ad principalem Disputationis scopum, seu metam.

SECTIO II.

An consecratio vnius Speciei possit validè fieri, non obstante intentione simul habita relinquendi aliam inconsecratam, vel non offerendi Sacrificium?

11 IN num. 8. remisimus huc discussionem huius difficultatis. Ad quam supponimus, disputatum olim fuisse,

An forma consecrationis panis consequatur suum effectum, antequàm perficiatur forma consecrationis vini?

SEV an formę consecrationis expectent se mutuò in operando? Quibus sub verbis proponitur hæc disceptatio à S. Thoma in 4. Dist. 8. q. 2. art. 4. quæstiuncula 1. & 3. p. q. 78. art. 6. Nam Petrus Cantor Parisiensis, Magisterque Theologicæ Scholæ, vti nominatur ab Henrico Gandauensi C. 15. de Scriptoribus Ecclesiasticis, & posteà eiusdem Vrbis, vt fertur, Episcopus, referente Sixto Senensi Lib. 4. Bibliothecę sanctæ, fortèq; ante Parisiensem Episcopatū tenuerat Tornacēsem, vt colligere est ex Epist. 173. Stephani Episcopi Tornacēsis; claruitq; anno Dni. 1200. Is, inquam, defensauit cum suis sequacibus partem affirmantem, expectare se mutuò, teste Cęsario Heisterbachensi L. 9. Illustrium miraculorum, & historiarum memorabilium C. 27. qui scribebat anno 1222. vt constat ex L. 10. C. 48. Et paucis retrò annis Innocentius III. Papa Lib. 4. de Mysterio sacro altaris C. 17. & 23. aliquantòque pluribus S. Bernardus in Epist. 69. ad Guidonem Abbatem significant, sensisse sic aliquos. Quibus accensęt Stephanum Cantuariensem, seu Anglicum, & Præpositum, seu Prępositiuum Presbyterū Leodiensis Ecclesiæ Albertus Magnus de Euch. Dist. 6. Tract. 2. C. 3. n. 5. vbi, & in 4. Dist. & art. 8. Alexanderque Alensis 4. p. q. 10. membro 4. §. 6. necnon S. Thomas in locis præcitatis, omnesque Theologi posteriores discordant à Petro Cantore, & ab eis alijs antiquis Theologis, vt & dissenserunt S. Bernardus, Innocentius III. & Cæsarius. Imò moderni Theologi iudicant, stare non posse cum indemnitate Fidei Catholicæ cogitationem illam de suspensione effectus formæ consecratoriæ panis vsque ad positionem effectus formæ cōsecratoriæ vini. Ita Vazquez ad art. 8. q. 78. Suarez D. 43. sect. 2. V. *Dico ergo primò*. Adeat Lector Eximium hunc Doctorem, in quo inueniet plenā dogmaticæ huius sententiæ probationem, necnon in Petro Cornejo 3. p. q. 74 a. 1. & 2. D. 1. dub. 1.

Nouus quidam discursus circa Sectionis quæstionem præsentatur, & discutitur.

12 CÆTERVM Cardinalis de Lugo D. 19. sect. 8. à n. 103. excogitauit nouum modum, quo posset sine absurditate, sed potiùs cum veritate defensari (vt ipse putat) opinatio reiecta Petri Cantoris. Nam eo ipso quod Christus ita instituerit Sacramentum Eucharisticum, vt simul instituerit illud in ratione Sacrificij, nec voluerit, fieri Sacramentum sine Sacrificio, nec hoc sine illo, nec Sacerdotibus dederit duas potestates disparatas, sed vnicam ad sacrificandum, & consecrandum, ita vt neque extrà Sacrificium consecrare possent, neque absque consecratione possent offerre Sacrificium, vt probat cum alijs Suarez D. 43. sect. 3. §. *Dico primò*: sequitur, vt si Sacerdos vellet consecrare non tamen offerre Sacrificium, ita vt voluntas non offerendi Sacrificium præualeret, & esset magis efficax, tunc nihil prorsus efficeret, quia vellet aliquid, ad quod nō accepit potestatem à Christo. Vnde si consecratio vtriusque speciei

cieì sit de essentia huius Sacrificij, cõsequens est, vt qui vellet consecrare hostiam solam, & non offerre Sacrificium, sed excludendo oblationem Sacrificij, nihil faceret, quia non habet potestatem ad consecrandum nisi per modum Sacrificij. Quæ sunt verba Eminentissimi Cardinalis. Et addit, etsi Sacerdores siue ex errore, siue ex malitia proferentes verba consecratoria super vnã solam speciẽ, cõmuniter cõsecrent validè, quia nõ excludunt omnino efficaciter intentionem sacrificãdi, sed volunt consecrare meliori modo, quo possunt, atq; ideo volunt saltem implicitè per consecrationem hostiæ v. g. inchoare Sacrificium, taliter vt quantùm est ex se, possit compleri per consecrationem calicis, si apponatur; tamen contingere posse, vt Sacerdos aliquis nonconsecret validè, proferendo consecratoria verba super vnam speciem solam in circumstantijs, in quibus aduerteret, non posse offerri Sacrificium absque consecratione vtriusq; speciei, & in quibus præuideret, non fore vtramque consecrandam. Quare mens Cardinalis de Lugo videtur esse, non conficiendum corpus Christi ab eo Sacerdote, qui super speciem panis pronunciaret verba consecrationis ex animo non procedendi ad pronunciandum verba consecratoria super speciẽ vini, & ex animo etiam non offerendi Sacrificium ob defectum consecrationis speciei vtriusque, notum vt incõpossibilem cum oblatione Sacrificij.

13 Operæ pretium erit, vt de hoc modo dicendi feramus iudicium. Et in primis videtur mihi, distare toto cœlo ab opinatione Petri Cantoris, nã is dicebat, non poni à parte rei effectũ prioris formæ consecratoriæ, quoad vsque poneretur effectus posterioris. Ast Lugus non dicit id nec per somniũ. Quare nescio, cur ipse scripsit, vnum modum esse germanum alteri, & esse verum illum antiquum, si explicetur instar sui noui. Quo factum est, vt Diana part. 10. Tract. 16. Resolutione 62. conuertat contra Lugum argumenta omnia, quæ afferri solent aduersus Petrum Cantorem. Sed certè Lugum minimè lædunt, vt consideranti patebit. Deinde non benè citatur P. Suarez D. 43. sect. 3. §. *Dico primò.* Etsi enim ibi habeat hęc verba, *Errant, qui in præsenti quæstione distinguunt dicentes, sacrificando non posse confici vnam materiam sine alia, ne mutilum fiat Sacrificium in vna tantùm specie: tamen simpliciter conficiendo Sacramentum extra Sacrificium propter alium vsum ipsius Sacramenti, non esse iure diuino prohibitum consecrare vnam materiam sine alia. Supponit enim hæc distinctio, dari alium modum conficiendi hoc Sacramentum, quàm sacrificando; quod erroneum est.* In his tamen verbis scopus, & sensus Suarij nõ est, inualidam fore confectionem Sacramenti Eucharistici in vna sola specie sine Sacrificij oblatione requirente consecrationem vtriusque speciei; sed fore illicitam cõtra ius diuinum, ex cuius institutione est, vt Sacramentum Eucharisticum non conficiatur, nisi offerendo Sacrificium Deo: quæ est conclusio proposita, & illustrata à Suario in eo numero. Et vt clariùs innotescat, Doctorem Eximium non patrocinari Cardinali de Lugo, adeamus Sectionẽ secundam Disputationis illius 43. Inueniemus ibi conclusionem hanc secũdo loco positam, *Non est de necessitate Sacramenti, seu consecrationis vnius partis materiæ consecratio alterius, sed potest vna sine altera consecrari, ita vt factum teneat.* Quam conclusionem cum obfirmasset, subiungit, *Dici tamen posset, verum esse vnum effectum non pendere ab alio re ipsa, cũ per accidens ex variis causis impediri possit, pendere tamen ex intentione operantis, ita vt si Minister à principio intendat vnam solam speciem, & nõ aliam conficere, nihil efficiat. Sed hoc vanum est, & præter sensum Ecclesiæ, nam in omni Sacramento si Minister intendat efficere, quod verba significant, quodque desse efficere possunt circa materiam subiectam, illa intentio sufficit ad effectum. Sed hoc intendit Sacerdos, etiamsi non intendat aliam partem conficere. Ergo sine vlla dubitatione conficit illam partem, quam intendit. Sicut Episcopus verè confert vnum Ordinem, etiamsi intendat, nunquam alium conferre.* Sic Suarius, satisque manifestè contrà Lugum, ni fallor.

14 Tertiò, etsi sit necessarium ex præcepto Christi, vt qui vult consecrare, velit etiam sacrificare, & proindè vt velit consecrare non tantùm vnã speciem, sed duas, non inde sequitur, irritam esse intentionem consecrandi vnam speciem, si adsit intentio non cõsecrandi aliam, neque offerendi Sacrificium. Nam etiam necessarium est ex

diuino

diuino iure, vt panis anteà, quàm calix consecretur, & vt huius consecrationō fiat, nisi præcedente consecratione illius, sicut docent Dionysius Cisterciēsis in 4. D. 8. q. 3. in 3. p. art. 3. Sotus in 4. Dist. 11. q. 1. art. 6. Suarez suprà sect. 2. V. *At verò*, Fagundez L. 3. in 1. præceptum Ecclesiæ C. 5. n. 19. Bonacina D. 4. q. 2. puncto 3. n. 3. & 7. Frāciscus de Lugo L. 4. C. 1. q. 1. n. 16. suadetq; non leuiter tum Christi exēplum, tum vsus Ecclesiæ, tum quòd cibus recto ordine antecedat potum. Nihilominꝰ valida est consecratio calicis ante panē. Similiter iuxta ipsum Cardinalem de Lugo volens cōsecrare debet ex præcepto diuino velle communicare, si tamen non velit id posterius, neque re ipsa exequatur, non ideo irrita erit consecratio. Quartò, quamuis verum sit, Sacerdotem nihil effecturū, si proferret verba consecratoria super panem, & vinum ex intentione consecrandi, sed cum voluntate prēualente, & magis præcipua non offerendi Sacrificium (cum enim supponatur, consecrationem vtriusque speciei esse formaliter Sacrificium ipsum, concludit in hoc casu ratio Cardinalis de Lugo, seu potiùs Eximij Doctoris Patris Suarez D. 76. sect. 3. V. *Secunda difficultas*, vbi pro hoc casu inuenio eandemmet omnino rationem.) Attamen falsum est, Sacerdotem nihil effecturum, si intendens consecrare solum panem, pronunciaret super eum verba consecratoria cum animo prævalente, & magis præcipuo non offerendi Sacrificium, nā cum supponatur, consecrationem vniꝰ speciei non esse formaliter Sacrificium ipsum, omni prorsus caret vi argumentum Eminentissimi, vt latè contra illū prosequitur tum Dicastillus Tractu 5. D. 1. Dub. 12. n. 236. tum Arriaga D. 50. S. 7. ex n. 45. tum Martinon. D. 29 S. 1 n. 6. Ego breuissimè explico exēplo Episcopi, qui validè conferet alicui potestatem offerendi Sacrificiū, etiāsi simul habeat voluntatem prævalentē, & magis præcipuam non dandi ipsi integrum Ordinem Sacerdotalem, qui constituitur essentialiter ex duplici potestate, vna offerendi, altera absoluendi. Si verò Episcopus vellet conferre alicui eam vtramque potestatem, & simul per voluntatem prævalentem, & magis præcipuam intenderet, non præbere vllo modo Sacerdotalem Ordinē, tunc Episcopus nihil operaretur.

15 Quintò, iuxta Lugum suprà n. 117. Sacerdos, qui ex ignorantia, vel malitia vellet cōsecrare in vna specie, adhuc consecraret validè, quia haberet aliquam intentionem Sacrificij, scilicet inchoandi actionem sacrificandi taliter, vt quantùm est ex se, possit compleri per consecrationem alterius speciei, & facere Sacrificium perfectū: quæ intentio potest stare cum animo non consecrandi alteram speciem. Sic Lugus, & eisdē verbis. Ast nunquā potest contingere, vt Sacerdos intendens consecrare in vna specie, non habeat aliqualem intentionem Sacrificij declaratam proximè à Lugo. Nam etsi Sacerdos aduertat, non posse offerri adæquatè, & plenè Sacrificium sine cōsecratione vtriusque speciei, præuideatq; non posse consecrari vtramque, quia vnius solius datur copia, attamen intētio consecrandi vnam speciem erit intentio inchoandi Sacrificij, si inchoatio istius sit actio apta ex se compleri, & facere Sacrificium perfectum actione alia adiuncta, quæ sit consecratio alterius speciei, siquidem, eo ipso quòd ponatur consecratio vnius speciei, ponitur actio habilis ex se compleri per consecrationem alterius speciei, aptaque constituere, & componere cum illa Sacrificium perfectum. Neque officit huic aptitudini aduertentia Sacerdotis, aut præuisio, de qua loquitur Lugus, est enim extrinseca præfatæ actioni. Vt si ego scribam in hac papyro vnam dictionem, non potero non ponere aliquid aptum ex se constituere propositionem scriptam ex cōiunctione cum alijs dictionibus, quantumuis aduertam, non posse dari propositionē scriptam sine tribus dictionibus, aut terminis, præuideamque, scribi à me nō posse reliquas duas dictiones ob defectum atramenti.

16 Sextò, ægrè mihi persuadebo, non adorandam à fidelibus eam hostiam, super quam Sacerdos aliquis proferret verba consecratoria ex intētione consecrandi, quanquam declarer, se nolle conficere Sacrificium, & se scire, requiri pro huius constitutione cōsecrationem vtriusque speciei, deficereque copiam speciei vini. Et ne prolixior sim, argumentatio Eximij Doctoris

ctoris Patris Suarez exarata suprà in fine numeri 13. mouet me efficacissimè, ne Cardinali de Lugo assentiar, neq; item eius fratri Francisco de Lugo L. 4. C. 1. q. 2. n. 20. & 24. neque Doctori cuidam Sorbonico in thesibus propugnatis die 10. Iulij anno 1646. ab Excellentissimo Armando Borbonio Principe de Conty, qui authoritate sua eximiè nobilitarunt opinationem Eminentissimi Cardinalis. Non defuerunt, qui ausi sint invrere eā acriori nota. Sed quia præcipiti iudicio vnam, eandemque putarunt cum diuersissima altera Petri Cantoris; nec attenderūt, debere asseri, vel tanquam valde probabile agnosci ab omnibus Theologis simile quid, ac dixit Cardinalis de Lugo, suppositā essentiali compositione Sacrificij ex consecratione vtriusque speciei; nempe Sacerdotem nihil effecturum, si intendat consecrare vtrāque speciem cum animo prævalente, & magis præcipuo non offerendi Sacrificiū. Vnde Dicastillus Tract. 1. D. 3. Dub. 8. examinans illam quæstionem, an valeat Sacramentum, quando Minister habet intentiones contrarias? Proponit exempli causā, *Aliquis per errorem putans, non esse idem consecrare Eucharistiam, & sacrificare, vult quidem consecrare, & simul non offerre Sacrificium*. Ad quod exemplum ex communi sententia dicitur, talem Sacerdotem non cōsecraturum reapse vnam, neque alterā speciem, si prævaleat, sitq; magis præcipua voluntas non offerendi Sacrificium: non secus ac communiter affirmatur, baptizati intendentis contrahere Matrimonium cum animo prævalēti, & magis præcipuo non conficiendi Sacramenti, esse prorsus irritum conatum, si ratio contractus Matrimonialis inter bapiizatos sit inseparabilis à ratione Sacramenti, seu si idemticè sit eadem omnino ratio, quemadmodùm consecratio vtriusque speciei est idemticè Sacrificium perfectum essentialiter. Legantur Ægidius Coninch q. 83. art. 1. Dub 5. n. 98. Auersa de Euch. q. 11. sect. 1. V. *Sextò addendum est*. Franciscus de Lugo L. 5. C. 2. num. 6. Non asserit id Arriaga suprà n. 48. quia non est, cur potestas consecrandi validè vtramque simul speciem sit indiuiduè cōnexa cum potestate sacrificandi. Sed tamen ipse agnoscit vt valde probabile; & iudico, debuisse etiam cū præcitatis alijs asserere, nam ex voluntate Christi habet vna potestas necessariam connexionem cum alia, alioqui sæpe fieret, vt consecraretur vtraque species, quin Sacrificium conficeretur, si enim ex voluntate Christi non sit inseparabilis consecratio vtriusque speciei à Sacrificij ratione, requiretur, vt hęc adsit, præter consecrandi voluntatem alia, qua intendatur significare dominium Dei in vitam, & necem nostram; quæ certè voluntas explicita deest, ni fallor, in multis Sacerdotibus parùm litteratis.

SECTIO III.

An consecratio vnius solius speciei possit aliquando licitè fieri ob dispensationem, vel interpretationem in præcepto Christi?

Respondetur affirmatiuè.

17 SI accedat facultas Papæ in maxima quadam, & vniuersali necessitate, vt quando in regione aliqua deesset triticum, aut vinum, nec ex alijs deferri valeret, aut delatum conseruari. Video, vix posse moraliter contingere tam ingentem indigentiam. Sed mea responsio procedit, si fortè eueniret ea necessitas. Tunc enim vtilitas alicuius regionis in re tanti momenti sufficiens motiuum esset, vt Papa facultatem concederet vtens omni, qua polleat, potestate siue dispensatiua, siue interpretatiua diuini præcepti lati à Christo Domino de cōsecratione vtriusque speciei. Et quidem si Papa potest dispensare ex communi sententia in voto, iuramento, & matrimonio rato propter particulare bonum, cum tamen obligatio in his sit de iure diuino; posset multò potiùs propter commune totius Prouinciæ, aut Regni bonum, incomparabiliter maiꝰ, dispensare ex commissione sibi à Christo data in obligatione diuini præcepti positiui, de quo est quæstio, seu potiùs ex potestate competente ipsi vt

capiti

capiti Ecclesiæ declarare, non vrgere tunc eius obligationem, sicut etsi residentia Pastorum spiritualiũ sit de præcepto diuino, Concilium tamen Tridentinum per expositionem huiusmodi præcepti excipit aliquos casus, vt videre est Sess. 23. C. 1. de Reform. Ministratio etiam Eucharistici Sacramenti fideli existenti in articulo, periculoue mortis est de iure diuino; & nihilominus Ecclesia declarauit, prætermitti potuisse nonnullis in casibus à Pastoribus, seu Parochis, prout constat ex Innocentio I. Epist. 3. & ex Concilijs Iliberritano, & Sardicensi apud Suariũ D. 69. sect. 3. V. *Prima sententia*, & apud Iosephum Acosta L. 6. de procurãda Indorum salute C. 8. Omitto alia exempla, quia non sunt tam certa, quã duo hæc.

Nonnullæ difficultates infirmantur.

18 DICES primò, confectionem Sacramenti sub vna sola specie nunquam esse tam necessariam, vt ab ea penderet simpliciter æterna salus fidelium regionis illius, vbi alia species desideraretur. Fateor; sed tamen vt Pontifex interpretetur, diuinum aliquod præceptum non obligare, expectanda non est certa alioqui amissio salutis æternæ; sufficit notabile complurium animarum detrimentũ in bonis spiritualibus, quod alioqui sequeretur. Dices secundò, consecratio vtriusque speciei præcepta est à Christo, quãquam præuiderit penuriam panis, vel vini futuram in illa regione. Ita quidem est; sed potest Pontifex rationabiliter iudicare, non esse contra intẽtionem Christi interpretari ipsius præceptum generaliter datum, quatenus ex mente eius non obliget in præfatis circumstantijs, ne tota regio, fideles q; illius careant omnino Eucharistiæ Sacramento, & ne Deus ibi non honoretur religioso cultu vel partialis Sacrificij. Dices tertiò, si licet Pontifici præfata interpretatio in casu expenso, licebit etiã cuiuis personæ priuatæ. Sed contrà, quia talis interpretatio non est præcisè declaratiua, sed præterea inducit mutationem circa Sacramenti dispensationem; imò, quanuis non erga materiam, neq; erga formam, sed circa confectionem; potestas autem mutandi in his reseruata est Ecclesiæ, & Summo Pontifici, vt colligitur ex Concilio Tridentino in Sess. 21. Cap. 2. Contrà rursus, quia iuxta S. Thomam 2. 2. q. 120. art. 1. ad 3. spectat ad Principem interpretari voluntatem legislatoris in rebus dubijs, præsertim publicis, & magni momenti, etiamsi nulla induceretur mutatio. Verba S. Doctoris sunt, *Interpretatio locum habet in dubijs, in quib⁹ non licet absque determinatione Principis à verbis legis recedere.*

19 Dices quartò, etsi id verũ sit de interpretatione authentica, iuridica, & publica, habenteque vim legis, vt *vnde ius prodijt, interpretatioquoque procedat*, iuxta C. *Inter alia* de Sententia excommunicationis, C. *Sicut enim* 11. q. 1. C. *Ideo* 25. q. 1. & quia *Si leges cõdere, soli Imperatori concessum est, etiã leges interpretari, solo dignum imperio esse oportet*, l. vltima Cod. de Legibus. Sed tamen verum non est de interpretatione doctrinali, quæ fiat à legis peritis, & doctoribus exponentibus prudenter eius sensum, ac verba, quin talis declaratio importet ex se obligationẽ. Est q; minus verum in præsenti casu, nam S. Thomas ibidem addit, *In manifestis non est opus interpretatione, sed executione.* Manifestum autem videtur, non obligare Christi præceptum de consecratione vtriusq; simul speciei, quando nulla esset vini, vel tritici facultas in regione aliqua. Sed contrà, quia tunc est perspicuum, legem non obligare, quando eius obseruantia cedit indubitanter in damnum boni communis ab ipso legislatore intenti. Ast id non accideret in casu, de quo est sermo, nam non est manifestum, sed dubium, an vtilitas communis prouentura in Prouinciam aliquam ex confectione Sacramenti Eucharistici sub vna sola specie sit præferenda perfectioni ipsius Sacramenti, neque an sit maius damnum contra bonum commune mutilatio huius, quàm eiusdem defectus totalis in Regno aliquo. Vnde in re adeò graui, spectantequetam præcipuè ad Christianam Rẽpublicam non habet locum interpretatio doctrinalis. Dices quintò, ergo si Pontifex interpretãdo præceptũ Christi, concessisset alicui regioni, vt consecratio ibidem fieret sub vnica specie, liceret similiter in altera regione, in qua

qua deficeret triticum, vel vinum, cōsecrare sub vna tantùm specie sine recursu ad Pontificem, qui interpretaretur, aut dispensaret, siquidem vtrobique eadem ratio valeret. Sed contrà, quia considerare, an in altera Provincia vrgeat eadem necessitas, pertinet solummodò ad Papam. Dices sextò, quando occurrunt duo præcepta, quorum simultanea adimpletio est impossibilis, præferendum est priuata etiam authoritate illud, quod arctiùs obligat, & vtilius est, seu quod magis cedit in bonum animarum, & salutem æternā, nam intentioni legislatoris cōformior est hæc prælatio. Ergo si occurrant præcepta communicandi in articulo mortis, & non cōsecrandi nisi sub vtraque specie, adsitque vna tantùm, debebit priuata etiam authoritate præferri præceptum communicandi in articulo mortis, & hac de causa fieri consecratio sub vna tantùm specie in defectu alterius; illud namq; præceptum habet maiorem vim obligandi, estque de medio vel necessario, vel maximè conducenti ad bonum animæ, & æternam salutem. Sed contrà, quia præceptum illud non est de medio determinatè necessariò in re ad salutem æternam; neq; obligat, concurrente eo alio præcepto, cuius, vtpote spectantis ad religionem Sacramenti, maior vis est.

20 Dices septimò, præcepta diuina de confessione præmittenda cōmunioni, & de integritate materiali confessionis eiusdem non obligant cū magno nostro detrimento temporali, vel corporali. Ergo nec obligabit cum tam notabili detrimento spirituali existentis in articulo mortis ex communionis defectu præceptum diuinum cōsecrandæ vtriusque simul speciei. Sed contrà, quia Sacramentum Eucharistiæ exigit maiorem reuerentiam, quàm Sacramentum pœnitentiæ, & aliundè est minus necessarium, quàm hoc. Non nego, Sacerdotem, qui consecrauit vnam speciem ex animo perficiendi Sacrificium per consecrationem alterius, posse non progredi vltrà, vt euitet graue aliquod detrimentum, tunc enim non consecraret formali, & directa intentione vnam speciem sine alia, sed præter suum animum relinqueret inconsecratam vnam speciem post consecratam aliam; ne autem sic relinquat, non obligatur præcepto diuino, si immineat apertum vitæ discrimen, aut si magnum scandalum emanabit. Atque ita docent communiter Theologi, Azor tomo 1. L. 10. C. 19. q. 3. Suarez D. 43. sect. 4. V. *Dico ergo primò*, Martinonus D. 29. sect. 1. n. 4. innumeriq; alij. Audiatur Azor, * Quid sit dicendum, si Sacerdos post consecratum panem, diutiùs morari nō potest ad vinum consecrandum sine probabili suæ vitæ periculo ob subitum hostium incursum? Respondeo, in hoc casu non videtur diuinum præceptum tam rigidè Sacerdotis conscientiam obstringere, nimirùm cum vitæ discrimine. Si roges, quid dicendum, si quis Sacerdoti post consecratum panem, necem minaretur, si vinum consecraret? Respondeo, constanter mortem eum perferre debere, si ob contemptum Fidei, & religionis Tyrannus necem minaretur. At verò, si id non faceret, in Fidei, & religionis despectionem, verisimile est, præceptum diuinum non obligare cum tanto vitę discrimine. Secus esset, si Tyrannus imperarèt Sacerdoti, vt panem tantū sine vino consecraret, aliud enim est, Sacrificium imperfectum facere, aliud imperfectum relinquere: hoc enim minoris est vinculi. * Sic Azor; quanquam secundi casus pars secunda mihi non placeat, nam qui minatur mortem, si Sacerdos procedat ad consecrationem vini, intendit formaliter, & directè, vt Sacrificium remaneat imperfectum. Ergo non licet Sacerdoti conformare se cum ea intētione. Alij Authores solent dicere generaliter, ob comminatam mortem ab alio homine non licere Sacerdoti dimittere imperfectum absq; consecratione calicis Sacrificium, quod sit inchoatum per consecrationem panis; quanquam pleriq; eorum adhibeant exemplum de comminata morte ante consecrationem panis factam. Legantur attentè Suarez suprà, Layman L. & Tract. 5. C. 7. n. 1. Præpositus apud Dianam parte 10. Tract. 12. Resol. 13. Puteanus 3. p. q. 74. dub. 1. Bonacina D. 4. q. 2. puncto 3. n. 10. Sed, vt dixi, videtur mihi, nō fore licitum Sacerdoti desistere à consecratione calicis, si aliquis, quin formaliter intenderet contemptum Mysterij, aut religionis, aut virtutis, minaretur mortem, nisi iret ad communi-

candum

candum ægrotũ, ita vt supersederet omnino à calicis consecratione. Vrget nãque eadem ratio, siue ante, siue post consecrationem panis fiat comminatio mortis. In vtroq; enim casu intenditur formaliter, & directè ab agente libero trũcatio, & imperfectio Sacrificij prohibita diuino præcepto. Sed de his plura in D. 29. Nunc adũerto, præceptum diuinum consecrandi sub vtraq; specie non esse in toto rigore negatiuum, tũ quia ad actũ positiuũ consecrandi sub vtraq; specie obligatur aliquando Ecclesia in cõmuni, imò & vnusquisq; Sacerdos in particulari, vt cõmunior sententia tuetur. Tũ quia ex Ecclesiæ dispensatione, aut interpretatione potest aliquãdo intendi formaliter, & directè consecrari vna species sine alia, vt defensauimus in hac Sectione. Tũ quia potest aliquando post consecratã vnã speciem ex intẽtione consecrandi etiam aliam non procedi ad alius consecrationem, vt dudum notauim⁹. Quæ omnia, & singula sufficiũt, ne huiusmodi præceptum sit in toto rigore negatiuum, quandoquidẽ obliget nonnũquã ad actum positiuum, & nõ obliget semper, ac pro semper. Sed cõcedi potest, esse quodãmodò negatiuum, quatenus semper obligat, vt propria authoritate Sacerdos non aggrediatur cõsecrationem vnius speciei, si præuideat impossibilitatem consecrandi aliam.

21 Tandem si quis mordicus cõtendat, Summum Pontificem non posse dispensare, aut interpretari in præcepto Christi de consecratione vtriusque speciei, quia non potest excogitari casus, in quo sit ratio dispensandi, aut interpretãdi. Vnde etsi in toto Orbe Occidentali penuria vini molesta fuerit in initio, cuius de causa sæpe Sacramentũ non cõficiebatur, tamen (vt fertur) nunquã omnino defuit, vt scribit Sotus in 4. Dist. 9 q. vnica. art. 1. & in Æthiopia succus expressus ex vuis passis deseruiebat ad Sacrificium, vt refert Franciscus Aluarezius testis oculatus in historia Æthiopiæ C. 11. & Genebrard⁹ in Chronographia L. 4. anno 1501. sub Alexandro VI. Papa. Nunc Societatis nostræ Sacerdotes ibidem commorantes vtuntur etiã succo illo ob defectum alterius vini, vt ex Fagundez notaui in D. 4. de Euch. n. 11. Præterea quia ad hodiernum vsq; diem nullo authẽtico testimonio sciatur prodijsse dispẽsationẽ, aut interpretationẽ ab Apostolica Sede, Sentiat ipse quod libuerit; est enim hoc pũctum eius conditionis, vt nisi Pontifex in actu exercito suã declaret potestatẽ per dispensationem aliquam, aut interpretationẽ, vel nisi ex cathedra definiat, compotem se esse talis potestatis, manebit semper locus, vt priuati Doctores vltrò, citròque opinentur, præsertim cum sint aliqua præcepta iuris diuini, quæ non cadunt sub potestate dispensatiua, aut interpretatiua Pontificia, vt sigillum confessionis. Sacramentalis, indissolubilitas matrimonij rati consũmati; quę est constãs sententia Theologorũ, & Canonistarũ omnium; & è contra dentur aliqua, quę cadant sub ea potestate, vt indissolubilitas matrimonij tantùm rati, sicut acceptior opinio tenet, & praxis comprobata testium locupletum relatione ostẽdit. Quòd si ab authoritate extrinseca facultas Pontificia in consecrationis negotio sub vna sola specie sit fundanda, possumus assertores multos, eosque notæ non vulgaris numerare. Citantur Innocentius III. Lib. 4. de Mysterio sacro altaris C. 23. Alexanderque Alensis in Compendio Theologiæ Lib. 6. Sed primus non fauet, vt compertum erit legenti attentè; & secundi opus illud ad meas manus non peruenit. Patrocinantur expressè Albertus Magnus de Eucharist. Distinct. 6. Tract. 4. C. 2. num. 15. Sanctus Antoninus 3. par. tit. 13. C. 6. §. 1. Gabriel Lect. 53. in Canonem Missæ lit. E. Turrecremata in C. *Comperimus*, de Consecratione Distinct. 2. Summæ Pisana, Angelica, Tabiena Verbo *Eucharistia*, & quæ Confessorum dicitur apud Azor infrà, nec dissentit prorsus Armilla. Suffragantur etiam Ouandus in 4. Distinctione 8. propos. 10. Palatius in 4. Distinctione 11. Disputatione 3. Gaspar Cassalius Lib. 3. de Cœna, & calice Domini Cap. 7. Alanus Lib. 2. de Eucharist. Cap. 20. August. Barbosa in Collectaneis ad C. 1. Sess. 22. Concil. Tridentini num. 26. Moneta de Commutatione vltim. voluntat. Cap. 4. num. 114. Thomas Sanchez tomo 3. de Matrimonio Lib. 8. C. & num 6. Trullench Lib. 3. de Sacramentis C. 7. dub. 2. n. 9. Cap. 2. dub. 4. num. 3. Azor tomo 1. Lib. 10. Cap. 19. quæst. 2. Fagundez in 1. præceptum Ecclesiæ Lib. 3. Cap. 5. num. 6. Pasqualigus in Doctrina Morali D. 93. sect. 3.

Ysambertus 3.p.q.83.D.4.art. 2. Filliucius tomo 1. Tract.4. Cap. 3. num. 66. Henriquez Lib. 8. Summæ Cap. 13. His associat Amicus Disp. 16. sect. 9. num. 145. Paludanum in 4. Distinct. 11. quæst. 1. art. 2. Conclus. 5. Sed ibi non inuenio. Fauent à fortiori, qui ex præcepto tantùm Ecclesiastico obligatoriam dicunt consecrationem vtriusque speciei, vt Maior, Adrianus, Tapperus, Hesselanus, Claudius Sainctes, Nauarrus, alijque apud Dianam parte 8. Tractatu 1. Resolutione 23. & apud Leandrum Tract. 8. Disputat. 1. quæst. 18. qui in quæst. 19. iungit superioribꝰ Chamerotam, & Molfesium à me non visos. Desisto à coaceruandis alijs.

SECTIO IV.

Essentia Sacrificij Missæ non consistit in consecratione alterutrius, sed vtriusque speciei.

Authores, & probationes.

22 ITA Cardinales Robertus Bellarminus L. 4. de Eucharistia C. 22 Guillelmus Alanus Lib. 2. de Sacrificio Missæ Cap. 19. & 20. Ioannes de Lugo D. 19. sect. 8. Sebastianus Perez Episcopus Oxomensis Tract. de Sacrificio Missæ C. 14. Suarez D. 75. sect. 6. Vazquez D. 223. C. 3. 4. & 5. Amicus D. 16. sect. 9. n. 159. D. 33. sect. 3. n. 71. Franciscus de Lugo L. 4. C. & q. 1. n. 12. Azor tomo 1. L. 10. Cap. 19. q. 4. Meratius de Eucharistia D. 36. sect. 7. Auersa q. 11. sect. 5. Fagundez in 1. præceptum Ecclesiæ L. 3. C. 5. n. 4. Ludouicus Caspensis Tract. 23. D. 1. sect. 2. n. 28. Dicastillus Tract. 5. D. 1. dub. 11. àn. 217. Coninch q. 83. art. 1. dub. 5. à n. 96. Scortia de Sacrificio Missæ L. 1. C. 6. Lessius Becanus, Tannerus, Gaspar Hurtadus, Granadus, Filliucius, Bauny, Castro Palao, alijq; innumeri, quos vt sigillatim recenseam, opus non est post tot, tamque insignium Doctorum nubem micantissimam. Allegatur Sanctus Thomas pro hac sententia, vt nihil splendoris in ea desideretur. Sed certè Angelicus Doctor q. 76. art. 2. ad 1. q. 80. art. 12. ad 3. quibus in locis citatur; non loquitur adeò expressè, vt confidēter possimus tantum patronum ei adscribere.

23 Probatur primò hæc sentētia, quia Sacrificium Missę continet essentialiter repræsentationem mortis Christi, & mortis vt cruentæ, id est, illatæ per vulnera inflicta in Passione, & per effusionem cruoris in cruce. Sed repræsentatio Christianæ mortis vt cruentæ, fit per consecrationem tā corporis, quā sanguinis. Ergo per hanc constituitur essentialiter Sacrificiū Missæ. Consequētia caret næuo. Minor suadetur, tū quia immediatè post consecrationem corporis, & sanguinis dicit Sacerdos in Liturgia, *Vnde & memores, Domine:: tam beatæ Passionis, &c.* tum quia corporis consecratio fit vi verborum, quibus sub panis specie ponitur formaliter solū corpus, & non anima, nec sanguis, quanuis duo hęc materialiter ponantur per concomitantiam; quare vi verborū ponitur corpus quasi inanime, & exangue: rursus cōsecratio sanguinis fit vi verborum, quibus sub specie vini ponitur formaliter solus sanguis, & non anima, nec corpus, licet duo hęc ponantur materialiter per concomitantiam; vnde vi verborū ponitur sanguis quasi inops vitæ, & quasi è corpore effusus. Ergo per cōsecrationē tam corporis, quā sanguinis repræsentatur mors Christi, vt cruēta. Si dicas, repræsentari sufficiēter per solā consecrationem corporis, quasi inanimis, & exāguis. Contrà, quoniam hæc sola consecratio non repræsentat mortem Christi cum sufficienti expressione, & oblatione ipsius vt cruentæ, seu vt cum sanguinis effusione, nam ad huiusmodi expressionē, & oblationē requiritur consecratio sanguinis vt effusi. Restat fulcienda Maior. Et in primis ad id deseruiunt verba illa Lucę 22. V. 19. *Hoc facite in meam commemorationēm:* Et 1. ad Cor. 11. V. 24 habentur eadem verba, & V. 25. *Hoc facite, quotiescumque bibetis, in meam commemorationem;* & V. 26. *Quotiescumque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis.* Deinde iuuant verba illa Concilij Tridētini Sess. 22. C. 1. *Quia per mortem Sacerdotium eius extinguendum non erat, in cœna nouissima, qua nocte tradebatur, vt dilectæ sponsæ suæ Ecclesiæ visibile, sicut hominū natura exigit, relinqueret Sacrificium, quo cruēntum illud, semel in cruce peragendū, repræsentaretur & c.*

Vlte-

Vlteriùs faciunt ad id complura testimonia Patrum apud Gratianum de Consecratione Distin. 2. præsertim C. *Semel* 51. & 52. C. *In Christo* 53. & apud Vazquium D. 222. C. 7. multa etiam S. Thomæ q. 73. art. 4. in Corp. q. 74. art. 1. in Corp. q. 76. ar. 2. ad 1. & ad 2. q. 80. art. 12. ad 3. q. 83. art. 1. in Corp. & ad 2. ar. 2. ad 2. Ex quibus omnib⁹ authoritatib⁹ satis constat Maior probationis primæ.

24 Eadem sententia probatur secundò, seu potiùs eiusdem sententiæ prima probatio confirmatur, nam mors Christi cruenta non repræsentatur per solam corporis, neque per solam sanguinis consecrationem. Etsi enim ex vi verborum per consecrationem corporis ponatur formaliter hoc sub speciebus panis, quin sic ponatur sanguis, tamen non excluditur ex vi verborum sanguis, neque ex vi eorum sea ratur à corpore, alioqui nō posset simul cum hoc poni per concomitantiam sub speciebus panis, siquidem positio per concomitantiam esset contra veritatem essentialem eorum verborum. Ergo ad repræsentationem mortis Christi vt cruentæ, scilicet vt factæ per sanguinis effusionem, & separationem à corpore, opus vltrà est consecratione sanguinis, seu actione, qua ex vi verborū sanguis ponatur sub speciebus vini, sic enim quasi effunditur, & verè, ac propriè separatur realiter sanguis, vt positus ex vi verborū sub specieb⁹ vini, à corpore, vt posito ex vi verborū sub specieb⁹ panis. Nō absimili modo discurrendū est de sanguinis consecratione, quatenus ea sola non sufficiat ad repræsentandam mortem Christi vt cruentam. Vsi sumus hoc argumenti genere in Disputatione præcedenti sect. 5. & ex ibi dictis, si reuisantur, intelligetur magis expeditè. Omitto probationes alias, videndas in Doctoribus, quos initio Sectionis allegaui, & nonnullæ se offerent inter soluendas aduersariorum obiectiones.

Argumenta contraria debilitantur.

25 QVORVM primum sit, si Sacrificij Missæ essentia consisteret in consecrationibus duabus, altera panis in corpus Christi, altera vini in sanguinem eiusdem, sequeretur, Sacrificium Missæ non esse vnicum, sed multiplex pro multiplicitate consecrationum. Sequela autem est contrà Concilium Tridentinum Sess. 22. in principio, vbi vocat illud *verum, & singulare Sacrificium*; & contrà Ecclesiam Romanam, quæ in oratione Domicę sextę post Pentecosten ait, *Deus, qui legalium differentiam hostiarum in vnius Sacrificij perfectione sanxisti, &c.* Respondeo primò, etsi consecrationes sint duæ, sed Sacrificium esse vnum, quia ex illis constituitur tanquam ex partibus inadæquatis, non secus ac essentia hominis est vna, quanquam componatur metaphysicè ex multiplici formalitate animalitatis, & rationalitatis, coalescatque physicè ex anima, & corpore vnitis. Ac sicut sola anima non est physicè homo, nec solum corpus est physicè homo; ita nec sola consecratio corporis est Sacrificium, neque sola sanguinis consecratio. Et ratio à priori est, quia significatio, ac repræsentatio est vnica, & simplex in vtraque consecratione, siquidem non quælibet consecratio seorsim, sed vtraque copulatim significet, ac repręsentet mortem cruentam Christi, excellentiamq; Dei vt authoris vitæ, & mortis. Vnitas autem Sacrificij pro actione sumpti debet peti ex vnitate significationis, ac repræsentationis. Respondeo secundò, adduci extra rem Concilium Tridentinum, & Orationem Ecclesiæ. Nam sensus Tridentini est, in noua lege non dari aliud Sacrificium, quàm Missæ; quicquid sit, an hoc debeat vocari vnum, vel possit dici multiplex ratione geminæ consecrationis, quam includit. Et sic sæpè Ecclesia vocat Sacrificia, vt in Missa de Anniuersario defunctorum in Oratione post communionem, ibi, *His purgatæ Sacrificijs*; similiter in duabus alijs Orationibus, quæ extant inter diuersas pro defunctis, & pluries alibi. Adducitur etiam extra rem Oratio illa, *Deus, qui legalium &c.* nam ibi nomine *Sacrificij vnius* intelligitur hostia sacrificata, nempè Christus, qui per se offertur, & cuius mors cruenta repræsentantur; Christus autem vnicus numero est Deus, & homo. Licet verò offerri dicantur corpus, & sanguis; ast non offeruntur per se, sed vt partes Christi, qui per se offertur, & qui in illa Oratione cōparatur ab Ecclesia cū hostijs legalibus Testamenti veteris, vt benè notat Dicastillus

Tract. 5. D. 1. dub. 7. n. 7. 133. Magis ad rem afferretur locus Malachiæ 1. interpretatus à Concilio Tridentino Sess. 22. C. 1. de Sacrificio Missæ sumpto pro re sacrificata, & pro actione sacrificandi. Inquit enim Concilium, *& hæc quidem illa munda oblatio est, quæ nulla indignitate, aut malitia offerentium inquinari potest, quam Dominus per Malachiam nomini suo, quod magnum futurum esset in gentibus, in omni loco mundam offerendam prædixit.* Vbi vides, non appellari oblationes, sed oblationem. Et nota, Sacrificium Missæ semper numero esse vnum, si nomine Sacrificij significetur res sacrificata, & oblata; sed numero esse multiplex, quoties multiplicantur consecrationes vtriusque speciei, si nomine Sacrificij significetur actio sacrificandi. Nota etiam, etsi plures panes, aut hostiæ consecrentur in eadem Missa, totque in esse metaphysico dentur actiones consecratoriæ, quot panes, nihilominus Sacrificium, sumptum etiam pro actione, dicendum esse vnum numero saltem moraliter, quia omnes illæ actiones, eodem modo versantur in eadem Missa circa vnum, idemque Christi corpus. Discurre similiter, casu quo plures calices in eadem Missa consecrarentur; & casu quo plures Sacerdotes consecrent simul eandē materiam, vt contingit in Ordinatione Sacerdotum, & in consecratione Episcopi.

26 Secunda obiectio sit, si Sacerdos consecret vnam tantum speciem, cum Sacramentum Eucharistiæ non possit aliter, quàm per sacrificationem fieri iuxta præsentem institutionem, vt ex communi Theologorum sententia testātur Ysambertus 3. p. q. 83. D 3. art. 9. in fine, & Martinonus D. 38. sect. 4. n. 47. eo ipso Sacerdos censebitur sacrificare, etiamsi non integrè, neque completè. Ergo consecratio vnius speciei post aliā consecratam non pertinet ad essentiam Sacrificij, sed tantummodo ad huius integritatem, & complemētum substantiale. Retorquetur ad hominē obiectio saltem contra Ysambertū, qui quandoquidem tueatur ibidem art. 4. communionem Sacerdotalem constituere essentiā Sacrificij Missæ, debeatq; fateri, consecrari posse non modò vnam, sed geminā speciem, quin sequatur communio illa, vel quia illicitè Sacerdos eam recusetur, vel quia ex accidenti aliquo fiat impossibilis, rogandus est, quomodo tectū, sartumque maneat illud principium de Sacramento Eucharistico non confectibili nisi per sacrificationē? Ego respondeo, consecrationē vnius tantùm speciei nō esse Sacrificium, sed partem inadæquatā Sacrificij, sicut corpus est pars inadæquata hominis, & non homo. Quare non est censendus sacrificare simpliciter, & absolutè Sacerdos, nisi consecret vtrāque speciem, quandoquidē ex consecratione vnius, & ex cōsecratione alterius tāquam ex partibus essentialibus componatur essentia Sacrificij, nullaq; earū consecrationum habeat se per modū integritatis, & complemēti præcisè substantialis respectu Sacrificij. Et quidem non est potior ratio, cur vna præ alia habeat se per modū essentiæ. Nā quòd tēpore antecedat consecratio speciei panis, non sufficit, vt vendicet sibi excellētiam essentiæ Sacrificij, potest enim, etsi cum grādi sacrilegio, postponi consecrationi speciei vini, quin mutetur essentia Sacrificij, & quin hoc irritū reddatur, *quia in re reperitur totū id, quòd Christus instituit, & prædictus ordo non videtur ita necessarius ad prædictam significationem, seu mactationem mysticam. Nam in eodē momento, in quo vltima consecratio absoluitur, quæcumq; illa sit, sufficienter repræsentatur separatio sanguinis à corpore, seu animæ à corpore. Neq; ad hanc repræsentationem necesse est, vt corpus prius tempore antecedat: nam si per possibile, vel impossibile simul possent verba vtriusq; formæ proferri, & vtriusque speciei consecratio simul finiri, nihilominus verū fieret Sacrificium.* Quę sunt verba Eximij Doctoris P. Suarez D. 75. sect. 6. V. *Sed quæret aliquis.* Vel ergo essentia Sacrificij consisteret iam in vna cōsecratione, iam in alia, vel indeterminatè, & disiunctiuè in aliqua ex duabus, vel fixè in cōsecratione speciei panis? Non primum, quia aliqui Sacrificij essentia foret varia, & inconstans. Non secundum, quia essentia rei existentis, vel aptæ existere debet consistere in aliquo, quod existat, vel aptum sit existere; consecratio autē indeterminatè, & disiunctiuè neq; existit, neq; apta est existere. Non tertium, quia cōsecratio speciei panis potest subsequi cōsecrationem speciei vini, vt iā visum est. Ergo essētiā Sacrificij præcederet eius integritas, & complementū substātiale non sine manifesta repugnātia, nam integritas, & complementum

substan-

substãtiale rei inconceptibile est ante rẽ ipsam, vt actu eam integrans, & complens substantialiter. Restat itaque, vt essentia Sacrificij Missæ sita sit in vna, & altera consecratione coniũctim; eritq; vtraque realiter, & inseparabiliter ex institutione Christi tum confectio Eucharistici Sacramenti, tum sacrificatio. Quo in sensu loquuntur Theologi, dum docent, non posse, nisi sacrificando, confici Sacramentum Eucharisticum, scilicet integrum, & perfectum omnino sub speciebus tam panis, quàm vini.

27 Tertia obiectio, in vtralibet specie consecrata saluatur Sacramẽti Eucharistici essentia, etiam si ordinatum illud sit ad mortem Christi commemorandam, & repręsentandam, vt constat ex eisdem testimonijs Scripturæ diuinæ, quæ adduximus pro commemoratione, & repræsentatione mortis Christi in Sacrificio Eucharistico, necnon ex Ecclesia dicente, *recoli* in Sacramento Eucharistico *memoriam Passionis* Christi. Ergo & in consecratione vtriusl ibet speciei saluabitur essentia Sacrificij Eucharistici. Concedo Antecedẽs, quia etsi in ratione conuiuij integri, refectionisque completæ instar cibi, & potus constituatur Sacramentum Eucharisticum per consecratas panis, & vini species, attamen præcisè in ratione nutrimenti, & refectionis constituitur sufficienter per quamcumque ex eis, nimirùm in ratione nutrimenti, & refectionis instar cibi per speciem panis, & instar potus per speciem vini, nam quæcumque seorsim ab alia habet significationem gratiæ nutrientis, & reficiẽtis; species quidẽ panis habet significationem nutrientis, & reficientis per modũ cibi, & species vini habet significationem nutrientis, & reficientis per modum potus; constatque ex verbis Christi, qui loquens de sola specie panis cõsecrata dixit, *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum.* Porrò autem vtrauis significatio satis est ad rationem Sacramenti vtcumque. Sed non ideo concedenda est consequentia; imò potiùs negari debet, nam consecratio vnius speciei seorsim à consecratione alterius caret significatione, quæ necessaria est in Sacrificio Missę, videlicet significatione, & repræsentatione mortis Christi vt cruentæ per effusionem, & separationem realem sanguinis à corpore. E contrà verò vtraque consecratio gaudet significatione illa; & ratione vtriusque Eucharistia, quà Sacramentum est, siquidem præsupponat vtramque, vtpote per quam sit facta. Et ipsa quidem Eucharistia, vt precisè Sacramentum, non continet posteriorem hanc significationem, sed eam aliam priorem gratiæ nutrientis. Replicabis, quælibet cõsecratio repræsentat Christi mortem, nam consecratio speciei panis ponit ex vi verborum corpus Christi, & non sanguinem, neque animam; qui modus ponendi illud, & non hæc alia, sufficit abundè ad repræsentandam Christi mortẽ, & ad significãdum Deum vt authorem vitæ, ac mortis; moduſq; præfatus est oblatio sensibilis cum immutatione mystica Christi vt rei oblatæ in cultum Dei tanquam supremi domini rerum omnium. Eademque est ratio de consecratione speciei vini ponente ex vi verborum sanguinem, & non corpus, neque animam. Respondeo, Sacrificium Missæ non consistere in quacumque repręsentatione mortis Christi, neque in quacumque oblatione sensibili cum immutatione mystica Christi, vt liquet ex præcedentibus; quanquam si Christus voluisset instituere paulò aliter Sacrificium Missæ, sufficeret, quod in replica dicitur, ad Sacrificium incruentum repræsentatiuum mortis ipsius, & significatiuũ Dei vt authoris vitæ, ac mortis. Sic si Christus voluisset, satis esset ad significationem Trinitatis diuinæ in forma baptismatis, quòd dicerem, *Ego te baptizo in nomine Trinitatis diuinæ*; de facto tamen non satis est hęc significatio, sed requiritur alia clarior, & expressior, qua tres diuinæ personæ nominentur, quia Christus ita voluit, atque ordinauit. Et similiter voluit, ac disposuit, vt Sacrificium Missę contineret repræsentationem mortis suæ vt cruentę per effusionem, & separationẽ realem sanguinis à corpore; necnon vt esset oblatio sensibilis cum immutatione mystica sui significante Deum vt authorem vitæ, & mortis, quatenus vna consecratio ponit corpus suum sub speciebus panis, & alia ponit suum sanguinem sub speciebus vini, vique vtriusque consecrationis separantur realiter corpus, & sanguis vt sub specieb⁹ panis, & vini. Nemoq; negabit, repręsentari hoc modo magis expressè, & explicitè

mortẽ Christi. Et ita concedunt cõceptis verbis Ysambertus, ac Martinonus citati in n. 26. Quod cum verum sit, nescio, cur contendant, non esse de Sacrificij Missæ essentia expressam eam, & explicitam repræsentationem. Nam Scriptura, Concilia, & Patres loquuntur de huiusmodi representatione, & non de alia implicita, minusque expressa; estq; hic maioris, & potioris partis Theologorum sensus. Vt autem prudenter ait Arriaga D. 50. sect. 6. n. 41. in quæstione solùm dependente à voluntate Christi, si ea nobis ex Scriptura non manifestetur, neque aliunde possimus illã sufficienter colligere, standum erit communiori Doctorum sensui, qui debet censeri per modum reuelationis probabilis eius voluntatis. Premes adhuc, Christus etiam voluit, & ordinauit, vt non consecraretur nisi sacrificando, nec nisi consecrando sacrificaretur. Et nihilominus potest stare consecrationis essentia, atque valor sine Sacrificio. Ergo & hoc sine consecratione vtriusq; speciei, tametsi Christus voluerit, ac dispo suerit, vt non sacrificaretur nisi consecrando vtramq; speciem; non enim sufficit, Christum voluisse, & ordinasse aliquid circa Sacrificium, vt de huius essentia sit illud. Confirmabisque id, nam Christi voluntas, & præceptum est, vt in Sacrificio consecretur priùs sub specie panis, & posteriùs sub specie vini; is tamẽ ordo non est de essentia Sacrificij, vt suprà cum Eximio Doctore notabatur. Respondeo, me non argumentari precisè ex volũtate, & precepto Christi de consecratione vtriusque speciei in Sacrificio; sed exiude quòd Christus voluerit, & iusserit consecrationem vtriusq; speciei tanquam quid essentiale respectu Sacrificij, vt non inefficaciter probatur ratione superiùs proposita

SECTIO V.

Concluditur Disputatio definitione Sacrificij Missæ.

28 MANEAT itaque firmum, Sacrificij essentiam consistere in vtriusq; speciei consecratione, seu in duplici actione, quarum vna ponit corpus Christi sub specie panis, & alia ponit Christi sangùinem sub specie vini, & proinde cum separatione corporis à sanguine vt sub eis speciebus. Nihilque interest ad præsentem controuersiam, quòd per illas actiones producantur substantialiter, necne corpus, & sanguis, quocumque enim modo ex vi verborum ponantur separatim sub præfatis speciebus, sufficit, vt actiones sic ponentes constituant essentiam Sacrificij Missę. Nihil etiã interest, quòd corpori, & sanguini tribuatur sub speciebꝰ præsentia definitiua, seu inextensiua, & partis intra partem, nam etsi tribueretur circũscriptiua, & partis extra partẽ, saluaretur essentia Sacrificij in actionibus ponentibus Christi corpus, & sanguinem ex vi verborum separatim sub speciebus prædictis. Denique nihil interest, quòd corpus, & sanguis Christi ponantur sub speciebus prefatis per conuersionem, & transubstantiationẽ panis, & vini in ipsa, etsi enim non desinerent substantiæ panis, & vini, si tamen corpus poneretur vnà cum substantia panis separatum à sanguine vt posito vnà cum substantia vini, viceque versa intelligeretur quicquid opus est ad essentiã Sacrificij huius. Legatur Vazquez D. 223. C. 4. n. 38. Et nos aliquid attingemus circa postremum hoc punctũ in D. 9. quæ præsẽti isti, & alteri antegressæ maiorem firmitatem, & lucem conciliabit.

29 Hinc facile est definire Sacrificium Missæ, quatenus quoad essentialia sit, *actio externa, atque religiosa consecrans corpus, & sanguinem Christi sub speciebus panis, & vini per verba à Christo præscripta.* Potest etiam addi, *perque certos ritus, ac cœremonias ab Ecclesia statutas*; qua additione denotabuntur omnia accidentalia in Sacrificio Missæ. Qui autem velit denotare substantialia oblationis verbalis, vel mentalis, necnon sumptionis speciei vtriusque, si oblationẽ, & sumptionem à sacrificante factam censeat esse de substantia Sacrificij Missæ, poterit subiungere additamenta alia experimentia suæ mentis. Nisi magis arrideant definitiones iam ante compositæ à Nauarro in Enchiridio C. 25. n. 111. à Toleto Lib. 2. Summę C. 4. num. 1. à Fagundez in tertium prẽceptum Ecclesiæ Lib. tertio, Cap. & numero primo.

DISPV-

DISPVTATIO V.

DE COMPARATIONE SACRIFICII Missæ cum Sacrificio, quod Christus obtulit in vltima cœna, & cum eo, quod obtulit in cruce, necnon de comparatione cum Sacramento Eucharistiæ.

1 *ESSENTIA SACRIFICII MISSAE dignoscetur melius, adhibitis tribus comparationibus, de quibus in epigraphe Disputationis; & ideo hanc subnecto præcedentibus, quæ versatæ sunt in examinanda ea essentia.*

SECTIO I.

Instituitur comparatio prima, & secunda.

Prænotatio duplex de oblato à Christo Sacrificio sui corporis & sanguinis tum in cœna, tum in cruce.

SVPPONO, Christum in vltima cœna obtulisse sui corporis, & sanguinis verum, & proprium Sacrificium, vt docent S. Gregorius Nyssenus Oratione de Resurrectione Christi, S. Auitus in Serm. de Natali calicis, Hesychius L. 2. in Leuit. ad C. 8. Eutychius Patriarcha, vel Archimandrita Constantinopolitanus in Catena Græca ad C. 22. Lucæ V. 15. Cyrus Prodromus apud Vualterium de cœna triplici Christi C. 11. cœnæ 3. alijque Patres; & vt decernitur in Concilio Tridentino Sess. 22. C. 1. vbi de Christo dicitur, *In cœna nouissima, qua nocte tradebatur.: Sacerdotem secundùm ordinem Melchisedech se in æternum constitutum declarans, corpus, & sanguinem suum sub speciebus panis, & vini Deo Patri obtulit.* Quibus verbis explosus fuit Cornelius Episcopus Bitontinus, qui asseruit, Christum in cœna non obtulisse suum corpus, & sanguinem, vt refert Melchior Canus L. 12. de locis Theologicis C. 13. Conclusione 1. Circa hanc suppositionem consulantur Alanus L. de Sacrificio Missæ C. 9. & 10. Gaspar Cassalius toto L. 1. de Sacrificio Missæ, Ysambertus 3. p. q. 83 D. 2. art. 4. Coninch q. eadem art. 1. Dub. 2. Præpositus ibidem, Dubio 3. Raynaudus de Missa prima Sect. & C. 1. Pamelius L. 1. Liturgico Prophetia 1. ex pag. 9 Cocci tom. 2. Thesauri Catholici L. 6. art. 5. Azor tomo 1. L. 10. C. 8. q. 4. Suarez D. 74. sect. 2. Bellarminus Lib. 1. de Missa C. 6. & 7. Scottia L. 1. de Sacrificio Missæ C. 3. Valentia tomo 4. D. 6 q. 11. puncto 1. §. 7. alijque scribentes ex professo contra Hæreticos. Suppono etiam, Christum in cruce obtulisse verum, ac proprium sui corporis, & sanguinis Sacrificium. Ait enim de Christo Concilium Tridentinum suprà, *Is igitur Deus, & Dominus noster, etsi semel se ipsum*

ipsum in ara crucis, morte intercedente Deo Patri oblaturus erat, vt æternam illic redẽptionem operaretur, &c. Rursus C. 2. *Et quoniam in diuino hoc Sacrificio, quod in Missa peragitur, idem ille Christus continetur, & incruentè immolatur, qui in ara crucis semel se ipsum cruentè obtulit*, &c. Euoluantur Doctores proximè citati, maximè Bellarminus Cap. 3. Et licet Christus, qui fuit eius Sacrificij cruenti Sacerdos, nõ occiderit se, qui erat hostia, & victima in eo Sacrificio; cum tamen in ipsius potestate fuerit mori, & nõ mori post cruciatus etiam suapte vi, & naturaliter necis illatiuos, quibus spõte sua subiecit sese, ideo dicitur verè, & propriè, sacrificasse semetipsum. Si Christus actione sensibili concurrerit actiuè ad suam mortem, anteuertẽdo miraculosè tempus huius, vt indicat S. Thomas 3. p. q. 47. art 1. ad 2. cum nonnullis Patribus apud Suarium tomo 2. in 3. p. D. 38. sect. 1. V. *Dices*, & vt expressè docuerunt Gabriel Biel Lectione 82. in Canonem Missæ, littera D. Martinonus D. 38. sect. 2. n. 25. vel si miraculosè conseruarit vitam, vltrà quam naturaliter posset inter tot tormenta, posteàque eisdem cesserit, vt innuit Angelicus Præceptor Quodlibeto 1. q. 2. art. 3. in Corpore, intelligeretur, perquàm facilè, factam esse à Christo vt Sacerdote immolationem sui cruentam in cruce. Sed vnum, & alterum modũ refutat efficaciter Suarez suprà; & qui à nobis est prehabitus, sufficit, vt salua constat veritas Catholica suppositionis secundæ. Legatur Franciscus de Lugo L. 5. C. 1. q. 4 à n. 36. & ante illum S. Thomas 3. p. q. 22. art. 2. ad 2.

Sex assertiones circa vtramque comparationem.

2 QVIBVS præsuppositis, dico primò, Sacrificium Missæ esse specificè, & essentialiter idem cum eo, quod Christus obtulit in vltima cœna. Nam & res oblata est eadẽ, scilicet corpus, sanguisque Christi; & formalis significatio Dei vt authoris vitæ, ac mortis eadem est. Dico secũdò, Sacrificium Missæ esse indiuiduaIiter, & numericè distinctum ab eo, quod Christus obtulit in cœna vltima, tum quia oblationes sunt numero diuersæ, necnon & actiones sensibiles, quibus inest significatio Dei vt authoris vitæ, ac mortis: tum quia sicut ob diuersitatem specierum, quibus vt vnitus offertur Christus, non est idem numero Sacrificium, quod hodie celebratur, cum eo, quod heri fuit peractũ; ita ob prefatã diuersitatem specierum, non erit idem numero Sacrificiũ, quod nunc à Sacerdotibus offertur, cum eo, quod à Christo in vltima cœna oblatum fuit. Dico tertiò, Sacrificium Missæ esse idem numero ex parte rei oblatæ, cum eo, quod Christus obtulit in cruce. Ita docet Concilium Tridentinum Sess. 22 C. 2. cum inquit, *In diuino hoc Sacrificio, quod in Missa peragitur, idem ille Christus continetur, & incruentè immolatur, qui in ara crucis semel se ipsum cruentè obtulit*. Et inferiùs, *Vna, eademque est hostia, idem nunc offerens Sacerdotum ministerio, qui se ipsum tunc in cruce obtulit*. Ita etiam iam olim docuerat Concilium Lateranense sub Innocentio III. in Cap. de Summa Trinitate, & Fide Catholica §. *Vna verò*, his verbis, *Vna verò est fidelium vniuersalis Ecclesia, extrà quam nullus omnino saluatur. In qua idem ipse Sacerdos est Sacrificium Iesus Christus; cuius corpus, & sanguis in Sacramento altaris veraciter continentur*. Nimirùm Christus, quà est res oblata in Missa, vocatur Sacrificium. Ratio assertionis est, quia res oblata in Sacrificio Missæ est corp⁹, & sanguis Christi; quod vtrumq; fuit etiam oblatum in cruce; imò totus Christus, vt constat ex Paulo ad Ephes. 5. ad Galatas 2. primæ ad Corinth. 3. Et totus quidem ponitur, offerturque realiter in Sacrificio Missæ sub singulis speciebus panis, ac vini; quanquam ex vi verborum sub speciebus panis corp⁹ solummodò; & sub speciebus vini sanguis solummodò.

3 Dico quartò, Sacrificium Missæ, & Sacrificium oblatum in cruce esse idem specificè, & essentialiter ex parte formalis significationis Dei vt authoris vitæ, ac mortis, habet namq; vnum, & alterum Sacrificium eandem significationem formalem excellentiç, vi cuius Deo competit, vt sit author vitæ, ac mortis. Consistit autem formalis ratio Sacrificij in huiusmodi significatione; & cætera pertinent ad rationem materialem. Dico quintò, Sacrificium Missæ esse diuersum in modo

do offerendi à Sacrificio oblato in cruce. Sic Concilium Tridentinum suprà, nam post verba postremo loco adducta addit, *Sola offerendi ratione diuersa*; quia scilicet ratio, seu actio offerendi in Sacrificio Missæ est incruenta, etsi enim ex vi verborum ponatur corpus solummodò sub speciebus panis, & sanguis solummodò sub speciebus vini, re ipsa tamen sub speciebus panis non separatur corpus a sanguine, neq; sub speciebus vini sanguis à corpore. Cæterùm in Sacrificio crucis facta est realis separatio corporis, & sanguinis, ratioque, seu actio offerendi fuit cruenta. Quæ in actionibus diuersitas, cum sit in modis, ad Sacrificium habentibus se de materiali, non sufficit, vt Sacrificium Missæ, & Sacrificium crucis differant absolutè specificè, atque essentialiter, vt censeo contrà Granadum tomo V. Cõtrouers. 6. Tract. 14. Disp. 2. num. 3. Dico sextò, Sacrificiũ Missæ esse imaginem Sacrificij peracti tum in vltima cœna, tum in cruce. Nam imago dicitur, quæ ab exemplari est deducta, vt instruimur à S. Augustino in Lib. 83. quæstionum in 74. & à S. Thoma 1. p. q. 4. art. 3. & 4. Sacrificium autem Missæ institutum est à Christo ad imitationem typicam Sacrificij cruenti, vt esset illius memoria, & repræsentatio. Ex quo etiam patet, nostrum Sacrificiũ esse imaginem eius, quod in vltima cœna celebratum fuit. Neq; obstat, quòd sint eiusdem omnino rationis. Potest namque imago attingere perfectionẽ exemplaris, vt patet in Verbo diuino, qui est imago Patris æterni non superãtis ipsum in perfectione. Imò quò in imagine perfectior est imitatio, eò est perfectior ipsa imago. Neque refert, nostrum Sacrificium esse etiam imaginem Sacrificij cruenti. Nam eadem res potest esse imago duorum exemplariũ, præsertim si hæc sint subordinata, vt accidit in præsenti. Sed inquies, si nostrũ Sacrificium est imago cruenti, dabitur idem motus in vtrumque, siquidem detur idem motus in imaginem, & in rem, cuius est imago. Respondeo, hinc quidem probari, esse oblationem eiusdem rei, non verò esse oblationem eandem numero; sicut non est eadem numero adoratio, qua adoratur Christus secundùm se, ac qua adoratur in sua imagine, licet per vnum actum numero adoremus Christi imaginẽ, & Christum ipsum, iuxta communem Theologorum sententiam in q. 25. 3. p. Imò ex ratione imaginis confirmatur, nostrum Sacrificium non esse idem numero cũ Sacrificio cruento; imago namq; debet distingui numero ab exemplari. Vbi obiter addo aliam confirmationẽ eiusdem veritatis, desumptam ex Cõcilio Tridentino dicente in Sess. 22. C. 1. & 2. fructum Sacrificij cruenti applicari nobis per incruentum Missæ, quatenus istud causat suos effectus virtute illius, Deusq; acceptat hoc propter illud; imò & quatenus hoc Sacrificium causat eundem effectum, quia id, quod Christus meruit quoad sufficientiam per illud, applicatur quoad efficaciam per istud. Porrò autem idem minimè dicitur applicari per se ipsum. Nec plura de his conclusionibus spectãtibus ad comparationem triplicis Sacrificij. Consulantur Suarez D. 76. sect. 1. & 2. Vazquez D. 224. C. 1. & 2. qui copiosè, & accuratè in his versantur. Sufficiunt, quæ nos breuiter diximus, vt intelligantur Scripturæ sacræ, Concilia, & Patres, quando pronunciant, nostrum Sacrificium esse idẽ cum eo, quod obtulit Christus in cruce, & in cœna vltima; rursusque nostrũ Sacrificium esse imaginem, ac repræsentationem vtriusque illius.

SECTIO II.
Fit comparatio tertia.

Supponitur, concurrere in Eucharistia rationem Sacramenti, & Sacrificij.

4 CERTVM de Fide Catholica est, coadunari in Eucharistia rationem Sacramenti, & Sacrificij. Notatque S. Thomas 1. 2. q. 101. art. 4. ad 2. speciale esse in Sacrificio nouæ legis, vt præ Sacrificijs veteris sit simul Sacramentum, nam *Sacrificium nouæ legis, id est, Eucharistia, cõtinet ipsum Christum, qui est sanctificationis author; sanctificauit enim per suum sanguinem populum, vt dicitur ad Hebræos vltimo: & ideo hoc Sacrificium etiam Sacramẽtum est. Sed Sacrificia veteris legis non continebant*

tinebant Christum, sed ipsum figurabant; & ideo non dicuntur Sacramenta: sed ad hoc designandum seorsim erant quædam Sacramenta in veteri lege, quæ erant figura futuræ consecrationis, quanuis etiam consecrationibus quædam Sacrificia adiungerentur. Sic Angelicus Doctor; cui in hoc loco aduersus est Catechismus Romanus parte 2. C. 4. n. 70. de Eucharistia inquiens, *In primis autem Parochi docebunt, Eucharistiam duabus de causis à Christo Domino institutam esse: altera est, vt cœleste animæ nostræ alimentum esset, quo vitam spiritualem tueri, & conseruare possemus: altera vt Ecclesia perpetuum Sacrificium haberet:: Huius rei figuram, & similitudinem in agno Paschali licet animaduertere, qui vt Sacrificii, & Sacramentum à filijs Israel offerri, & comedi consueuerat.* Cum Catechismo cõsonant Abulensis in C. 23. Exodi q. 27. Melchior Canus in Relectione de Sacramentis parte 1. ad 4. Dominicus Sotus in 4. Dist. 1. q. 1. art. 2. Ledesma apud Henriquez L. 8. C. 1. §. 2. lit. O in Glossa, & pro se citant S. Thomam 3. p. q. 73. art. 6. Sed S. Doctor ibi nõ exprimit, esum agni Paschalis fuisse Sacramentum, etsi tradat, constitisse in agno Paschali præcipuam figuram Sacramenti Eucharistici. P. Suarez D. 1. sect. 1. V. *Dico ergo primò*, agnoscit, probabile esse, quòd agnus Paschalis habuerit rationem Sacramenti; attribuitque opinionem hanc Doctori Angelico 1. 2. q. 102. art. 5. ad 2. & 3. videturque loqui clarè, & non admodùm conueniẽter ad dicta in quæstione proximè antecedenti. Quidquid verò de his sit; inuenitur in Eucharistia, vt initio numeri notaui, dignitas, & prærogatiua tum Sacramenti, tum Sacrificij.

Quatuor conclusiones circa tertiam comparationem stabiliuntur.

5 QVIBVS præiactis, assero primò, in Eucharistia perfectior est sub genere quasi entis, & medicamenti contra morbos animę instituti ratio Sacramenti, quàm Sacrificij. Probatur primò, quia Eucharistia vt Sacramentum includit formaliter compositionem ex Christo, & speciebus, quatenus Christus vt sub his contentus est panis viuus, & refectio animæ. At ratio Sacrificij Eucharistici dicit solummodò actionem vtriusque speciei consecratiuam: quæ minoris perfectionis est, quàm complexum ex Christo, & speciebus. Probatur secũdò, nam Eucharistia vt Sacramentum causat physicè gratiam ex opere operato; cuius energiæ, ac virtutis expers est Eucharistia vt Sacrificium. Sed ex perfectiori efficientia physica colligitur maior entitatis perfectio. Ergo &c. Assero secundò, sub genere sacræ cæremoniæ, & actus religiosi præstantior est in Eucharistia ratio Sacrificij, quàm Sacramenti, quia in maiorem cultum Dei cedit Eucharistia vt Sacrificium, quàm vt Sacramentum, quandoquidẽ hoc per se primò ordinetur in bonum sumentis; ast illud per se primò in Dei cultum dirigitur, est quippe formaliter protestatio excellentiæ Dei vt authoris vitæ, ac mortis. Confirmatur, nam ratio Sacramenti ordinatur ad disponendum hominem in Dei cultum, vt docet S. Thomas 1. 2. q. 101. art. 4. Ergo ratio Sacramenti, quatenus ad cultum Dei spectat, ordinatur ad rationem Sacrificij. Ergo iuxta S. Thomam perfectior est hæc Sacrificij ratio. Hinc idem S. Doctor 3. parte q. 63. art. 6. in Corp. inquit, *Per modum quidem ipsius actionis pertinet ad diuinum cultum Eucharistia, in qua principaliter diuinus cultus cõsistit, in quantum est Ecclesiæ Sacrificium.* Sed opponet quis, Sacrificium hoc ordinatur ad Sacramentum tanquam ad finem, est enim ritus Sacramenti istius, vt significat S. Thomas in q. 83. inscripta de ritu huius Sacramenti Eucharistici; in cuius quæstionis articulo 1. examinat, *Vtrùm in celebratione huius mysterij Christus immoletur?* quasi immolatio sit cæremonia ad dignè conficiendum hoc Sacramentum. Respondeo, in Sacramentis aliquos esse ritus, qui sunt Sacramentis ipsis digniores, vt patet in Ordinis Sacramento, est enim ritus, vt communicent, qui initiantur Sacerdotes, isque ritus præstantior est Sacerdotio, & finis ipsius. Atque ita similiter contingit in ritu Sacrificij Eucharistici respectu Sacramenti.

6 Assero tertiò, in Eucharistia est absolutè, & simpliciter perfectior ratio Sacrificij, quàm Sacramenti, est q; à Christo intenta principaliùs illa, quã hæc. Suadetur primò, nam Eucharistia

vt

vt Sacrificium ordinatur ad diuinum cultum magis præcipuè, quàm vt Sacramentum. Sed Christus magis intendit Patris æterni cultum, & gloriam, quàm hominum vtilitatem, sic enim exigebat ordinata charitas. Ergo &c. Secundò, Christus instituit Sacerdotes ad consecrandum hoc Sacramentum, & ad offerendum hoc Sacrificium. Atqui potissimus actus Sacerdotum est offerre Sacrificium; Sacerdotes enim primò, & principaliter ordinantur ad offerendum Sacrificium, & secundariò ad consecrandum, quatenus est medium ad illud, iuxta Apostolum ad Hebræos 6. dicentem, *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur, vt offerat dona, & Sacrificia pro peccatis.* Et cum Christus Apostolos initiavit Sacerdotio, non dixit *Hoc consecrate*, sed *Hoc facite*, id est, *Sacrificate.* Modòque in forma Sacerdotij non dicitur, *Accipe potestatem consecrandi*, sed *Offerendi Sacrificium.* Vnde sicut dignissimus actus Christi summi Sacerdotis, & in vita principaliter intentus, fuit sacrificare se in cruce, ita nobilissimus actus Sacerdotij nostri erit offerre. Præterea per hoc Sacrificium vt tale referimus Deo gratias pro cunctis debitis, beneficijsque receptis; quæ omnia sunt maiora, & excellentiora simpliciter, quã iustificari nos per Sacramenta; fructusque Sacrificij vniuersalior est, quàm fructus Sacramenti. Assero quartò, Eucharistiam vt Sacramentum esse tẽpore priorem eademmet Eucharistia vt Sacrificio, quia Eucharistia vt Sacramentum saluatur in corpore, vel sanguine Christi sub speciebus panis, vel vini; sed vt Sacrificium requirit geminam actionem, alteram ponentem corpus Christi sub speciebus panis, alteram ponentem sanguinem Christi sub speciebus vini. Quare cum præcedat tempore actio ponens corpus, vel sanguinẽ Christi sub speciebus panis, vel vini, & illo ipso instanti, quo præcedit, sit Christi corpus, vel sanguis positus sub speciebus panis, vel vini, & proinde detur tunc Eucharistia vt Sacramentum, sequitur, esse sub hac ratione priorem tempore, quàm sub ratione Sacrificij, quandoquidem Sacrificij ratio non cõsistat, quoadvsque præsupposita consecratione speciei vnius perficiatur consecratio alterius, seu quoadvsque existat gemina actio illa proximè declarata.

7 Dices, sicut Eucharistia vt Sacrificium requirit consecrationem vtriusque speciei, ita vt Sacramentum requirit præsentiam Christi sub vtraq; specie. Sed contrà, quia etsi posterius id sit verum de Eucharistia vt Sacramẽto completo, atque perfecto in specie infima totali, non tamen vt Sacramento simpliciter, & absolutè, sufficit nãque præsentia Christi sub vtralibet specie panis, vel vini, vt saluetur ratio Sacramenti simpliciter, & absolutè. Cęterùm Eucharistia vt Sacrificium minimè saluatur in vtravis cõsecratione, sed necessariò exigit pro sui constitutione consecrationem vtramque, ita vt vnius solius speciei consecratio nullatenùs mereatur nomen Sacrificij. Si instes, posse vocari Sacrificiũ partiale, & inadæquatum, non secus ac Christus vt præsens sub vna sola specie appellatur Sacramentum partiale, & inadæquatum. Fatebor, posse vnam consecrationem dici partem constituentem Sacrificij, non autem ore pleno Sacrificium, vt constat ex Disputatione præcedenti. Neque in hoc puncto de nomine immorari diutiùs oportet. Sed adhuc obijciet quis, si Eucharistia vt Sacrificium esset posterior tempore, quàm vt Sacramentum, nõ foret vt Sacrificium via, & actio ad Sacramentũ, neque ordinaretur per modum ritus, & cæremoniæ ad hoc tanquam ad finẽ. Quæ sequela est contra doctrinam à S. Thoma indicatam, vt notabamus in secunda assertione. Respondetur primò, Eucharistiam vt Sacrificium eatenus dici viam, & actionem ad Sacramentũ, ordinarique ad hoc modo proposito, quatenus hoc est Sacramentum infima specie totali completum; qua ratione non est posterius tempore Sacrificium. Respondetur secundo, tribui Eucharistiæ vt Sacrificio, quòd sit via, atque actio ad Sacramentum, & quòd tanquã rit⁹, ac cœremonia ordinetur ad Sacramentum ceu ad finem, si nomine Sacrificij significatur actio, qua corpus Christi, vel sanguis incipit esse sub speciebus panis, vel vini; quæ actio est naturę, & executionis ordine prior, quàm Sacramentum consurgens ex corpore, vel sanguine Christi præsente sub speciebus panis, vel vini, nam talis actionis

nis terminus est præsentia corporis, vel sanguinis Christi sub præfatis speciebꝰ. Vnde ea actio habet pro termino Sacramentum, ad quod ordinatur vt medium ad finem perfectiorem ipsa entitatiuè, quoniam Sacramentum corporis, vel sanguinis Christi sub illis speciebus nobilius est, quàm entitas actionis ponentis vnum, vel alterum cum Sacramentali præsentia. Et hinc infertur, ea actione priorem esse ordine intententionis Eucharistiam vt Sacramentum; quanquam respectiuè ad Dei cultum (cui magis conducit Eucharistia vt Sacrificium, quàm vt Sacramẽtum) debeat intendi magis Eucharistia vt Sacrificium, quàm vt Sacramentum. De quibus omnibus comparationibus consulendi sunt Suarez D. 76. sect. 3. Vazquez D. 224. Cap. 4. Dicastillus Tractatu 5. D. 1. Dub. 16. Becanus C. 25. de Sacramentis parte 1. q. 7. & 8. Gaspar Hurtadꝰ D. 1. Diff. 12. 13. & 14. qui fusiori calamo eas prosequuntur.

DISPVTATIO VI.

DE

SACRIFICII MISSAE SINGVLAritate in Lege noua; necnon de eiusdem Sacrificij attributis nonnullis.

1 *POST DECLARATAM ESSENtiam Sacrificij Missæ sequitur, vt de ipsius qualitate agamus. Præstabimus id in hac Disputatione, & in alijs succedentibus.*

SECTIO I.

Quanam ratione Sacrificium Missæ sit singulare, & vnicum?

SACRIFICIVM Missæ singulare, & vnicum appellatur à Concilio Toletano XII. C. 5. à Tridentino Sess. 22. in proœmio doctrinæ de Sacrificio Missæ, à S. Chrysostomo in Psalmum 95. à S. Augustino L. 1. contra Cresconium C. 25. L. de Spiritu, & littera C. 11. L. 8. de Ciuitate Dei C. vltimo, Lib 10. C. 20. L. 1. contra aduersarium legis, & Prophetarum Cap. 20. Venerabili Petro Cluniacensi in Epist. contrà Petro brusianos tit. contra eos, qui dicunt, Missam nihil esse, nec celebrari debere; ab alijsque Patribus. Quorum sensus est, præter Sacrificium Eucharistiæ nõ esse in lege noua, & in Ecclesia aliud siue à Christo, siue ab ipsa Ecclesia institutũ, quod propriè, & strictè possit dici Sacrificium. Vnde eadẽ Ecclesia in quadam Oratione secreta Dominicæ septimæ post Pentecosten fatetur, *vnius Sacrificij* Eucharistici *perfectione sancitam nunc esse legalium differentiam hostiarum*; & S. Leo Papa Serm. 7. de Passione ait, *Oportebat, vno expleri Sacrificio variarũ differentiam victimarum.* Sed de hac veritate Catholica lege-sis Suarium D. 74. sect. 4. V. *Dicendum nihilominus est*, & V. *In hac re.* Imò cum eodem Suario V. *Hinc addo*, & cum Lessio Lib. 2. de Iustitia C. 38. Dub. 4. n. 28. Vazquio D. 223.

D. 223. Cap. 6. à num. 54. Meratio D. 36. sect. 8. censendum est, Ecclesiam de facto non habere potestatem ad instituendum aliud Sacrificium. Et ita colligitur ex Canone 3. Apostolorum, vbi dicitur, esse contra Domini ordinationem, quòd in altari offeratur aliquid aliud præter id, quod Christus obtulit. Colligitur etiam ex Concilio Tridentino Sess. 21. Cap. 2. vbi docemur, potestatem Ecclesiæ adstatuendum, vel immutandum in Sacramentorum dispēsatione esse, *salua illorum substantia*; Comprehenditque Concilium sub Sacramētis Sacrificium Missæ, vt communiter interpretantur Theologi. Fieret verò magna innouatio circa Sacrificij Missæ substantiam, si Ecclesia institueret nouum aliud Sacrificium, sicut esset magna immutatio in substantia Sacramentorum, casu quo Ecclesia adderet aliquod Sacramentum vltrà instituta à Christo. Probatur etiam, quia Ecclesia nunquam vsa est tali potestate. Ergo signum est, non habere illam; alioqui posset etiam Laicos instituere Sacerdotes, qui Sacrificia noua offerrent. Præterea de ratione Sacrificij est, quòd offeratur à Sacerdote, vt patet ex Paulo ad Hebræos 3. & 6. Sed non est aliud in Ecclesia Sacrificium, de cuius ratione sit, offerri à Sacerdote. Ergo, &c. Probatur rursus, nam Christus in cruce quoad sufficientiam obtulit vnum Sacrificiū pro Ecclesia. Non igitur est opus alio nisi ad applicationem. Et de hoc alio prouidit ipse sufficienter. Ergo frustraneum est quodlibet aliud Sacrificium, cum illud, quod à Christo est institutum, contineat perfectiones omnium Sacrificiorum; & contra eius reuerentiam esset, instituere alia Sacrificia, quasi illud non foret sufficiens. Non ergo Christus reliquit Ecclesiæ potestatem ad nouum Sacrificium; neque decebat, vt relinqueret: sicut neque ad nouum Sacramentum. Et quidem hæc, quæ præcipuè ad homines sanctificandos, & ad Deum colendū spectant, sunt quodammodò fundamenta Ecclesiæ; ideoque decuit, vt Christus, qui Ecclesiam fundauit, institueret etiā illa, nam ad perfectum legislatorem, & gubernatorem Reipublicę pertinet, instituere per se ea, quorum recta ordinatio non pendet ex varietate locorum, & temporum. Tandem confirmatur, quoniam solus Deus in lege veteri fuit author Sacrificiorum. Ergo & in lege gratiæ. Eo autem ipso quòd Deus in vna, & altera lege instituit per se ipsum Sacrificia, quibus colendus esset, videtur significasse prohibitionem de institutione aliorum per priuatam, vel publicam authoritatem humanam.

2 Rogabit quis, num si Christus non instituisset Sacrificiū Missæ, posset Ecclesia instituere illud modo, quo à Christo est institutū? Respondeo, fore, vt nō posset, quia Christus in eius institutione vsus est potestate excellētię; de facto enim ad offerendum requiritur potestas Sacerdotalis, & character. Sed Ecclesia nō posset authoritate sua conferre hæc. Ergo solus Christus, qui Sacerdotiū isto modo instituit, potuit, Sacrificiū illi proportionatū instituere. Vnde Paulus 1. ad Cor. 4. vocat se, & Coapostolos ministros, & dispēsatores misterio rū Dei; & hoc esse maximā dignitatem, existimat. Insuper si Ecclesia posset instituere hoc Sacrificiū, casu quo à Christo non fuisset institutū, posset & nunc abrogare illud. Quæ sequela est valde absurda. Sed in re manifestissima non teram⁹ tempus. Quæret quis ierùm, an si Christus instituisset Eucharistiam in sola ratione Sacramenti, posset Ecclesia instituere illud in ratione Sacrificij? Respondeo affirmatiuè, quia id non pertineret ad potestatē excellētiæ, sed ad ministeriale. Quod explicatur, quia Sacramētū adhibetur ad physicè sanctificandos homines; Deus verò solus potest eos sic sāctificare; & ideo Sacramentū nequit nisi à solo Deo instituī. Ast potestas gubernatiua non est physica, sed moralis ad dirigēdos actus morales suorum subditorum. Et ita sicut in lege naturæ erant Sacerdotes, & Sacrificia ad colendū Deū, ita posset Ecclesia instituere Sacerdotes & Sacrificiū, si Christus de hoc non curasset; proindeq; posset Ecclesia instituere, vt Sacramentum Eucharistiæ offerretur Deo in Sacrificiū, nam confectio Sacramenti Eucharistici esset actio ex se proportionata ad recipiendam significationem Dei vt authoris vitæ, ac mortis. Dices ex P. Salmerone tomo 9. in Euangelia Tract. 29. pag. 279. Sacrificium Eucharisticum sanctificaret homines in illo etiam casu, quoad culparum saltem venialium remissionem ex opere operato. Sed nego, sanctificaturum tunt sic. Videatur Suarez D. 74. sect. 3. in fine.

3 Absoluo Sectionem hanc, notans, Sacrificium Missæ posse dici in alio sensu singulare, & vnicum, scilicet quantùm ad se ipsum. Et sic ratione rei oblatę est singulare, & vnicum tam specificè, quam indiuidualiter. Est etiam vnum in specie infima totali ratione actionis sacrificatiuæ, & consecratiuæ, quanquam hæc gemina sit, vt satis manet explicatum in superioribus Disputationibus. Sed tamen Sacrificium Missę est multiplex indiuidualiter ratione actionis sacrificatiuæ, & consecratiuæ, quæ in diuersis Missis multiplex numero est. Quare quando in C. *In Christo semel* 54. de Consecratione Distin. 2. dicitur, *Vna hostia, non multæ, sicut enim quod vbique offertur, vnum est corpus, & non multa corpora, ita & vnum Sacrificium*, sermo est de Sacrificio ratione rei oblatæ, vt memini obseruatum iam à me fuisse D. 2. de Sacramento Eucharistię n. 25.

SECTIO II.

Attinguntur breuiter nonnulla attributa Sacrificij Missæ.

4 IN primis hoc Sacrificium esse laudis, & gratiarum actionis, commemoratiuumque Sacrificij in cruce peracti, supponitur à Concilio Tridentino Sess. 22. Can. 3. tanquam res compertissima ex sacra Scriptura, commendaturque passim à Patribus eos ob titulos.

5 Deinde propitiatorium esse pro peccatis, definitur vt dogma fidei ab eodem Concilio Sess. illa 22. Cap. 2. & Can. 3. constatq; ex institutione à Christo facta, dixit enim Christus Lucæ 22. & Pauli 1. ad Cor. 11. *Quod pro vobis, & pro multis traditur, & effunditur in remissionem peccatorum*. Infinitum esset, recensere Patrum testimonia confirmātia hoc dogma. Attingo pauca. Alexander Epistola 1. ad omnes Orthodoxos ait, *Crimina, atque peccata oblatis his Domino Sacrificijs delentur. Idcirco & Passio eius in his commemoranda est, qua redempti sumus, & sæpiùs recitanda, atque hæc Domino offerenda. Talibus hostijs delectabitur, & placabitur Dominus, & peccata dimittet ingentia. Nihil enim in Sacrificijs maius esse potest, quàm corpus, & sanguis Christi. Nec vlla oblatio hac potior est; sed hæc omnes præcellit. Quæ pura conscientia Domino offerenda est, & pura mente sumenda, atque ab omnibus veneranda. Et sicut potior est cæteris, ita potiùs excoli, & venerari debet.* Idem Alexander in Epistola 2. *Ipsi Sacerdotes pro populo interpellant, & populi peccata comedunt, quia precibus suis, & oblationibus ea delent, atque consumunt.* Iulius I Papa in Epist. ad Episcopos Ægypti, vt refertur C. *Cum omne crimen*, seu potiùs Concilium Bracarense III. Cap. 2. *Omne crimen, atque peccatum oblatis Deo Sacrificijs deletur.* Concilium Senonense in Decretis fidei C. 11. *Hoc holocaustum, hæc victima pro peccato, hæc hostia pacifica, hoc iuge Sacrificium, hæc munda iuxta Missæ nominis Hebraici rationem oblatio, quam in omni loco Malachias prædixit offerendam: Nihil igitur in Sacrificijs maius esse potest, quàm corpus, & sanguis Christi, nulla potior oblatio.* S. Hildegardis in Epistola ad Prælatos Moguntinenses, *Currite desideranter in gaudio lætæ mentis ad ministerium agni iim maculati, quia multa salus vobis, & alijs fidelibus inde prouenit, cum propter celebrationem illius, peccata remittuntur, & animæ liberantur, & multa pericula animæ, & corporis effugantur.* Videatur Gregorij XIII Papæ Constitutio 33. incipiens *Sanctissimus*, editaque anno 1576. Et notetur, nihil causę fuisse, vt Albertus Catharinensis Episcopus Vigilensis conatus fuerit in Concilio Tridentino, defensare, Sacrificium incruentum oblatum à Christo in cœna postrema caruisse vi propitiandi, & expiandi. Prodit id memorię Paulus Grysaldus in Decisionib⁹ fidei Catholicæ, & Apostolicæ, Verbo *Christus*, num. 41. Sed meritò repulsus fuit Antistes ille. Consulantur Doctores laudati in num. 1. necnon Salmeron tomo 9. in Euangelia Tract. 27. & 31. Lindanus in Panoplia Euangelica Lib. 4. C. 46. & sequentibus, Nicolaus Villagagnonus de poculo sanguinis Christi aduersus Caluinologos, & in alijs eiusdem Authoris Tractatibus pertinētibus ad Missæ Sacrificium.

6 Tertiò, Sacrificium Missæ esse impetratorium, decernitur in Concilio Tridentino Sess. 22. C. 2. & Can. 3. extolliturque hac de causa satis frequenter à Patribus; eaque ab initio Ecclesiæ mouebat Sacerdotes, & cæteros fideles, vt applicarent Sacrificium Missę pro impetrandis à Deo beneficijs spiritualibus, & temporalibus. Testantur

de

de suo sæculo (quod fuit quartum Ecclesiæ) Sanctus Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi 5. Mystagogica inquiens, *Postquàm confectum est spirituale Sacrificium, & ille cultus incruentus, super ipsa propitiationis hostia, obsecramus Deum pro communi Ecclesiarum pace, pro tranquillitate mundi, pro Regibus, pro militibus, pro sociis, pro ægrotis, & afflictis, & in summa pro omnibus, qui egent auxilio.*

7 Quapropter meritò dicitur in Concilio Tridentino Sess. 22. Cap. 1. post Sanctum Chrysostomum in Psalm. 95. Sanctum Augustinum Lib. 1. Cap. 20. contra aduersarium legis, & Prophetarum, Sanctum Leonem Papam serm. 7. de Passione, hoc vnicum Sacrificium eminentiori modo continere in se omnia Sacrificiorum, quæ fuerint naturæ, & legis tempore, genera, & perfectiones illorum, quippe omnium Sacrificiorum genera habuerint suas perfectiones ex eo, quòd essent vmbra Christi, Sacrificijque cruenti offerendi ab ipso in cruce. Et ideo in figuris veteris Testamenti dicitur Christus fuisse immolatus iuxta illud Apocalypsis 13. Vers. 8. *Quorum non sunt scripta nomina in libro vitæ agni, qui occisus est ab origine mũdi*; & ita interpretatur Sanctus Thomas 3. par. quæst. 83. art. 1. in Corpore: quãquam Ribera contendat, verba illa *Ab origine mundi* non esse iungenda cum *Occisus est*, sed cum *Scripta sunt*, proindeque aliter esse distungenda, vt colligitur ex Græco textu, & ex similibus alijs in Cap. 7. Versic. 8. *Quorum non sunt scripta nomina in libro vitæ à constitutione mundi.* Sed quicquid sit de hoc (de quo videndus est Cornelius à Lapide in V. illud 8. Capitis 13. Apocalypsis) Ideo etiam 1. ad Corint. 10. Vers. 11. dicit Sanctus Paulus, *Omnia in figura contingebant illis*, nimirùm Patribus veteris Testamenti tam in suis personis, quàm in factis suis, & in Sacrificijs. Cum ergo Sacrificium Missæ habeat pro re oblata eundemmet Christum, sitq; figura Sacrificij cruenti in cruce iam oblati ab ipso Christo, participetque vberrimè fructus prefati Sacrificij cruenti, sequitur, continere virtute, & eminentia quicquid perfectionis enituit in antiquis Sacrificijs, quorum loco est suffectum; indeque mirum non est, quòd simul sit latreuticum, seu honorarium, Eucharisticum, seu actiuum gratiarum, memoratiuum Passionis Christi, propitiatiuum, & impetratiuum; in his enim attributis elucent genera, seu potiùs differentiæ Sacrificiorum veterum ratione finis, vt latè expendit Scortia L. 1. Cap. 8. vbi etiam explicat differentias eorundem Sacrificiorum ratione materiæ, & formę. Sed de huiusmodi differentijs legantur Sanctus Thomas 1. 2. quæst. 102. & 103. 3. p. quæst. 22. artic. 2. in Corpore. Martinus Becanus in Analogia Cap. 13. & sequentibus, necnon in Opusculo de triplici Sacrificio Lib. 1. ac 2. Democharcs Lib. de Sacrificio propitiatorio C. 9. Azor tomo 1. Lib. 6. à Cap. 25. vsque ad 30. Henriquez Lib. 9. Cap. 2. Carolus Sigonius Lib. 4. de Republica Hebræorum à Cap. 1. vsque ad 13. Franciscus Ribera Lib. de Sacrificijs Hebrẹorum, qui est 4. de Templo, & locupletissimus in explanandis eis Sacrificijs. Sufficiant hæc in præsentiarum circa attributa Sacrificij Missæ; quę cumulatiorem lucem accipient, cum ventum fuerit, vt agamus de fructu, seu effectibus Sacrificij huius. Veniemus autem ad tractationem de fructu, postquàm nobis fuerit sermo de Sacrificij eiusdem valore, cuius notio magnopere conducit ad percallendam essentiam, & attributa illius; postquàm itẽ loquuti fuerimus de re sacrificata in illo, nam cognitio rei sacrificatæ valde etiam confert ad comperiendam naturam, & qualitatem actionis Sacrificatiuę.

✻

DISPVTATIO VII.

DE VALORE SACRIFICII MISSAE.

1 *NEMPE DE ÆSTIMABILITATE, & dignitate morali, quam habet, vt moueat Deum ad conferendos aliquos effectus, aut fructus eis personis, pro quibus offertur. Non igitur agimus nunc de ipsis effectibus, aut fructibus, sed de principio morali ad illos, & de eius excellentia quasi appretiatiua.*

SECTIO I.

Quantus sit valor Sacrificij huius?

Proponitur sententia asserens, esse finitum, & limitatum.

QVÆSTIO PRÆSENS versatur circa valorem Sacrificij Missæ, vt offertur à Christo tanquã principali offerente, & à Sacerdote in eius persona, & nomine. Nam quoad valorem sacrificij huius, vt à Sacerdote tanquam priuata persona, aliisque cum ipso concurrentibus offertur, seu vt est opus operantis Sacerdotis, & cuiuslibet alterius inferioris iuuantis ad tale opus; vt item à Sacerdote offertur nomine Ecclesiæ, supponi debet sine controuersia pars negatiua; siquidem in sacrificandi actione meritum, satisfactio, & impetratio Sacerdotis, aliorumque cooffferentium inferiorum habeant finitudinem tam ratione actionis ipsius, quã personarum, à quibus fiat benè moraliter; impetratio etiam, quæ eidem actioni nomine Ecclesiæ competit, finita est, eoquòd Ecclesiæ sanctitas, in qua fundatur, finita sit. Et quanquam res oblata gaudeat infinitudine, non sufficit id, vt oblatio euadat infinita penes valorem, vt patet in multis actibus creatis respicientibus obiectum infinitum, quod in ipsos non refundit totum suum valorem, & dignitatem, sed aliquid suæ perfectionis commensuratum modo finito, quo attingitur ab eis; patet rursus in actu, quo Deipara Virgo obtulerit Patri æterno dilectissimum suum filium Iesum Christum in cruce patientem, nec enim talis actus fuit infiniti valoris, etsi res oblata fuerit infinita; quia scilicet dignitas, sanctitasque Deiparæ Virginis offerentis finita erat absolutè, & simpliciter. Sed de hoc inferiùs. Quapropter quæstio procedit de Sacrificij valore substantiali, & essentiali desumpto ex parte Christi; nam qui desumitur ex parte Ecclesiæ, Sacerdotis, & cooffferentium aliorũ, vocari meritò potest accidentalis, tũ quia variatur secundùm sanctitatem, & deuotionem eorum; tum quia respectu talis valoris præcisè non est Sacrificium fructuosum ex opere operato purè, sed mistim ex opere operantis. Ast valor desũptus ex parte Christi, & inuariabilis est, & origo, vnde Sacrificium possit esse, aut sit fructuosum ex opere operato purè; & ideo valorem istum appello substantialem, & essentialem.

2 Quem finitum esse, ac limitatum, probare videntur hæc argumẽta. Primum, essentia huius Sacrificij consistit in actione Ministri offerentis cor-

corpus, & sanguinem Christi, seu in oblatione corporis, & sanguinis Christi facta à Sacerdote. Ergo hoc Sacrificium non potest esse infiniti valoris, nam Sacerdotis actio est de se finita, proceditque à supposito finito, & proinde nequit habere infinitum valorem. Nec satis est, rem oblatam esse infinitam; hæc enim non præstat totum suum valorem actioni offerendi, si actio oriatur à supposito finito, vti nascitur oblatio facta à Sacerdote. Nullus est vel leuiter in Theologia versatus, qui nesciat, actum quo Deum obiectum infinitum cognoscit intellectus creatus, vel quo voluntas creata amat, non esse infiniti valoris. Non ergo sufficit ad infinitatem actus, quòd obiectum sit infinitum, neque ad infinitatem oblationis quòd res oblata sit infinita. Debentque Aduersarij fateri id ipsum, alioqui huius Sacrificij oblatio, prout præcisè est actio Sacerdotis tanquam priuatæ personæ, assurgeret in infinitum valorem. Confirmatur primò, Sacrificium hoc non placet Deo precisè ratione rei oblatæ, aliàs cũ reseruatur ea in Sacrario, foret etiã æquè fructuosa. Ergo Sacrificiũ hoc placet Deo ratione voluntatis, & actionis, qua offertur. Ergo placet finitè, quando voluntas, & actio est finitæ personæ, vt in præsenti contingit. Confirmatur secundò ex Sancto Thoma 3. p. quæst. 79. art. 5. in Corpore, vbi cum docuisset, hoc Sacrificium habere vim satisfactiuam, addit, *Sed in satisfactione magis attenditur affectus offerentis, quàm quantitas oblationis. Vnde Dominus dicit Lucæ 21. de vidua, quæ obtulit duo æra, quòd plus omnibus misit. Quamuis ergo hæc oblatio ex sui quantitate sufficiat ad satisfaciendum pro omni pœna, tamen fit satisfactoria illis, pro quibus offertur, vel etiam offerentibus secundùm quantitatem suæ deuotionis, & non pro tota pœna.* Sic Angelicus Præceptor, iuxta quem ad valorem Sacrificij vt satisfactorij non tam attendenda est res oblata, quàm affectus offerentis, quia, vt inquit Sanctus Gregorius Papa Homilia quinta in Euangelia, *Non perpendit Deus in suo Sacrificio, quantum, sed ex quanto proferatur*; & Lib. 7. Registri, Epistola 126. *Non offerens à muneribus, sed munera ab offerente placuerunt, quia in Omnipotentis Dei iudicio, non quid datur, sed à quo datur, adspicitur.* Tunc sic: sed affectus Sacerdotis offerentis, & actio offerendi est finita. Ergo finitus etiam erit valor Sacrificij, vt satisfactorij. Si respondeatur, actionem offerendi esse infiniti valoris, non vt procedit à Sacerdote, sed à Christo tanquam principali offerente. Contrà primò, nam Christus non aliter est principalis offerens, quàm quia instituit, Sacrificium hoc offerri per Sacerdotes; sed id non sufficit, vt offerendi actio sit infiniti valoris; sicut non sufficit ad infinitum valorem actionis, qua à Ministro conficitur baptismus, verbi gratia, quòd Christus instituerit eiusmodi Sacramenti administrationem. Contrà secundò, quia etsi Christus sit principalis offerens ob aliquid aliud vltrà institutionem huius Sacrificij, ast non offert proximè, & immediatè, sed remotè, & mediatè; qui modus offerendi satis non est ad communicandum actioni infinitum valorem, vti neque ad communicandam bonitatem moralem, neque meritoriam infinitam. Contrà tertiò, quia estò Christus offerret proximè, & immediatè, tamen actio offerendi in altari non procedit physicè à supposito diuino Christi, sed à solo humano Sacerdotis, à quo non potest accipere infinitum valorem. Contrà quartò, quia licet actio offerẽdi in altari tribuatur moraliter Christo, nihilominus tribuetur ei, vt causæ principali, cuius virtus limitatur per instrumentalem, qualis est Sacerdos. Sic calor, qui est animalis instrumentum ad producendam carnem, limitat iuxta sui perfectionem animal in huius effectus substantialis productione. Contrà quintò, quia valor ex dignitate Christi vt offerentis deriuatus in actionem sacrificandi factam à Sacerdote non foret ex opere operato, sed operantis; de quo nunc non est sermo.

3 Secundum argumentum, maioris valoris fuit Sacrificium cruentum, quàm incruentum istud. Ergo istud non est infiniti valoris, non enim infinito maior est alius. Suadetur Antecedens, tum quia de essentia Sacrificij cruenti fuit oblatio infinita, immediatè, & proximè procedens physicè à persona infinita; in quo longè excedit perfectionem incruenti Sacrificij. Tum quia cruentum ordinabatur ad satisfaciendum quoad sufficiẽtiam, incruentũ

verò non ordinatur ad id, sed ad satisfaciendum quoad efficaciam. Ergo nunquam satisfacit nisi finitè, proindeque non habet nisi finitam virtutem, quia non habet virtutem nisi eā, quæ est necessaria ad effectū, ad quē per se primò est intētum: & hic finitus est. Tum quia virtus instrumenti nunquam adæquat virtutem agentis principalis. Sed istud Sacrificium incruentum est instrumentum alterius cruenti. Ergo non adæquat eius virtutem. Tum denique quia istius Sacrificij oblatio non est meritoria, neque satisfactoria ex parte Christi, nam neque meretur, neque satisfacit nunc Christus, sed tantùm applicat mediante isto Sacrificio satisfactiones suas præteritas pro debito pœnæ temporalis; quæ applicatio non debet ita fieri, vt huic Sacrificio communicetur virtus infinita instar eius, quam habuit Sacrificium cruentum, nulla enim est ratio, ob quam non potuerit communicari virtus finita; & actu fuisse communicatam, ostenditur exinde, quòd alioqui frustrà institutum fuisset reiterabile, quando quidem vnum Sacrificium incruentum, præditum virtute infinita satisfactoria, sufficeret ad remissionem totius pœnæ temporalis in omnibus viuis, & defunctis.

4 Tertium argumentum, si istud Sacrificium haberet infinitum valorem ad propitiandum Deum hominibus, & ad satisfaciendum pro eorum tēporalibus pœnis, & ad reliquos suos effectus, sequeretur, vnica eius oblatione liberandos esse homines omnes iustos à toto reatu pœnæ temporalis, omnesque infallibiliter comparaturos auxilia sufficientia ad actus, quibus remitterentur cunctæ culpæ lethales, vel veniales. Sequeretur etiam, non plus prodesse vni homini plures Missas pro ipso applicatas, quàm vnicam, neque prodesse minus vnicam pro ipso, & multis aliis oblatam, quàm si pro ipso solo offerretur. Vlteriùs sequeretur, nunquam crescere, neque decrescere effectum Missæ, fructumque eius ob maiorem, neque ob minorem deuotionem offerentium, & illorum, pro quibus offertur, nam si substantialis valor est infinitus, respondebit ipsi semper quicquid fructus ex Missa comparari queat, nihilque restabit adquirendum ex opere operantis. Denique sequeretur, Missam cuiusuis Sacerdotis æquare in valore cruentum crucis Sacrificium. Quare ad euitanda hæc absurda dixit optimè Sanctus Thomas in 4. Distinctione 45. quæst. 2. artic. 4. quæstiuncula 3. ad 2. *Quamuis virtus Christi, quæ continetur sub Sacramento Eucharistiæ, sit infinita, tamen determinatus est effectus, ad quem illud Sacramentum ordinatur. Vnde non oportet, quòd per vnum altaris Sacrificium tota pœna eorum, qui sunt in Purgatorio, expietur; sicut etiam nec per vnum Sacrificium, quod aliquis homo offert, liberatur à tota satisfactione debita pro peccatis. Vnde & quandoque plures Missæ in satisfactionem vnius peccati iniunguntur.* Sic Angelicus Doctor. In quo notentur illa verba, *Determinatus est effectus, ad quem illud Sacramentum ordinatur*, nam si Sacrificium ordinatur ex se ad effectum finitum, sequitur proculdubiò, ipsum Sacrificium esse finiti valoris, & virtutis. Si respondeatur, Sanctum Thomam loqui de ordinatione ex voluntate Christi ad finitum effectum, tametsi ipsum Sacrificium ex se sit sufficiens ad infinitum categorematicè, si possibilis sit, vel saltem ad infinitum syncategorematicè. Nihil prodest hæc responsio, tum quia cum valor, virtusque Sacrificij ex opere operato, sit ex ordinatione, institutioneque Christi, & non aliunde, si Christus destinauit illud ad effectum finitum, vndenam illud habebit valorem, & virtutem ad effectum infinitum? Tum quia voluntas Christi ordinans ad finitum effectum non esset conformis essentiæ, & naturæ Sacrificij, prout videtur, debere esse, vel potiùs decere, vt sit, si ipsum Sacrificium gauderet valore, virtuteque infinita. Quòd si ob id dicatur, taxationem effectus finiti non esse ex mero placito Christi, sed habita ratione deuotionis offerentium, & eorū, pro quibus offertur Sacrificium. Contrà primò, quia ad impetrandum auxilium, vt Sacerdos conuertatur, non requiritur deuotio ex parte ipsius. Ergo tunc deerit caput, ex quo limitetur Sacrificij effectus quoad impetrationem. Et similiter quando Sacerdos, qui offert, & is, pro quo offert, sunt incapaces remissionis pœnæ temporalis, quia existant in peccato mortali, à quo nunquam resurgent, tunc Sacrificij effectus quoad satisfactionē non habebit, vnde limitetur, & proinde e-

rit

rit infinitus, qui reseruetur in thesauro Ecclesiæ, vel qui inde non extrahatur, vt respondens illi Missę. Dissonat autem, in thesauro Ecclesiæ respondere vni Missæ tantùm, tamque infinitum effectum satisfactionis, quātus, quàmque infinitus respondet Sacrificio cruento Passionis Christi. Idē inconueniens sequitur, si Sacerdos offerat Missam pro defuncti anima, quæ re ipsa non maneat in Purgatorio, sed vel in Cœlo, vel in Inferno. Contra secundò, nam si Sacerdos peccator applicat Sacrificium pro homine iusto habente invincibilem ignorantiam Sacrificij, vel qui actualiter non habeat vllā deuotionem erga illud, neque vnquam præstiterit aliquid, vi cuius possit dici concurrere aliquā ratione ad illud, deficiet tunc caput, vnde limitetur Sacrificij effectus quoad satisfactionem, & impetrationem. Et hinc fieret, vt Missa applicata à Sacerdote peccatore pro parvulo baptizato comparare huic infinitum effectum quoad impetrationē. Cuius sequelę absurditas manifesta est; nec caret insigni absurdō, quòd Sacrificium fructuosius euadat obstatum offerentis Sacerdotis in peccato. Si recurratur ad Ecclesię deuotionem, vt ex ea in hoc casu, & similibus alijs limitetur effectus. Contrà, tum quia ex tali deuotione potiùs augeretur, quàm minueretur effectus, nā Ecclesia sanctior, & deuotior est, quàm quilibet particularis Sacerdos etiam bonus, vt appositè argumentatur Scortia L. 2. C. 9. n. 1. tum quia effectus Sacrificij ex opere operato independens est à deuotione Ecclesiæ, & Sacerdotis, aliorumq; coofferentium, sicut Sacramenti effectus independens est à Ministri deuotione: tum quia si celebret Sacerdos excommunicatus vitandus, non limitabitur tunc effectus ex deuotionē Ecclesiæ, quippe hæc nolit celebrare per talem Sacerdotem. Hactenus in fauorem sententiæ asserentis, valorem substantialem, essentialemque Missæ esse finitum, & limitatum.

*

SECTIO II.

Proponitur sententia negans, valorem Missæ esse finitum, & limitatum.

§ HVIVS sententiæ prima probatio desumitur ex Concilio Tridentino Sess. 22. C. 2. nam reddens rationem, ob quam Sacrificio isto placatus Dominus crimina, & peccata etiam ingentia dimittat, loquitur in hunc modum, *Vna enim, eademque est hostia, idem nunc offerens Sacerdotum ministerio, qui se ipsum tunc in cruce obtulit, sola offerendi ratione diuersa.* Sic ibi. Hęc autem ratio assignata à Concilio non magis probat de valore Sacrificij incruenti ad remissionem peccatorum, quàm de valore ad quoscumq; alios effectus; atque ita eodem modo convincit, esse infiniti valoris Sacrificium incruentū, sicut cruentum. Secunda probatio desumitur ex S. Thoma 3. p. q. 79. art. 5 in Corpore, vbi ait, *oblationem* Sacrificij incruenti *sufficere ex sui quantitate ad satisfaciendum pro omni pœna.* In quibus verbis notatu dignum est, quòd Sanctus Thomas sermonem habet de ipsa oblatione, & non tantùm de re oblata. Idem S. Doctor art. 7. ad 2. scribit, *Sicut Passio Christi prodest quidem omnibus, quantùm ad sufficientiam, & ad remissionem culpæ, & adeptionem gratiæ, & gloriæ; sed effectū non habet nisi in illis, qui Passioni Christi cōiunguntur per fidem, & charitatem: ita & hoc Sacrificium, quod est memoriale Dominicæ Passionis, non habet effectum nisi in illis, qui coniunguntur huic Sacramento per fidem, & charitatem.* Tantùm S. Thomas, docens satis clarè, Sacrificium hoc incruentū gaudere infinito valore quoad sufficientiam, non secus ac Sacrificium cruentum, cuius est memoriale. Tertia probatio sit, Sacrificium Missæ non potest non habere ex institutione Christi infinitum valorem ratione Passionis Christi, Sacrificijque cruenti, in cuius virtute operatur, seu cuius virtus applicatur per istud incruentum, & eius virtutis fructus percipiūtur vberrimè per oblationem istius, vt ait Concilium Tridentinum Sess. 22. C. 1. & 2. Cui consonat Petrus Abbas Cellensis L. de panibus C. 1. inquiens, *Totum fide dignè sumentibus ibi* (nempe in Eucharistia) *operatur, quod exhibitione certissi-*

ma

ma credentibus exhibuit in cruce mors Christi; nisi quòd illud omnium, hoc ad singulorũ quandam pertinet restitutionem; & nisi quòd istud est subsequutiuè operatiuum eius rei, cuius illud non solùm præcessiuum, sed coefficiuum etiam nunc est. Ibi mors Christi omnium salutem, hìc memoria mortis illius similiter nostram non desistit operari saluationem sacramentaliter. Sic Cellensis. Et quidem si virtus Passionis Christi, & Sacrificij istius vna, eademque est, cum virtus Passionis sit infinita, erit etiam infinita virtus Sacrificij istius. Quarta probatio, Sacrificium, quod Christus in vltima cœna, & quod in cruce obtulit, fuerunt eiusdem speciei cum eo, quod nunc per Sacerdotes Ministros Christi offertur, fueruntq; infiniti valoris. Ergo hunc etiam continet Sacrificium præsens. Quinta probatio, Sacerdos in oblatione huius Sacrificij non se habet vt causa principalis, quasi ipse faciat solutionem pro debito eius, cui applicatur Missa; sed habet se vt deferens pretium oblatum in cruce à Christo Domino, & vt applicans actiua passiuis, videlicet Passionem Christi emũdantem nostra delicta. Sed pretium est eiusdem valoris, à quocumque deferatur; causa etiam actiua, à quocumque applicetur, agit secundùm suam virtutem, & subiecti dispositionem. Ergo hoc Sacrificium, quatenus est applicatiuum Passionis Christi, continet infinitum valorem. Sexta probatio, effectus non commensuratur instrumento, sed agenti principali, vt patet, quando animal medio calore producit carnem, & quando Christus mediante iniquo Confessario remittit peccata, quando etiã dominus per manus famuli distribuit eleemosynam. Sed agens principale in hoc Sacrificio est Christus, & instrumentum est Sacerdos. Ergo Christi virtus, quæ est infinita, non limitatur per Sacerdotem in hoc Sacrificio.

6 Septima probatio, eleemosyna, quam dominus largitur, mediante famulo, est eiusdem valoris, ac si ipse dominus eam distribueret immediatè per se ipsum. Ergo Sacrificiũ, quod Christus mediãte Sacerdote offert Patri, est eiusdem valoris, ac quando in cœna Christus immediatè per se solum obtulit. Ergo est infiniti valoris, vti fuit Sacrificium oblatum à Christo immediatè per se ipsum solum in cœna. Confirmatur primò, si Christus, dum viueret, mitteret legationem aliquã faciendam suo nomine, & verbis, esset proculdubiò ea legatio infiniti valoris, & æstimationis. Ergo idem dicendum est de Sacrificio, quod nunc à Sacerdote tanquam Christi legato offertur Patri, nomine, & verbis ipsius Christi. Cõfirmatur secundò, Sacrificium Missæ accipit valorem non solùm ex re oblata, sed etiam ex Christo per Sacerdotẽ offerente, nam si ex Christo non acciperet, fieret, vt multò minus ex Ecclesia, & ex Sacerdote offerentibus; cum tamen certum sit, crescere in valore accidentali Missam ex Ecclesiæ, & Sacerdotis sanctitate. Atquì eo ipso quòd Missæ Sacrificium accipiat valorem ex Christo offerente, nihil causæ est, ne infinitum accipiat, siquidem persona Christi sit infinitæ dignitatis; nec apparcat caput, vnde limitetur valor prouenies ex ea in Sacrificium. Confirmatur tertiò, quia, vt inquit S. Chrysostomus Homilià de Iudæ proditione, *Nunc ille præstò est Christus, qui illam ornauit mensam, ipse istam quoq; consecrat. Non enim homo est, qui proposita de cõsecratione mensæ Domini corpus facit, & sanguinem Christi; sed ille, qui crucifixus pro nobis est Christus. Sacerdotis ore verba proferuntur, & Dei virtute consecrantur, & gratia.* Rursùs Homilia 2. in 2. ad Timotheum, *Sacra oblatio, siue illam Petrus, siue illam Paulus, siue cuiusuis meriti Sacerdos offerat, eadem est, quam dedit Christus discipulis, quamque Sacerdotes modò quoq; conficiunt. Nihil habet ista, quàm illa minus. Cur id? Quia non hanc sanctificant homines, sed Christus, qui illam ante sacrauerat. Quemadmodùm enim verba, quæ loquutus est Christus, eadem sunt, quæ Sacerdotes nunc quoque pronunciant, ita & oblatio eadem est*; & vt ait S. Augustinus relatus C. *Dominus declarauit* 1. q. 1. *Sacramentis Dei nihil obsunt mores malorum hominum, quò illa vel non sint, vel minus sancta sint*; & vt inquit Concilium Tridentinum Sess. 22. C. 1. *Hæc quidem illa munda oblatio est, quæ nulla indignitate, aut malitia offerẽtium inquinari potest*; non ob aliam certè rationem, nisi quia à Christo instituente, offerenteque participat hæc oblatio sanctitatem, dignitatem, & æstimabilitatem, prævalentem malitiæ, indignitati, & despicabilitati, quæ aliàs refundi in eam posset ex prauo

uo Ministro. Ergo sicut ex Christo participat superioritatem ad omnem Ministri malitiam, sic etiam acceptabilitatem, & sufficientiam ad omnia dona gratiæ, & gloriæ; quod idē est, ac participare infinitum valorem. Probatio hæc septima cum suis confirmationib⁹ non requirit ad sui vim, quòd Christus nunc immediatè, & proximè offerat Sacrificium Missæ; satis namque est, si principaliter offerat, tametsi mediatè, & remotè. Cæterùm si immediatè, & proximè offerat, vt multi sentiunt valde probabiliter, de quo in D. 11. vrgētior erit hæc probatio.

7 Sit iam octaua, etenim Sacrificium Missæ habet actu tantam virturem, vt absque additione nouæ virtutis ipsi facta possit in eadem persona, pro qua offeratur, causare sine limite maiorem, & maiorem effectum remissionis pœnę temporalis, prout illa persona fuerit magis, magisque disposita per deuotionem actualem, aliundevè ad talem effectum. Virtus autem huiusmodi ad intensiorem, & intensiorem in infinitum in vno, eodem subiecto effectum causandum infinita est actu; & effectus est infinitus in potētia, seu syncategorematicè intensiuè. Nona probatio, possunt plures, & plures in infinitum Sacerdotes offerre vnum, idemque Sacrificium pro vna, eademq; persona, vt constat, quando noui Presbyteri ordinantur, nam non tot sunt, quin plures, & plures queant esse, qui cum Episcopo offerant vnum, idemque Sacrificium; possuntque omnes conuenire in offerendo Sacrificio pro vna, eademque persona specialiter. At eo ipso fructus ex opere operato Sacrificij posset in ea esse vberior, & intensior in infinitum ob pluralitatem offerentium, suus enim fructus respōderet ex singulorum oblatione, tantusq; ex vnaquaq; quantus, si offerret vnus solus pro ipsa; quare cum offerentes valeant esse plures, & plures in infinitum, valebit & fructus esse maior, ac maior intensiuè sine fine. Ergo Sacrificij vnius, eiusdēque ad hunc fructum in vna, eademque persona infinitum syncategorematicè intensiuè causandum est infinita virt⁹. Decima probatio petitur ex casu proximo plurium, & plurium Sacerdotum in infinitum, qui possunt concurrere ad celebrandum idem Sacrificium; singuli enim tantum fructum referent ex opere operato Sacrificij, quantum vnus, si ab eo vnicè celebraretur, quādoquidem singuli perinde offerant, ac si soli offerrent. Ergo Sacrificium habet virtutem ad fructum infinitum syncategorematicè extensiuè, proindeque pollet virtute infinita. Idem argumentum conficitur ex multitudine offerentium aliorum inferiorum Sacerdote, possunt namque plures, & plures in infinitum audire eandem Missam, aut conferre stipendium ad eam, & idcirco possunt esse coofferentes eiusdem Missę; & singuli reportare tantum fructum ex ea, quantū si soli audissent, aut si soli contulissent stipendium, & saltem possunt singuli lucrari aliquem fructū, tametsi minorem, quàm si non tot coofferrent idem Sacrificium, aut quàm si vltrà Sacerdotem vnus tantùm, aut alter concurreret ad Sacrificium. Si ad fugiendam huius argumenti vim dicatur, Sacerdoti, alijsque coofferentibus Sacrificij vt præcisè talibus non respondere fructum ex opere operato; quæ est opinio complurium, illustriumque Theologorum; potest aliter efformari argumentum, ita vt eandem vim retineat. Nam plures, & plures in infinitum Sacerdotes queunt conuenire ad peragēdum vnum, idemque Sacrificium; similiter queunt plures, & plures in infinitum Laici assistere eidem Sacro; possuntq; Sacerdotes offerre illud pro se, & pro Laicis assistentibus; atque ita dē facto contingit, vt Sacerdos, & assistētes applicent pro se Missam, quam celebrant, aut audiunt. Quare eis non vt offerentibus præcisè, sed vt personis, pro quibus offertur, respondebit Sacrificij fructus ex opere operato, vel tantus, quantus, si quilibet solus pro se solo offerret, vel si minor, sed tamen aliqualis. Germanum est huic argumento aliud acceptum exinde, quòd Sacrificium Missæ oblatum pro pluribus, & pluribus in infinitū personis, quæ nulla ratione sint offerentes, prosit tantùm singulis, quantùm prodesset, si pro vna sola earum offerretur, vel saltē singulis prosit non nihil. Ex quo sequitur, præditum esse virtute infinita, vtpote quæ actu tota simul sit, & ordinetur ad effectum infinitum syncategorematicè extensiuè, quin habeat de se aliquem terminum, vltrà quem non possit progredi.

gredi. Et hæc pro opinione negante, valorem substantialem, essentialemq; Missæ esse finitum, ac limitatum.

8 Tenent hanc sententiam innumeri Authores loquentes de valore considerato quoad sufficientiam, sed non quoad efficaciam, seu quoad fructum, effectumvè causatum, aut causandam actu à Sacrificio Missæ, nam talem valorem, seu effectum fatētur esse finitum categorematicè, tā intensiuè, quàm extensiuè. Negligentia aliquorum in attēdenda hac distinctione præbuit occasionem, vt allegarent contra hanc opinionem multos Authores, qui pro ea maximè stant. Exempli gratia Dicastillus Tract. 5. D. 3. Dub. 4. num. 72. refert contra hanc sententiam Suarium, Coninchum, aliosque. Sed Suarius D. 79. sect. 11. V. *Dico ergo primò*, defendit clarissimè, & latissimè valorem Missæ esse infinitum quoad sufficientiam; sed quia in V. *Dico secundò* tradit, esse finitum effectum, quem ex opere operato confert Missa, ideo à Dicastillo citatur Suarius secus, ac deberet. Coninchus etiam 3. p. q. 83. art. 1. Dub. 10. num. 180. sic pronunciat, *Dignitas, & valor huius Sacrificij tam ratione rei oblatæ, quàm primarij offerentis habet dignitatem, ac valorem absolutè infinita.* Ast quia in progressu Dubitationis probat id ipsum, quod Suarius in illo V. *Dico secundò*, recensetur perperam à Dicastillo inter Doctores, qui inficiantur, valorem Missæ esse infinitum.

SECTIO III.
Nostrum iudicium in hac Controuersia.

9 PRODVXIMVS in medium fundamenta sententiæ asserentis, & alterius negantis, finitum esse valorem substantialem, essentialēque Missæ. Operæpretium forsan erit, si accuratè declaremus, quid in vtraq; veri, quid falsi sublateat. Dicimus itaque primò, valorem Missæ non esse infinitum, quatenus actu causet fructum, aut effectum infinitum categorematicè, siue intensiuè, siue extensiuè. Concordant in hac Conclusione Authores vtriusque sententiæ, & quæ in primæ argumento tertio sunt adducta, deseruiunt ad Conclusionem hanc. In cuius sensu nec valor Sacrificij cruenti fuit infinitus, nec infinita est Sacramentorum virtus. Et ratio est, quia actu non datur quid infinitum categorematicè siue in vna persona, siue in multis, siue in infinitis, quod tanquam fructus, effectusve referri possit in Sacrificium Missæ, aut quod possit attribui ei vt causæ. Si roges, vnde proueniat limitatio hui⁹ Sacrificij ad determinatū v. g. fructum remissionis pœnæ tēporalis, si ipsum Sacrificiū habeat ex se valorē ad infinitū categorematicè fructū, casu quo possibilis is sit, vel si impossibilis sit, ad maiorē, & maiorem illo, qui de facto confertur? Respondeo, limitationem prouenire ex voluntate Christi instituentis Sacrificium hoc, si ex parte personæ, pro qua offertur Sacrificiū, nō adsit caput limitativum fructus. Sic etsi respectu humanitatis Christi Domini nullus sit determinat⁹ gradus gratiæ habitualis, quo maior alius, si conferretur, excederet dignitatem, & valorem vnionis hypostaticæ; Deus tamē ex voluntate sua designavit determinatum gradum, quem, & non intensiorem tribuat humanitati Christi. Sicut autem hęc designatio non est contra essentiam, naturamque vnionis hypostaticæ; ita neque erit contrà Sacrificij ea alia designatio determinati fructus. Et ratio à priori patet, quia infinitudo valoris in vnione hypostatica, & in Sacrificio non est ad id, vt necesse sit, concedi à Deo omnem gratiam habitualem, aut omnem fructum remissionis pœnæ temporalis, non excedentem dignitatē vnionis hypostaticæ, aut Sacrificij; sed vt quæcumque gratia, aut fructus, qui concedatur, non sit suprà dignitatem vnionis hypostaticę, aut Sacrificij; atq; ita concessio tantæ gratiæ, aut tanti fructus relinquitur determinationi diuinæ, quin vlla ratione id sit contra essentiam, ac naturam vnionis hypostaticæ, aut Sacrificij. Confirmari potest hæc doctrina exemplo Sacramentorū, in quibus designatio determinatæ gratiæ ex opere operato conferendæ fit à Deo, quando suscipientes non habent dispositionem, ex qua limitetur effect⁹ gratiæ, vt euenit in infantibus, qui baptizantur, aut confirmantur.

10 Dicimus secundò, valorem Missę nō esse infinitum, quatenus causare possit fructum, aut effectum infini

tum

tum syncategorematicè intensiuè, vt contenditur in octaua, & nona probatione secundæ sententiæ. Nam in primis incertum est, an ex meliori dispositione personæ, pro qua Sacrificium offertur, crescat huius effectus ex opere operato. Deinde etsi admittatur crescere, possequè esse maiorem effectum, provt maior, ac maior fuerit dispositio, non sumitur inde argumentum, quod convincat, Sacrificij virtutem esse infinitam: tum quia iuxta plures dispositio nunquam potest crescere in infinitum ex parte subiecti, nam & in huius capacitate obedientiali limitem esse præfixum, existimant: tum quia intensior, ac intensior effectus non tribuetur soli virtuti Sacrificij, sed etiam dispositioni meliori, & meliori: tum quia mea potentia visiua corporea habet virtutem finitam, & tamen valet efficere visionem perfectiorem, & perfectiorem in infinitū, provt perfectior, & perfectior fuerit lux, aut color, quē videat, nam quò perfectius est obiectū, eò perfectior est visio ipsum attingens; potestque Deus producere lucem, aut colorem nobiliorem, & nobiliorem in infinitum. Tertiò licet plures, & plures Sacerdotes queant celebrare eandē Missam, applicareque illam pro eadem persona, quæ vberiorem, & vberiorē fructum ex illa comparet, minimè sequitur, virtutem Sacrificij esse infinitam, quia quādo eadem Missa celebratur à multis, tametsi Sacrificium sit idē quoad rem oblatam, & quoad species; ast actiones, & oblationes, consecrationesve sunt diuersæ, & inter se invicem non dependentes, quarum singulis respondet effectus largiendus personæ, pro qua applicatur Missa; vnde ratione consecrationum Sacrificium est multiplex; atque ideò mirum non est, quòd cum possint esse plures, & plures consecrationes, atque oblationes pro eadē persona, possit etiam hæc comparare cumulatiorem, & cumulatiorem fructum, quin inde arguatur, vnius, eiusdemque Sacrificij quoad rem oblatam, quoad species, & consecrationem, aut oblationem (provt opus erat) virtutē esse infinitam. Dixi, *provt opus erat*, nā quòd plurium, & plurium consecrationum, aut oblationum virtus possit esse infinita syncategorematicè, tā debet ab omnibus concedi, quàm conceditur, posse esse infinitam syncategorematicè virtutem plurium, & pluriū Sacrificiorum distinctorum inter se ratione non solùm consecrationum, aut oblationum, sed etiam specierum; possequè plura hæc, & plura Sacrificia applicari pro eadem persona; quæ proindè ex eis intensiorem, atque intensiorē fructum percipiet.

11 Dicimus tertiò, valorem Missæ non esse infinitum, quatenus causare possit fructum, aut effectum infinitum syncategorematicè extensiuè, vt in decima probatione sententiæ secundæ contenditur. Nam primò non constat, offerentes, vt præcisè tales, Sacrificij Missæ reportare fructum ex opere operato, vt iam notauimus loco citato; agemusque de hoc puncto in Disputationibus sequentibus. Secundò possunt quidem plures, & plures Sacerdotes celebrātes eandem Missam offerre illam pro se, & hac ratione possunt plures, & plures participare Missę fructum; sed tunc consecrationes, & oblationes erunt plures, & plures, quanquàm Sacrificium sit vnicum quoadrē oblatam, & quoad species; nisi autem probetur, respondere ex vna consecratione, & oblatione fructum in pluribus, & pluribus personis in infinitum, non probatur, quod opus est, vt Sacrificium censeatur habere infinitum valorem, infinitamque virtutem ad fructum infinitum syncategorematicè extensiuè. Legatur iterùm numerus immediatè præcedens. Tertiò, etsi possint plures, & plures audire eandem Missam, & ex ea omnes lucrari fructum, quatenus ipsi pro se offerunt illam; ast oblationes sunt diuersæ, pluresq; & plures, quanquàm consecratio sit vnica, vt quæ solùm fiat à Sacerdote. Porrò autem ex fructu in pluribus, & pluribus personis ob plures, & plures oblationes non cōficitur efficax argumentum ad probandum valorem, virtutemque actu infinitam erga fructum infinitum syncategorematicè extensiuè. Quartò, si Sacerdos pro pluribus, & pluribus personis offerat Sacrificium, non refert quęlibet tantum fructum, quantum si pro ea sola offerretur, vt dicemus abundè Disputatione veniēte. Sed tu inquies, saltem quamlibet relaturam aliquem fructum; sufficereque id, vt Sacrificiū præditum sit virtute infinita erga fructum

ctum infinitum syncategorematicè extensiuè. Transeat, quod inquis, nam posset quispiam affirmare, non reportandum fructum à singulis omnino, sed ab eis tantùm, quas Deus eligere voluerit ex pluribus illis, & pluribus. Sed permitto, quod ais, imò & à qualibet recipiendum esse nō minorem fructum, quàm si pro ipsa vnicè applicaretur Sacrificium. Dico tamen, non sufficere id ad arguendam infinitam virtutem, & valorem in Sacrificio, sicut nō sufficit ad arguendam in igne, aut candela, quod pluribus, & pluribus in infinitum, imo & actu infinitis lignis, aut oculis positis de potentia Dei absoluta intra sphæram naturalem activitatis ignis, aut candelæ communicare valeat tantam ignefactionem, aut illuminationem singulis, quantam, si vnum solum lignum, aut vnus solus oculus ibi existeret, nisi aliunde repugnet infinitum categorematicum ignefactionum, aut illuminationum. Et ratio à priori est, quia quantitas perfectionis, & virtus in causa non crescit ex simultanea productione plurium effectuum speciei eiusdem in pluribus subiectis applicatis debitè, dispositisque conuenienter, sed ex maiori, & maiori intensione eiusdem effectus producti in eodē subiecto.

12 Dicimus quartò, valorem Missæ non esse infinitum, quatenus impetrare possit citrà rationem operis operati fructum, aut effectum infinitum syncategorematicè intensiuè, vel extensiue. Nam huiusmodi vis impetratoria non arguit infinitatem in ea re, quæ dicitur habere ipsam, sed in misericordia, & liberalitate diuina. Hinc oratio meri hominis iusti potest petere à Deo, vt pluribus, & pluribus hominibus conferat æquale beneficium, aut aliquale; poteritq; aliquando impetrare à Deo, nec ideo tali orationi competet infinitus valor, & virtus. Etsi autem vis impetratoria Sacrificij efficacior sit, quàm orationis fusæ extrà Sacrificium, satis id non est, vt pleno ore infinitus appelletur Sacrificij valor, & virtus. Cæterùm si aliqua ratione vocare velis infinitum, voca, vt libuerit; sed aduerte, neque Authores primæ, neque secundæ sententiæ posse in hoc puncto discordare, si semel conveniant in alio, de quo erit sermo in Disputatione sequenti. Vbi agemus, an Missa pro pluribus applicata possit impetrare tantum singulis, quantum, si pro vno solo applicaretur ei? impetratoria vis? Quæ difficultas non magis est propria Missæ, quàm cuiuscumque orationis extra Missam fusæ, directæque ad petendum pro pluribus à Deo aliquod beneficium. Ex his robur accipiunt multa argumenta tam primę, quàm secundæ sententiæ; multaque facillimo negotio enervantur. Restat iam quæstio, an, non habito respectu ad fructum, aut effectum causatum de facto, vel causabilem iuxta præsentem Dei œconomiā, sit infinitus valor Sacrificij vt celebrati à Sacerdote in persona, & nomine Christi?

SECTIO IIII.

Prosequutio iudicij nostri. Referuntur graues nonnulli Authores pro sententia asserente. Tentatur expeditio ab argumentis negantis.

13 QVA in quæstione est valde probabilis vtraque sententia. Et secunda quidem est communior; sed prima gloriatur patronis non contemnendis. Atque vt omittam paulo antiquiores (qui iam pro vna, iā pro alia referuntur non sine fundamento aliquo in ipsorum verbis ob sæpe nō distinctum valorem Missæ ab eius fructu, aut effectu, vel ob non distinctum sæpe valorem quoad sufficientiam à valore quoad efficaciam) stant apertè pro prima sententia Covarruvias in C. *Alma mater*, p. 1. §. &. num. 5. Ioannes Echius L. 3. de Sacrificio Missæ C. 80. Gerson in Regulis moralibus de Sacrament. Euch. Alfonsus Salmeron tomo 9. in Euangelia Tract. 33. copiosissimè ex pag. 333. vsque ad 345. Bellarminus L. 2. de Missa C. 4. ex V. *Quarta propositio* vsque ad finem Capitis. Toletus L. 2. Summæ C. 6. num. 1. Ioannes de Lugo D. 19. sect. 12. n. 251. & 254. Azor tomo 1. L. 10. C. 20. q. 8. Fagundez in 1. præceptum Ecclesiæ L. 3. C. 6. ex n. 8. Henriquez L. 9. C. 19. & 20. Scortia L. 1. de Sacrificio Missæ

C. 9.

C. 9. n. 1. Bonacina D. 4. q. vltima, puncto 4. n. 3. & 4. Caspensis Tract. 23. D. 2. sect. 4. cum alijs, quos citant tum ipsi, tum Suarez Disput. 79. sect. 11. V. *Secunda opinio*, Vazquez Disp. 230. C. 1. Marchinus in Tractatu 3. de Ordine parte 3. Cap. 12. num. 1. Gaspar Hurtadus Disputat. 3. de Sacrif. Missæ, Diff. 7. Possem addere plures Doctores modernos; sed memorati sufficiunt ad cõmendationem primæ sententiæ.

14 Cuius complura argumenta magnum meo iudicio momentum habent. Illa verò, quæ contra ipsam objciuntur, non carent solutione. Nam ad primum sententiæ secundæ responderi potest, Concilium Tridentinum vti optima ratione ad probandum, Sacrificio Missæ remitti mediatè crimina, & peccata etiam ingentia; sed sicut ad huiusmodi remissionem non opus est infinito valore in Sacrificio Missæ, vt notat Salmeron suprà pagina 342. ita ex tatione Concilij non colligitur in Sacrificio Missæ virtus ad alios effectus, & fructus, qui præsupponere debeant in eo valorem infinitum. Sed replicabis, Concilium non agnoscit aliam diuersitatem inter Sacrificium cruentum, & hoc incruentum, nisi quæ desumitur ex offerendi ratione. Sed Sacrificium cruentum habuit infinitum valorem quoad sufficiẽtiam. Ergo & illum habet Sacrificium incruentum. Posset quis dicere, eam offerendi rationem diuersam agnitam à Concilio facere, vt cruentum habuerit valorem infinitum, non autem incruentum. Omissa tamen hac argutia, dico, animum Concilij fuisse declarare, eandem esse victimam in vtroque Sacrificio, eundemque Christum Dominum offerentem se Sacerdotum ministerio in hoc Sacrificio incruento, qui se obtulit in alio cruento, diuersitate solummodò se tenente ex parte oblationis, quòd vna sit incruenta, altera fuerit cruenta. Vnde nihil in hoc loco Concilij traditur de vtriusque Sacrificij æqualitate in valore. Omnesque fateri debent differentias aliquas inter vnum, & alterum Sacrificium, vltrà illam, de qua Concilium. Nam cruentum extendit se ad dandam virtutem incruento, & Sacramentis, atque Indulgentijs, necnon ad merenda omnia bona supernaturalia, quæ sunt in Ecclesia. Præterea cruentum sine vlla institutione fuit valoris infiniti, & in thesauro Ecclesiæ respondet ipsi infinitus cumulus satisfactionum; vt taceã alia, in quibus differt ab incruento. Ad secundum argumentum responderitur ingenuè, Sanctum Thomam indicare magis secundam, quàm primam sententiam, nam testimonia pro infinito valore quoad sufficientiam sunt satis clara; & ea alia, quæ in prima sententia adducuntur, non sunt contraria, quia in eis tantummodò negatur infinitus valor quoad efficaciam. Ad tertium dicetur, per Sacrificium Missæ applicari virtutem Sacrificij cruenti, sed non totam, percipique vberrimè fructus Sacrificij cruenti, sed non omnes, ad quos istud gaudet sufficientia; item esse vnam, & eandem vtriusque Sacrificij virtutẽ, sed in incruento per participationem, & cum limitatione. Ad quartum, fuisse infiniti valoris Sacrificium peractum à Christo in cœna, quia oblatio processit à supposito diuino Christi per se ipsum; quæ in ea oblatione diuersitas à præsenti oblatione facta per Sacerdotes, non sufficit, vt illud Sacrificium, & quod nunc celebratur, differant formaliter in specie. Ad quintum, per Sacrificium incruentum non deferri totum pretium cruenti, neque applicari passo totam cruenti actiuitatem. Ad sextum, agenti principali, & non instrumento commensurari effectum, sed non semper per instrumentum exerceri totam virtutem agentis principalis; sæpe enim extenditur ad plura virtus agentis principalis.

15 Septimo argumento respondeti potest cum Fagundez suprà n. 9. * esse diuersam rationem in exemplo eleemosynæ datæ per famulum, & in oblatione, qua Christus Dominus se offert Patri per Sacerdotem, quia famulus nihil ex suo dat, sed offert, ac profert eleemosynam pauperi tanquam obiectum extrinsecum, & alienum, & ideò minuere non potest meritũ, ac valorem illius: Sacerdos autem aliquid ex suo profert, quia per consecrationẽ hostiæ, & vini totã victimam, seu totum Christũ producit. * Videantur etiã Hẽriquez, & Azor suprà, qui huic argumẽto etiã respondent. Ego addo, valorem eleemosynæ non dependere ab actione

externa, per quam datur; sed à quantitate rei, quę datur, & ab intentione, affectuque, quo datur. Cæterùm valor Sacrificij maximè dependet ab oblatione; & hæc maioris est, aut minoris valoris, provt nobilior, aut minus nobilis est persona, quæ per se ipsam efficit eam. Ad primam confirmationem nego, fore infiniti valoris, & çstimationis petitionem, aut propositionē, quam nomine, & verbis Christi exequeretur Legatus missus ab ipso viuente. Certè si Christus per se ipsum, & proprio ore postularet aliquid, maioris foret valoris, & æstimationis hęc postulatio: sicut si Rex Hispaniæ, quod petit à Summo Pontifice per Oratorem suum, ipse per se coram rogaret. Ad secundam confirmationem fateor, Sacrificium Missæ accipere valorē, eumque magnum ex Christo offerente principali, sed non infinitum, nam etsi Christus sit persona infinitæ dignitatis, obstat defectus influxus per se ipsam in consecrationem, ne Sacrificio communicet infinitum valorem. Inquies, etsi actio sacrificandi non procedat physicè à persona Christi per se, procedit tamen moraliter, reputaturque moraliter actio Christi. Respondeo, ita quidem esse; sed non sufficere id, vt actio illa habeat infinitum valorem, seu tantum, quantum si physicè oriretur à persona Christi per se. Sic reuerentia, quam Orator Regis Hispani exhibet Summo Pontifici, non est tantæ æstimationis, quantæ esset, quæ præstaretur ab ipsomet Rege per se, etsiquę exhibetur per Oratorē, sit moraliter reuerētia Regis. Vel respōdeo, actionē sacrificādi factā physicè à Sacerdote reputari moraliter Christi quoad aliqua, sed non quoad omnia, quę haberet, si esset physicè à Christo per se. Habet quidē eandē efficaciā in caulando transubstantiationem; sed non habet eundem valorem, sicut neque idem meritum, eandemque satisfactionem, non enim est de nouo meritoria, neque de nouo satisfactoria, provt à Christo nunc fit. Ad tertiam confirmationem dico, actionis sacrificandi, provt à Christo principali offerente factæ ministerio Sacerdotis, valorem prævalentem malitiæ, & indignitati eiusdem Sacerdotis, non debere esse infinitum; ideoque ex tali valore non benè deduci acceptabilitatem, & sufficientiam ad omnia dona gratiæ, & gloriæ, arguitur enim à minori ad maius, scilicet ab effectu, non requirente in sui causa valorem infinitum, ad effectum, qui requirit. Quòd verò valor prævalens malitię, & indignitati Sacerdotis non debeat esse infinitus, probatur clarè, quia eidem malitiæ, & indignitati pręualet valor conueniens actioni sacrificādi, provt est ab Ecclesia; & tamen huiusmodi valor non est infinitus. Similiter non est infinitus valor eleemosynę, quam herus distribuit per manus famuli; & nihilominus prævalet iniquæ intentioni, quam famulus habeat in exequendo domini imperio. Ad octauum, nonum, & decimum argumētum iam occurri in prima, secunda, & tertia Conclusione huius Sectionis; & in quarta tractaui de valore Missæ quoad impetrationem bonorum citrà opus operatum, & citrà infallibilem de eis promissionem.

SECTIO V.

Absoluitur Disputatio cum inclinatione in sententiam asserentem.

16 VNDE quinta Conclusio sit, valor substantialis, & essentialis Sacrificij Missæ non est infinitus quoad sufficientiam. Propono Conclusionem hanc vt probabiliorem, stando rationi, (ni fallor) & vt valde probabilem attendendo authoritati Theologorum. Moueor præcipuè, quia ad attribuendum Sacrificio Missæ quoad sufficiētiam valorem infinitum non video conuincens vllum fundamētum. Excellentia autem valoris infiniti quoad sufficiētiam non debet attribui huic Sacrificio, nisi argumentorum vis obliget.

17 Dices, non attribui gratis, sed titulo Christi offerentis principalis, proximi, & immediati vnà cum Sacerdote. Contra tamen, tum quia anceps est oblatio, quę fiat à Christo vt offerēte proximo, & immediato; tum quia ex multis, qui eam admittunt, pauci exprimunt, sic fieri, vt actio sacrificandi procedat physicè proximè, atq; immediatè à supposito diuino Christi, & ab eo quasi deificetur, vti opus esset ad id, vt haberet infinitum valorem. Et potest quidem intelligi Christum vt in cœlo

cœlo existentem elicere actum, quo proximè, & immediatè offerat Patri Sacrificium hoc, quin tamen concurrat physicè proximè, & immediatè ad actionem sacrificandi, quæ fit in altari à Sacerdote, & de qua est disputatio, num gaudeat infinito valore, quatenus fit à Sacerdote in persona, & nomine Christi? Nam audientes Missam eliciunt; possuntve elicere actum, quo offerant Sacrificium hoc Deo, nec ideo concurrūt physicè proximè, & immediatè ad actionem sacrificādi à Sacerdote factam. Præterea etsi Christus cōcurreret physicè modo dicto, nō deerit, qui cogitet, limitari eius concursum, ne euadat infiniti valoris, sicut limitatur, ne euadat meritorius, satisfactoriusque de nouo; & sicut motio Spiritus Sancti inhabitātis animam iusti limitatur ad præmium condignum finitum respectu huius ob simultaneam, seu potiùs idemticam actionem liberi arbitrij humani cum ea motione in actum meritoriū: sicut denique concursus causę primæ cum secundis limitatur ab his, vt non sit infiniti valoris.

18 Dices rursus, poterat institui à Christo Sacrificium Missę cum valore infinito quoad sufficiētiam. Quidni ergo sic de facto præstiterit? Præsertim cum talis institutio faceret magnopere in huius Sacrificij æstimationē. Respōdeo, repugnare talem institutionem, si Sacrificium Missæ offerendum sit, vt modò, per merum hominem vt ministrum Christi. Addo, desiderari cōuincētem authoritatem, vel rationem, vt in Sacrificio Missæ agnoscamus de facto tantum valorem, quantum Christus potuisset ei conferre. Et ita notat Martinonus D. 39. sect. 2. n. 13. Omnibusq; in confesso debet esse, non repugnare, quòd à Christo sic institutū fuisset hoc Sacrificium, vt omnē suū effectum semper consequeretur infallibiliter; & tamen nulli, qui rectè sapiat, veniet in mentem, Christum de facto exhibuisse ei infallibilem vim, atque energiam ad quemuis effectum, pro quo conducat. Certè valor in infinitudinem non assurgens, sed alio qui magnus, sufficit ad ingentem Sacrificij huius æstimationem, & ad saluanda omnia, quę de ipso nos docēt Scriptura sacra, Concilia, & Patres, vt aduertit Puteanus 3. p. q. 83. art. 1. dub. 7. E contrà vero cum valore infinito istius Sacrificij difficulter componitur intentio Christi de eo frequentando, offerendòque sæpiùs & fidelium religiosa, piaque solicitudo ab initio Ecclesię in instituēdis obligationib⁹ de repetitis celebrationibus; nam vna Missa sufficeret pro omnibus viuis, atque defunctis, & pro impetrando remedio omnium necessitatum siue spiritualium, siue corporalium. Ex quo patet disparitas ad Sacrificium crucis incruentum, cum enim nō oporteret iterari, sed potiùs decreuerit Deus, vt semel tantùm offerretur in ara crucis, debuit esse per modum causæ vniuersalis ad omnes effectus, vt peritè notat P. Rodericus Arriaga D. 52. sect. 7. subs. 2. num. 33. Nec plura in præsentiarum quoad istam difficultatem: nostraque circa eam doctrina altiorem firmitatem mutuabitur ex alia, quàm modò auspicabor, quanuis vtcumque saluari queat, vt Sacrificiū Missæ esset finiti valoris (sicut hactenus defendimus) & nihilominus applicatum pro duabus personis proficeret non minus vni, quàm alteri (quod est punctum aduenientis Disputationis) posset namque esse adstrictum, & limitatum ad certum effectum in vtrauis operandum æqualiter; imò & ad tot personas, quas Deus, Christusve designaret ex ijs, pro quibus applicaretur specialiter à Sacerdote, non autem ad plures, & plures. Vnde causa non præiudicata aggredior sequentem Disputationem.

✠

DISPVTATIO VIII.

AN SACRIFICIVM MISSAE PRO pluribus oblatum prosit singulis non minus, quàm si pro vno solo offerretur?

1

ÆC DISPVTATIO ANNEXA est præcedenti, & admodùm celebris in Tractatu præsenti. Continet multiplicem sensum, & quia perplures non benè distinguunt, ideo ruditer, & indigestè tractant, vt vix percipere queas, quam sententiam sequantur. Conabimur omni cum distinctione diligentem operam nauare huic difficultati, expediemusque eam per partes.

SECTIO I.

An Sacrificium Missæ applicatum ex intentione speciali pro Petro, & Paulo v.g. prosit Petro quoad satisfactionem ex opere operato tantundem, quantum si pro Paulo etiam non applicaretur?

IS EST PRÆCIPVVS Disputationis susceptæ punctus, maximèque controuersus.

Refertur vtraque sententia affirmatiua, & negatiua cum suis patronis, & cum fundamentis affirmatiuæ, eligiturque negatiua.

AFfirmatiuam partem tuentur multi. Præpositiuus Presbyter Leodiensis (cuius opera non extant) Herueus Natalis Magister generalis familiæ Prædicatoriæ Quodlibeto 10. q. 13. Caietanus locis inferiùs describendis, Melchior Canus Lib 12. de locis Theologicis Cap. 13. §. *Alterum argumentum* pag. 491. Ioannes Baptista Corradus in Responsis casuum conscientiæ quæsito 266. etsi in additione retrocedat nonnihil; Petrus de Soto Lectione 7. de Sacrificio altaris, Paulus Grysaldus in Decisionibus fidei Catholicæ, & Apostolicę V. *Missa* num. 22. Ruardus Tapperus art. 16. contrà Lutherum §. *Certum est.* Ioannes de Cruce in Directorio conscientię parte 2. quæst. 1. de Sacrificio Missę, dub. 6. Didacus Nuñus Cabezudus 3. par. quęst. 83. art. 1. dub. 8. Angelus in Summa verbo *Missa*, §. 52. Didacus Tapia quæst. 7. de Eucharistia artic. 6. quęst. etiam 11. artic. 3. Ludouicus de Beja in Responsionibus casuum conscientiæ parte 1. casu 12. Antonius Cordubensis L. 1. Quęstionarij q. & conclus. 3. Petrus de Aragon 2. 2. q. 85. artic. 3. ex pag. 913. Petrus Fernandez de Heredia ad Repetitionem

nem textus in Capite *Cum frangitur* de Consecr. Distin. 2. p. 4. dub. vnico n. 11. Petrus de Ledesma in Summa Cap. 17. Conclus. 23. Gamachæus 3. par. in Tractatu de Sacrificio Missæ Cap. 8. Assertione 2. Petrus Nauarra Lib. 2. de Restitutione Cap. 2. à numero 268. Philibertus Marchinus Tractatu 3. de Ordine parte 2. Cap. 13. à numero 9. Kellisonus apud Auersam infrà. Ex nostra autem Societate Iesu Emmanuel Sà in Aphorismis Verbo *Missa* num. 44. Gabriel Vazquez Disputat. 231. Cap. 2. & 3. Lessius Lib. 12. de perfectionibus diuinis C. 14. num. 105. & 106. Etsi 3. par. quæst. 83. artic. 1. dub. 10. subscripserit opinioni contrariæ. Gaspar Hurtadus Disputat. 3. de Sacrificio Missæ Diff. 8. Castro Palao Tractatu 22. Disput. vnica, punct. 6. num. 13. & 14. Hi quinque è Societate apparent rari nantes in gurgite vasto, nam cæteri, quorum legendorum copia fuit, suffragantur negatiuæ sententię. Recensui pro affirmatiua quos vidi ex exteris; nescio, an alij extent apud Dianam parte 5. Tractatu 14. Resolut. 81. & apud Leandrum tractatu 8. Disputat. 3. quæst. 11. Inter antiquos eminet Caietanus, qui 3. par quæst. 79. articulo 5. inquit, *Vna Missa ex parte sui est satisfactoria pro pœnis omnium peccatorum, tam viuentium, quàm mortuorum, quoniam vt sic est valoris infiniti, quoniam Christus offertur. Et vna Missa non perdit vim satisfactionis suæ pro primo offerente ex hoc, quòd pro secundo, tertio, quarto, &c. offertur, sicut quantitas deuotionis vnius nihil tollit de quantitate deuotionis alterius. Vnde arguendi, instruendique simul sunt homines ignoranter petentes, vel exigentes pro sua eleemosyna totam sibi Missam dari, aut suo defuncto: nihil enim minus ipse habebit, si mille alij petant eandem Missam pro seipsis, & alijs defunctis, quàm si pro ipso solo celebrari dicatur. Imò ex huiusmodi in deuotione sic petentis damnum videtur incurrere, quòd minus sibi proderit.* Sic Caietanus ibi; remittitque se ad quodlibetum de hac re iam anteà à se editum, qui si est Tractatus de Celebratione Missæ, tertiusque in tomo 2. Opusculorum, loquitur ibi Author valde obscurè, vt notabo posteà, cum proponam opinionem negantem.

2 Affirmans verò, in qua nunc versor, probatur primo ex Cap. *Non mediocriter* 24. de Consecratione Distinctione 5. Vbi Sanctus Hieronymus ait, *Cum pro cunctis* (alij legunt, *centum*) *animabus Psalmus, vel Missa dicitur, nihil minus, quàm si pro vno quolibet ipsorum diceretur, accipitur.* Secundò ex Sancto Thoma quæst. 79. art. 5. & 7. docet enim, oblationem huius Sacrificij sufficere ex se ad satisfaciendum pro tota pœna, fieri tamen satisfactoriam illis, pro quibus offertur secundùm quantitatem deuotionis eorum, & prout Christo coniunguntur per fidem, & charitatem. Ex qua doctrina colligitur, quòd si Sacerdos æquali intentione offerat Missam pro Petro, & Paulo habentibus deuotionem æqualem, participabit quilibet illorum tãtum fructum satisfactorium; ac si pro illo solo offerretur. Tertiò ex Vualafrido Strabone dicente in Cap. 22 de Ecclesiasticis rebus, *Sed & in hoc error non modicus videtur, quòd quidam se non posse aliter plenam eorum commemorationẽ facere, pro quibus offerunt, nisi singulas oblationes pro singulis offerant, vel pro viuis, & defunctis non simul æstimant immolandum, cum verè sciamus, vnum pro omnibus mortuum, & vnum panem esse, & sanguinem, quem vniuersalis Ecclesia offert. Quòd si cui placet pro singulis singulatim offerre, pro solius deuotionis amplitudine, & orationum augendarum deuotione id faciat, non autem pro stulta opinatione, qua putet, vnum Dei Sacramentum non esse generale medicamentum. Quodammodò enim in fide imperfectus est, qui putat, Dominum non discernere, quando vna petitione pro multis rogatur, quid cui sit necesse; vel fastidire, cum æstimat, cum eadem oblatio nunc pro vno, nunc pro alio exhibetur.* Hactenus ex Vualafrido. Quartò ex Arnulpho Episcopo Lexouiensi in Epistola 38. ad Ernaldum Abbatem Bonævallis, vbi ait, *Nihil offerri pretiosius, nihil efficacius potest, nihil ei, qui offert, vel pro quo offert, vtilius, si dignitati Sacrificij personarum indignitas non obsistat:: Magnum sanè, prædicandumque beneficium, quod erogatum alijs proficit, ipsumque nihilominus adiuvat erogantem. Quoscumque enim Sacerdos effusa charitatis latitudine complectitur, totum simul omnibus, totum vniuscuiusque est singillatim, nec integritatem diuidit communio plurium, nec soliditatem minuit participatio diuersorum. Sic est: totus tibi Christus impenditur, totus mihi, totiusque in solidum te cohæredem hæreditatis admittit, quam totam nihilominus*

mihi repromittit. Quod enim spirituale est, neque terminis circumscribitur, neq; aliquibus angustijs coarctatur; nec impensum rarescit impendio, nec aliqua potest integritatis suæ detrimenta sentire. Totum itaque pro vobis obtuli, totum prouentui meo nihilominus reseruaui, cum scilicet vtrique sic cesserit in salutem, vt & iter vestrum cum prosperitate dirigeret, & mihi gratiam diuinæ propitiationis augeret.

3 Probatur quintò, Passionis Christi Sacrificium cruentum æqualiter prodest vni, ac pluribus applicatum. Ergo idem sentiendum est de Missæ Sacrificio incruento, vtrumque enim est eiusdem infiniti valoris; & infinitum non minuitur, eo quòd pluribꝰ applicetur. Sextò, illi, pro quibus offertur Sacrificium Missæ, participant fructum eius iuxta deuotionem, quam habent. Sed deuotio vnius non minuit deuotionem alterius. Ergo nec fructus decrescit ex eo, quòd Sacrificium Missæ pro vno offeratur in consortio alterius. Septimò, Sacramentum simul collatum pluribus causat in singulis æqualem effectum, vt quando plures simul baptizantur, aut absoluuntur. Ergo æqualem etiam fructum causabit Sacrificium Missæ in singulis, si pluribus simul applicetur. Si respondeatur, non esse vnum numero Sacramentum baptismi, aut pœnitentiæ, quando plures simul baptizãtur, aut absoluuntur, ideoque mirum non esse, quod dicitur in Antecedenti, cum tot numero Sacramenta baptismi, aut pœnitentiè sint, quot baptizati, aut absoluti; ast Sacrificium Missæ pro pluribus simul applicatum vnum numero est. Contrà primò, quia vt argumentatur Vazquez suprà Cap. 3. num. 17. eo ipso quod Sacrificium Missæ suapte natura ita institutum sit, vt idẽ numero pro pluribus, & paucioribus, sicut pro vno solo offerri possit, in quo differt à Sacramento, licet cum hoc in virtute infinita conueniat, rectè sequitur, oblatum pro pluribus, & paucioribus operari in singulis perinde, ac si pro eis solis offerretur. Contrà secundò, quia si eadem hostia consecrata, posita miraculosè in pluribus locis, ederetur simul à pluribus hominibus, vel existẽs tantùm in vno loco mãducaretur à multis simul, qui miraculosè positi essent penetratiuè, non minus prodesset vnicuique illorum, quàm si vnus solus eam susciperet. Quare quicquid sit de alijs Sacramentis, firma manet septima probatio restricta ad Sacramentũ Eucharistiæ. Octauò probatur, quia spirituale bonũ, quale est fructus Sacrificij Missæ, debet habere proportionem cum spiritu, vt sicut is est totus in toto, & totus in quauis parte loci, ita illud totũ multis, & totum singulis integrè, atque indiuisè communicetur. Nonò, Sacrificium Missæ tam potest simul applicari pluribus, quàm vni soli. Ergo applicatũ simul pluribus causabit eundem effectũ in singulis, quem in vno solo, si illi soli applicaretur. Sic lumen cãdelæ, & vox, quæ possunt simul applicari multis oculis, & auribus in distantia æquali, tam videtur, tamque auditur à multis, quàm videretur, quàmque audiretur ab vno solo, qui ibi adesset. Omitto alia argumenta, quæ Sectionibus sequentibus sunt discutienda.

4 Vocat iam nos negatiua pars, quam defensant innumeri Theologi tã veteres, quàm recentes, quorum multos placuit recensere non ad vanam lectionis ostentationem, sed vt noscatur, quantæ sit authoritatis ea sententia, ex qua in toto hoc Tractatu dependebit decisio complurium quæstionum, & ne cuipiam illecebra stipendij pro Missis maiorem, quàm par sit, affectum ingeneret erga affirmantem opinionem. Igitur pro negante stant Sanctus Bonauentura, Scotus (qui optimè de hac re egit in Quodlibeto 20. verè aureo,) Biel, Holcot allegati fideliter à Martino Frias infrà, Maior in 4 distinct. 45. q. 2. Richardus de Mediavilla art. 2. q. 3. Durandus similiter, Guilielmus de Rubione in 4. Distinct. 21. quæst. 3. art. & dub. 2. Adrianus Quodlibeto 8. artic. 3. Sanctus Antonimus 1. p. tit. 10. Cap. 11. §. 4. & 3. par. tit. 32. Cap. 5. §. 6. Gerson Lib. de Solicitudine Ecclesiasticorum particula 32. & in Regulis moralibus, titulo de Sacramẽto Eucharistiæ, Paludanus, Turrecremata, Archidiaconus, Abbas, Ioannes Theutonicus, Ioannes Andreas, Bernardus Diaz, Nauarrus citati exactè à Salmerone infrà; qui addit Abulensem in Libro Hispanico de decem quæstionibus Cap. 23. Sed ego neque in decem illis, neque in alijs quatuor adiunctis quicquam inueni post diligentem inquisitionem. Alexander de Arioſtis in Compendio,

seu

seu in Summa Confessorum L. 3. tit. de obligatione celebrantium Missam pro alijs pag. 649. Summa Tabiena V. *Restitutio* §. 33. vbi adducit Rosellam. Margallus Collega S. Iacobi, seu Conchensis apud Salmanticam in Expositione impressa anno 1528. Tituli de Celebratione Missarum, Gaufridus Bossoardus de Sacrificio diuinissimo Missæ parte 2. C. 7. Iacobus de Grassis in Decisionibus aureis L. 2. C. 45. n. 17 Martinus Frias Theologus Salmanticensis in Tract. impresso anno 1528. de Missæ valore, Antonius Honcala Canonicus Abulensis Tract. de eodem valore per 18. articulos, sed præsertim in 10. Ioannes de Medina in Codice de Oratione, Titulo de valore eius, quæ pro multis funditur, Franciscus Ovandus in 4. Dist. 13. propos. 10. Couarruvias parte priori Relectionis ad C. *Alma mater* §. 5. n. 9. Petrus Arcudius in Ecclesiæ Occidentalis, & Orientalis concordia L. 3. C. 18. Ludouicus de Miranda in Directorio Prælatorum Regularium tomo 1. q. 41. artic. 20. Henricus de Villalobos Tract. 8. Diff. 13. Emmanuel Rodriguez apud Laymanum infrà, Hiquæus in 4. Scoti Dist. 13. q. 9. Barbosa parte 2. de Officio, & potestate Episcopi Allegatione 24. n. 7 Moure in Examine Theologiæ Moralis parte 3. C. 5. §. 2 n. 7. Torreblanca L. 2. Iuris spiritualis Practicabilium C. 9. à n. 67. Trullench L. 7. de Sacramentis C. 8. dub. 7. n. 7. & 8. Puteanus 3. p. q. 83. art. 1. dub. 7. Ysambertus ibi D. 7. art. 10. Caspensis D. 3. de Sacrificio Missæ sect. 3. n. 18. Eligius Basæus in Floribus Theologiæ practicę V. *Missa* 2. n. 7. Thomas Zerola in Episcopali praxi V. *Missa* n. 4. Auersa q. 11. sect. 7. cum Mercero, Fraxinello, & Bonacina, Petrus Anellus Persicus, & Barth. de S. Fausto apud Bardi infrà, Syluius apud Amicū etiam infrà. Concordant ex Societate Iesu Salmeron tom. 5. in Euang. Tract. 33. à pag. 335. Suarius D. 79. sect. 12 Scortia L. 1. de Sacrificio Missæ C. 9. n. 3. Toletus, Bellarminus, Ioannes de Lugo, Azor, Henriquez, Coninch, Præpositus, quos memorat, & imitatur Fracisscus de Lugo L. 5. C. 4. q. 9. num. 81. Layman L. 5. Tract. 5. C. 1. num. 13. Filliucius Tract. 5. C. 3. n. 9. Reginaldus tom. 2. Praxis fori pœnit. Lib. 29. sect. 2. num. 157. Fagundez L. 3. in 1. præceptum Ecclesiæ C. 6. & 8. Granadus Tract. 14. D. 4. sect. 2. n. 12. Meratius D. 40. de Euch. sect. 2. (mirumque est, quòd discesserit à Vazquio) Martinonus D. 39. sect. 2. n. 14. Franciscus Amicus D. 33. sect. 7. n. 259. Arriaga D. 52. sect. 7. Sub. 2. num. 31. Hermanus Busembaum in Theologiæ Moralis medulla L. 6. Tract. & C. 3. dub. 1. Tannerus D. 5. q. 9. dub. 4. n. 99 Dicastillus Tract. 5. D. 3. dub. 5. Thomas Tamburinus L. & Cap. 2. de Missa §. 1. n. 8. Franciscus Bardi p. 4. Explicationis Bullæ Cruciatæ Tract. 3. C. 1. sect. 5. n. 18. Franciscus Pellizarius in Manuali Regularium Tract. 6. C. 3. n. 2. alijque passim non minus ex extraneis, quam ex nostris; quorū aliquos laudabo iam iam.

5 Et quidem Cardinalis Alanus L. 2. de Sacrificio Missæ C. 34. & 35. censuit, esse de fide Catholica hanc sententiam. Martinus de Ledesma 2. p. 4. q. 16. art. 14. fol. 193. dixit, *Cōtrariam esse ficlam, sine fundamento Scripturarum, nec Ecclesiæ, nec Sanctorum*, Dominicus de Soto L. 9. de Iustitia, & iure, q. & a. 2. pag. 725. scripsit loquens de Caietano, *Absolutè opinionem affirmatiuam sustentat, videlicet Missam perinde singulis prodesse, si offeratur pro pluribus, imò etiam pro infinitis, ac si præcisè pro vno: Eandemq; arbitratur esse opinionem D. Thomæ. Neque desunt, qui magno fauore eandē amplexantur opinionem. At verò, vt meam ego inscitiam fatear, semper sum arbitratus, nō solùm falsam esse, verùm etiam antiquissimo Ecclesiæ vsui contrariam; ac subinde, vt à peiori verbo abstineamus, parùm excitandæ plebi ad eleemosynas pro celebrādis Missis elargiendas conducentē.* Ita Dominicus de Soto, qui in 4. Dist. 13. q. 2. art. 1. pag. 561. addit, notans novitatis Caietanum, *Et quidem ante Caietanum communi vsu tenebatur opinio Scoti.* Testatur Iosephus Angles q. de valore Missæ art. 2 *Opinionem Caietani, cui adhæsit Cano, non minimum inter populares scandalum excitasse.* Barth. à Ledesma in Summario de Euch. Diff. 36. Columnà 455. similiter scribit, *Conclusionem istam tenet Scotus vbi suprà, & Dominicus à Soto, & alij, & fortasse erat communis sententia ante Caietanum.* Et Col. 457. adijcit, *Vnde etiamsi alicui opinionem Caietani defendere liceat, speculatiuè; tamen nullo modo licet*

practicè

practicè, nec ipse practicè amplius, quàm nos, extendere eam voluit: ac subinde malè aliqui ex Caietani sententia iniustitiæ, & auaritiæ occasionem suscipiunt, eam extendendo plus, quàm Caietanus ipse intellexerit. Sic Barth. Ledesmius, respiciens ad Caietani postrema verba in Tract. de Celebratione Missæ; vbi tantummodò monet, per vnam Missam non satisfieri pro triginta, quę promisse essent applicandæ in bonum vnius, eiusdemq; personæ. Ioannes Viguerius in Institutionibus Cap. 16. §. 3. V. 16. inquit, opinionem Caietani *Non videri in foro conscientiæ tutam, cum sit cultus diuini diminutiua, & præbeat materiam cupiditatis,* quæ verba approbantur à Corrado Dominicano præcitato, in additione quam fecit ad scripta anteà in quæsito 266. Salmeron pag. 335. ait, *Nos priorem sententiam vt magis Catholicam, & vsui Ecclesiæ magis consonam, & probabilioribus rationibus nixam in præsenti tuebimur.* Et pag. 341. *Quare non potest non esse valde periculosum, & iniustitiæ plenum, opinionem illam singularem sequi, & in praxim deducere, propterque vnius Caietani dictum à cõmuni Ecclesiæ sententia, & tot Doctorum, quos attulimus, declinare.* Hęc Salmeron Iesuita; sed post non mitiores censuras vtriusq; Ledesmij, Dominici de Soto, & Ioannis Viguerij Dominicanorum. Quæ an Caietanum comprehendant, potest dubitari, nam Suarius D. 79. S. 12. V. *Dico secundò* existimat, ipsum nõ repugnare opinioni negatiuæ; nosque ex Tract. de Celebratione Missæ q. 2. vix possumus colligere, quid ipse sentiat ibi. Citatur à Salmerone pag. 335 à Ledesmio fol. 189. à Baptista Corrado, & à Soto suprà, in Quodlibeto 1. q. 18. Idemque Caietanus nomine Quodlibeti vocat Tractatum de hac re, quando 3. p. q. 79. art. 5. ait, *Diffusiùs autem fortè hic scriberemus de hac re, nisi in primo Quodlibeto nostro iam edito diffusè hæc veritas declarata fuisset.* Et cogitare nonnemo posset, extare in eo Quodlibeto quendam dicendi modũ, quem in præsenti controuersia attribuit Caietano Viguerius, & quem nec Vazquez, vt tradit suprà C. 2. n. 10. nec nos inuenimus 3. p. neque in Tract. de Celebratione Missæ. Aliunde verò inter Caietani opera nec vidimus, nec memorari obseruavimus Quodlibeta distincta ab Opusculis digestis in tres tomos. Sed vt vt de his sit, abstinere iam oportet à censuris rigidis aduersus opinionem affirmatiuam, nã si defendatur eo modo, quo à Vazquez, alijsque, qui adhæserunt tanto Doctori, libera est ab omni calumnia, quanquam negatiua sit multò communior, & à nobis amplectenda ambabus, vt aiunt, vlnis.

SECTIO II.

Pro sententia negatiua arguitur multipliciter.

6 PRIMO ex Concilio Tridentino Sess. 25. in Decreto de Reform. C. 4. vbi supponitur, posse tot Missas acceptatas esse in quibusdã Ecclesijs ad dicendum, vt nequeat eis satisfieri; & multarum Missarum obligationes non posse priuata authoritate adimpleri per vnam, aut pauciores. Loquiturque Concilium de Missis, ad quas detur obligatio ratione eleemosynarũ. Ast si Missa oblata pro pluribus ita prodesset vnicuiq;, ac si pro eo solo offerretur, nullus tam ingens esset Missarũ cumulus, cui non posset satisfieri priuata authoritate per Missas pauciores numero, imò & per vnam applicatam specialiter pro personis, quæ ad ingentem eum numerum Missarum reliquerunt eleemosynas. Ergo ne hoc sequatur inconueniens, deseri debet ea sententia, ex qua sequitur. Confirmatur Istud argumentum ex recentibus Decretis Congregationis sacræ Cardinalium Concilij Tridentini approbatis, & confirmatis ab Vrbano VIII. Pontifice Maximo circa celebrationem Missarum, de quibus Decretis agemus in D. 31. Confirmatur etiam ex antiquiori statuto præclarissimi Ordinis Prædicatorij apud Sotum suprà sic testantem, *In Ordine nostro sanctè cautum est, ne fiducia illius opinionis Caietani à pluribus eleemosynæ pro eadem Missa recipiantur.* Ita Sotus: extatque simile aliud statutum eiusdem pijssimæ, sapientissimæq; Religionis editum Bononiæ anno 1564. in Capitulo generali, referturq; à Bartholomæo ab Angelo in Examine Confessorum Dialogo 4. §. 143. & à Marchino infrà n. 12. Et licet ego in Caietano non legam verbum vllum, ex quo constet, fuisse ab ipso admissum inconueniens propositum, sed potiùs videã, reprehendi ipsum à Soto, quòd dissimulan-

mulanter, ac tacitè præterierit illud; tamen Viguerius nomine Caietani habet hæc, quæ subijcio, verba, *Alio modo potest considerari Sacerdos celebrans pro pluribus, vt eius conatus, siue affectus, & applicatio fertur, primò in singulos, hoc est, offert pro vno quoque sigillatim, & successiuè Passionem Christi, in hoc Sacramento repræsentatam. Primò pro se, & peccatis suis, secundò pro parentibus, tertiò pro eo, qui dedit illi tres duodenos pro sustentatione, deinde pro alio similiter dante, & sic de alijs. Tunc cum sint plures actus oblationis respectu vnius Sacrificij, secundum eundem Caietanũ, tantùm prodest omnibus illis, sicut si pro vnoquoque solo illorum offerretur, quia tota deuotio Sacerdotis cuilibet applicatur, successiuè tamen. Ex quo videtur sequi, quòd si Sacerdos promisit sigillatim, & in particulari tribus, aut pluribus celebrare vnã Missam, & à quolibet recipit stipendium pro sustentatione, celebrando vnam, offerendo sigillatim & distinctè, & successiuè pro quolibet, satisfacit omnibus illis, facit enim quod promisit, & nihil deperit primo, si pro alijs deinde, & successiuè offerat.* Hæc Viguerius ex Caietano; quanquã huic afficta esse dicat Vazquez D. 234. C. 2 n. 10: & Suarez D. 86. sect. 2. V. *Dico quartò* asseueret, Caietanum directè, & formaliter non docuisse, quod ipsi imponitur; neque à se inuentum Authorem, qui in communi, & absolutè senserit, posse Sacerdotem, seruata iustitię æquitate, ratione vnius Missę accipere plura stipendia adæquata, & integra. Sensit postea Dominicus Montagnolus in libello de Missæ valore C. 26. Sed contrà eum educit armatas Theologorum copias Philibert' Marchinus Tractatu 3. de Ordine parte 2. C. 16. ex n. 11.

7 Huic argumento respondet Vazquez negando sequelam Minoris, primò, quia qui tribuit stipendium Sacerdoti celebraturo, petit non modò applicari sibi satisfactorium fructum, sed etiam orationes Ecclesiæ, impetrationemque earum; cum autem huiusmodi fructus impetratorius sit finitus, non potest multis tantũ prodesse, quantùm vni; ac proinde qui dedit stipendium, fraudabitur parte fructus, si eadẽ Missa offeratur pro alijs. Secundò, quia si ab vno accepit Sacerdos stipendium titulo sustentationis cum onere celebrandi, non potest ab eodem, neq; ab alio accipere alterum stipendium ex eodem titulo, & cũ eodem onere absq; manifesta iniustitia, vtpote qui accipiat contra voluntatem donantis. Tertiò, quia qui largitur stipendium certum, debet non exponi periculo non lucrandi totum satisfactorium fructum Sacrificij; exponitur autem ei periculo, quandoquidem non sit certa, sed solùm probabilis sententia de toto satisfactorio fructu Sacrificij æquè participato à pluribus, & a singulis, quando ex speciali intentione applicatur Missa pro eis.

8 Sed contra primam responsionem insurgitur primò, nam Sacrificij valor proueniens ex parte Christi est etiam finitus. Secundò, etsi finitus sit valor impetratorius proueniens ex parte Ecclesiæ, potest æquè prodesse multis, ac vni, si multis applicetur non minus, quàm vni; sicut Sol, quanquam virtutis finitæ sit, æquè illuminat plura diaphana, & alia obiecta sibi exposita, atque pauciora, si applicetur non minus pluribus, quàm paucioribus. Tertiò, impetratio ex parte Ecclesiæ, tam erit proficua multis, quàm vni, si pro multis in particulari, & speciatim oratio fiat inter sacrificãdum. Potestq; qui ex stipendio celebrat pro Petro, dicere orationes pro se, vel pro Paulo, si aliunde sit dies, in quo per regulas Missalis liceat multiplicare orationes vocales. Quartò, ratione stipendij non obligatur Sacerdos ad conferendum ei, pro quo celebrat, fructum prouenientem ex impetratione Ecclesiæ, alioqui qui nullam mentalem, vocalemque orationem faciens, sed applicans tantùm substantiam (vt ita loquar) Sacrificij, vel qui excommunicatus vitandus celebrat pro aliquo, non satisfaceret oneri stipendij accepti. Quintò, detrimẽtum deriuatum ex non applicata integrè impetratione Ecclesiæ pro eo, qui dedit stipendium, posset compensari magna deuotione Sacerdotis in celebrando, ratione cuius deuotionis sit ex opere operantis vtilior alteri Missa; posset etiam compensari per alia Ecclesiæ suffragia. Sextò, prudenter præsumetur, dantem stipendium velle, vt nõ obstante leui suo detrimẽto ob non applicatam sibi vnicè impetrationem Ecclesiæ, accrescat cæteris fidelibus adeò ingens, & pretiosum lucrum ex applicato

cato etiam ipsis specialiter fructu satisfactorio; vel si expressè renuat, erit irrationabiliter inuitus, præsertim cum tacitè velit, ne Missarum dicendarum ex stipendio pro alijs applicetur specialiter ipsi fructus satisfactorius. Vnde maximè sibi nocet, cum avarè sibi tantũ prodesse intendit per centum, aut mille Sacrificia, quandoquidem offerenda pro alijs in toto Christiano Orbe, & vsq; ad finem mundi non habeant in numero comparationem, vti non habet, quod est penè infinitum numero ad id, quod centesimo, aut millesimo continetur.

9 Contrà secundam responsionem obijcitur primò, nam qui confert stipendium Sacerdoti, vt pro se, vel pro defuncto sacrificet, non attendit ad id, an Sacerdos habeat, vel non habeat aliũde sustentationem, sed ad fructum comparabilem sibi, aut defuncto ex applicatione Missę, quã postulat. Hinc nonnin⁹ conferuntur stipendia Sacerdotibus diuitibus, quàm pauperibus, quando petitur, vt Sacerdotes diuites applicent Sacrum. Hinc die Natalis Domini cõfertur stipendium pro secunda, aut tertia Missa, etiamsi sciatur, Sacerdotem habere ex prima Missa stipendium ad sustentationem sui eo die, & ex prima, ac secunda duplo maius subsidium, vt eo die se alat. Si igitur æqualis fructus reportatur à cõferente stipendium, etiãsi Missa applicetur pro alio, qui largitus etiam sit stipendium, cur id erit contra voluntatem, & intentionem conferentis? Vel si sit, cur non putabitur inuit⁹ irrationabiliter? Non secus, ac esset, qui me cõduxisset ad laborandum in vinea, dedisset que mercedem ad sustentationem diurnam, si vellet, ne ab alio acciperem stipendium ad victum ob eleuãdam aliquoties interdiu vocem, qua deterream viatores, ne in proximam vineam ingrediãtur arrepturi racemos, quin eleuatio vocis inducat intermissionem aliquam in labore erga alteram vineam. Non secus etiam, ac esset irrationabiliter inuitus ille, qui vellet, vt procurator, cui sufficiens salarium soluit ad sui sustentationem in Curia Regia, vbi gerat eius negotia, non admitteret simul alia, ob quæ ab alio salarium accipiat, quin ex cura circa huius negotia damnum vllum, aut dispendium sequatur in negotijs alterius. Et quidem sicut qui in Curia Regia commoratur ex causa negotiorum proprio rum, potest ab alio committente ipsi sua reportare tantum salarium, quantum si de eis solis curaturus fuisset, dummodò occupatio in proprijs nihil incommodaret alienis; ita similiter discurrendum est de salario accepto ex duobus, quorum negotia ibidem susciperet, quin vnus subiret quidpiam damni ob curam de alterius. Etenim valor curæ de tuis non decrescit ex eo, quòd procurator tuus alienis Petri, & non suis attendat simul. Et ratio à priori est, quam disco ex Gaspare Hurtado D. 6. de Cõtractibus, diff. 9. scilicet quòd vna, & eadẽ opera possit pluribus prodesse æquè, ac vni soli præstita, non minuit valorem operæ secundùm se consideratæ respectu singulorum, quia ipsa vt sic non minus proficit singulis, quàm vni soli. Et hinc si eadem res vendibilis esset pluribus in solidum, liceret tanti vendere cuivis ex illis, quanti vni soli. Secundò, etsi Sacerdos applicans Sacrificium Missæ pro duobus, qui contribuerint integra duo stipendia, faciat illicitè, eo quòd non stet promissis expressè, vel tacitè de applicanda vnicuique sua Missa, quin simul applicetur pro alio; tamen non apparet, cur peccet contra iustitiam commutatiuam, & teneatur ad restitutionem, vt post Decreta de Celebratione Missarum debemus fateri. Nam si vterque comparat eundem fructum ex vna Missa, ac si pro eo solo fuisset oblata, nõ nascetur obligatio restitutionis ex iniusta acceptione stipendij, neque ex ipso stipendio accepto, neque item ex contractu. Non ex primo, neque ex secundo capite, quoniam contribuentibus stipendia, neque infertur vllum damnũ, neq; adimitur aliquod emolumentum spirituale, eo quod Missæ Sacrificium pro quolibet seorsim non applicetur. Non ex tertio capite, quia non videtur posse afferre restitutionis obligationem violatio contractus, quando neq; alteri infertur damnum aliquod spirituale, neque habet quid minus in bonis spiritualibus. Nec proderit dicere, Sacerdotem teneri ad restitutionem, quia retinendo vtrumque stipendium habet plus, quàm suum, & qui contribuerunt vtrumque stipendium, habent tantundem minus, quam suum; atque ideo obligatio restitutionis erit ex re accepta. Non, inquam, proderit, nam qui largi-

tur

tur stipendium, intendit priuare se illo emolumento, & in Sacerdotem transferre illius dominium, dispositionemq; liberam eo ex fine, vt Sacerdos applicet pro ipso Missam, & hæc ipsi prosit ex opere operato satisfactorio, quantũ prodesse possit. Atquì hunc finem consequitur, tametsi Sacerdos eandem Missam applicet pro alio, à quo acceperit stipendium. Ergo non est, cur Sacerdos ratione rei acceptę maneat obligatus ad restitutionem stipendij. Tertiò, saltem liceret Sacerdoti vnica Missa satisfacere conferenti stipem, & proprio voto, & promissioni simplici, qua se obstrinxerit alteri homini; atq; item liceret, Missam dictam ex obligatione stipendij pro Petro applicare non minus pro Paulo, & pro semetipso, quàm si à Petro nõ accepisset stipendium. Concedunt Cõsequentiam nõnulli ex Aduersarijs. Sed contrà, quia largiens stipendium, vel curat, vel non curat, vt Missa, quæ pro se applicatur, non applicetur specialiter pro alio? Si curat, & ad id vult ex iustitia obligare. Ergo peccabit contra iustitiam Sacerdos, si simul offerat specialiter Missam pro alio. Si non curat, neque vult ex iustitia ad id obligare. Ergo non peccabit contra iustitiam Sacerdos, si simul offerat specialiter Missam pro alio, qui donarit stipendium. Præterea qui Missam pro defuncto petit à Sacerdote, cui non conferat stipendium, intendit nõ minus applicationem specialem pro eo solo, quàm si contulisset stipendium, & Sacerdos promittens Missam intendit obligare se non minus ad applicationem specialem pro eo solo, quàm si accepisset stipendium, nisi aliud exprimat, aut innuat, quando promittit. Si negetur vna, & altera intentio in petente, & in Sacerdote promittente simpliciter, neganda etiam erit, quando petitur, & promittitur Missa sub cõditione onerosa stipendij. Opponit nonnulla ex his Cardinalis de Lugo D. 19. sect. 12. à num. 247. contra Vazquium. Sed ait Dicastillus Tract. 5. D. 3. Dub. 5. n. 118. se non videre, quid oppoſuerit Lugo contra Vazquez. Non potuisset Dicastillus dicere aliud, si cæcus esset. Vt autem Vazquium defendat, respondet, stipendium non dari pro Missa, nec pro eius fructu; esset enim hoc Simonia; sed pro occupatione, & labore; is autem vno stipendio compensatur. Cęterũ huiusmodi responsio haudquaquã Vazquij est, vt constabit legenti ipsum tum in D. 231. C. 5. n. 27. tũ in D. 234. C. 1. num. 1. imò neque debuit placere Dicastillo, qui D. 4. Dub. 26. à n. 321. impugnat docentes, titulum stipendij pro Missa esse laborem corporalem in ea celebranda. Addo, stare cum huiusmodi responsione, vt Missa offeratur specialiter pro donante stipendium, & pro omnibus alijs, quos Sacerdos voluerit; id autem licitum nõ esse, tradit expressis verbis Vazquez in illo num. 27. non enim solùm ait, illicitum esse reportare duo stipendia ratione vnius Missæ, sed etiam applicare specialiter pro duobus vnam Missam, ob quam dicendam vnus largitus est stipendium. Non desunt, qui respondeant cum Heredia Fernandez citato in n. 1. ideo præcisè non licere duplicis eleemosynę emolumentũ ob vnam Missam, quia Ecclesia prohibet; quicquid sit, an vna Missa applicata specialiter pro duobus tam proficua vtrilibet euadat, quàm si pro vno applicaretur tantùm. Sed contrà, tum quia intentio Ecclesiæ videtur esse, vt dentur speciales applicationes Missarũ pro vnis personis potiùs, quã pro alijs iuxta varias circumstantias, vt pro proximè defuncto potiùs, quã pro alio iam remotè mortuo, aut quã pro alio viuo; si autem aliquando hanc habet intentionem, maximè quando personæ largiuntur stipendium. Tum quia prohibitionis Ecclesiæ, & cum onere restituendi eisdem ipsis, à quibus Sacerdos pitãtias (vt vocant) accepit, ne sit merè spontanea, & voluntaria, debet assignari aliqua ratio motiua; nulla autem alia facilè assignabitur, nisi quia tribuens stipem fraudatur parte satisfactorij fructus percipiendi ex Missa, si hæc pro eo solo nõ applicetur specialiter; sicut ob eandem rationem vetat Ecclesia, ne Sacerdos offerat vnam solummodò Missam specialiter pro defuncto, aut pro viuo, qui multa donat stipendia ad complures Missas. Dices, rationem motiuam Ecclesiæ esse, ne decrescat diuinus cultus raritate Missarum. Sed impugnaberis, nam eam ob causam non maneret obnoxius restitutioni Sacerdos, qui duplicatum stipendium vna ex Missa adquisijsset, vt non manet, qui nullo accepto stipendio facit Sacrum, vel non nisi semel, aut iterùm in anno. Et præterea

vnde

vnde nam teneretur restituere, qui singulis diebus diuina hostia litaret, sed ob vnamquamq; Missam deferret mille stipendia? Insuper fideles vix solent curare de augmento diuini cultus per frequentatam celebrationem Missæ, præsertim quando conferunt eleemosynas manuales, vt pro se, vel pro suis defunctis offerantur Sacrificia; quod enim eos mouet, est fructus satisfactorius exinde comparabilis.

10 Contra tertiam Vazquij responsionem facit primò, quòd si probabile sit, imò & probabiliùs (vti aiunt Vazquez, & assecłæ) quanquam non tutius, vt vna Missa oblata pro duobus prosit eis æquè, ac si pro quolibet solo offerretur, nihil causę est, cur Sacerdos, qui acceperit ab eis duo stipendia, non posset tutè in conscientia conformare se illi opinioni, & vnica Missa oblata specialiter pro duobus putare probabiliter à se satisfactum obligationi vtriusque stipendij: nam neque vniuersim in materia iustitiæ, neque in hac particulari tenemur sequi certas, & indubitatas sententias quoad satisfaciendum oneri ex accepto stipēdio; sed licitè possumus amplecti opiniones probabiles re ipsa, tametsi securiores non sint. Tutius quidē est, si Capellanus, cui in fundatione Capellaniæ pingues redditus habentis sit præscripta quotidiana celebratio per se ipsum, non prætereat vllum diem sine celebratione; certumque est, satisfacere sic suæ obligationi ratione prouentuum Capellaniæ. At quia plures Authores probabiliter iudicant, satisfactum iri ei obligationi, quanuis aliquo, seu vno hebdomadæ die, causa honestatis, & deuotionis, Sacerdos non operetur Sacris, potest ipse conformare se probabili huic opinioni, imò & probabiliori, quàm oppositæ, etsi non securiori, putareque omnino excusatum se esse à restitutione stipendij, quod respondet omissæ Missæ. Et vt omittam alia exempla, si Sacerdos deberet non nisi certa solutione satisfacere certo stipendio, nec esset locus probabili solutioni, frustrà in hoc Tractatu examinarentur multæ quæstiones circa modum adimplendi obligationem ex stipendio natam, siquidem satis esset proponere modum certum, & tutiorem, admonereque Sacerdotes de illius solius eligibilitate. Facit secundò contra eandem responsionem, quòd opinio de tāta vtilitate Missæ respectu singulorum, si pro pluribus offeratur, quanta esset, si pro singulis seorsim applicaretur, non dependet ab eo, quòd Missa non dicatur, vel dicatur ex onere stipendij. Ergo si ex opinione hac potest licitè Sacerdos operari, quando celebrat sine onere stipendij, poterit etiam, quando sacrificat cum eius onere. Denique si tam commune est in vnoquoq; fidelium velle, vt cum dat stipendium, applicetur specialiter Sacrificium pro se dumtaxat, ne defraudetur parte fructus satisfactorij, certè inde infertur, impressam velut esse fidelium animis sententiam, quā propugnamus; & hoc ex titulo non parùm ea commendatur. Quòd si huiusmodi persuasio è scientia non est, cur Prælati Ecclesiæ monitis suis, & instructionib⁹ non euellunt ipsam ex fidelium mentibus.

11 Arguitur secundò, pro sententia negatiua ex authoritate Sācti Thomæ in 4. Dist. 45 q. 2. art. 4. quęstiuncula 2. in Corp. dicentis vniuersim de suffragijs Ecclesiæ, in quibus comprehendit Missam, vt ex toto contextu articuli perspicuum est, *Si consideretur*, (inquit) *valor suffragiorum, in quantùm sunt satisfactiones quædam per intentionem facientis translatæ in mortuos, tunc magis valet suffragium alicui, quod pro eo singulariter fit, quàm quod pro eo communiter fit, & multis alijs. Sic enim effectus suffragij diuiditur ex diuina iustitia inter eos, pro quibus suffragia fiunt.* Sic S. Thomas. Si respōdeatur, ipsum loqui de suffragio facto singulariter pro aliquo defuncto, dicereque, esse magis proficuum ei defuncto, si comparetur cum suffragio, quod fiat pro eo, & pro alijs ex generali, confusaq; intentione, non autem quod fiat ex speciali, & expressa pro eo, & pro alijs. Cum autem S. Doctor non comparet suffragium factum singulariter pro aliquo cū facto iuxta posteriorem modum, de quo nunc est sermo, sed cum facto iuxta priorem, frustrà adduci in fauorem sententiæ negatiuæ. Sed contrà primò, quia gratis restringitur S. Thomas, vt comparet suffragium factū singulariter pro aliquo cū solo illo suffragio, quod fiat pro eo, & pro alijs ex generali, & confusa intentione. Contrà secundò, quia S. Thomas agit de suffragio vt satisfactorio ex opere operato,

&

& vt proficuo ex iustitia, atque infallibiliter; minimè verò de suffragio, vt impetratorio. Ast suffragiũ vt satisfactoriũ si pro multis factũ ex speciali, & expressa intentione, prodest æquè singulis, ac si pro singulis seorsim fieret, proderit non minus factum ex generali, & confusa, vt constabit inferiùs.

12 Arguitur tertiò, quia si Sacrificium Missæ tam vtile esset singulis, quando applicatur pro multis, quàm esset, si pro singulis seorsim offerretur, damnari deberet consuetudo, praxisq; Ecclesiæ vniuersæ in quotidiana celebratione Missarum pro singularibus personis viuis, aut defunctis. Nam si eadem Missa applicata pro omnibus fidelibus defunctis, vt fit in die Commemorationis omnium eorum, non minus prodest Petro defuncto, quàm quando pro hoc solo applicatur, conforme charitati non est, sed potiùs contrarium, applicare in particulari, atque specialiter Missam pro Petro defuncto; & non in communi, atque generaliter pro omnibus fidelibus defunctis, quandoquidem charitas obliget, vt præstemus proximis indigentibus auxilium, quoties possumus sine vllo nostro detrimento, & sine vllo dispẽdio vnius proximi ob præstitum alteri auxiliũ. Quis non diceret, me peccare contra charitatem, si quo tempore iniecta manu detineo Petrum, ne cadat in præcipitium, aut in ardentem rogum, non etiam detineam Paulum, cum possim æquali facilitate absque vllo meo damno, & absque periculo non seruandi Petrum, cui sim magis obligatus, eoquòd sit meus pater? Hinc qui conferunt stipendium pro Missa, voluntque obligare Sacerdotem, vt eam pro ipsis solis offerat, peccarẽt etiam contrà charitatẽ. Quod quã sit absurdũ, nemo nõ cernit.

13 Arguitur quartò, quia ex opposita opinione sequitur, inutilem esse, & frustraneã fidelium solicitudinem antiquissimam circa plurium Missarum pro se in singulari celebrationem, nam si vna Missa oblata pro multis prodest æquè illis, ac vna oblata pro vno, & alia pro altero, cur tot Missarum pro personis singularibus expetitur celebratio, & non potiùs vt omnium celebratio sit pro omnibus fidelibus viuis, atq; defunctis? Cur eleemosynę manuales in tanta quantitate dantur? Cur in tanto numero instituuntur Capellaniæ eo ex motiuo, vt Missę dicantur singulariter pro dantib⁹ eleemosynas manuales, & pro Capellaniarum fundatoribus? Respondet Caietanus transcriptus in Sectione 1. han esse ignorantiam. Sed ego mallẽ ignorare cum communi fidelium ab origine Ecclesiæ Christianæ, quàm sapere nouiter, & singulariter cũ solo Caietano. Vt sileam, ab Ecclesia, à Concilijs, & Summis Pontificibus approbari fundationes illas Capellaniarum. Et vlteriùs rogo, cur tot Missæ celebrantur ex fine comparandi satisfactorij fructus iam huic, iam illi personę viuę, aut defunctæ? Sufficeret enim vna Missa ad eundem fructum ipsis comparandum, qui per tot Missas intenditur. P. Salmeron suprà pag. 338. tomi 9. premit grauissimè hoc argumẽtum his verbis, *Si infinita virtus satisfaciendi inest cuilibet Missæ Sacrificio, dotationes Ecclesiarum, & Monasteriorum institutiones, Capellaniarum, vel altarium ad certum Missarum numerum Sacerdotes ipsos obligantes, vanæ prorsus, & inanes existerent; & Ecclesia non prohibens eiusmodi fundationes errasset in Dei cultu perniciosè, si vna Missa possunt omnia omnium viuentium, & defunctorum peccata expiari. Vanum ergo esset, tot Missas ob eam causam procurare; & contra charitatem esset, Missas, quæ omnibus ex æquo prodesse possunt, debitaque omnia extinguere, sibi solis assignare, atque applicare. Quæ cum absurda sint, & falsa, constat, fructum Sacrificij esse finitũ.* Tantùm Salmeron, qui in verbis postremis attingit argumentum, quod nos tusiori calamo expendimus tertio loco. Prosequitur idẽ Salmeron adijciens põdus argumento, quod nos primo loco attulimus; aitque, *Si vera esset sententia, quam impugnamus, posset Sacerdos vna Missa multis petentibus, & erogantibus eleemosynas satisfacere, & bona conscientia oblata stipendia acceptare. Si enim fructus Sacrificij infinitus existit, nihil primo, cui promissa est Missa, tollitur per hoc, quòd pro tribus alijs etiam offerat, vel pro trecẽtis, vel pro tribus millibus, quia infinitus valor nũquã exhaurietur. Quæ si vera sunt, ingens fenestra cupiditatis, & auaritiæ aperiretur Sacerdotib⁹, innumeras enim pro vno Sacrificio captaret eleemosynas; daretur etiã occasio illis otiãdi, postquã vna Missa celebrata pro multis fidẽ suã liberare possent. Adhæc: vbi ista populo essent comperta, redderetur minus pius ad*

Missæ Sacrificia expetenda, & eleemosynas erogandas, vt qui probè intelligerent, vno Sacrificio cuncta debita extingui. Et ita in caput ipsorum Sacerdotum auaritiæ studentium recideret hæc opinio, nam breui ad summam redigerentur paupertatem, ac mendicitatem. Tenderet præterà hæc opinio ad defraudãdas pias mentes, & voluntates eorum, quific instituerunt Capellanias, vel altaria, in quibus quotidie offerretur pro illis iuge Sacrificium. Hactenus Salmeron.

14 Arguitur quintò ex alio absurdo ineuitabili in opposita sententia, quòd scilicet duabus animabus Purgatorij non magis proficuæ sint duę Missæ, quarum vna celebretur specialiter pro vna, & alia pro alia, quàm si pro vna, & alia celebretur specialiter vnica Missa. Id autẽ est (ni fallor) contra communem fidelium sensum, nam si Antonius v.g. amiserit patrem, & pro eo defuncto curet de Missæ suffragio, non quiescet, si Ioannes dicat, se moniturum suũ Capellanum, vt pro Antonij patre applicet simul Missam, quã aliàs deberet offerre pro Ioannis patre. Ideo verò non quiescet Antonius, quia communis fidelium persuasio est, Missam specialiter applicatam pro vna sola Purgatorij anima fructuosiorem esse illi, quã si offeratur specialiter pro ea, & pro alia. Vbi obiter noto aliud absurdum consectarium ex cõtraria sententia, nimirùm vt non deberet hæres tradere eleemosynã in testamento relictam à testatore pro Missis, si inueniat amicum, qui Capellano suo iniungat applicationem celebrandarum Missarum pro testatore defuncto faciẽdam simul cum applicatione, ad quã tenetur ex fundatione Capellaniæ. Etenim in hoc casu retentio stipendij ab hærede non esset nociua defuncto, siquidẽ hic consequeretur eandem omnino vtilitatem ex Missis, ac si pro ipso solo offerrentur specialiter; & Capellanus careret iure, vt sibi traderetur stipendiũ; suppono enim habere iam ex Capellaniæ redditibus competentem summam pro omnibus Missis, quas celebret; & ille, qui Capellano commendaret applicationem Missarum pro defuncto testatore, expers etiam iuris esset ad stipendium. Vnde aperiretur via, vt hæredes tuta conscientia retinerẽt sibi pecunias debitas expendi in suffragijs Missarum pro testatoribus defunctis.

15 Arguitur sextò, si vnum Sacrum oblatum specialiter pro duobus causat in singulis remissionem pœnę vt quatuor v.g. quam etiã causaret, si pro vno solo ex eis offerretur, consequens est, vt oblatum pro vno solo operetur in ipso remissionẽ pœnè nõ modò vt quatuor, sed etiam vt octo. Atqui hoc Cõsequens est falsum, alioquin vanè pro vna persona siue viuente, siue mortua dicerentur plures Missæ, quandoquidẽ per vnicam Missam posset consequi remissionem maioris, & maioris pœnę sine fine, non secus ac posset per plures, & plures sine termino; quæ si applicarentur pro pluribus, & pluribus in infinitum personis, efficerent in eis maioris, & maioris pœnæ sine fine remissionem. Ergo & Antecedens est falsum. Probatur Maior, nam si Sacrificium vnum pollet virtute ad octo gradus satisfactionis diuisim in duobus subiectis, quidni etiam coniunctim in eodem subiecto? Præsertim si Sacerdos applicet specialiter pro se solo Sacrum. Videturque incredibile, vt quot gradus satisfactionis possunt virtute Sacrificij causari in alijs, pro quibus à Sacerdote offeratur specialiter, non possint causari in ipsomet Sacerdote, si pro se solo offerat specialiter illud. Si respondeatur per instantiam inigne, qui non potest producere tot gradus caloris in vno subiecto, quot in diuersis, neque tot in se, quot in alijs passis. Si item addatur alia instantia ex Sacramento Eucharistiæ causaturo maiorem gratiam in multis, à quibus idem numero susciperetur, quàm in vno. Exhibebimus manifestam disparitatem, quando eamus obuiàm argumẽtis affirmatiuæ opinionis.

16 Arguitur septimò exindè, quòd Missa oblata pro pluribus in generali minorem fructum satisfactoriũ eis importat ex opere operato, quàm si pro pluribus distinctè, vel pro vno ex eis offerretur. Ergo etiam importabit minorem, si pro pluribus etiam distinctè offeratur, quàm si pro vno tantùm ex eis offerretur specialiter. Consequẽtia legitima videtur, quia per id, quòd Missa offeratur etiam distinctè pro pluribus, fit generalis illis, & non omnino specialis vni. Antecedens probatur primò ex Concilio Constantiensi Sess. 8. damnante articulum hunc 19. Ioannis Vuicleff, *Speciales orationes applicatæ vni personæ per Prælatos, vel Religiosos,*

non

non plus prosunt eidem, quàm generales, cæteris paribus. Circa quem articulum obseruo primò, perinde esse orationes speciales applicari vni personæ, ac duabus, tribusve, adeòq; pluribus. Obseruo secundò, eandē esse de Missa, ac de orationibus rationem quoad specialem applicationē, & quoad id, vt Missa specialiter applicata prosit satisfactoriè ex opere operato, acq; prodest impetratoriè oratio ex opere operantis. Probatur secūdò ex Concilio Tridentino Sess. 25. Decreto de Reformatione C. 4. in cuius fine iubet, vt quando Missarum numerus ex variis defunctorum relictis impositus Ecclesijs reducatur ad minorem, fiat in Missis *Commemoratio eorum defunctorum, qui pro suarum animarum salute legata ea ad pios vsus reliquerūt*; quam distinctā commemorationē non præciperet, nisi eius ratione forent Missę fructuosiores quātùm ad satisfactionē ex opere operato, quàm ratione confusæ, & generalis commemorationis factæ in omnibus Missis pro omnibus defunctis. Sed hinc aliquis arripiet contrà nos arma, & dicet, Concilium iubet, fieri in vna Missa commemorationē defunctorum quatuor v. g. pro quibus celebrandæ essent quatuor Missę, si supperterent redditus initio relicti. Ergo quia censuit, Missam oblatā specialiter pro quatuor prodesse singulis tantundem, quantum si pro singulis solummodò offerretur; quanquā voluerit, ne cuiuis liceret is compensationis modus nisi de Episcopi in Synodo Diœcesana, vel de Prælati Regularis in Generali Capitulo consensu. Nego consequentiam, nam Concilium non censuit illud, quod infertur; sed plus profuturā Missam, si fieret specialis commemoratio, quàm si non fieret. Voluit igitur, vt casù quo non possent dici quatuor Missæ, diceretur vna, quæ specialiter applicaretur pro quatuor defunctis, sic enim si non integrum, tātumq; fructum, quātum ex quatuor Missis, saltem maiorē reportarent defuncti illi, quàm si nulla de ipsis specialis commemoratio fieret in Missis, sed sola generalis cōmunisq; defunctis omnibus. Redeo ad probandā Maiorem. Et probo eam tertiò, nam Ecclesia vltrà applicationem, quæ in generali, & confuso fit in omnibus Missis pro defunctis, designauit applicationem aliā distinctiorē pro eisdem, vt patet ex Missa, quæ celebratur in die Commemorationis omnium defunctorum. Ergo quia hæc distinctior applicatio fructuosior est, quàm generalis illa, & confusa; alioqui frustrà instituta esset Missa præfata, cum in reliquis Missis fiat pro defunctis applicatio ex Ecclesiæ iussu. Si respondeas, institutam esse præfatā Missam, vt ex opere operantis sit magis vtilis defūctis. Contrà, quia inde sequitur, Missā de die Commemorationis omnium defunctorum celebratam à Sacerdote peccatore non magis profuturam absolutè omnibus defunctis, quàm aliam quamcumq; Missam, quādoquidē in quacūq; alia fiat applicatio pro eis omnibus. Sequeretur etiam, Sacerdotem, qui reciperet stipendium, vt celebraret Missam de die Commemorationis omnium defunctorum, non satisfacturum oneri stipendij, nisi sacrificaret in gratia. Si rursus respondeas, institutam esse illam Missam præfatam, vt ratione plurium orationum Ecclesiæ pro omnibus defunctis sit magis proficua eis omnibus. Contrà, tum quia consequens inde esset, vt ea Missa celebrata à Sacerdote excommunicato vitando non afferret absolutè maiorem fructum omnibus defunctis, quàm singulæ aliæ; & vt Sacerdos excommunicatus vitandus non satisfaceret oneri stipendij, provt proximè argumentabamur de Sacerdote peccatore. Tum quia recepta persuasio est, Missam de die Commemorationis omnium defunctorum vtiliorem esse ex opere operato defunctis quoad satisfactionem, quàm vnamquamque aliam continentem applicationis pro defunctis in generali, & confuso. Si iterùm respondeas, institutam esse præfatam illā Missam, vt ob defectum specialis applicationis pro persona aliqua in particulari residuus sit maior satisfactorius fructus diuidendus, aut multiplicanduis in omnibus defunctis. Contrà primò, quia etsi prędicta Missa applicetur tum pro omnibus defunctis, tum pro persona aliqua in particulari, erit adhuc magis fructuosa omnibus defunctis, quàm alia ordinaria applicata pro eadem persona, & continens generalem, confusamque applicationem pro omnibus defunctis. Contrà secundò, quia etsi Sacerdos non applicet ordinariam Missam pro persona aliqua in particulari, erit adhuc hæc Missa minoris emolumenti respectu omnium defunctorum, quàm

præfata illa die Cõmemorationis defũctorum omnium. Et à priori ratio est, quia simul probatur quartò Maior superior. Nam quò causa est magis applicata, eò plùs operatur, si cætera sint paria. Ergo quò virtus Sacrificij per intentionem Sacerdotis magis applicatur personis, pro quibus offertur, eò maiorem causat in eis fructum. Sed virtus Sacrificij magis applicatur pluribus, vel vni ex eis per intentionem distinctã, & specialem, quam per confusam, & generalem. Ergo, &c.

17 Inquiet quis primò, applicatio distinctior vel causat maiorem fructum, quia oriatur ex ingentiori deuotione Sacerdotis, vel quia Sacerdos ita velit? Non id secundum, quoniam omnis Sacerdos secundùm rectam rationem potiùs vellet, tam prodesse Missam illis, pro quibus generaliter, & confusè offert, quàm si pro eis distinctè, vel pro vno ex eis offerret specialiter. Non illud primum, nam etsi Sacerdos sit in peccato, fructuosior erit Missa oblata distinctè pro pluribus, vel pro vno ex eis, quàm oblata confusè, & generaliter. Et hinc opponet quis secundò, Sacrificij fructus non limitatur ex deuotione, aut dispositione Sacerdotis, sed eorum, pro quibus offertur, quando fructus est ex opere operato. Ergo suppositâ qualicumq; applicatione Sacrificij per Sacerdotem facta, & æquali deuotione, ac dispositione in personis, quibus applicetur Sacrificium, causabitur æqualis fructus, siue applicatio Sacerdotis sit cõfusa, & generalis, siue distincta, & specialis; sicut eo ipso quòd Minister Sacramenti qualicumq; modo applicet illud, producitur ex opere operato fructus æqualis in subiectis çqualiter deuotis, & dispositis. Opponet tertiò, quoniã eadem ratione inter eos, pro quibus Sacerdos distinctè, & specialiter offert Sacrificium, posset pro libito applicare vni maiorem fructum, quàm alteri, etsi sit vterque æquè deuotus, atq; dispositus. Obijciet quartò, nã difficile est declarare, in quo consistat offerre distinctè, specialiterq; pro aliquibus, & confusè, generaliterq; pro alijs. Si enim primo modo offertur pro his, qui nominantur. Ergo omnes Missæ dicuntur specialiter pro Papa, pro Antistite, pro Rege, qui nominantur in Missa; quod est falsum, quandoquidem maiorem fructum percipiat Rex per Missam, si ipse iubeat, vt pro se offeratur, quàm per Missam quãlibet aliam quotidianam. Si autem primo modo offerre, est speciali intentione velle pro aliquibus dicere Missam, posset Sacerdos applicare specialiter omnes Missas pro omnibus hominibus, offerendo distinctè, et in speciali pro singulis à se notis, & pro singulis alijs, pro vtà Deo distinctè, & in speciali cognoscerẽtur; imò par esset, sic offerre semper, vt omnes, & singulæ Missæ essent fructuosiores omnibus, & singulis hominibus; imò dum Sacerdos non exprimeret contrarium, præsumeretur prudenter, talem concipere applicationem.

18 Ad primum dico, applicationem distinctiorem causare maiorem fructũ, quia ex potestate à Christo tradita Sacerdos vult; & vult eo ipso, quod applicatio sit distinctior. Vnde quãdo est confusior, & generalior, non vult Sacerdos causare tantum fructum, nec posset velle nisi implicatoriè, præsertim si simul applicet distinctè, & specialiter Missam pro alijs, vult namque hos participare magis de Sacrificij fructu. Ad secundum dico, sicut quilque potest suæ bonæ actionis fructum applicare cui voluerit, & in gradu, quo voluerit, ita posse Sacerdotem circa Sacrificij fructum ex opere operato. Et ratio à priori est, quia Sacrificium consistit in actione à Sacerdote facta, cui Christus annexuit fructum causandum ex opere operato. Atque hinc patet disparitas ad Ministrum Sacramenti, nam hoc causat suum effectum non per actionem Ministri, sed per passionem sui (vt ita loquar) aut per susceptionem tenentem se ex parte eius, cui Sacramentum ministratur. Præterea Sacrificium, & eius effectus dependet à Sacerdote tum intendente conficere Sacrificium, tum intendente applicare eius effectum; potestque Sacerdos intendere primũ, quin intendat secundum, & casu quo non intendat secundum, saluabitur essentia Sacrificij sine vllo in alijs effectu. Ast effectus Sacramenti non pendet à posteriori intentione Ministri, nã si hic conficiat Sacramentum transiens, simulque ministret, vel præcisè ministret Sacramentũ permanens, subsequetur effectus, quamuis Minister non intendat, imo quamuis expresse intendat contrarium. Ad ter-

tium

tium dico, verum esse quod infertur, si Sacerdos magis distinctè, & specialiori modo offerat pro vna, quã pro alia persona. Ad quartum dico, non esse opus ad oblationem distinctã, & specialem pro aliquibus personis, vt illæ nominẽtur à Sacerdote, sed vt mente concipiãtur siue à Sacerdote, siue ab alio, in cuius intentionem referat suã Sacerdos; & quãuis id sit necessariũ, attamen non est sufficiens ad prefatam oblationem, sed vlteriùs requiritur, vt Sacerdos velit formaliter, vel virtualiter applicare ipsis fructum respondentem Sacrificio secũdùm se, seu quatenus Sacrificium est à Christo vt principali offerente, & à Sacerdote vt à Ministro offerente in persona, & nomine Christi; requiritur pretereà, vt velit formaliter, vel virtualiter applicare maiorem fructum eis, quàm alijs, pro quibus quotidianę Missę offeruntur ex institutione, præceptoq; Ecclesiæ; & ad id volẽdum formaliter, vel virtualiter tenetur Sacerdos, quãdo pro aliquibus, vel pro aliquo celebrat Missam ex obligatione iustitię, aut altetius virtutis. Hinc quotidianę Missę non offeruntur specialiter pro omnibus fidelibus viuis, & defunctis, neq; item pro Papa, Antistite, Rege, tametsi ipsis conferatur fructus ex opere operato Sacrificij ob generalem oblationem, quam faciat Sacerdos conformans se institutioni, & iussui Ecclesiæ, quia scilicet neq; formaliter, neq; virtualiter vult Sacerdos applicare ipsis tantum fructum, quantũ alijs, pro quibus vult, aut debet celebra respecialiter. Quanuisverò possit absolutè, si velit Sacerdos, applicare specialiter omnes Missas modo dicto in fine obiectionis, noluit Ecclesia obligare eũ ad talẽ modum specialis oblationis pro omnib⁹ omnino hominibus viuis, & defunctis, tum quia non expediebat, coarctari ad modum illum potestatẽ, quam ex Christo acceptam habet Sacerdos ad quemcumque alium modum oblationis; tum quia si ex omnibus Missis ob illum modum oblationis deberet æqualis fructus resultare in omnes, remitteretur solicitudo fidelium in procuranda celebratione Missarum. Plenior obiectionis quartæ, & trium aliarum solutio ex Disputationib⁹ sequentibus habebitur.

SECTIO III.

Enodantur argumenta sententiæ affirmatiuæ.

19 AD primum propositum in n. 2. respondeo, verba illa C. *Non mediocriter* non inueniri in S. Hieronymi operibus. Sed cuiuscumque sint, oportet, maiori ex parte trãscribere eum Canonem, vt germanum sensum eliciamus. Ait igitur S. Hieronymus, si credim⁹ Gratiano, *Non mediocriter errãt, qui bono magno præferunt mediocre bonum. Nonne rationabilis homo dignitatem amittit, qui vel ieiunium charitati aut vigilias præfert sensus integritati: vt propter abstinentiam immoderatam, atq; indiscretam Psalmorum, vel Officiorum decantationem, aut amẽtiæ, aut tristitiæ notam incurrat? Nunquid verborum multitudine flecti Deus, vt homo, potest? Non enim verbis tantùm, sed corde orandus est Deus. Qua propter melior est quinque Psalmorum decantatio cum cordis puritate, ac serenitate, ac spirituali hilaritate, quàm totius Psalterij modulatio cum anxietate cordis, atq; tristitia. Cum igitur pro cunctis animab⁹ Psalmus, vel Missa dicitur, nihilminus, quã si pro vno quolibet ipsorũ diceretur, accipitur.* Sic ibi. Verba illa *Quapropter* vsq; ad *Cum igitur* excluiuè leguntur in Monachorum regula, quam ex S. Hieronymi scriptis contexuit Lupus de Oliueto, C. de Contẽplatione, oratione, & lectione. Verba autem illa *Cum igitur*, &c. tã ab Aduersarijs, quã à nobis debent explicari, quatenus nec ipsis, nec nobis sint primo aspectu contraria, nam Psalmus, de quo Author loquitur æqualiter, ac de Missa, non habet valorem infinitum quoad sufficientiam, neque vim satisfactoriam ex opere operato, vti iuxta Aduersarios habet Missa; neque vnus Psalmus tam prodest ex opere operantis singulis ex multis, pro quibus offeratur, quàm si pro vno solo offerretur; cum tamen in verbis illis non fiat distinctio inter opus operatum, & opus operantis siue Psalmi, siue Missæ: neque item negari valet ab Aduersarijs, posse vnum Psalmum dictum specialiter pro vna anima esse magis ei proficuum impetratoriè, quam si pro ea, & alijs nonaginta nouem, aut pro alijs omnibus generaliter dicatur,

nisi cum Vuicleffo sentire vellnt. Quapropter quadruplex interpretatio adhiberi potest illis verbis; prima, Psalmum, aut Missam oblatam pro centum, aut pro omnibus habere in se in actu primo eandem vim impetratoriam pro singulis, quàm si pro quolibet seorsim offerretur, quanuis non debeat habere actu, aut nunquam habeat eandem impetrationem. Secunda, ei, qui recitat vnum Psalmum, vel celebrat vnam Missam pro centum, vel pro omnibus animabꝰ, non minus prodesse meritoriè, & satisfactoriè, sed fortè magis actionē illam, quàm si recitaret, vel celebraret pro vna sola. Tertia, & conformior cotextui, nihil minus accipi meriti, & satisfactionis à cantante, aut submissè dicente Psalmum vnum, vel Missam cum cordis puritate, serenitate, hilaritateque spirituali pro centum, aut pro omnibus animabus, quàm à cantante, aut submissè dicēte cum anxietate cordis, atq; tristitia singulos Psalmos, vel Missas pro singulis. Quæ doctrina deseruiebat ad consolationem Monachorū, qui sine detrimento capitis, & fastidio mentis non poterant decantare in die totum Psalterium, vel tępe in die repetere totius illius modulationem, vt aliqui faciebant cum graui salutis corporalis damno, & cum amentiæ nota. Interpretatio quarta sit, nomine *Missæ* non intelligi ibi Sacrificium Eucharisticum, sed quendam Psalmorum, qui recitabantur, vel canebantur à Monachis, numerum. Traxit me in istam mentem S. Isidorus, cuius in Regula Monachorum Cap. 6. hæc iunt verba, *In quotidianis Officijs Vigiliarum primùm tres Psalmi Canonici recitandi sunt, deinde tres Missæ Psalmorum, quarta Canticorum, quinta Matutinorum Officiorum. In Dominicis verò diebus, vel festiuitatibus Martyrum, solemnitatis causa, singulæ superadyciendæ sunt Missæ.* Ita S Isidorus. Et quidem hinc apparet apta connexio verborum illorū *Psalmus, vel Missa dicitur.* Vt taceam, apud Monachos veteres videri minus ad rem exēplum Missę pro Sacrificio Eucharistico, nā (vt probatur ex C. *A Subdiacono* 5. Dist. 93. ex C. *Interdicimus*, ex C. *Iuxta* 16. q. 1. illustrantibus Cujacio in Nouella 5. Iustiniani, Quintanaduenas L. 3. Ecclesiasticòn, Hieron. Bignonio in notis ad Marculphum L. 1. Cap. 2 Rauselio in Iuris Pontificij Historia L. 1. Cap. 5. n. 3. Benedicto Haesteno in S. Benedicti vita, prologomeno 18. §. 3. Alardo Gazæo ad C. 30. L. 4. Calsiani de Institutis Cœnobiorū, aliisque, quos subticeo) plerumque Monachi non solebant esse Sacerdotes, nec proinde sacrificare. Egi iam de voce *Missæ* in D. 2. sect. 1. De qua vltrà ibi citatos videantur Maximilianus Sandæus in Grammatico profano, Commentatione 13. ex n. 12. Iacobus Gretserus in L. cui titulus *Murices*, C. 13. Iosephus Vicecomes L. 1. de Missæ ritibus ex C. 1. vsque ad 5. Alardus Gazæus ad C. 7. L. 2. Calsiani de Cœnobiorum Institutis.

20 Ad secundum dico, S. Thomā significare quidem, inesse Sacrificio Missæ valorem infinitum quoad sufficiētiam, vt ex opere operato remittere possit quantamcumque pœnam siue in vna, siue in pluribus, imò & in omnibus personis, pro quibus offerri queat; & de valore quoad efficaciam docere, attēperari illum deuotioni earundem personarum; ast quòd, si intentione æquali offeratur pro duabus æqualiter deuotis, causet ex opere operato in vna, & altera tantum fructum satisfactorium, quantum si pro qualibet seorsim offerretur, S. Thomam minimè innuere. Sed si innuat, respondet Nauarrus L. 3. Cōsiliorū in tit. 41. de Celebratione Missarum, Consilio 7. n. 2. *S. Thomam non recipi communiter in hoc, & ipsum Ecclesiæ habere contrarium.* Atque adeò in Consilio proximè antecedenti, n. 2. vocat nostrā sententiam *piam, certam, ac verissimam.* Ad tertium dico, Vualafridi sensum esse obscurum; viderique velle solummodò, non opus esse, vt in Missa multiplicentur Collectę, seu Orationes ad numerum eorum, quibus Sacrificium applicatur à Sacerdote, proderit enim æquè, etiamsi in vna, vel in paucis Collectis oretur pro multò pluribus personis nominatis in particulari, vel in communi. Ad quartum dico, videri intelligēdum Arnulphum de fructu impetrationis.

21 Ad quintum respondeo primò, Sacrificium incruentum non esse valoris infiniti quoad sufficientiam, sicut fuit cruentum. Secundo, neutrum esse valoris infiniti quoad efficaciam intensiuam; & quanuis quoad extensiuam fuerit valoris infiniti Sacrificium cruentum, quatenus æqualiter proficiat

ciat pluribus, ac vni, si æqualiter applicetur per Sacramẽta, & per media alia; attamen Sacrificium incruentum non conuenire in ea efficacia extensiua cum cruento, ostendunt argumenta, quibus nostram probauimus sententiam. Et cũcti debent fateri, non conuenire in omnibus, nam incruentum reiterabile est, non verò cruentum; vt taceam complura, in quibus discordant. Ad sextum respondeo, mensuram fructus Sacrificij non solùm desumi ex eorum, pro quib⁹ offertur, deuotione, sed etiam ex numero. Ad septimum approbo responsionem ibi datam. Et ad huius primã impugnationẽ dico, ideo Sacrificiũ nõ operari æquè in plurib⁹, ac in vno, quia non æquè pro plurib⁹, ac pro vno applicari potest. Ad secundã impugnationem dico, licet in casu eiusdẽ hostiæ consecratę susceptæ à pluribus Sacramentũ esset vnum numero, sumptiones tamen fore numero distinctas, & proinde ad earum multiplicationem sequi parem aliam in effectu. Vnde diuersa est ratio de Sacrificio oblato pro pluribus, nam oblatio non multiplicatur, sed tam vnica est, quàm si Sacrificium offerretur pro vno solo; & ideo deest origo multiplicitatis in fructu.

22 Ad octauum respondeo, fructum Sacrificij non esse indiuisibilẽ integraliter, sicut est Deus, Angelus, & animus rationalis; quare etsi hi existant toti in toto, & toti in quauis parte loci ob sui indiuisibilitatem integralẽ, minimè idem sequi de fructu illo, neque quòd totus communicetur multis, & totus singulis, cum sit integraliter diuisibilis. Addo, si ob rationem boni spiritualis, seu pertinentis ad salutem animæ fructus Sacrificij deberet communicari modo dicto, fore, vt id ipsum esset affirmandum de quocumque bono spirituali causato per quamcumq; aliã rem: quæ sequela est absurdissima. Ad nonum, prout continet exemplum candelæ illuminantis omnes, qui simul cõmorantur, & non minus, quàm si vnus solus ibi existeret, dici potest ex S. Thoma in 4. Dist. 45. q. 2. art. 4. quæstiuncula 1. ad 1. *Suffragia prosunt per modum luminis, in quantùm à mortuis acceptantur, & ex hoc quandam consolationem recipiunt, & tantò maiorem, quantò maiori charitate sunt præditi; sed in quantum suffragia sunt quædam satisfactio per intentionem facientis translata in alterum, non sunt similia lumini, sed magis solutioni alicuius debiti: non autẽ est necesse, vt si debitũ pro vno soluitur, quòd ex hoc aliorum debitum soluatur.* Ita Sanctus Thomas, loquens de suffragijs pro mortuis, vt in suffragijs etiam comprehenditur Missa, prout liquet ex toto contextu articuli: & loquens contra Præpositiuum Presbyterum Leodiensem, qui opinionem affirmatiuã docuit ante Caietanũ, vt videre est apud Ioãnem de Medina Codice de Oratione, titulo de valore orationis pro multis fusæ; in cuius fine inquit, opinionem illam esse vel falsam, vel incertam, ne dicat temerariam. Igitur S. Thomas assignat discrimen inter candelam, & suffragium, quatenus hoc ad remissionẽ pœnæ iuvat per modum solutionis debiti. *Si autem sint decem debitores, quorum quilibet debet decem, & Petrus soluat decem creditori; certè hoc cedet in solutum ex iustitia pro vno tantũ adæquatè, & si pro multis, opus est, vt per singulos solutio diuidatur.* Quæ sunt verba doctissimi Ioannis de Medina. Fatetur tamen simul S. Thomas, conuenire in eo candelam, & suffragium oblatum pro multis vinculo charitatis vnitis, quòd hi non minus gaudium concipiunt de diuiso fructu in pluribus, quàm si singuli totum fructũ compararent; estque gaudium tantò maius, quantò maior est charitas, vnde illud nascitur. Sed vt omnino calleatur mens S. Doctoris, appono eius verba integra, quę extant in Corpore quęstiunculæ 1. *Valor suffragiorum potest pensari ex duobus. Valent enim vno modo ex virtute charitatis, quæ facit omnia bona communia; & secundùm hoc verum est, quòd magis valent ei, qui magis charitate est plenus, quãuis pro eo specialiter non fiant: & sic valor suffragiorum attenditur magis secundùm quandam interiorem consolationem; secundùm quòd vnus in charitate existens de bonis alterius delectatur post mortem, quantùm ad diminutionem pœnæ: post mortem enim non est locus adquirendi gratiam, vel augmentandi, ad quod valent nobis in vita opera aliorum ex virtute charitatis. Alio modo suffragia valent ex hoc, quòd per intentionem vnius alteri applicantur, & sic satisfactio vnius alteri cõputatur. Et hoc modo non est dubiũ, quòd magis valent ei, pro quo fiunt; imò sic ei soli valent. Satisfactio enim propriè ad pœnæ dimissionem ordinatur. Vnde quantùm ad dimissionem pœnæ præcipuè valet suffragium*

ei,

ei, pro quo fit. Hactenus Angelicus Doctor, tractans eam quæstionem, an suffragia, quæ fiunt pro vno defuncto, non magis proficiant ei, pro quo fiunt, quã alijs defunctis, pro quibus vel nullo modo fiunt, vel solùm fiunt generaliter, & non specialiter? Cui quæstioni adnectit aliam, quæ est ipsamet, in qua nunc occupamur, num scilicet suffragia facta pro multis tantundem valeant singulis, ac si pro vno quoq; singulariter fierent? Et respondet negatiuè de fructu quoad satisfactionem, vt constat ex eius verbis exaratis in secundo nostro argumento; redditque S. Doctor discrimen ad alterum vocis, aut lectionis exemplũ contentum in nono Aduersariorum argumento; inquit enim ad 1. *Suffragia, vt sunt satisfactiones quædam, non prosunt per modum actionis, sicut doctrina tradita Magistri voce prodest; quæ, sicut & omnis alia actio, effectum habet secundùm dispositionem recipientis; sed valent per modum solutionis debiti:: & ideo non est simile.* Hæc Sanctꝰ Thomas.

23 Ex quibus sufficientissimè manet solutum nonum argumentũ. Sed adijcio ex Ioanne de Medina suprà, non valere exẽpla candelæ, & vocis, alioqui sicut etsi candela solùm accendatur ad illuminandum vnum, nõ minus illuminat reliquos adstantes, & vox doctrinę, etsi solùm dicatur ad docendum vnum, non minus docebuntur cæteri præsentes; ita Sacrificium Missæ valeret ęquè ad satisfactionem his, pro quibus non offertur, ac his, pro quibus ex intentione Sacerdotis offertur; quam sequelam non admittent Aduersarij. Et ideo tenentur fateri, fructum Sacrificij Missæ dependere ab intentione Sacerdotis, vt potiùs applicetur his personis, quàm illis ęqualiter aptis, atque approximatis; in quo valde differt causandi modꝰ, Sacrificio Missæ competens, à modo causandi, quem habet candela, aut vox; & qui proprius agentium naturalium est. Semel autem concessa hac diuersitate, nõ est, cur nõ concedatur alia, quòd scilicet Sacrificiũ Missę æqualiter applicatum, & oblatum pro pluribus nõ causet tantum fructum in singulis, quantũ causaret, si eorum vni soli applicaretur, & pro eorum vno solo offerretur. Atq; ita de facto contingere, & in singulis plurium Sacrificium Missæ non multiplicare totum suum fructum, sed partiri, deuidereque illum, & cum hoc modo causandi fuisse à Christo Domino institutum, probatur efficacissimè rationibus nostræ sententiæ. Tota hæc additio cõfirmatur verbis Thomę Vualdensis, qui C. 105. de Sacramentalibus disputans contrà Vuicleffum asserentem, nõ prodesse amplius orationem specialem ei, pro quo oratur, quàm orationem generalem, cæteris paribus, sic scribit, *Quod arguunt quidam de lumine inducto in domũ, quo consolati sunt alij æquè, vt ille, cuius ratione speciali infertur, longè distat hoc exemplum luminis ab officio specialis precis. Oratio enim efficax viuit de spiritu hominis, participatione fidei, & affectus eius, & limitatur ab illo: lux, vel illuminatio est actus extrinsecus inductus, nec ex se limitatus ad effectum eius plus, quàm ad lapidem. Vnde frequenter non illuc pergit, quo tendit. Oratio efficax illuc semper tendit, & agit modo primi agentis secundùm effectum eius, secundùm fidem eius, dicente Christo, quicquid orantes petitis, credite, & fiet vobis.* Huc vsque ex Vualdensi. Rursus adijcio instantiam contra Aduersarios in ipsa candela, aut voce, non enim potest in eodẽ oculo, aut auditu causare perfectiorem, & perfectiorem visionem, aut auditionem in infinitum, sed habet suum limitem in perfectione visionis, aut auditionis producendæ in tali oculo, aut auditu, quanquam comparata cum altero, & altero perfectiori, & perfectiori sine fine possit perfectiorem, & perfectiorem sine fine visionem, aut auditionem efficere. Cæterùm idem numero Sacrificium Missæ comparatum cum eadem numero persona potest iuxta Aduersarios operari maiorem, & maiorem in infinitum remissionem pœnę temporalis, provt persona, pro qua offeratur Sacrificium Missæ, habuerit pleniorem, & pleniorem in infinitum dispositionẽ, ac deuotionem. Ipsi enim dicunt, Sacrificium Missæ, quod oblatum hodie pro Petro, habente vnum gradum deuotionis, remittit tres gradus pœnæ temporalis, fore, vt remitteret sex, si Petrus haberet duos gradus deuotionis; & sic in infinitum ascendendo. Hinc colligitur, Aduersarios non benè defendere se exemplo ignis, qui potest in multis lignis debitè approximatis producere plures intensiones caloris vt octo, quin possit in eodem ligno efficere coniunctim omnes eos gradus; colligitur, inquam,

quam, non defendere se benè hoc exemplo, quando contra ipsos arguimus ab absurdo tanti fructus satisfactorij causandi in vna persona, pro qua sola offeratur Sacrificium Missæ, quantus causaretur in multis, & in pluribus, ac pluribus sine fine, si offerretur pro eis. Nã paritas desumpta ex agentibus naturalibus non est vndequaque efficax, vt satis liquet ex proximè dictis. Notatque Suarez D. 79. sect. 12. V. *Dico secundò*, intensionem caloris in eodem subiecto esse diuersę rationis ab extensione caloris in diuersis; ideoque ex virtute ignis ad octo gradus caloris in vno subiecto, & ad octo alios in altero non sequi virtutem ad decem, & sex in eodem subiecto producendos: ast multitudinem satisfactionis esse eiusdem rationis siue ad eandem personam, siue ad diuersas cõparetur; & proinde ex virtute Sacrificij Missæ ad eam multitudinem in diuersis personis rectè sequi virtutem, vt in eadem ipsam causet. Eò vel maximè, quòd hic effectus respondet oblationi Sacrificij Missæ: oblatio autem nullo modo in se variatur ex hoc, quòd fructus eius vni, vel multis applicetur; nam hoc est quid posterius, & extrinsecum oblationi.

SECTIO IIII.

An Sacrificium Missæ non minus prosit quoad satisfactionem ex opere operato pluribus offerentibus, quàm si pauciores forent?

14 INTER argumenta sententiæ affirmatiuæ, quam proposuimus Sectione 1. & impugnauimus hucvsque, vnum ex præcipuis est illud: Tam prodest Missę Sacrificium ex opere operato quoad satisfactionem pluribus offerentibus, quàm paucioribus, qui offerrent illud. Ergo oblatum pro pluribus personis tam proderit singulis, quàm prodesset, si pro paucioribus, aut pro vnica offerretur. Antecedens probatur ab aliquibus ex S. Thoma 3. p. q. 79. art. 5. in Corp. vbi docet, participari effectum huius Sacrificij ab his, qui offerunt. Sed hæc probatio ad rem nõ est, cum S. Thomas non exprimat, participari æqualem effectum, siue offerentes sint plures, siue sint pauciores. Melius probatur Antecedens primò, quia quando plures Sacerdotes simul consecrant eandem materiam, & offerunt idẽ Sacrificium, vt contingit in Ordinatione Sacerdotum, & in Consecratione Episcopi, tunc vnusquisque refert integrum Sacrificij fructum, qui ex opere operato respondet Sacerdoti consecrãti, & offerenti; atque ita vnusquisque refert, ac si ipse solus consecraret, & offerret, quia vnusquisque vt adæquatus Minister, & vt per se sufficiens, & independens ab alio consecrat, & offert; nec apparet ratio, cur vnus potius, quàm alius referat fructum, aut cur in vno fructus Sacrificij minuatur ex cõsortio accidentali cum altero. Præterea vnusquisque potest applicare, cui voluerit personæ fructum Sacrificij specialem, ac medium, tam integrum, & totalem, quàm si ipse solus offerret in persona, & nomine Christi, sic enim vnusquisque gerit tunc vicem Christi, repræsentatq; eius personam, ac cum solus consecrat, & offert. Ergo quemadmodùm applicatio fructus specialis, & medij pertinet tunc integrè ad vnumquemque, ita etiam vnusquisque refert fructum specialissimum integrum respondentem Sacerdoti consecranti, & offerẽti. Probatur secundò idem Antecedens, quia si plures penetrati susciperent eandem hostiam consecratam, aut plures impenetrati sumerent eam collocatã in multiplici loco, singuli compararent tantã habitualem gratiam ex opere operato Sacramenti, quantam si soli communicarent. Ergo similiter si plures Sacerdotes consecrent, & offerant idem Sacrificium, vel si plures fideles offerant præcisè, singuli adquirent tantam remissionem pœnæ temporalis ex opere operato Sacrificij, quantam si quisque eorum solus offerret. Probatur tertiò, quia alioqui quò plures Ministri assisterent Sacrificio eidem, & quò plures fideles conuenirent ad audiendum idem Sacrum, eò minor esset fructus, qui ex opere operato Sacrificij conferretur ipsi Sacerdoti, & Ministris assistentibus, & fidelibus circumstantibus, nam hi omnes offerentes sunt. Quæ sequela est valde absurda, inde enim fieret, vt Sacerdos, & Minister assistens, & fidelis auditor Missæ facerent optimè, si procurarent euitare aliorum frequentiam

in

in templo, aut Oratorio, cum celebratur Sacrum, si clauderent fores, ne alij ingrederentur; fieret etiam, vt immeritò Ecclesia magis commendarit Missas solemnes, & publicas, quàm priuatas, & solitarias, vt videre est in C. *Et hoc attendendum* 52. de Consecratione Dist. 1. C. *Si quis etiam extrà Parochias* 35 ibidem, & Concilio Tridentino Sess. 22 Decreto de obseruandis, & euitandis in celebratione Missæ, vbi dicitur, monēdum esse populum, *Vt frequenter ad suas Parochias, saltem diebus Dominicis, & maioribus festis, accedant* audituri Sacrum. Probatur quartò, nam fructus, qui ex opere operato Sacrificij confertur offerentibus, non dependet ex illorum intentione applicante eum sibi, sed ex dispositione, & deuotione, qua ad Sacrificium concurrunt, & offerunt illud. Ast dispositio, & deuotio vnius non minuitur ex dispositione, & deuotione alterius, sed potiùs crescit, & augetur. Ergo, &c. Confirmatur, quia ex eo, quòd multi media fide, & charitate offerant Deo Passionem Christi, non percipit vnusquisque minorem fructum ex opere operantis. Ergo nec minorem fructum recipient ex opere operato plures, eo quòd offerant idem Sacrificium, siquidem per oblationem plurium non minuatur deuotio offerentium, nec rei oblatæ valor. Confirmatur rursus, Sacrificij fructus ex opere operantis non minuitur, sed potiùs augetur, quò plures sunt offerentes, nam ex plurium cōcursu oblatio, si cætera sint paria, fit moraliter maioris æstimationis, & celebritatis, cedit in maiorem Dei cultū, atque adeò euadit gratior Deo, & acceptabilior; pluriū item concursu crescit feruor, exauditurq; faciliùs oratio, & multorum charitas, ac deuotio addit valorem actioni. Ergo nec decrescit, sed potiùs accessionem habebit Sacrificij fructus ex opere operato, quò plures offerant idem Sacrificium.

25 Huic argumento, cuius Antecedens muniuimus quatuor probationibus, potest dupliciter satisfieri. Primò, si concedamus Antecedens (vt concedendum esse contendunt Aduersarij, & vt conniuent plerique, quorum factionem sequuti sumus in præcedentibus Sectionibus) & negemus Consequentiam, reddamusque rationem disparitatis; quæ certè perspicua est. Nam quando plures offerunt idem Sacrificiū, oblationes, & actiones singulorum sunt diuersæ, vnaq; independens ab alia; cū autem oblationi Sacrificij respondeat in offerente debitè disposito fructus satisfactorius ex opere operato, & tantò maior, quantò offerens sit meliùs dispositus, consequens est, vt cuilibet oblationi respondeat integrè fructus ille, quandoquidem inter se sint diuersæ, & vna non dependeat ab alia, & perinde se habeat in sui esse, ac si alij nō coexisteret; consequens item est, vt fructus ille sit cumulatior, & plenior, prout obiatio fiat ab offerente magis disposito, magisque deuoto. Cæterùm quando vnus Sacerdos offert idem Sacrificium pro pluribus, applicatque fructum, quem ipsi soli dispensandum reliquit Christus, tāquàm Ministro operanti in persona, & nomine eiusdem Christi, tunc oblatio, actioq; Sacerdotis offerentis vnica est, & proinde non mirum, quòd ei vnicæ oblationi, & actioni respondeat vnicus effectus, aut fructus partitus ex æquo inter plures personas, pro quibus ex æquali intentione offertur à Sacerdote Sacrificium, & quæ sint dispositæ, imò & parem habeant dispositionem, ac deuotionem. Declaratur disparitas exemplo desumpto ex rebus physicis, nā quādò actiones physicæ plures sunt, ortæq; ab agentibus numero, vel specie etiam diuersis, possunt abs dubio multiplicem effectū simul producere in passis distinctis, vel etiam in eodem, si ex huius parte non detur incapacitas ad vnà recipiēdum, & sustentandum multiplicem illū effectum. Si autem actio physica vna sit, nequit producere nisi vnicum effectū, vel vni tantùm passo tribuendum, vel ex æquo diuidendum in plura, si talis effectus sit diuisibilis.

26 Dicet quis primò, si Antecedens à nobis admittitur, tenebimur fateri, valorem Sacrificij Missæ esse infinitum, eo quod possit causare satisfactorium fructum ex opere operato in pluribus, & pluribus offerentibus in infinitum. Valor autem infinitus negatur est à nobis suprà Sacrificio Missæ. Respondeo, præoccupatam iam esse hanc obiectionem in Disputatione superiori, Sect. 3. Conclusione 2. & 3. Dicet quis secundò, quando plures Sacerdotes cōsecrant simul, & offerunt idem Sacrificium, actio consecrandi, & consequen-

ter

ter offerendi multiplex non est, sed vna, & eadem. Ergo fructus, qui ex ea respondet Sacerdotibus, nō est multiplex, sed vnicus, diuisus in eis. Respondeo cum Suario D. 79. sect. 12. V. *Hìc verò*, actionem miraculosam transsubstantiatiuam esse multiplicem in eo casu, vtpote quæ proueniat à causis totalibus instrumentalibus: vel si entitatiuè sit vnica, æquiualere tamen multis secundùm habitudinem ad plures offerentes in persona, & nomine Christi, nam ita est ab vno quoque, ac si ab eo solo fieret, & ita per singulorum verba significatur, & fit per propriam vniuscuiusque intētionem, ac si ipse solus eam faceret. Vnde infertur, esse multiplicem in ratione oblationis Sacramentalis, & sensibilis, habereq; quod sufficit, vt vi eius multiplicetur effectus. Dicet quis tertiò, etsi ex eo, quòd multi audiant Missam, multiplicentur offerentes, & oblationes, non tamen multiplicantur illi, qui offerunt in persona, & nomine Christi, neq; oblationes provt factæ vice Christi. Ergo tunc non multiplicatur satisfactorius Sacrificij fructus ex opere operato, is enim vt non respondet, nisi in offerentibus repræsentantibus Christū, & nisi ratione oblationis provt factę vice eiusdem Christi, ita non multiplicatur, nisi multiplicatis istiusmodi offerentibus, & oblationibus. Respondeo, hoc argumētum eò tendere, vt impugnet fructum satisfactorium, qui ex opere operato Sacrificij conferatur alijs offerentibus, quàm Sacerdoti; atq; adeò procedere contrà id, quod supponitur. Vnde concesso Antecedenti, nego Cōsequentiam, nam si offerenti pręcisè ratione audiendi Sacrum supponitur respondere fructum satisfactorium ex opere operato, concedi etiam debebit, huiusmodi fructum multiplicari, provt multiplicentur offerentes ratione illa præcisè. Dicet quis quartò, qui tribuit stipendium Sacerdoti, vt Missam celebret, numeratur inter offerentes. Ergo si multiplicatis offerentibus multiplicatur Sacrificij fructus sarisfactorius ex opere operato, continget id ipsum multiplicatis tribuentibus stipendium; atq; idcirco licebit Sacerdoti non tantùm ab vno, sed à pluribus accipere stipendia plura vnius Missę, vt ea ratione fiant offerentes, & quilibet adquirat integrum fructum satisfactorium respondentem persona offerenti, non secus ac si solus offerret ratione erogati stipendij. Vnde relabimur in idem inconueniens, quod Sectione 2. obijciebamus cōtra opinionem Caietanicam. Bartholomæus Fumus in Summa aurea armilla V. *Missa*, n. 33. videtur indicasse hoc argumentum, ait enim, *Si Sacerdos est celebraturus pro aliquo, vel aliquibus, dummodò non fecerit promissionem alicui de merito totius illius Missæ, & superueniat alius, vel plures rogantes celebrare pro animabus suorum defunctorum, potest omnes acceptare, & valet pro omnibus secundùm deuotionē offerentiū. Nam offerentes eleemosynam, & rogantes offerri, dicuntur offerre & ipsi Sacrificium. Et in hoc sensu potest intelligi C. Non mediocriter de Consecratione Dist. 5. Debet ergo Sacerdos esse cautus, vt nulli promittat specialiter, sed dicat, Rogabo pro eo, &c. Hoc secundùm mentem Syluestri V. Missa 1. circa finem. Idē videtur sentire Summa Angelica V. Missa §. 52. quoad meritum speciale.* Sic Fumus; cui multùm consonat Emmanuel Sà V. *Missa* n. 43. & 44. nisi quòd is clarè aduertit, *Non posse Sacerdotem, vbi ab aliquibus accepit, quantum decet pro Missa, accipere pro eadem quicquam ab alijs.* Sed quicquid sit de Fumo, respondeo, multiplicandū quidem fructum in duobus v. g. quorū quilibet erogaret competentem stipē ad vnam Missam; sed Sacerdoti non esse licitum accipere geminam stipem iustā, si ambo petant fructum pendentem ex applicatione Sacerdotis, vt gerentis personam Christi, nam eo ipso, quòd pro vno, & altero offerret Missam, adquireret vnusquisque minorem fructū, quàm quem intendit per petitionē Missæ, & traditionem eleemosynæ. Si autem vnus ex eis intenderet tantummodò fructum respondentem offerenti, vt tali, videtur hoc titulo non posse Sacerdotem accipere eleemosynam, sicut neque potest accipere ea de causa, quòd admittat aliquem ad audiendam Missā, & proinde ad comparandum fructū, qui respondet audienti, quatenus hic est etiam offerens. Verumtamen si quispiā apud se appetens functionem offerentis Sacrificium, concurrentisque ratione stipendij ad illud, & fructum inde prouenientem, vellet omnino liberaliter, tradere eleemosynam Sacerdoti, quin obligaret eum ad celebrandum, posset Sacerdos acceptare illam. Nec deerit, qui existimet, posse, etiamsi obligare-

tur

tur ad celebrandum, præsertim si aliud stipendium, quod haberet, nō esset manuale, sed ex redditibus Beneficij, aut Capellaniæ. Et qui sic existimet, vtetur exemplo Capellani obligati ad sacrificandum in aliquo Sacello, sed liberi ad applicandam Missam pro persona, quam elegerit. Talis enim Capellanus non est impeditus in multorum sententia accipere stipendium à persona, pro qua offeret Missam ex obligatione accepti stipēdij manualis. Quo in hoc casu concurrit duplex obligatio celebrandi, ortaq; ex stipendio, tum manuali, tum Capellaniæ. Iudicent alij de probabilitate existimationis memoratæ.

27 Argumento proposito in Sectionis principio potest deinde satisfieri, si negemus Antecedens, nam neq; Sacerdoti, neque alijs offerentibus, vt præcisè talibus, vllus respondet Sacrificij fructus satisfactorius ex opere operato, vt dicemus in D. 15. sect. 1. Quo in loco enodabimus quicquid solutione egeat in quatuor probationibus Antecedentis. Quare offerentes, vt præcisè tales, comparabunt tantummodò fructū ex opere operantis, si cum debita dispositione, & deuotione offerant; poteritque ille tantus esse in singulis plurium, quantus esset, si vnusquisque solus offerret. Et hic est planior respondendi modus ad argumentum. Sed adhuc restat scrupulus, qui pungat, & molestet. Etsi enim offerentes, vt præcisè tales, non fruantur Sacrificij fructu satisfactorio ex opere operato, tamen fruentur, quatenus pro ipsis offertur Sacrificium. Et offertur quidem pro Sacerdote, ministrantibus, circumstantibus, cęterisq; concurrentibus proximè, & immediatè, imò & pro omnibus fidelibus viuis, atque defunctis. Postulat hic scrupulus specialem discussionem.

SECTIO V.

An Sacrificium Missæ non minus prosit ex opere operato quoad satisfactionem pluribus, pro quibus offertur ex institutione Ecclesiæ, quàm paucioribus?

28 PRO sententia affirmatiua reiecta conficitur istud aliud argumentum: Sacrificium Missę offertur ex institutione Ecclesiæ pro personis memoratis in numero præcedenti, necnon pro Papa, Antistite, Rege; atque vt obseruat Sà V. *Missa* n. 41. nomine Regis intelligūtur etiam filij, & vxor, & quicumque ad ipsum pertinent. Eo autem ipso quòd pro eis offeratur, proderit eis ex opere operato quoad satisfactionem, sicut prodest illis, pro quibus specialiter offertur ex intentione particulari Sacerdotis. Atquì non minus prodest duobus ministrantibus, aut circumstantib⁹, quàm si vnus tantùm ministraret, aut circumstaret, neque minus prodest Regi viuo, quàm si non fieret particularis commemoratio Papæ, quia is iam obierit, quando celebratur Missa, & vacet Apostolica Sedes; neque item minus prodest hodie viginti defunctis, qui existant in Purgatorio, quàm heri decē, qui existebant. Ergo neque minus proderit oblatum ex speciali Sacerdotis intentione pro duobus v. g. hominibus, quàm si pro vno tantùm ex eis offerretur. Patet Consequentia, nam quòd Sacrificium nō minus prosit duobus audientibus Missam, quàm prodesset vni soli, non prouenit ex merito Ecclesiæ, quippe valor ex hac desumptus finitus sit, minuaturq; ex partitione in plures. Ergo prouenit ex eo, quòd sit infiniti valoris, prout offertur à Sacerdote in persona, & nomine Christi pro duobus audientibus Missam. Atquì eandem in valore infinitudinē habet, prout offertur à Sacerdote gerēte personam Christi pro duobus ex speciali intentione. Ergo, &c. Minor autem probatur, quia alioquì optandum esset, ministrare, aut assistere Sacrificio, cui alij non ministrarent, aut non assisterent; optandumque esset, viuere in Parochia paucorum, & quòd fidelium viuentium numerus minor esset, vt maior nobis satisfactionis portio ex Sacrificio obueniret.

29 Confirmatur primò, cum Sacrificium offertur specialiter pro aliquo, vel prouenit illi minor fructus ex eo, quòd simul offeratur generaliter pro cunctis fidelibus, vel tantus illi prouenit, quantus, si non offerretur generaliter? Non primum, alioquì quò plures in *Memento* vtroque nominet Sacerdos, eò amplius detrahet de fructu illius, pro quo offert specialiter, inferetque illi iniuriam, si ab ipso acceperit eleemosynam

eleemosynam cum onere dicendi Missam pro ipso specialiter. Si secundum: ergo nec proueniet minor fructus ex eo, quòd pro alio simul offeratur specialiter, quoniam si valor Missæ esset de se finitus, non minus adimeretur de eius fructu per hoc, quòd alijs applicaretur offerendo pro illis in generali, quàm per hoc, quòd alteri applicaretur offerendo pro ipso in speciali. Ergo si præter frùctum v.g. vt quatuor, quem Petrus participaret, etiamsi pro eo solo applicaretur Missa, datur alius fructus, vt quatuor v.g. quem participant alij, quando fit generalis oblatio pro eis, sequitur, vel Petrum defraudari hoc altero fructu vt quatuor, vel simul applicari posse Paulo hunc alterum fructum vt quatuor, si simul pro Paulo offeratur specialiter Missa. Confirmatur secundò, liberum Sacerdoti est, orare in primo *Memento* pro viuis, & in secundo pro mortuis, quos voluerit, etiam cum ex obligatione celebrat specialiter pro aliquo: & hic est sensus, ac praxis omnium Sacerdotum, quantùm noscere possumus; videturque, omnes in ea persuasione esse, quòd ille, pro quo celebratur specialiter, non patiatur aliquod dispendium in fructu Sacrificij, tametsi pro pluribus alijs oret Sacerdos in vtroque *Memento*; & quòd illi, quorum fit mentio tunc, referant æqualem fructum, siue sint multi, siue pauci. Confirmatur tertiò, is, pro quo specialiter Sacrificium offertur, non priuatur aliquo Sacrificij fructu, quem comparaturus esset, si pro alijs non offerretur Sacrificium ex institutione Ecclesiæ, alioqui hæc institutio non esset facta sine præiudicio eorum, qui conferunt stipendium, vt specialiter pro ipsis offeratur Missa. Ergo nec orbatur Sacrificij fructu aliquo persona illa, pro qua offertur specialiter, tametsi idem Sacrificium offeratur specialiter pro alia.

30 Prima ad hoc argumentum responsio esse potest, Sacrificium non prodesse ex opere operato quoad satisfactionem nisi personæ, aut personis, pro quibus ex speciali intentione offeratur à Sacerdote: & pròinde prodesse tantùm impetratoriè alijs, pro quibus offertur ex institutione Ecclesiæ, & generaliter, necnon alijs, pro quibus in vtroque *Memento* oret Sacerdos secretè, quin intendat plus, quàm orare pro eis, vti posset orare extra Missam. Quæ responsio præcidit argumenti vires, estque valde probabilis siue à ratione, siue ab authoritate. Sed quia ego in D. 15. defendam, Sacrificium Missæ esse ex opere operato proficuum satisfactoriè omnibus personis, pro quibus generaliter offertur ex institutione Ecclesiæ, ideo teneor curare de alia responsione.

31 Aliqui concedunt Minorem, scilicet Sacrificium non minus prodesse duobus ministrantibus, quatenus pro ipsis offertur, quàm si vnus tantùm adesset; reddunt q; rationem petitam ex institutione Ecclesiæ, vt offeratur Sacrificium pro eis. Non placent, quia Ecclesiæ institutio non facit, vt Sacrificium prosit satisfactoriè ex opere operato, neque vt sic prosit non minus duobus, quàm vni ministranti; fructus namq; satisfactorius ex opere operato non pendet nisi à Sacrificij natura, & ab applicatione Sacerdotis vt operantis in persona, & nomine Christi. Fortè voluerunt dicere, colligi ex institutione Ecclesiæ iubentis offerre pro ministrantibus. Cæterùm quanuis inde colligatur fructus satisfactorius ex opere operato participandus à ministrantibus, quatenus pro eis offertur, non tamen fructus æqualis participandus à pluribus, & à paucioribus; quin potiùs colligitur oppositum; iuuatque ad ita coniectandum paritas eorum, pro quibus offertur specialiter Sacrificium ex volũtate Sacerdotis citrà præceptum Ecclesiæ.

32 Quare neganda est Minor. Ad cuius probationem dico, etsi minor sit in singulis fructus, quando pro pluribus ministrantib⁹ offertur Sacrificium, debere tamen magis appeti huius cultum, & celebritatem, quàm augmẽtum fructus illius, præsertim cum tale augmentum possit tot alijs modis adquiri; cultus autem, & celebritas Sacrificij crescit ex ministrantium, & adstantium numero, necnon ex pluralitate concurrentium proximè, & immediatè ad ipsum, itemque ex Parochianorum frequentia in templo, quando Sacra peraguntur. Et similiter dico, propagationem Ecclesiæ, extensionemque in pluribus fidelibus debere præponi fructus augmento consequibili per Sacrificia, si fideles pauciores essent. Sic etsi singuli fideles maiorem fructum compararent ex Sacrificijs, si singuli Sa-

cerdotes quotidiè celebrarent bis, aut ter, nihilominus Ecclesia prę habens Sacrificij reuerentiam, quæ fortè minueretur ex quotidiana celebratione bis, aut ter repetita ab eodē Sacerdote, iussit, ne singuli Sacerdotes ordinariè Sacrificarent plusquàm semel in die. Ad primam confirmationem respondeo, cō cedendo priorem partem. Ad cuius impugnationem dico, si Sacerdos orans in vtroque *Memento* pro aliquibus non intendit aliud, quàm offerre generaliter pro eis Sacrificium iuxta institutionem Ecclesiæ, neutiquam infert iniuriā illi, pro quo tenetur offerre specialiter, quia etsi ille minorē fructum reportet, sed non habet ius ad maiorem. Si verò Sacerdos orans intendat offerre specialiter pro aliquibus, inferet iniuriā alij, aut alijs, pro quibus solis debeat eo modo offerre ob acceptum stipendium, vel peccabit cōtra virtutem, ex qua teneatur pro eis solis offerre illo modo. Et hinc respondetur ad secundā confirmationem. Addo, orationem secretā Sacerdotis in vtroq; *Memento*, consideratā vt distinctam ab oblatione generali, & speciali, dirigi ad impetrandū præcisè. Tādem ad tertiam confirmationē respondeo, minorem quidē esse fructum obuenientē ei, pro quo Sacrificium offertur specialiter, quā si generaliter non offerretur pro alijs ex institutione Ecclesiæ; sed hoc detrimentū compensari abundè exinde, quòd eadē Ecclesia instituerit, vt omnes, & singulę Missę, quę toto Orbe quotidie celebrantur ab omnibus, & singulis Sacerdotibus, offerantur pro illomet homine, qui erogat stipendiū, vt vna pro se applicetur specialiter; proindeq; omnes, & singulæ prosunt ei satisfactoriè ex opere operato. Supponam⁹, Ecclesiam non instituisse oblationem generalem pro omnibus fidelibus viuis, ac defunctis, vel à Sacerdotibus non obtēperari præcepto Ecclesiæ in faciendā oblatione generali, certè in hoc casu multò minor absolutè esset fructus, quem Petrus adquireret ex Missis oblatis pro se specialiter ratione erogati stipendij, quanquam istarum Missarum totus fructus pro ipso solo applicaretur. Sed de hoc puncto iterùm in D. 15. Quam consulat Lector, si quidpiam scrupuli residuum sentiat in nostris responsis ad triplicem confirmationem.

SECTIO VI.

An Sacrificium Missæ pro pluribus oblatum prosit impetratoriè non minus singulis, quàm si pro vno solo offerretur.

33 VLTIMVM argumentum pro sententia Caietanica refutata est huiusmodi, Sacrificiū Missæ, si offeratur pro plurib⁹, impetrat æquè singulis, ac si pro vno solo offerretur. Ergo similiter conferet æquè fructum satisfactorium ex opere operato. Consequentia rectè deducitur, siquidē Sacrificium non habeat minorem valorem, & efficaciam ad satisfactorium, quàm ad impetratorium fructum. Antecedens suadetur primò, quia Sacrificium Missæ ob infinitam suam dignitatem, & valorem est aptissimum medium, vt oblatum Deo moueat, alliciatque misericordiam, liberalitatemque diuinam ad concedendum quodlibet beneficium tam pluribus personis, quàm vni. Secundo, quia Sacrificium non applicatur ad impetrandum, nisi quatenus coniungitur orationi, non enim impetrat, nisi quod petitur, & postulatur per orationem ipsi associatam. Sed oratio facta pro multis non minus prodest singulis, quàm si pro vno solo fieret, quando quidem impetratio orationis innitatur misericordiæ, & liberalitati diuinæ, non autem proportioni, & conuenientiæ orationis cum beneficio petito; ideoque aliquando per orationem tepidam impetratur beneficium, quod per feruentem non est impetratū, nec enim misericordia, liberalitasque Dei alligata est feruori precum nostrarum, neque abbreuiatur manus Domini, siue sint multi, siue pauci, quibus exhibet dona, siue largitiones sint plures, siue pauciores. Tertiò, quia Sacrificiū Missę est impetratiuū, quatenus à Sacerdote offertur in persona, nomineq; Christi, & non tantùm quatenus à Sacerdote offertur nomine sui, aut Ecclesiæ; vnde etsi Sacerdos celebret in peccato mortali, est adhuc Sacrificium impetratorium nomine Christi, & sub eadem ratione est etiam impetratoriū, etsi Sacerdos excommunicatus vitādus celebret,

bret, cum tamen in priori casu non sit impetratorium nomine priuato Sacerdotis, nec nomine Ecclesiæ in posteriori. Ast Sacrificium vt impetratorium nomine Christi habet infinitum valorem ad impetrandum non minus pro multis, quàm pro paucis, vel pro vno, si oratio à Sacerdote fusa nomine Christi extendatur ad petendum, vt multis conferatur aliquod beneficium, nam vis impetratoria competens huiusmodi orationi fundatur in infinitis meritis Christi, quę diminutionem non patiũtur ex eo, quòd applicentur pro multis potiùs, quàm pro paucis, vel pro vno solo, neque ex eo, quòd potiùs applicentur ad postulandum ingens beneficium, quàm paruum. Quartò, saltem si Sacerdos ita oret pro multis in vno, vel altero *Memento*, vel in vtroque, vt ad singulos speciatim, & in particulari extendatur oratio, erit hæc non minus impetratoria respectu singulorum, quàm si pro vno tantùm fieret, quia consortium vnius orationis cum alia non minuit eius valorem, & efficaciam, sicut neque concomitantia vnius meriti cum alio minuit eius dignitatem. Quintò, saltem si multi offerant Sacrificium Missæ, & vnusquisque oret pro diuersa persona, referet quælibet integrum fructum ob rationem proximè dictã. Sextò, ex Cap. *Non mediocriter* suprà adducto.

34 Ad hoc argumentum respondeo primò, permittens Antecedens indistinctè, & negans consequentiam. Ratio autem disparitatis est, quia consecutio fructus satisfactorij fundari debet in valore, dignitate, & efficacia ipsius Sacrificij secundùm se; cum tamen impetratio præcipuè fundetur in misericordia, & liberalitate diuina. Vnde etsi Sacrificium oblatum pro pluribus impetret ęquè singulis, ac si pro vno solo offerretur, non inde sequitur, conferre etiam æquè fructum satisfactoriũ ex opere operato, quia ad primum sufficit præcipuè misericordia, & liberalitas diuina; sed ad secundum requiritur valor, dignitas, atque efficacia ex parte Sacrificij; & ideo Aduersarijs incũbit probare, Sacrificium prędictum esse requisitis illis, adducereq; rationem aliam, quàm quæ desumitur ex impetratione. Sic quanuis oratio sit iuxta ipsos tam impetratoria pro multis, quàm pro vno solo, neutiquam ipsi dicunt, esse tam satisfactoriam ex opere operãtis, si quis applicet multis satisfactionẽ sibi prouenientem ex oratione: & potest non minus applicare, quàm satisfactionẽ respondentẽ sibi ex ieiunio. Respondeo secundo, verum esse Antecedẽs in casu probationis quintæ; quo etiã in casu vera est Consequẽtia, scilicet conferri diuersis personis tãtum fructum satisfactoriũ ratione oblati Sacrificij eiusdẽ à multis Sacerdotibus, quantus conferretur cuilibet, si vnus solus Sacerdos pro vna sola offerret. Notandum solummodò est, ad impetrationem sufficere orationẽ offerẽtis, qui Sacerdos non sit; sed ad fructũ satisfactoriũ ex opere operato Sacrificij requiri applicationẽ, & oblationem, quæ ab offerente Sacerdote fiat, nam talem fructũ solus Sacerdos dispensare potest. Respondeo tertiò, verum etiã esse Antecedens in casu probationis quartæ ob rationem ibi datã; sed non benè inde inferri, Sacrificium, oblatũ quoad satisfactionem pro pluribus specialiter, & distinctè, esse ęquè fructuosum singulis, ac si tantũ pro vno offerretur à Sacerdote, quia oblatio, seu actio sacrificãdi, vi cuius præstatur fructus ex opere operato satisfactorius, est in hoc casu vnica; sed in altero oratio est multiplex, & quælibet applicatur immediatè, & in particulari ad determinatam personam.

35 Respondeo quartò, falsumesse Antecedens, si Sacrificium offeratur pro pluribus generatim, & in communi, vt pro mille hominibus, vel pro Collegio, Ciuitate, aut Regno. Nã Concilium Constantiense damnauit articulum Ioannis Vuicleffi, videndũ rursus in n. 16. Et Ecclesia consueuit offerre Sacrificia, & orare pro particularib⁹ personis, aut necessitatibus in speciali ad obtinendum à Deo aliquod bonum, aut eius opę auertendum aliquod malum. Si autem tantundem prodessent singulis Sacrificia oblata, & orationes fusæ ad impetrandũ pro multis, melius esset, vt Ecclesia tẽper pro omnibus hominibus, aut necessitatibus generatim offerret Sacrificia, & oraret. Præterea si quispiam generali oratione petat à Deo, quidquid ad salutem animæ conducat, hæc oratio erit minus efficax ad impetrandam in particulari pœnitentiam, aut humilitatem, quàm alia specialis oratio, qua postularet virtutem vnã, aut alte-

ram ex his. Ergo similiter oratio, quæ petatur pro communitate beneficium aliquod singulare, erit minus efficax, quã alia, qua postuletur pro parte quadam illius communitatis. Vlteriùs incredibile apparet, vt eadem facilitate per eãdem orationẽ impetretur prima gratia omnibus peccatoribus, quotquot sunt in mundo, ac vni soli, cum sit multò maius bonum, magisq; arduũ impetratio primæ gratiæ singulis ex multis, quã vni illorum tantùm. Et quanuis impetratio orationis fundetur principaliter in misericordia, & liberalitate diuina, tamen ex parte orationis requiritur aliqua proportio cum re postulata, nam, vt docent optimè Couarruvias in Cap. *Almamater* p. 1. §. 5. n. 9. Suarez D. 79. S. 12. V. *Dico tertiò*, & tomo 2. de Religione Tract. 4. L. 1. C. 27. n. 6. Azor tomo 1. L. 9. C. 33. q. 7. Castro Palao Tract. 7 D. 1. puncto 7. n. 11. Lessius 3. p. q. 83. art. 1. dub. 10. n. 58. post Scotũ, & alios, oratio est causa in suo genere effectus impetrati, & Deus respicit ipsam, vt illum concedat. Ergo non eo ipso quòd oratio impetret vni aliquod bonum, potetit impetrare illud & multis alijs, quò enim in plures bonum diffunditur, eò maius est, & in oratione, qua impetretur, præsupponere debet maiorem valorem moralem, dignitatemque superiorem; atque hinc oratio feruens, & quæ fit ab homine iusto, & à sanctiori, est magis impetratoria ex se, quàm tepida, & quàm fusa à peccatore, aut à minus sancto.

36 Vnde ad probationes Antecedentis negati dico; ad primam, non exerceri vim impetratoriam Sacrificij, nisi vt hoc associatur orationi, quia non impetratur, nisi quod petitur, vel desideratur. Si igitur oratio non tantum impetrat pluribus personis, quantum vni soli, vt proximè visum est, nihil mirum, quòd limitetur dignitas, & valor Sacrificij, vt oblatum pro pluribus impetret minorem fructum singulis, quàm si pro vno solo offerretur. Aduerto hic, vim Sacrificij in actu primo ad impetrandum æquè multis, ac vni, non esse argumentum infinitæ dignitatis, & valoris, nam ieiunium meri hominis iusti habet vim, vt si per multiplicem orationem applicetur ad impetrãdum pluribus, prosit æquè ipsis, ac prodesset vni soli; nec ideo dignitas, & valor ieiunij est infinitus. Recolãtur Conclusio 3. & 4. in sect. 3. D. præcedẽtis. Ad probationem secundam iam respondimus obiter, quando reddidimus rationes negandi Antecedẽs. Ad tertiam dicimus, orationem fusam à Sacerdote in persona etiam, & nomine Christi non esse absolutè infiniti valoris, & dignitatis ad impetrandum; sicut neque actio sacrificandi, quam exequitur in persona, & nomine eiusdẽ Christi, habet absolutè infinitum valorem, ac dignitatem ad satisfaciendum, vt D. anteriore constitit. Sed quicquid de hoc sit, si oratio Sacerdotis extendatur ad impetrandum pro multis generatim, & in communi, non impetrabit tãtum singulis, quantum impetraret oratio, quæ pro vno solo fieret, quia etsi merita Christi non patiantur diminutionem, applicantur tamẽ per orationem generalem ad impetrandum; & oratio generalis caret proportione ad obtinendum tantum singulis, quantum obtineret oratio specialis. Sic merita Christi, tametsi nunquam exhauriri queãt, applicantur vberiùs per Eucharistiæ Sacramentum, quàm per alia, quia præ alijs continet realiter Christum Dominum, ac proinde habet maiorem proportionem, vt merita Passionis Christi pleniùs communicentur medio illo. Ad quartam, & quintam probationem diximus suprà in hac Sectione, & ad sextam in Sectione 3. Addimus, si in Cap. *Non mediocriter* legatur *Pro cẽtum animabus* (cõmuniter legitur *Pro cunctis*) dici posse, Psalmum cantatum, recitatumve pro centum nihil minus prodesse eis, quoad impetrationem, quàm si pro vna qualibet ipsarum animarum cantaretur, aut recitaretur, quia potest oratio fieri pro centum animabus distinctè, atque in particulari, & cum æquali conatu, affectuque ad singulas, ac si pro vna sola fieret; quanquam ordinariè non ita contingat, si tot sint personæ, ad quas extenditur oratio.

37 Colligitur ex dictis, sanum esse consiliũ offerre Missam quoad impetrationem pro pluribus speciatim, & in particulari, quãdo etiam teneatur Sacerdos offerre eã quoad impetrationem pro aliquo in particulari, quia huic nihil adimitur fructus conferẽdi ratione impetrationis. Is modus offerẽdi pro alijs vocari potest de secunda intẽtione;

quan-

quanquam frequentiùs oblatio de secunda intentione appellatur tum illa, qua Sacerdos offert impetrationem pro vno, post satisfactionem pro alio oblatã ex obligatione; tum illa, qua post oblationem pro aliquo, de quo dubitat Sacerdos, an indigeat, capaxve sit fructus Sacrificij, offert pro altera persona; tum illa, quã Sacerdos offert specialiter Sacrificium quoad satisfactionem pro vna, aut pluribus personis, etiamsi ex obligatione obtulerit præcipuè pro alia, vt si fortè sit vera sententia Caietanica, participent plures de satisfactorio Sacrificij fructu ex opere operato. Ita Cardinalis de Lugo Disp. 19. sect. 12. num. 257. Dicastillus Tract. 5. Disp. 3. dub. 5. num. 138. tametsi alij iudicent inutilem postremum modum secundæ intẽtionis, quia Caietanam Missam (vt vulgò nominatur, testante Vazquio Disp. 234. Cap. 2. num. 10.) seu potiùs opinionem, receptæ communiter ante Caietanum contrariam, testante Pesantio 3. par. quæst. 83. Disp. 4. de Sacrificio Missæ, reputant improbabilem practicè. Ita Franciscus de Lugo Lib. 5. Cap. 4. quæst. 9. num. 88. Thomas Tamburinus Lib. 3. de Missa Cap. 1. §. 3. num. 11. Sedego iam dixi, esse practicè probabilem, & non modò speculatiuè, si defendatur eo pacto, quo à Patre Vazquez. Vnamque, & alteram relinquit in medio Pater Becanus Cap. 25. de Sacramentis, parte 1. quæst. 17. Videntur eodem modo se gerere Hieronymus de Llamas 3. parte Methodi curationis animorum Cap. 13. §. 17. Andreas de Saussay in Panoplia Sacerdotali parte 2. Lib. 1. articulo 3. pag. 468. Gauantus in Rubr. Mis. parte 2. titulo 8. num. 3. lit. P. apertiùsque Comitolus Lib. 1. Responsorum Moralium quæst. 42. Ast cauendum semper est, ne concedatur, esse per se licitum ob idem Sacrum reportare plura stipendia integra. Vt enim ait sapientissimus Honcala in artic. 11. *Insipientis est, existimare, aliquem Doctorum, vel ipsum Caietanum dedisse ansam Sacerdotibus accipiendi pro vna Missa plures, quas dicunt, pitantias; hoc enim iniquum est, & impium, & eorum, qui quæstum putant esse pietatem. Ridiculum enim est, & absurdum secundùm omnem de fructu Missæ participando opinionem.* Sic Honcala. Cuius verbis attexo hęc Hẽrici de Villalobos in Summa Theologię Moralis Tract. 8. Diff. 16. num. 1. vbi loquens vel contra quosdam, qui saltẽ Sacerdoti egestatem ordinariam, communemque patienti licere dicunt, assumere sibi ob vnam Missam stipendia duplicata, aut etiam triplicata, scribit grauissimè, *Hæc opinio falsissima est, & admodùm digna, quam Summus Pontifex sua feriret censura; cedit namque in magnum præiudicium, damnumque animarum. Et contrà eam nolo ad alios iudices causam deferre, quã ad ingentissimos conscientiæ scrupulos, quibus molestati sunt illi, qui ipsam in praxim deduxerint; & ad extrema discrimina æternæ suæ salutis, in quæ se cõiectos circa mortis horam ingemuerunt. Sunt nonnullæ opiniones, quibus datur quasi saluum conductum, superstite vita, tunc enim magis ad superficiem res considerantur; at instante mortis articulo, cum homo se vicinum videt rigidissimo Dei tribunali, nolet pro toto mundo eis indulsisse, gessisseque morem. Hinc Sacedotes aliqui in extremis vitæ constituti iubent, restitui non modicum Missarum numerum, nam dum viuerent, abierunt per viam latam, quæ ducit ad mortem; sed vrgente momento, à quo pendet æternitas, periculum ipsum in causa est, vt ingrediantur angustam viam, quæ ad vitam ducit.* Ita Villalobos redditus de verbo ad verbum ex lingua vernacula Hispana. Quare circumspectè legendus est Hieronymus Columbus Lib. 4. de Angelica, & Humana Hierarchia ex Cap. 65. vsque ad 71. vbi cum Montagnolo conspirat pro multiplicis stipendij licita per se acceptione à Sacerdote intuitu vnius Missę. Et hæc de tota Disputatione 8. cuius doctrina roborabitur magis in Disputatione XXXI.

DISPVTATIO IX.

DE

RE SACRIFICATA, SEV OBLATA in Sacrificio Missę.

1 *DISPVTATIO HÆC EST ADmodùm necessaria ad perfectam notitiam essentiæ, & qualitatis Sacrificij Missæ; ideo oportet, instituere eam in isto loco.*

SECTIO I.

Sentẽtia nostra circa Christum, & species Sacramentales, panemque, ac vinum tribus exprimitur Conclusionibus.

QVARVM PRIMA sit, res in Sacrificio Missæ principaliter, & primariò oblata, & sacrificata est Christus Dominus, seu corpus, & sanguis Christi formaliter ex vi verborum consecrationis, quatenus corpus, & sanguis sunt partes Christi, qui per se offertur, ac sacrificatur, & qui totus realiter ponitur sub speciebus tam panis, quàm vini. Conclusionem hanc certissimam esse, & in ea omnes Catholicos consentire, affirmant Bellarminus L. 1. de Missa C. 27. in 2. propositione, Suarez D. 75. sect. 1. V. *Dico primò*. Et quidem patet primò ex diuinis litteris. Nam verba Christi instituentis hoc Sacrificium, *Hoc est corpus meum, quod pro vobis frangitur, Hic est sanguis meus, qui pro vobis, & pro multis effunditur*, intellecta communiter ab Ecclesiæ Patribus de fractione, & effusione mystica in incruento vltimæ cœnæ Sacrificio, ostendunt satis manifestè, corpus, & sanguinem Christi esse id, quod offertur, & immolatur. Verba item illa, *Hoc facite*, quibus significatur vnum è duobus, scilicet vel *facite, sicut ego feci*, vel *sacrificate, sicut ego sacrificaui corpus meum, & sanguinem sub speciebus panis, & vini*, non relinquunt vllum dubitationis vestigiũ. Prætereà S. Paulus 1. ad Corint. 5. ait, *Pascha nostrum immolatus est Christus. Itaque epulemur in azymis sinceritatis, & veritatis.* Vbi per Pascha interpretantur Patres permulti apud Cornelium à Lapide recensiti Christum Dominum in Eucharistię Sacrificio immolatum, & manducatum. Insuper idem S. Paulus 1. ad Cor. 10. inquit, *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? Panis, quẽ frangimus, nonne participatio corporis Domini est?* & infrà, *Nonne qui edunt hostias, participes sunt altaris? :: Non potestis calicem Domini bibere, & calicem Dæmoniorum.* In quibus verbis sensus Apostoli est, fideles edendo corpus Christi, & bibendo eius sanguinem fieri participes Sacrificij Eucharistici, in quo Christus est hostia præcipuè oblata. Patet secundò eadem thesis ex Concilio Tridentino dicente in Sess. 22. Cap. 1. Christum in cœna nouissima *Corpus, & sanguinem suum sub speciebus panis, & vini Deo Patri obtulisse, ac sub earũdem rerum symbolis, Apostolis, quos tunc noui Testamenti Sacerdotes constituebat, vt sumerent, tradidisse: & eisdem, eorumque in Sacerdotio successoribus, vt offerrent, præcepisse per hæc verba, Hoc facite in meam commemorationem, vti semper Catholica Ecclesia*

cleſia intellexit, & docuit. Nam celebrato veteri Paſcha, quod in memoriam exitus de Ægypto multitudo filiorũ Iſrael immolabat, nouum inſtituit Paſcha, ſe ipſum ab Eccleſia per Sacerdotes ſub ſignis viſibilibus immolãdum in memoriam tranſitus ſui ex hoc mundo ad Patrem, quando per ſui ſanguinis effuſionem nos redemit, eripuitque de poteſtate tenebrarum, & in regnum ſuum tranſtulit. Sic ibi, & Cap. 2. tradit, *In diuino Sacrificio, quod in Miſſa peragitur, idem ille Chriſtus continetur, & incruentè immolatur, qui in ara crucis ſemel ſe ipſum cruentè obtulit.* Et paulò poſt, *Vna, eademque eſt hoſtia, idem nunc offerens Sacerdotum miniſterio, qui ſe ipſum in cruce obtulit, ſola offerendi ratione diuerſa.* Et Can. 2. *Si quis dixerit, illis verbis, Hoc facite in meam cõmemorationẽ, Chriſtum non inſtituiſſe Apoſtolos Sacerdotes, aut nõ ordinaſſe, vt ipſi, aliiq; Sacerdotes offerrent corpus, & ſanguinẽ ſuũ, anathema ſit.* Omitto aliorum Conciliorum, & Patrũ teſtimonia collecta ab Scortia L. 1. C. 4 n. 1. Patet tertiò concluſio ex ratione, nam ſi Chriſtus non eſſet res principaliter oblata in Miſſæ Sacrificio, continerent maiorem perfectionem Sacrificia veteris legis contra doctrinam Apoſtoli ad Hebræos 7. & Cõcilij Tridentini Seſſ. 22. C. 1. quidquid enim aliud foret res oblata, careret vitæ perfectione, qua præditæ fuere multæ res oblatæ in Sacrificijs legis antiquę. Sequeretur etiã, Sacrificium Miſſæ, ex parte rei oblatæ, non habere vim ad placandum Deum. Sequeretur item, Sacrificium Miſſæ nõ fore idem in re oblata cũ Sacrificio cruento crucis, proindeque non fuiſſe ſufficiens Sacrificium cruentum crucis ad peccatorum remiſsionem, & ad omnia bona comparanda; ſed vlteriùs ad ſufficientiam, & ad ſupplendum defectum illius, & non præcisè ad illius applicandam virtutem requiri Miſſæ Sacrificiũ. Vtraq; autem ſequela abſurdiſsima eſt, & aduerſatur S. Paulo in Epiſt. ad Hebræos C. 7. 9. & 10. Sequeretur denique, non eſſe eundem ſimul Sacerdotẽ, & victimam in Sacrificio iſto incruento, ſicut fuit in alio cruento. Quæ ſequela non minus abhorrens eſt, vt conſtabit ex D. 11.

2 Secunda concluſio, ſpecies Sacramentales panis, & vini ſunt res in Sacrificio Miſſæ oblata ſecundariò, & minus præcipuè; atq; adeò res oblata, & ſacrificata componitur intrinſecè, & eſſentialiter tum ex corpore, & ſanguine Chriſti, ſeu ex Chriſto principaliter, tum ex panis, & vini accidentibus ſecũdariò. Ita Suarez D. 75. ſect. 1. V. *Dico quartò*, Henriquez L. 9. C. 3. §. 7. C. 7. §. 1. Scortia L. 1. C. 4. §. 3. Granadus tomo 5. Controu. 6. Tract. 14. D. 2. n. 4. & 5. Amicus D. 32. ſect. 2. n. 38 Cardinalis de Lugo D. 19. ſect. 7. n. 98 & 99. Franciſcus de Lugo L. 5. C. 2 q. 6. n. 74. Raphael Auerſa q. 11. ſect. 3. V. *Dico tertiò*, Villalobos Tract. 8. Diff. & n. 4. Hieronymus Columbus L. 4. de Angelica, & Humana Hierarchia C. 64 ex n. 69. Arriaga D. 50. ſect. 5. Subſ. 4 n. 37. Tannerus D. 5. q. 9. dub. 2. ex n. 28. Peſſantius 3. p. q. 83. D 2 de Sacrificio Miſſæ in Concluſ. 2. & alij. Probatur primò, nam Sacrificium Miſſæ, sũptum pro re oblata, *Viſibile* eſt, *ſicut hominum natura exigit*, vt ait Concilium Tridentinum Seſſ. 22. C. 1. Ergo Sacrificiũ Miſſę vt viſibile conſtituitur ex ſpeciebus, quandoquidem Chriſtus ſeorſim ab eis non ſit naturaliter, humanitaſq; ſaltem viſibilis in hoc Sacrificio. Solet ſimilis ratio in vſu eſſe ad probandam cõſtitutionem Sacramenti Euchariſtici ex ſpeciebus Sacramentalibus. Secundò, Chriſtus, *declarans ſe in æternum conſtitutum Sacerdotem ſecundùm ordinem Melchiſedech, obtulit Deo Patri corpus, & ſanguinem ſuum ſub ſpeciebus panis, & vini*, vt docet Concilium Tridentinum præcitatũ; quibus verbis indicat, rem à Chriſto oblatã in Sacrificio cœnæ fuiſſe corpus, & ſanginem ſuum, accidentiaque panis, & vini, ſicut in Sacrificio Melchiſedech oblata reſfuit ſubſtãtia panis, & vini, accidentiaq; vtriuſque ſubſtantiæ. Et quidem niſi hæc accidentia ſint termin⁹ oblationis à Chriſto factæ, nulla erit in oblationis termino ſimilitudo Sacrificicij Chriſti, & Melchiſedech, cum tamen ſimilitudo in eiuſmodi termino videatur intenta à Concilio, digniſsimaque, cuius habita ſit ratio. Tertiò, Chriſtus, *Celebrato veteri Paſcha :: nouum inſtituit Paſcha, ſe ipſum ab Eccleſia per Sacerdotes ſub ſignis viſibilibus immolandum*; quę ſunt verba Concilij Tridentini ſuprà. Ergo Chriſtus nõ eſt immolationis terminus, niſi vnà cum ſpeciebus viſibilibus. Quartò, *In Sacrificio, quod in Miſſa peragitur, continetur, & incruentè immolatur Chriſtus*, vt ſcribit Cõcilium Tridentinum. Ergo Sacrificium acceptum

acceptum pro re oblata, & immolata, includit aliquid aliud vltrà Christum, alioquin hic cõtineretur in se ipso. Illud autem aliud sunt accidentia panis, & vini. Quintò, S. Augustinus in L. Sentẽtiarum Prosperi relatus ab Algero in L. de Corpore, & sanguine Domini, ab Hugone Victorino in Summa Sent. Erudit. Theol. Tract. 6. C. 7. & à Gratiano C. *Hoc est* 48. de Consecratione Dist. 2. inquit, *Hoc est, quod dicimus, quod modis omnibus approbare contendimus, Sacrificium Ecclesiæ duobus modis confici, duobus constare, visibili elementorum specie, & inuisibili Domini nostri Iesu Christi carne, & sanguine.* Sic S. Augustinus, vel, si mauis, Lancfrancus, vt cum Cardinali Perronio contendit Martinonus D. 38. S. 5. num. 54. eo quòd non in S. Aug. sed in Lancfranco Archiepiscopo Cantuariẽsi Lib. de Veritate corporis Domini in Euch. reperiantur ea verba. Quæ certè intelligenda sunt de Sacrificio sumpto pro re oblata, vel saltem de Sacramento in facto esse, & vt permanenti, quod idem debet esse cum victima, seu cum re oblata Sacrificij, etsi in modo, quo ex speciebus coalescant, agnoscendum sit discrimen aliquod. S. etiam Clemens Papa Epist. 2. relatus C. *Tribus gradibus* 23. de Consecratione Dist. 2. ait, *Tanta in altariò certè holocausta offerantur, quanta populo sufficere debeant.* Vbi nomine holocaustorum significat speciesSacramẽtales; sicut & S. Augustinus in L. Sententiarum Prosperi relatus C. *Cum frangitur* 37. de Consecratione Dist. 2. voce *hostiæ* appellat species Sacramẽtales panis; quo nomine nunc vocamus, non solùm has, sed etiam substantiam panis cũ suis accidentibus præparatam ad consecrationem. Sextò, res oblata in hoc Sacrificio talis debet esse, vt per modum Sacramenti, cibique, & potus sacri cedat in vsum fidelium. Atquì Eucharistia per modum Sacramenti, cibique, & potus sacri constituitur ex Christo, & speciebus Sacramentalibus, vt visum est in Tractatione de Sacramento Eucharistiæ. Ergo, &c. Septimò, Sacrificiũ Eucharisticum, sumptum pro actione sacrificatiua, debet esse sensibile naturaliter, atq; humanitus ratione saltem termini, ad quem tendit. Sed nisi species Sacramentales pertineant ad rem oblatam, non erit sensibilis ratione præfati termini actio sacrificatiua. Ergo, &c.

3 Tertia conclusio, substantiæ panis, & vini sunt res in Sacrificio Missæ oblata secundariò, non vt permansura, sed vt desitura, & vt terminus à quo conuersionis in Christi corpus, & sanguinem, quæ sunt res primariò oblata, & sacrificata. Sic Sotus in 4. Dist. 13. q. 2. art. 1. V. *Sed rogas.* Bellarminus L. 1. de Missa Cap. 27. in 1. propositione, Suarez D. 75. sect. 1. V. *Dico vltimo,* Henriquez Lib. 9. C. 3. §. 6. & 7. Coninch q. 83. art. 1. dub. 4. n. 80. Dub. 5 n. 87. Scortia L. 1. C. 4. n. 4. Cardinalis de Lugo D. 19. sect. 7. n. 99. Franciscus de Lugo L. 5. C. 2. q. 6. n. 70. & 75. Auersa q. 11. sect. 3. V. *Dico primo,* Arriaga D. 50. sect. 5 Subs. 4. n. 35. & 36 Amicus D. 33. sect. 2. n. 34. Columb² L. 4. de Hierarchia Angelica, & Humana Cap. 64. ex n. 17. Tannerus tomo 4. D. 5. q. 9. Dub. 2. ex n. 28. Granadus suprà, & alij. Moueor primò, nam in Liturgia appellantur panis, & vinum *hostia, oblatio, Sacrificium,* dicunturque, *offerri.* Secundò, quia Ecclesia in Antiphona ad Vesperas pro festo corporis Christi ait, *Sacerdos in æternum Christus Dominus secundùm ordinem Melchisedech panem, & vinum obtulit.* S. Cyprianus Epist. 63. scribit, Christum *obtulisse Patri calicem vino, & aqua mistum.* Tertiò, nã S. Martialis in Epist. ad Burdegalẽses C. 3. Alexander 1. Papa in Epist. 1. ad omnes Orthodoxos, S. Iustinus in Apologia 2. pro Christianis, & in Dialogo cũ Tryphone, S. Irenæus Lib. 4. C. 32. S. Cyprianus Epist. 63. S. Augustinus Lib. 17. de Ciuitate Dei C. 5. & in Psamum 37. necnon in 103. vbi etiam Cassiodorus, S. Fulgentius L. de Fide ad Petrum C. 19. S. Gregorius Magnus L. 4. Dialogorum C. 55. & anteà L. 2. Cap. 23. S. Hieronymus in Epistola ad Euagrium, Teophylactus, Glossa Ordinaria, & Interlinearis, S. Thomas in C. 5. ad Hebræos, alijque Patres Eucharisticũ Sacrificium vocant panis, & vini. Quartò, quia permulti Patres apud Gratianum de Consecratione Dist. 2. apud Bellarminum suprà dictitant, offerri à Sacerdotibus in altari panem, & vinum; iubeturque in Can. 32. Trullano, *In Sacrificio nihil plus, quàm corpus, & sanguinẽ Domini, offerri, vt ipse Dominus tradidit, hoc est, panem, & vinum aquà mistum;* asseriturque in Concilio Carthaginensi III. C. 4. *Non amplius in Sacrificijs offerri, quã*

de

de vuis, & frumentis. Quintò, nam videtur, negari non posse, substantias panis, & vini esse rem oblatam, non vt mansuram, sed vt conuertendam in corpus, & sanguinem Christi; qui modus non est rei oblatæ primariò, & per se, imò neq; simplicirer, neque propriè; sed secundariò, & ratione termini ad quem, imò secundùm quid, & impropriè. Sextò, quia vt arguit Suarez, substantiæ panis, & vini transmutãtur per consecrationẽ, & accidentia earum suo modo sacrificantur: totumque hoc fit in Dei honorem, & cultum. Ergo pertinent aliquo modo ad materiam Sacrificij. Septimò, vt idem Eximius Doctor argumẽtatur, in omni Sacrificio, in quo ad Dei honorem aliqua res destruitur, adest aliqua res oblata per modum materiæ sensibilis, circa quam versatur actio sacrificatiua, transmutans ipsam aliquo modo. Ergo similis materia reperitur in hoc Sacrificio; quæ non est alia, nisi panis, & vinum: quanquam in huius Sacrificij materia detur ab aliorũ materia duplex diuersitas; altera, quòd nihil substantiarum panis, & vini maneat in hoc Sacrificio post consecrationem, cum tamẽ in alijs maneret materia saltem prima; altera, quòd in hoc Sacrificio offerantur minùs principaliter, minusque intendantur substantiæ panis, & vini, desitioq; earum, quàm corpus, & sanguis Christi, qui est terminus sacrificatiuæ actionis; at in alijs Sacrificijs materia subiecta sacrificatiuæ actioni offerretur principaliter, intenderetur que per se, & magis, quàm eius destructio saltem partialis, quę esset terminus actionis sacrificatiuæ, vt cum Nicolao Cabasila, Bellarmino, Suarez, & Lessio notat Scortia L. 1. C. 4. n. 1. & 4.

SECTIO II.

Infringuntur obiectiones contra tres superiores Conclusiones.

4 CONTRA primam obijcies, etsi totus Christus sit res oblata per concomitantiam, seu ex consequenti in Sacrificio Missæ, tamen corpus, & sanguinem esse rem oblatam primò, & per se, nõ autem totum Christũ, sicut nõ ille totus, sed solummodò corpus, & sanguis ponuntur per se in Sacramento Eucharistiæ ex vi verborum cõsecrationis. Vnde in Concilio Tridentino Sess. 22. C. 1. &. Can. 2. non dicitur, Christum obtulisse se totum Patri in postrema cœna, neque item dicitur, dedisse potestatem Apostolis, eorumq; in Sacerdotio successoribus ad id, vt ipsum totum offerrent, sed obtulisse suũ corpus, & sanguinem, & fecisse copiam prædictis, vt offerrent eademmet. Vnde etiam casu quo aliquis Apostolorum consecrasset in triduo mortis Christi, non obtulisset totum Christum, sed solitariè corpus sub speciebus panis, & solitariè sanguinẽ sub specieb⁹ vini, ita vt corpus, & sanguis sub speciebus ponerentur cum vnione ad diuinitatem, etsi de sanguine neget Mayro in 4. Dist. 8. q. vnica, art. & Diff. 1. qui tamen non est audiendus. Prætereà non facilè intelligitur, quo pacto totus Christus offeratur primò, & per se, siquidẽ suppositum diuinum Christi sit incapax offerri, vtpote non obnoxium immutationi physicæ, neque aptum significationi cultus diuini. Respondeo, debere certum esse, offerri totũ Christũ in Sacrificio Missæ, vti ipse se totum obtulit in Sacrificio crucis iuxta Paulum in locis allegatis n. 2. D. 5. Et alioqui vtriusque Sacrificij non foret eadem victima, neque in incruento foret idem ipsũ victima, & Sacerdos. Num verò affirmandum sit, Christum totum offerri primò, & per se, vel tantùm per concomitantiam, & ex cõsequenti? Quæstio est de nomine. Posteriorem loquutionem amplectitur Ysambertus 3. p. q. 83 D. 2. art. 10: alij communiter priorem, & ego cum eis. Ad primam itaque rationem dubitandi dico, ideo ex vi verborum consecrationis non poni primò, & per se totum Christum sub speciebus panis, neque vini, quia verba non significant, nisi corpus, aut sanguinem; aut per actionem sacrificatiuam offerri totum Christum primò, & per se, quia ex intentione eiusdemmet Christi, & Sacerdotis, conformantis se ei, sic fit oblatio. Ad secundam dico, Concilium Tridentinum loqui de re oblata, in facto esse, provt ex vi verborum consecrationis ponitur sub specieb⁹ panis, & sub speciebus vini, non verò provt præcisè est res oblata in fieri. Et quidem in hoc sensu idem Concilium ibidem ait, *Et quoniam*

quoniam in diuino hoc Sacrificio, quod in Missa peragitur, idem ille Christus continetur, & incruentè immolatur, qui in ara crucis semel seipsum cruentè obtulit, &c. Ad tertiam fateor, non offerendum totum Christū in illo casu, quia Christi intentio de oblatione sui totius non fuit pro illo casu, neque Apostolus haberet intentionem de offerēdo tunc toto Christo. Ad quartam dico, nomine totius Christi in præsenti significari à nobis corpus, sanguinem, animamque Christi, seu humanitatem, quam offerri primò, & per se asseruimus. Et de suppositio diuino offerri per communicationem idiomatum, potest sine scrupulo concedi, vt notat Amicus D. 33. sect. 2. n. 26. Sed rogabis, siquidem totus Christus modo declarato offeratur, nū vt existens in propria specie? Minimè quidem, nam vt sic existens alienus est ab immutatione, quæ per sacrificationē debet fieri. Quare offertur vt sub aliena specie, panis nempe, & vini, non tanquā præexistens, sed tanquam ponendus sub ea. Consulatur Amicus, qui ingeniosè, & doctè vbi suprà ex num. 20. vsque ad 32. obiectionis huius materiam digessit. Rogabis rursus, an sicut dicitur Christus offerri, ita etiam possit dici, consecrari? Pasqualigus in Doctrina Morali sacra D. 105. art. 1. negat contrà Suarium, quem citat D. 55. de Sacramentis, sect. 6. quia per consecrationem significatur mutatio, qua aliquid de non sacro fit sacrum: Christus autē nō recipit aliquam sanctitatem, sed potiùs eam communicat speciebus. Ego in Suario D. 55. non video Sectionem 6. neque eam loquutionem; indicat tamen illam in D. 75. sect. 6. circa finem, quatenus cōsecretur Christus, non secundùm se, sed vt subspeciebus. Qui modus loquendi fuit vsitatus à S. Hieronymo in Epistola ad Rusticum Narbonensem, relatoq; in C. *Ecce ego* 6. Dist. 95. dum inquit, *Presbyterum consecrare Christum*; passimque solemus dicere, consecrari in Missæ Sacrificio corpus, sanguinemque Christi; & is ipse apud Ioannem 17. V. 19. dixit, *Et pro eis ego sanctifico me ipsum*, id est, sacrifico, vt interpretantur communiter Patres, & cum eis Salmeron tomo 9. in Euang. Tract. 78.

5 Iam verò contra Conclusionem secundam argumentantur primò Vazquez D. 223. C. 4. n. 43. Lessius L. 12. de perfectionibus diuinis C. 13. n. 96. Ysambertus q. 83. D. 2. art. 10. Coninch q. 83. art. 1. Dub. 4. num. 77. Martinon tomo 4. D. 38. n. 42. & 51. ac 53. species Sacramentales panis, & vini non destruuntur in hoc Sacrificio. Ergo nullatenus pertinent ad rem in eo oblatam, sed solummodò tanquā quid, sub quo offertur; quandoquidem res oblata in Sacrificio perfecto, quale est Eucharisticū, continens eminenter holocausti perfectionē, debeat penes suas partes destrui, vel saltem immutari reproductione. Secundò, cum species panis, & vini sint accidentia valde ignobilia, non videntur dignæ, quæ Deo in tanto Sacrificio offerātur tanquam pars hostiæ habentis summam, infinitamque dignitatem. Tertiò, si species Sacramentales sint res oblata etiam secundariò in Missa, sequeretur, non fore vnā, eandemq; rem oblatā in Sacrificio cruento crucis, & in incruēto hoc Missę, vtpote in quo offerantur species illę, quæ non fuerunt oblatæ in eo altero crucis. Hæc autem sequela est contra Concilium Tridentinum Sess. 22. C. 2. vbi dicitur, *Vnam esse, & eandem hostiam* in vtroque Sacrificio, & contra S. Chrysostomum Homilia 17. in Epistolā ad Hebręos, vbi ait, *Vna est hostia, non multæ. Quomodò vna est, & non multæ? Quia semel oblata est. Oblata est in Sancta Sanctorum: hoc autem Sacrificium exemplar est illius. Id ipsum semper offerimus. Nec nunc quidem aliū agnum, crastina die alium. Sed semper eundem ipsum. Proinde vnum est hoc Sacrificium hac ratione. Alioquin quoniam in multis locis offertur, multi Christi sunt? Nequaquam; sed vnus vbique est Christus, & hìc plenus existens, & illìc plenus, vnum corpus. Sicut enim quod vbique offertur, vnum corpus est, & nō multa corpora, ita etiam & vnum Sacrificium. Pontifex autem noster ille est, qui hostiam mū dantem nos obtulit: ipsam offerimus & nunc, quæ tunc oblata quidem consumi non potest. Hoc autem, quod facimus in commemorationem, quidem fit eius, quod factum est. Hoc enim facite, inquit, in meam commemorationem. Non aliud Sacrificium, sicut Pontifex; sed id ipsum semper facimus: magis autem recordationem Sacrificij operamur.* Sic Sanctus Chrysostomus. Habetque eadem ex ipso Author Commentar. in Epistolā ad Hebræos sub nomine S. Ambrosij, relatus à Gratiano C. *In Christo semel* 53. de Consec. Dist. 2. Deinde sequeretur,

Christum

Christum in Sacrificio Missæ esse tantũ partialem hostiam, seu partẽ vnius hostiæ. Quæ sequela est contra Patres, qui dum absolutè vocant Christum hostiam Sacrificij cruenti, & incruenti, apertè insinuant, eum in vtroque Sacrificio esse integram hostiam. Vnde V. Petrus Abbas Cluniacensis in Epist. contra Petrobrusianos, titulo contra id, quod dicunt, Missam nihil esse; nec celebrari debere, scribit, *Nec illo Sacrificio suo aliquid aliud, quàm corpus, & sanguinem Redemptoris sui offert Ecclesia.* Quartò, nulla est ratio, quæ suadeat, species Sacramẽtales esse partem hostiæ oblatæ in Missę Sacrificio, nam vt hoc sit sensibile, non requiritur, vt hostia sit per se sensibilis ratione alicuius suæ partis, sed sufficit, quòd sit sensibilis per aliquid, ad quod dicat ordinem intrinsecum, tum quia cum hostia non sit per se signum sensibile intrinsecè, non debet esse per se sensibilis intrinsecè; tum quia vt realis immutatio hostiæ sit sensibilis, sufficit ordo, quem dicat ad formam sensibilem. Ergo vt ipsa hostia sit sensibilis, sufficiet similis ordo ad species sensibiles, tanquàm contenti ad continens, & signi ad significatum.

6 Ad primum argumentum respondeo primò, species Sacramentales immutari reproductione, terminant enim actionem, qua creantur de nouo omnes illæ, vel saltem quantitas, quæ sola sine subiecto sustentante conseruatur, & reliquæ in ipsa, vt mihi magis placet cum S. Antonino p. 3. Summę tit. 13. C. 6. §. 15. & cum Salmerone tomo 9. in Euangelia Tract. 6. pag. 146. Tract. 26. pag. 244. Respondeo secundò, species sacramentales destrui, quatenus destruitur compositũ, quod coalescebat ex ipsis, & ex substantijs panis ac vini; quo destructo consurgit aliud, quasi compositum nouum ex eisdẽ speciebus, & ex Christo, quin huic inhęreant, nec afficiant; neque efficiat album albedo, neque rotundum rotunditas specierum panis, vt aduertunt Sanctus Anselmus in priori parte de Sacramento altaris, necnon in posteriori, C. 6 Hugo Victorinus Eruditionis Theologicæ Summæ Sententiarum Tract. 6. C. 4. S. Thomas in Opus. 59. C. 4. Author Glossę Ordinarię in 1. ad Corinth. C. 11. Etsi autem destructo composito ex substantijs panis, & vini, atq; ex speciebus, maneant adhuc istæ, neutiquã id obest, quominus sint hostia oblata in Sacrificio etiam holocausti, nam quando ouis mactabatur, manebat materia prima, & aliqua, imò multa accidentia ouis, quoadvsque cadauer cremabatur; & casu quo homo sacrificaretur, non deficerent materia prima, neq; anima rationalis; & in Sacrificio crucis cruento per modum holocausti perfectissimi nõ solùm materia prima, animaque rationalis non fuerunt destructæ, sed neque corpus Christi. Quapropter rei oblatæ destructio quoad vnionem partium satis est ad Sacrificium per modum etiam holocausti, qualẽ hic curare sufficit. Tertiò, species Sacramentales destrui humano, moralique modo per Sacerdotalem sumptionem; physico item per cõsumptionem ipsarum intra stomachum. Quartò, species Sacramentales esse partem rei sacrificatæ, quatenus per hoc Sacrificium Christus sacrificatur in cõsecratione; & non esse præcisè requisitas ex parte termini, ad quem transit Christus per consecrationẽ, vt air Cardinalis de Lugo suprà num. 98. Nam in mea sententia, quando fit consecratio, reproducũtur tum species per creationem saltem quantitatis, tum corpus, & sanguis Christi; immutatio autem per reproductionem sufficit ad rem oblatã in Sacrificio habente se per modum holocausti, vt existimãt Authores, in quorum argumenti solutione versamur: & immutatio, quæ iuxta Cardinalem de Lugo satis sit, vt Christus per consecrationem sacrificetur, satis etiam erit, vt tanquam pars rei oblatæ sacrificentur species, non enim sacrificatur Christus, nisi vt formaliter existens sub speciebus.

7 Ad secundum argumentum dico, sicut per benignissimam dignationem Christus assumpsit accidentia panis, & vini, vt cum suo corpore, & sanguine componerent Sacramentum Eucharisticum; ita etiam assumpsisse, vt cum eisdem constituerẽt rem oblatam in Sacrificio Eucharistico. Ad tertium argumentum respondeo, rem primariò, & principaliter oblatam, seu hostiam primariam, & principalem in Sacrificio cruento, & in incruento esse vnã, & eãdem, scilicet esse vnum, & eundẽ Christum; quæ fuit mens, & sensus Concilij Tridentini, & Patrum Ecclesiæ. Saluatur

uatur autem optimè cum prædicta mẽte, & sensu, vt species offerantur secundariò, & minus præcipuè, sintque hostia partialis, secundaria, minusq; præcipua. Et quidem Aduersarij fateri debent cum Concilio Tridentino, rationẽ, modumque offerendi in Sacrificio incruento esse diuersum ab eo, qui fuit in Sacrificio cruento, remque oblatam, & hostiam in cruento non fuisse affectam eisdem accidentibus, quibus quasi afficitur in incruento. Cur ergo nobis non licebit affirmare, rem vt oblatam, & hostiam vt integram esse diuersam penes partem minus præcipuam, & secundariam? Addo, Concilium, & Patres loqui de hostia specificatiuè; quo sensu solus Christus significatur in recto, & species Sacramentales in obliquo. Vnde etsi in Sacrificio Missæ detur diuersitas penes has, rectè stat, vt hostia dicatur vna, & eadem omnino, quia diuersitas obliqui non tollit vnitatẽ, & idẽtitatem denominationis desumptæ ex recto. Sic individuum substantiale, & compositum etiam ex individuo substãtiali, atque ex accidentibus, v. g. coloratum, dicitur vnum, & idem, tametsi diuerso tempore habeat diuersa accidẽtia coloris, quia nimirùm accidẽtia significantur in obliquo per nomen individui substantialis, & compositi etiam ex individuo substantiali, atque ex accidẽtibus, exempli causa, per nomen coloratispecificatiuè. Atque hinc cessat replica, quam Coninch suprà n. 79. Martinonus suprà n. 44. efformant aduersus Suarium vtentem in V. *Sed contra* eodẽ exemplo, ac nos, vt satisfaciat tertio huic argumento,

8 Ad quartum dico, Christum, qui est hostia in Sacrificio Missæ, nõ habere intrinsecum ordinem ad species, alioqui cum idem sit Christus in Sacrificio Missæ, ac extra, haberet eundem ordinem extra. Quare si Christus, quà est hostia, debet fieri sensibilis ratione specierum (vt admittit Coninch suprà n. 77. qui in n. 78. proponit quartum hoc argumentum) sequitur, species esse partem constitutiuam Christi, vt hostiæ sensibilis, pertinentisque ad Sacrificium sensibile, & humanum; non sec⁹ ac vnũ album, quia caret ordine intrinseco ad alterum album, ratione cuius debet ipsimet fieri simile, constituitur, vt tale, per alterũ album: nec enim probandę sunt relationes, denominationesque prædicamentales consistentes in vno extremo intrinsecè adæquatè cum connotatione alterius, vt extrinseci respectu ipsarum. Neque dicas, sufficere, quòd species sint conditio essentialiter requisita, vt corpus, sanguisque Christi habeant conceptum victimæ, & rei oblatæ. Nam non possunt requiri essentialiter ad rationem victimæ, reique oblatæ, nisi simul constituant huiusmodi denominationem ob indicatum principiũ. Ex quo pãtet discrimen ad cognitionẽ necessariam essentialiter ad volitionẽ, cuius naturam non constituit; patet inquam, eo quod volitio per se ipsam importet intrinsecum ordinem ad cognitionem; ast talis ordinis expertia per se sunt corpus, sanguisque Christi. Quare ad priorem probationem nego, hostiã, adæquatè sumptã, non esse per se signũ sensibile intrinsecè. Ad posteriorẽ concedo, immutationem realẽ hostiæ posse esse sensibilem modo ibi dicto, quia etsi per se non sit sensibilis, potest habere ordinem intrinsecum transcendentalem ad formam sensibilem; & ita cõtingit in actione immutatiua, quæ est sacrificatiua Christi incruento modo, nam talis actio suapte natura gaudet ordine intrinseco transcendentali ad verba consecrationis, & ad species, sub quibus ponit separatim corpus, & sanguinẽ Christi.

9 Sed adhuc obiiciet quis, si species constituant hostiam, remque in Sacrificio Missæ oblatam, constituent in recto, & magis præcipuè, quã Christus, sicut, quia sunt pars intrinsecè cõstitutiua Sacramenti Eucharistici in ratione sensibilis, spectant ad huius constitutionẽ in recto, & principaliùs, quã Christus. Respondeo, Christum esse, qui in recto, & principaliter significatur nomine hostiæ, & rei oblatæ, vt constat ex antecedentibus, maximèque ex Cõcilio Tridentino S. 22. C. 1. vbi dicit, Sacrificium visibile esse corpus, & sanguinem Christi sub speciebus panis, & vini. Angelicus etiam Doctor q. 73. a. 4. ad 3. ait, *Sacramentum Eucharisticum vocari hostiam, in quantum continet ipsum Christum, qui est hostia salutaris, vt dicitur Ephes. 5.* Insuper S. Augustinus L. 21. de Ciuit. Dei C. 10. inquit, *Ipsum Sacrificium corpus est Christi.* Rursus Lib. 4. de Trinitate C. 14. *Quid tam gratè offerri,*

& suscipi posset, quàm caro Sacrificij nostri corpus effectum Sacerdotis nostri? Quæ verba leguntur etiam in S. Ambrosio, vel qui eius nomen præfefert in Commentarijs ad C. 8. Epist. ad Hebræos. S. etiam Hieronymus L. 3. contra Pelagianos C. 5. vocat *Sacrificium corporis Christi.* Et sanè Christus est, qui magis præcipuè offertur, ac sacrificatur; species verò comparantur ad ipsum, vt accidentia ad substantiam, & vt in Sacrificio agni Paschalis cõparabantur accidentia agni ad substantiã ipsius agni. Ita obseruat Eximius Doctor P. Suarez D. 75. sect. 1. V. *Sed cõtrà*, additque, *Quapropter non est eadẽ ratio de Sacramento vt sic, & de Sacrificio, quoad rem oblatam, nam Sacramẽtum dicit formaliter rationem signi; at verò in Sacrificio significatio potissimùm est in ratione sacrificandi; hostia verò, seu res oblata principaliùs est res ipsa, quæ offertur, in qua magis considerãda est dignitas, & valor, quàm accidentia sensibilia.* Hactenus Suarez; post quem non curo de alio discrimine inter Eucharistiã vt Sacramentum, & vt Sacrificiũ sumptum pro hostia, & re oblata, quatenus vt Sacramentum constituatur in recto ex speciebus, magisq; præcipuè, quàm ex Christo, vt defendit communis sententia, cui litem nunc intendere non vacat, cum de hoc puncto actum sit nõ perfunctoriè in D. 2. de Sacramẽto Eucharistiæ sect. 3. ast vt Sacrificium, seu vt hostia, & res oblata constituatur è contra in recto ex Christo, magisq; præcipuè, quàm ex speciebus. Sed erit, qui num etiã opponat, consumptio est id, quod principaliter attinet ad rationẽ Sacrificij Eucharistici. Atqui consumptio immediatè exercetur circa species, non circa Christum. Ergo species habẽt principem locũ in compositione Sacrificij Eucharistici. Nego Maiorem. Et quãuis ea gratis concedatur, loquendo de Sacrificio, quà est actio; videtur debere ab omnib⁹ repudiari, si sermo intercedat de Sacrificio, quà est hostia, & res oblata. Præterea quoad Minorem noto, etsi cõsumptio immediatè exerceatur in speciebus, tamen quod principaliter intẽditur, est sumptio corporis, & sanguinis Christi. Vnde luce meridiana clariùs patet, quã debilis sit Consequentia.

10 Contra tertiam conclusionẽ Pessantius 3. p. q. 83. D. 2. de Sacrif. Missæ, Cõcl. 1. Gaspar Hurtadus D. 1. de Sacrif. Missæ Diff. 3. Castro Palao Tract. 22. D. vnica, punct. 1. n. 6. Ioannes Dicastillus Tract. 5. D. 1 dub. 7. n. 132. allegãtes pro se Vazquium D. 222. C. 6, n. 51. & Valentiam tomo 4. D. 6. q. 11. pũcto 1. §. 3. (vbi nihil ad rem dicit) argumẽtantur primò, quia alioqui non esset eadem hostia in Sacrificio cruẽto, & in incruento, si panis, & vinum pertinerent ad intrinsecam rationẽ rei oblatæ in incruẽto. Huius tamen argumẽti vis eleuata à nobis est paulò anteà. Secũdò opponũt Hurtadus, & Dicastillus, tota ratio sacrificandi, & Sacrificij reperitur sufficienter in separatione mystica, qua corpus Christi ponitur ex vi verborum sub speciebus panis, non posito sanguine ex vi eorundem verborum; & sanguis Christi ponitur sub speciebus vini ex vi aliorum verborum, non posito corpore ex vi illorum: satis namq; est talis separatio mystica [illegible] mactationem, & iugulationem mystic[illegible]m Christi. Sed quorsũ tendant hoc argu[illegible]nento, non videmus, non enim agimus de Sacrificio, quà est actio, sed quà est res oblata.

11 Si dicas, separatio mystica declarata non versatur circa panem, & vinum. At si panis, & vinũ essent aliquo modo res oblata, deberet separatio præfata exerceri circa vtriusq; substantiã, quandoquidẽ actio sacrificatiua debeat esse circa rem oblatã. Respondeo, actionem sacrificatiuam versari circa panẽ, & vinum, tanquam circa materiam, quã respicit, præsupponitq; necessariò, & tã quam circa terminum à quo conuersionis in Christi corpus, & sanguinẽ, ponit namq; sub panis specie corpus confectũ ex desinente pane, qui anteà erat præsens, ponitque similiter sub vini specie sanguinem confectum ex desinẽte vino, quòd præsens anteà erat. Quo sensu, & non alio defendo, panem, ac vinum esse rem oblatam in hoc Sacrificio. Neque contrarius nobis est in præfato sensu Nicolaus Cabasilas C. 32. Expositionis Liturgiæ, vt perspicuum erit legenti.

12 Si replices, conuersio panis in Christi corpus, & vini in sanguinem habet se per accidẽs ad actionem sacrificatiuam, nam per se ad hanc sufficit, quòd virtute verborum consecrationis corpus Christi, & sanguis separatim ponantur sub specieb⁹ panis, & vini. Vnde saluaretur actio sacrificatiua, tametsi nulla fieret conuersio panis, & vini in corpus, & sanguinẽ Christi, sed vtraq; substantia

perseueraret cum corpore, & sanguine Christi, dūmodò daretur mutua corporis, & sanguinis Christi separatio sub accidētibus substantiarū panis, & vini etiā permanentium. Vnde item è contra, quanuis fieret conuersio panis, & vini in corpus, & sanguinem Christi virtute verborum, si tamen ante horum prolationem corpus, & sanguis Christi existerent separatim sub accidentibus panis, & vini, non saluaretur actionis sacrificatiuę ratio in ea actione, qua per instrumentalem verborum virtutem conuerterētur panis, & vinum in Christi corpus, & sanguinem. Respondeo, esse mihi sermonem de actione sacrificatiua, quæ de facto existit; hæc autē realiter ponit corpus Christi, & sanguinē separatim sub speciebus panis, & vini per conuersionem istarum substantiarū in substātias corporis, & sanguinis Christi. Quapropter conuersio non habet se per accidens realiter ad actionem sacrificatiuam existentem nunc; etsi habeat se peraccidens formaliter. Addo, neque habere se peraccidens formaliter, si consideretur actio sacrificatiua nunc existens respectu rei oblatæ non tantùm primariò, sed etiam secundariò, seu respectu non tantùm termini ad quem, sed termini etiam à quo. Et licet terminus ad quē, scilicet corpus, & sanguis Christi, respiciatur præcipuè per actionē sacrificatiuam Eucharisticam, tamen terminus à quo, nempè panis, & vinū, respicitur etiam; non secus ac sacrificatiuę actiones odoriferarum exhalationū in veteri lege respiciebant non modò terminum ad quem, sed etiam terminum à quo, id est, non modò exhalationes causatas ex incensis odoriferis rebꝰ, sed etiā has ipsas res, tametsi illas primariò, & has secundariò, vt notat Coninch q. 83 art. & dub. 1. n. 16. comparans in n. 73. terminos ad quem, & à quo actionis sacrificatiuæ Eucharisticæ cum terminis præfatarum actionum, quatenus sicut producebatur suffitus, & destruebatur thus, v.g. in Sacrificio thuris, ita nunc in Eucharistico producuntur, aut ponūtur corpus, & sanguis Christi sub speciebus panis, ac vini, destruunturq; panis, & vinum. Quòd si huiusmodi exemplum non placeat, possumus desumere aliud ex Sacrificijs, in quibus offerebātur pecudes, nam actio sacrificatiua ouis v.g. respiciebat terminos à quo, & ad quem, videlicet ouem, quæ perimebatur, & cadauer, quod producebatur; etsi in istiusmodi Sacrificijs terminus à quo esset primarius, & terminus ad quē esset secundarius, vt obseruat idem Coninch n. illo 16.

13 Si importunè instes, nihil prohibet, quominus cōsecratio, vt præcisè destruit substantias panis, & vini, sit actio sacrificatiua, circūscripto respectu ad corpus, & sanguinē Christi, quatenus per eam ponuntur sub speciebus panis, & vini. Nā in primis nos fatemur, panem, & vinum esse rem oblatā. Deinde vtrumq; fit ex prophano sacrum, cū enim sint substantiæ alioqui terrenæ, & communes, conuertūtur per consecrationem in Christi corpus, & sanguinē, quæ sunt entitates sacratissimæ. Vlteriùs consecratio, vt est destructiua, præsupponit panem, & vinum; vt autem respicit corpus, & sanguinem Christi, antecedit vinum, & alterum. Erit igitur potiori iure actio sacrificatiua sub priori consideratione, quàm sub posteriori, nam materiam in Sacrificio præsupponere solet actio sacrificatiua. Tandem panis, & vinum per consecrationem destruuntur in honorem, & cultum Dei. Ergo consecratio, vt est earum substantiarum destructiua, includit conceptum actionis sacrificatiuæ. Respondeo, consecrationem, vt præcisè destruit substātias panis, & vini, non esse actionem sacrificatiuam, non enim sunt illæ substātiæ id, quod in Sacrificio Eucharistico offertur principaliter, & sacrificatur: nequit verò actio esse sacrificatiua, nisi vt comparata ad materiam, & ad terminum oblatum principaliter, atq; sacrificatum. Quare nihil prodest, quod panis, & vinum sint res oblata secundario. Nihil etiam iuuat, quòd fiant quid sacrum ex prophano, nam, vt docet Cardinalis Bellarminus Lib. 1. de Missa Cap. 27. Vers. *Respondeo, quòd ita fit sacrum ex prophano, vt maneat* quoad partem saltem aliquam, *id sine dubio propriè sacrificatur*: *At panis* (cogita idem de de vino) *non manet, dum sacratur, sed in aliud vertitur: & ideo non panis, sed id, quod ex pane factū est, propriè sacrificatur*; & absq; ordine ad id non potest cōsecratio cōcipi in ratione actionis sacrificatiuæ. Præterea nihil prodest, quòd substantiæ panis, & vini antecedant consecrationem, vt destructiuam ipsarum, quia materię Sacrificij præ-

præcedentia ad actionem sacrificatiuam necessaria haūdquaquam est. E contrà autem corpori, & sanguini Christi Domini, quòd vt producta, vel posita subspecibus panis, & vini subsequantur consecrationem, nihil obest, quominus sint materia, resq; oblata principaliter; quominus item sint terminus, ex ordine ad quem consecratio cēseatur sacrificatiua actio. Taceo, corpus, & sanguinem Christi vt existentia in specie propria præire consecrationem; licet si fingamus, Christum desinere esse in rerum natura, & verba nihilominus consecrationis ita instituta esse, vt à Sacerdote prolata ponerent eodē modo, quo nunc, subspeciebus panis, & vini corpus, & sanguinem Christi, saluaretur in consecratione conceptus actionis sacrificatiuæ, provt admonet Dicastillus Tract. 5. D. 1. dub. 10. n. 187. Demum nihil prodest, quòd substantiæ panis, ac vini destruantur in honorem, cultumq; Dei, nā earum destructio vel non ordinatur ad protestandum Deum authorem vitæ, & mortis, vt inquit Dicastillus suprà, dub. 7. n. 134. vel etsi dirigatur, sed non nisi mediatè, & consequenter ratione immolationis corporis, & sanguinis Christi, ad quam immediatè, & directè ordinatur, vt ait Coninch q. 83. art. 1. dub. 4 n. 80.

14 Ex quibus omnibus patet, consecrationē, vt præcisè destruit substantias panis, & vini, mutatque eas verè, & realiter in substantias corporis, & sanguinis Christi, non esse actionem sacrificatiuam; proindeque, vt consecratio induat denominationem actionis sacrificatiuę, insuper requiri positionem corporis, & sanguinis Christi separatim subspeciebus panis, & vini; imò requiri talem positionem, tanquam quid præcipuè spectans ad eam denominationem. Patet etiam, consecrationem, vt inferentem desitionem panis, & vini, non esse absolutè, & simpliciter Sacrificium, vti falsè, & improbabiliter iudicio Bellarmin L. 1. de Missa Cap. 27. V. *Hucfaciunt*, opinati fuere Gaspar Cassalius L. 1. de Sacrificio Missæ Cap. 20. Ruardus Tapperus art. 13. & 16. contra Lutherum, nonnullique antiqui Theologi ab Amico in D. 33. sect. 2. n. 33. recensi, distinguentes Sacrificia duo in Missa, alterum panis, & vini, alterum corporis, & sanguinis Christi, quorum primū ordinetur ad secundum, ideoque ex vtroque resultet Sacrificium vnum moraliter. Aſt certè cum in Missa non offerātur panis, & vinum, vt desinens quoquo modo, sed per conuersionem in Christi corpus, & sanguinem, tanquam terminum ad quem principaliter intentum, fit, consecrationem, tam vt inferentem desitionem panis, & vini, quam vt ponentem corpus, & sanguinem Christi subspeciebus panis, & vini, esse vnum Sacrificium absolutè, & simpliciter, vnamque actionem sacrificatiuam; non secus ac mutatio termini à quo, & ad quem sub eodem termino communi est absolutè, & simpliciter vnus motus. Legantur Bellarminus L. 1. de Missa Cap. 27. propositione 3. Scortia L. 1. Cap. 4. in fine. Nec facit contrà Sacrificij vnitatem (vt obiter id dicam) diuersitas, distinctioq; corporis, & sanguinis Christi, quorum oblatio fit in Missa. Præoccupaui enim tacitè hanc obiectionem, cum proposui in Sectione 1. Conclusionem primam. Et nunc expressiùs cum Suario D. 75. sect. 1. V. *Sed contrà*, necnon cum Vazquio D. 223. Cap. 6. n. 51. addo, offerri corpus, & sanguinē Christi, res quidem in se diuersas; sed offerri vt partes Christi, qui totus per se offertur. Verba Suarij sunt, *Per diuersas formas consecrantur corpus, & sanguis ex vi verborum, re tamen ipsa totus Christus consecratur per quamlibet formam, & ita etiam totus offertur. Quanuis enim possit sub distinctione dici, sicut consecratur aliud ex vi verborum, & aliquid per concomitantiam, ita etiam sacrificari: nihilominus absolutè dicendum est, offerri totum Christum, quia intentio offerentis est, totum offerre, & efficacia verborum ad totum se extendit, quanuis expressè non totum significet.*

* * *

DISPVTATIO X.

DE SACRIFICII MISSAE FRVCTV, in generali.

1 *EVDE EIVS EFFECTIbus in communi. Cum autem Sacrificiũ Missæ sit propitiatorium, & impetratorium ex essentia sua, incumbit nobis, tractare de effectibus, quos causat duplicieo de titulo. Et quanquam simul sit Eucharisticum, & honorarium, seu actionis gratiarum, & laudis, commemoratioque Sacrificij in cruce peracti, vt inquit Concilium Tridentinum Sess. 22. Can. 3. non indigent disputatione effectus, seu quasi effectus, quos causat sub his rationibus, quales sunt gloria extrinseca Dei, & excitatio memoriæ Sacrificij cruenti.*

SECTIO I.

An remissio culpæ sit fructus, effectus ve Sacrificij huius?

CVLPA ALIA EST mortalis, alia venialis, & de vtriusque remissione per Sacrificium Missæ dicemus sine Authorum, siue fauẽtium, siue aduersantium, recensione nostram sententiam, maiori, meliorique Theologorum parti conformiorem.

Quatuor pronunciata circa collationem per se, & per accidens primæ gratiæ sanctificantis, augmentumque eius, & remissionem venialium peccatorum.

PRIMVM sit, Sacrificium Missę non confert per se, nec immediatè ex opere operato primam sanctificãtem gratiam homini attrito, proindeque nec remissionem culpæ mortalis. Probatur primò ex Concilio Tridentino Sess. 7. in proœmio Decreti de Sacramentis, vbi inquit, *Per Sacramenta omnem veram iustitiam vel incipere, vel cæptam augeri, vel amissam reparari*. Ergo per Sacrificium Missæ in ratione talis non reparatur iustitia amissa. Et alioquì Sacramenta plura essent, quàm septem, contra eandem Synodum ibidem Can. 1. esset enim duplex Sacramẽtum Eucharistia, alterum vt sumitur, alterũ vt offertur; & vtrũque satis distinctũ, quia vt sumitur, non posset causare per se primam gratiam, posset autem, vt offertur. Quamuis autẽ aliquando nomine Sacramẽti significetur etiam Sacrificium; ast in loco adducto Tridẽtini Concilij comprehẽdi, asseretur omnino gratis. Secundò ex eadẽ Synodo docẽte in Sess. 22. C. 2. *Sacrificii istud verè propitiatorii esse, per ipsumq; fieri, vt si cum vero corde, & recta fide, cum metu, & reuerentia contriti, ac pœnitẽtes ad Deum acce-*

accedamus, misericordiam consequamur, & gratiam inueniamus in auxilio opportuno. Huius quippe oblatione placatus Dominus gratiam, & donum pœnitentiæ concedens, crimina, & peccata etiam ingentia dimittit. Quorum verborum sensus est, oblatione huius Sacrificij moueri Deum, vt ijs, qui sunt attriti tantùm (vtpote in quibus non sit iam deleta noxa mortalis) largiatur gratiam excitantem, & donum pœnitentiæ perfectæ, cui annexa est gratia sanctificans, & remissio culpę lethalis. Igitur Sacrificium per se immediatè non causat ex opere operato in homine attrito primam gratiã, remissionemque mortalis peccati. Et à fortiori concluditur, non causare in non attrito, tametsi mouere etiam possit Deum, vt ei conferat auxilia ad attritionẽ, & contritionem. Neque hanc vim inficiatur Tridentina Synodus in Sacrificio, etsi solummodò priorem exprimat ob rationes adnotatas ab Arriaga D. 51. sect. 1. n. 5. Probatur tertiò ex S. Thoma q. 79. art. 7. ad 2. dicente, *Sicut Passio Christi prodest quidem omnibus quantùm ad sufficiẽtiam, & remissionem culpæ, & adeptionem gratiæ, & gloriæ; sed effectum non habet nisi in illis, qui Passioni Christi coniunguntur per fidem, & charitatem; ita & hoc Sacrificium, quod est memoriale Dominicæ Passionis, non habet effectum nisi in illis, qui coniunguntur huic Sacramento per fidem, & charitatem,* Ergo iuxta S. Doctorem remissio culpæ lethalis non est ex efficacia, operecq; operato Sacrificij huius incruenti. Et sanè si ex ea esset, sequeretur, Christum concessisse Sacrificio incruento efficaciam, qua vti non voluit in Sacrificio cruento, aliàs sufficientissimo, & potentissimo ad sanctificationem hominum. Hæc autem sequela absurditatem præsefert. Rursus idem S. Thomas in 4. Distinct. 12. quæst. 2. art. 2. quæstiuncula 2. ad 4. inquit, *Eucharistia non solùm est Sacramentum, sed etiam est Sacrificium: in quantum autem est Sacramentum, habet effectum in omni viuente, in quo requirit vitam præexistere. Sed in quantum est Sacrificium, habet effectum etiam in alijs, pro quibus offertur; in quibus non præexigit vitam spiritualem in actu, sed in potentia tantùm: & ideo, si eos dispositos inueniat, eis gratiam obtinet virtute illius veri Sacrificij, à quo omnis gratia in nos influxit, ac per consequens peccata mortalia in eis delet, non sicut causa proxima, sed in quantum gratiam contritionis eis impetrat.*

2 Probatur quartò, quia his, qui non sunt baptizati, non remittitur culpa lethalis, nisi per baptismum in re, vel in voto; & baptizatis non remittitur, nisi per Sacramentum pœnitẽtiæ in re, vel in voto. Ergo neque in istis. neque in illis potest Sacrificium Missæ per se, immediatèque causare ex opere operato primam gratiam, remissionẽque mortalis noxæ, alioqui non essent eis necessaria illa Sacramenta in re, vel in voto, nam ex duobus medijs per se sufficientibus ad iustificationem hominis, siue non baptizati, siue baptizati, neutrum per se est necessarium determinatè. Quintò, quia alioqui peccaret mortaliter is, qui, cũ non est attritus de peccato lethali præterito, aut cũ habet voluntatem peccandi de cætero, petit offerri pro se Sacrificium, nam poneret obicem gratię; & eadem ratione peccaret mortaliter Sacerdos, qui offerret Sacrificium pro eo. Alioqui etiam pro moribundo, de quo non constet non esse attritum, deberet offerri Sacrificium à Sacerdote, casu quo Sacramẽta non posset ei ministrare. Alioqui item omnes fideles peccatores, qui attriti sint de suis peccatis, consequerẽtur eorum remissionem per Sacrificium quodcumq; vtpote oblatũ generaliter pro omnib⁹ fidelibus; quanuis tempore celebrationis nihil cogitent de sua salute; & à fortiori donarentur remissione fideles illi, pro quibus specialiter applicaretur Sacrificium. Alioqui deniq; fideles attriti, pro quibus oblatum sit Sacrificium, possent licitè, quin conentur in contritionem, ministrare omnia Sacramenta; possentque suscipere omnia, excepto solo Sacramẽnto Eucharistię; posletque Sacerdos celebrans, & pro se offerens Sacrificiũ, si recordetur peccati mortalis post consecrationem specierum panis, progredi ad consecrationem specierũ vini, habita solummodò cura conandi in attritionem; imò posset conscius peccati mortalis ante consecrationem specierum panis, carensque copia Confessoris, aggredi harum specierum consecrationẽ, non conando in contritionem, sed in attritionem, & in id, vt pro se offerat Missam tanquam remedium per se institutum ad remissionẽ peccati mortalis. Quæ quidem sunt patentia absurda, vt omittam plura alia optimè deductaà Martino Perez de Ayala 3. parte de

Traditionibus diuinis, Cõsideratione 5. fol. 142. à PP. Suarez Disput. 79. sect. 3. Vazquez Disp. 228. C. 2. & post illos ab alijs recentioribus Theologis.

3 Pronunciatum secundum, Sacrificium Missæ non confert peraccidens primam gratiam homini attrito, existimanti, se esse contritum. Suadetur primò, quia, vt dicemus in pronuntiato tertio, non confert per se augmentum gratiæ ex opere operato. Ergo neque peraccidens primam gratiam in casu attritionis, existimatæ contritionis. Secundò, nam si conferret peraccidens primam gratiam, conferret etiam per se, quanquam homo sciret, se tantùm esse attritum, quia vt pro aliquo licitè offeratur Sacrificiũ, non est opus, quòd ipse existimet, se esse in gratia; neq; vt existimet Sacerdos, esse in gratia eum, pro quo offert, vlla est necessitas.

4 Pronunciatum tertium, Sacrificium Missæ non causat per se immediatè ex opere operato augmẽtum gratiæ in homine iusto. Interfero hoc pronunciatum alijs de remissione peccati, vt quæ ad gratiam causandam pertinẽt, non sint diuisa. Fulcitur primo ex verbis Concilij Tridentini relatis in primo pronunciato, nam gratia cæpta augetur ex opere operato per Sacramenta. Non igitur per Sacrificium vt tale. Secundò, quia alioqui in paruulo baptizato, in homine iusto phrenetico, aut amente, aut dormiente augeretur gratia, si pro eis offerretur Sacrificium specialiter; imò etsi non offerretur specialiter, sufficeret oblatio generalis, quæ in quouis Sacrificio fit pro omnibus fidelibus, seu baptizatis viuis, atque defunctis. Tertiò, quia alioqui in persona iusta cresceret penè in infinitum gratia ex oblatione generali Missarum pro fidelibus, & ex speciali multarum, quas curaret prosecelebrari. Vnde contingere posset, vt homo aliquis, cuius merita exilia forent, superaret in gratia, & gloria viros alios, qui multùm laborarint in vinea Domini, sed pro quibus non offerãtur specialiter tot Missæ, quot pro eo alio applicentur. Quartò, nam vis augẽdi gratiam ex opere operato non est attribuenda Sacrificio, nisi de ea constet ex institutione Christi, ex pressa in diuinis litteris, vel per Ecclesiæ traditionẽ vulgata, contestataque in Concilijs, aut in Decretis Summorum Põtificum, aut in scriptis Patrum, aut in perpetuo, cõcordique Theologorum consensu. Quæ omnia, & singula desiderantur in præsentiarum ad præfatam Christi institutionem asserendam. Ratio hęc adaptanda est in comprobationem pronuntiatorum præcedentium.

5 Pronunciatum quartum, Sacrificium Missæ non causat per se immediatè ex opere operato remissionẽ culpæ venialis. Munitur primò, quia nullum est indicium, vnde sufficienter colligamus, competere Sacrificio ex opere operato vim remissiuam culparum venialium. Secundò, nam si hæc vis inesset Sacrificio, laborarent frustra Theologi in comperiendo modo, quo remittatur culpa venialis homini iusto, qui moriatur cum eius macula, possent enim facilè dicere, remitti per Sacrificium applicatum specialiter, vel etiã generaliter pro illius hominis anima existẽte in Purgatorio. Tertiò, quia (vt tracto latè in Opere de Pœnitentia) semper ac homini in ista vita remittitur peccatum veniale quoad culpam, infunditur etiã ei, vel augetur gratia habitualis. Cum ergo, vt probauimus, non causet per se immediatè primam gratiam, neq; eius augmentum Sacrificium Missæ, sequitur, neque per se immediatè causare remissionem peccati venialis. Quartò, quia iuxta S. Augustinum in Epist. 48. non est putandum, *ab errore ad veritatem, vel à quocumque, seu magno, seu paruo, peccato ad correctionem sine pœnitentia posse quemquam transire.* Et in Lib. de vera, & falsa pœnitentia C. 8. postquàm dixisset, pœnitendum esse de maioribus, & minoribus, addit, *Est enim pœnitentia assiduè peccantibus, assiduè necessaria; in multis enim offendimus omnes, quæ quotidie remittuntur, si semper deplorentur.* Sic Sanctus Augustinus, vel qui eius nomen præfert. Et quidem congruum non est, vt qui per peccatum veniale volũtariè recessit aliquo modo à Deo, reconcilietur huic, nisi per displicentiam formalem, vel virtualem de eodem peccato accedat iterùm ad ipsum Deum. Cumq; peccatum veniale habituale nihil aliud sit, quàm rationabile fundamentum ad indignationem leuem diuinam, relictum ex peccato actuali præterito. Igitur vt Deus iuxta prouidentiam ordinariam moueatur ad deponendam eam indignationem, opus erit, vt homo per aliquam

quam displicentiam de peccato actuali præterito tollat ex parte sua fundamentum indignationis illius. Premam hoc argumentum magis ex instituto in præsignato Opere, vbi propria est eius sedes. Prætereo probationes alias, quæ non sunt admodùm vrgentes. Sed quia prima suo iure exigit, vt indicijs Aduersariorum occurram, proponam illa breuiter, & refutabo.

Exarmantur argumenta contra Pronunciata stabilita.

6 OPPONVNT itaque primò, Concilium Tridentinum Sess. 22. C. 1. dicens, per hoc Sacrificium applicari nobis salutarem virtutem Sacrificij cruenti *in remissionem eorũ, quæ à nobis quotidie committuntur, peccatorum.* Quibus verbis significari peccata venialia, certissimum est, vt & in his C. *Iteratur* 71. de Consecratione Dist. 2. *Iteratur quotidie hæc oblatio*; :: *quia quotidie peccamus saltem in peccatis, sine quibus mortalis infirmitas viuere non potest, quia licet omnia peccata sint donata in baptismo, infirmitas tamẽ peccati adhuc in carne remanet*:: *Et ideo quia quotidie labimur, quotidie Christꝰ mysticè pro nobis immolatur, & Passio Christi in mysterio traditur, vt qui semel moriendo mortem vicerat, quotidie recidiua delictorum per hæc Sacramẽta corporis, & sanguinis peccata relaxaret.* Habentur eadẽ penè verba C. *Vtrùm sub figura* 72. & in C. *Quid sit sanguis* 73. dicit S. Gregorius Magnꝰ, *Prouidens Dominus nobis, dedit hoc Sacramentum salutis, vt quia nos quotidie peccamus, & ille iam mori non potest, per istud Sacramentum peccatorum remissionem consequamur.* Consonant Stephanus Eduensis Cap. 13. de Sacramento altaris, vbi ait, *Culpis nostris exigentibus quotidie labimur; ab hoc lapsu iterata immolatione, quæ fit in altari, resurgimus, & renouamur.* Egregius quidam versificator antiquus apud Zachariam Chrysopolitanum in vnũ ex quatuor Euangelijs L. 4. canens,

Nam quia peccantes medicina semper egemus,
Hanc pro peccatis medicinam semper habemus.

S. Hildegardis in Epistola ad Prælatos Moguntinenses inquiens, *Officio altaris rationabiliter peracto, multa remissio peccatorum viuis, & defunctis prouenit.* Algerꝰ L. 1. de Sacramento C. 16. Paschasius Rathbertus L. de Corp. & Sang. Domini C. 9. Primasius in Cap. 10. Epistolę ad Heb. alijque Patres passim, præsertim S. Thomas q. 83. art. 2. in Corp. & Opusculo 66. C. 3. Opponunt secundò, eundem S. Thomam q. 79. art. 7. qui in argumento 2. sic disputat, *Effectus huius Sacramenti est adeptio gratiæ, & remissio culpæ, ad minus venialis. Si ergo hoc Sacramentum haberet effectum in alijs, quã in sumentibus, posset contingere, quòd aliquis adipisceretur gratiam, & gloriam, & remissionem culpæ absque actione, & passione propria, alio sumente, vel offerente hoc Sacramẽtum.* Cui argumento non respondet S. Thomas, negando, remissionem culpæ venialis esse effectum huius Sacrificij, neque negando, eam remissionem fieri absque actione, & passione propria personæ, pro qua offertur Sacrificiũ. Tertiò, per Sacramenta Baptismi, Confirmationis, Eucharistiæ, & Extremæ vntionis remittuntur ex opere operato peccata venialia, vt certum est inter Theologos; quorum plures affirmant id ipsum de tribus alijs Sacramentis. Ergo idem de Sacrificio dicendũ est. Quartò, Sacramentalia conferunt immediatè ex opere operato remissionem culparum venialium. Ergo multò potiùs eam conferet Sacrificium Missæ. Quintò, hoc Sacrificium potissimè videtur institutum ad remittẽdas culpas, & pœnas amicorum, vt significat Tridentinũ Sess. 22. C. 2. tum quando ait, *Per ipsum fieri, vt si cum vero corde, & recta fide, cum metu, & reuerentia contriti, ac pœnitentes, ad Deum accedamus, misericordiã consequamur, & gratiam inueniamus in auxilio opportuno*: tum quando in fine Capitis cõcludit, *Quare non solùm pro fidelium viuorum peccatis, pœnis, satisfactionibus, sed & pro defunctis in Christo, nondum ad plenum purgatis, ritè iuxta Apostolorum traditionẽ offertur.* Fauetque ratio, nam cum hoc Sacrificium sit præcipuè institutum, vt offeratur pro viuis membris Christi; & in istis, vt pote coniunctis Christo per fidem, & charitatem, absint peccata mortalia, possint; sola venialia adesse, sequitur, institutum esse ad eorum remissionem.

7 Sed contra primum insurgo, nam authoritatibus illis solùm conuincitur, remitti peccata venialia per Sacrificium; non autem deleri immediatè, & ex opere operato sine personę, pro qua offertur, actu, ratione cuius ex opere

re operantis condonentur à Deo. Nam Scripturæ sacræ, Concilia, & Patres nō magis dicunt, Sacrificium esse propitiatorium pro venialib⁹, quàm pro mortalibus peccatis, imò Concilium Tridentinum exprimit hæc cum particula *Etiam*, vt à fortiori denotet, esse propitiatorium pro illis; & tamen Aduersarij non inde mouentur, vt concedant Sacrificio vim immediatam ex opere operato remissiuam peccatorum mortaliū; sed interpretantur eodem modo, ac nos testimonia obiecta in ipsos, obarmantq; se authoritate Concilij Tridentini; sed quod de condonatione culparum leuiū per Sacrificium non dissimiliter loquatur. Replicabit quis, si vt culpæ veniales remittantur, debet in persona, pro qua Sacrificium offertur, adesse aliquis actus, ratione cuius ex opere operantis fiat remissio, non tribuetur hæc Sacrificio, sed actui, cum tamen authoritates allatæ tribuant eam Sacrificio satis patenter. Quod si ad fugam replicæ dicatur, actum, aut auxilium ad illū causari immediatè ex opere operato, atque infallibiliter à Sacrificio; perinde id est, ac si Sacrificium causet immediatè ex opere operato, atque infallibiliter remissionem, siquidē sit causare aliquid, cui ineuitabiliter sit adiuncta remissio. Cæterùm hæc difficultas æquè premit Aduersarios admittentes nobiscum, Sacrificium dici propriè remissiuum peccatorum lethalium. Cui difficultati satisfaciemus posteà.

8 Contrà secundum est, quòd S. Thomas neutiquam ibi doceat, remissionem culpæ venialis in persona, pro qua Sacrificium offertur, fieri præcisè per illud; imò potiùs in fine respōsionis ad secundum argumentum exprimit, remissionem commensurari modo deuotionis personæ illius. Video, dici posse, S. Thomam habuisse rationem deuotionis, vt sit maior, vel minor remissio, non verò vt simpliciter, & absolutè ea detur. Non possum impugnare id ex textu S. Doctoris. Sed tam obscurum indicium non sufficit, vt putemus, S. Doctorem pro ea sententia stare; maximè cum ipse in alijs, quorum virtus ad remittenda peccata venialia notior est, requirat aliquem actum ex parte personæ, cui fit remissio, vt constabit ex proximè dicendis.

9 Contrà tertium facit primò, quia etsi concedatur, omnia Sacramenta remittere immediatè ex opere operato peccata venialia, si in suscipiente non detur obex complacentiæ actualis, aut virtualis erga ea, non inde sequitur, affirmari debere idem de Sacrificio; sicut etsi Sacramenta conferant per se immediatè ex opere operato primam, aut secundam gratiam, non ideò Sacrificium debet sic causare illam, non enim ordinatur, quemadmodùm Sacramenta, ad sanctificationem hominum tanquam ad finem primarium. Secundò, quia etsi paritas Sacramentorum, præsertim Eucharistiæ, esset omnino efficax ad suadendam in Sacrificio vim remissiuam peccatorum venialium, tamen Sacramenta, præsertimque Eucharistia, non remittunt huiusmodi peccata absq; aliquo actu, qui sit formalis, vel virtualis retractatio eorum. Vnde de Eucharistia ait S. Thomas in 4. Dist. 12. q. 2. a. 2. quęstiuncula 1. in Corp. *Virtute huius Sacramenti fit quædam transformatio hominis ad Christum per amorem; & hic est proprius eius effectus. Et quia ex feruore charitatis peccata venialia dimittuntur, propter hoc, quod dicto feruori contrariantur, ideo ex consequenti virtute huius Sacramenti venialia delentur.* Germana sunt, quæ tradit 3. p. q. 79. art. 4. in Corp. quin ibi legamus verbum vllum, ex quo valeamus inferre, fieri remissionem venialium per Eucharistiam absque omni actu retractatiuo elicito ab homine. Nec mihi persuadeo, S. Thomam dicturum, remittenda venialia homini, cui alienato à sensibus administraretur Eucharistia, quin de ea suscipienda cogitasset anteà. Vt minimùm enim, vltrà carentiam cōplacentiæ actualis, vel virtualis circa peccata dimittenda, requiritur pia voluntas suscipiendi Eucharistiam, quæ voluntas erit quædam virtualis saltem retractatio illorum. Vnde nec Sacrificium remittet venialia in homine, pro quo nihil cogitante de ipso offeratur; secus in homine, qui aliquo modo concurrat ad Sacrificium ex pia voluntate formali, vel virtuali obtinendi à Deo remissionem suorum venialium, nam hæc voluntas est formaliter, vel virtualiter eorum retractatiua, vt notat Suarez D. 79. sect. 5. V. *Sed quanquam.* Sic discurri posset ad retorquendam in Aduersarios paritatem Eucharistiæ. Sed ego absolutè censeo, voluntatem concurrendi

currendi ad Sacrificium non esse sufficientem, vt accedente oblatione Sacrificij facta per Sacerdotem remittantur venialia; sed vlteriùs esse requisitum actum, qui seorsim à Sacrificio moueret Deum ad condonationem venialium; quicquid sit, an sufficiat pia, supernaturalisque voluntas suscipiendi Eucharistiam, vt per hanc in re susceptam obtineatur à Deo condonatio venialium, nam remissio obtenta hoc modo arguit in Eucharistia virtutem Immediatam ex opere operato remissiuam illorum; quam vt modò negemus, non cogit nos Sacrificij causa, vt perspicuum est ex dictis; fitque magis manifestum nouâ hac instantiâ inde petita, quòd etsi Eucharistia vt Sacramentum non habeat vim remittendi per se, ac directè pœnâ, vt cum S. Thoma 3. p. q. 79. art. 5. docent communiter Theologi, non idcirco consequens est, Eucharistiam vt Sacrificium carere illa vi. Ergo è contrà, etsi Eucharistia vt Sacramentum sit immediatè ex opere operato remissiua peccatorum venialium, necesse non est, competere ipsi vt Sacrificio, esse eo pacto remissiuam culparum venialium.

10 Contrà quartum decerto primò, nam Sacramentalia carent vi ex opere operato immediatè remissiua venialium, vt docet S. Thomas 3. p. q. 87. art. 3. q. 7. de Malo art. 12. in Corp. & in 4. Dist. 16. q. & art. 2. quæstiuncula 4. Dist. 21. q. 2. art. 1. in Corp. & ad 1. quibus omnibus in locis actus retractatiuus formaliter, vel virtualiter venialium, requisitus à S. Thoma, vt cũ Sacramentalibus fiat remissio illorum, esset per se sufficiens, vt in absentia Sacramentalium fieret eadem remissio; ad quem actum excitandum moueatur Deus frequenter, sed non infallibiliter, ex deprecatione Ecclesiæ per Sacramẽtalia; & hac ratione conferunt mediatè Sacramentalia, vt venialia remittantur in illis, qui eis vtuntur. Et sic intelligendus est Canon *Aquam* 20. de Consecratione Dist. 3. & Cap. *Cum veniisset* de Sacra vnctione. Ac sanè nusquam Ecclesia declarauit, esse à se Sacramẽtalia instituta ad delenda immediatè ex opere operato venialia. Et vt admittamus potuisse à Christo committi Ecclesiæ facultatem instituendi aliquid efficax immediatè ex opere operato ad venialia abolenda; de facto tamen non commisisse, colligimus exinde, quòd non delegauerit ad id, vt absque Sacramentalibus dimittat immediatè illa, vt est in confesso apud omnes. Si autem Christus priorem facultatem comisisset, non negasset posteriorem; sicut quia Christus dedit Ecclesiæ potestatem dispensandi thesaurum meritorũ ipsius Christi, & Sanctorum in ordine ad remissionem pœnæ temporalis, imponendo onus pij alicuius operis, inferimus, dedisse etiam, vt dispenset, non imponendo tale onus, vtpote quod non sit ex rei natura necessarium ad remissionem pœnæ tẽporalis. Quapropter si semel admittatur, non requiri ex natura rei retractationem vllam peccati venialis ad eius remissionem, simulque in Ecclesia agnoscatur potestas, vt medijs Sacramentalibus sine retractatiuo actu dimittat venialem culpam, non video, cur non etiam agnoscatur potestas ad eundem effectum causandum absque Sacramentalibus. Et mirum esset, Pontifices Sũmos nunquam vsos fuisse tali potestate, si eam à Christo Domino haberent. Hactenus autem non audiuimus, Pontifices, siue iniuncto, siue non iniuncto opere pio, concessisse Indulgentias à culpis venialibus. Etsi enim aliquando dicant, concedere Indulgentiam à culpa, & à pœna, sensus eorum non est, quòd virtute Indulgentię tollatur culpa mortalis, vel venialis, vt obseruant communiter Theologi. Videatur Suarez tom. 4. in 3. p. D. 50. sect. 1. n. 15. Insurgo secundò, nam permissa in Sacramentalibus virtute ex opere operato immediatè remissiua venialiũ, nõ tenemur, eandem virtutem adscribere Sacrificio, non enim nobis constat de Christi institutione tribuẽte huiusmodi vim Sacrificio, sicut Aduersarijs constat de Ecclesię institutione cõferente eam Sacramentalibus. Quod verò Sacrificium longè præcellat in perfectione, nõ sufficit; sicut neque sufficit, quòd Eucharistia v. g. sit nobilius Sacramentum, quàm Baptismus, vt putemus, Eucharistiam præditam esse virtute ex opere operato remissiua pœnæ temporalis, vti præditus est Baptismus.

11 Contra quintum disputo, quia Sacrificium non est institutum ad remittendas immediatè ex opere operato culpas veniales, sed pœnas tantùm temporales, quibus post susceptum Baptismum

tismum sunt subiecti amici. Nec opus est, vt sit institutum ad delendū eo modo quicquid mali possit inueniri in mēbris viuis Christi, alioquì respiceret etiam, vt primarium sui effectum, ablationem reliquiarum peccati, provt de ea loqui solent Theologi, cum agunt de Extremæ vnctionis effectibus. Ad Cōcilium Tridentinum dico, intelligi satis aptè de sola virtute mediata ad remissionem culparum venialium. Atq; hinc veritas quarti nostri pronunciati manet abundè comprobata, & protecta.

12 Tertium verò, & secundū pronunciatum impugnari solet exemplo Sacramentorum, & præsertim Eucharistiæ, quæ causant per se immediatè ex opere operato augmētum gratiæ in homine iusto, à quo suscipiuntur; & quæ sunt viuorum, vt Eucharistia, causant aliquādo peraccidens primam gratiam in homine attrito reputante, se esse contritum, Sed respondemus, nō argui benè ab exemplo Sacramentorum, alioqui sicut dantur aliqua Sacramēta, quæ causant per se immediatè ex opere operato primam gratiam, ita etiam eā causaret Sacrificium. Non igitur omnia, quæ Sacramētis conueniunt, transferri debent ad Sacrificium. Et ratio à priori claret, quia Sacramentorum finis primarius est, sanctificare homines; nō sic autem Sacrificij, vt liquet ex Disputationibus præcedentibus. Imò quia ille est Sacramentorum finis, debet eorū effectus esse augmentum gratiæ, vel prima infusio; minimè verò Sacrificij, ne hoc vt tale assumat sibi rationem, & essentiam Sacramenti. Deinde dicim⁹, traditum esse disputationi, an Sacramēta viuorum, & præsertim Eucharistia, conferant aliquando peraccidens primā gratiam? Alij affirmant, alij negant. Quare arguitur ex incerto principio.

13 Primum pronunciatum impeti potest ex Sacramentis Baptismi, & Pœnitentiæ, quæ per se immediatè ex opere operato efficiunt primam gratiā, remittuntque mortalia peccata. Sed iā eneruauimus hanc obiectionem. Alia efficacior desumitur ex innumeris testimonijs Sacræ paginę, Summorū Pōtificum, Conciliorum, & Patrum apud Bellarminum L. 2. de Missa C. 2. Valentiam L. 1. de Missa C. 5. & tomo 4. Commentariorum Theologicorum D. 6. q. 11. puncto 1. §. 21. Suarium D. 79 sect. 3. Vazquium D. 228. C. 1. Meratium D. 37. sect. 9. Scortiam L. 1. C. 8 n. 3. Salmeronem tomo 9. Tract. 30. Nam ex eis testimonijs clarissimè constat, Sacrificium Missæ non modò esse propitiatorium pro pœnis peccatorum lethalium, sed pro ipsis etiam peccatis, habereque ex natura, seu institutione sua virtutem remittendi peccata etiam ingentia, atque adeò operandi primam gratiam sanctificantem, per quam illa expellantur. Respondeo, non obstare nobis ea testimonia; non enim in eis dicitur, neque ex eis colligitur, Sacrificium Missæ esse per se immediatè remissiuum peccatorum mortalium; sed tantùm esse remissiuum; cuius dicti veritas planè, & plenè saluatur per virtutem ad remittendum mediante alio tāquàm causa proxima, quatenus scilicet ex Sacrificij impetratione moueatur Deus ad conferendum auxilium, quo possit homo elicere contritionem de peccatis, aut attritionem in Sacramēto, atque ita consequatur ipse remissionē peccatorum.

14 Inquies, non saluari hac ratione Sacrificium esse propitiatorium, sed tantùm impetratorium, quia impetrat à Deo auxiliū ad cōcipiendum dolorem de peccatis. Testimonia autem suprà indicata clamant, Sacrificium non modò esse impetratorium, sed etiam propitiatorium, atq; remissiuum peccatorum, imò magis deprędicant, commendantque posterius id, quàm illud prius. Cardinali de Lugo D. 19. sect. 9 n. 140. visa est noua hæc difficultas, quę militat etiam contra diuisionem Sacrificiorum antiquę legis in impetratoria, & propitiatoria; ex quibus hæc abs dubio non erant per se immediatè remissiua culparum lethalium. Sed eam difficultatem iam olim attigit Albert⁹ Pighius Controuersia 5. & post ipsum Azor tomo 1. L. 10. C. 20. q. 3. Scortia L. 1. C. 8. n. 3. Castro Palao Tract. 22. D. vnica puncto 6. n. 4. Puteanus 3. p. q. 83. a. 1. dub. 5. V. *Dices ex ijsis.* Verba Azoris sunt, *At dices, si Sacrificium peccata lethalia delet, eorum veniam impetrando. Ergo impetratorium tantummodò, non etiam propitiatorium Sacrificium est. Respōdeo, impetratorium dici, quia impetrat multa bona ijs, pro quibus offertur, etiam nullum in eis peccatum delendo: dicitur tamen propi*

tiatorium,

tiatorium, quia impetrat quoque remissionẽ peccatorum; ac propterea pro peccatis Sacrificium fit, & offertur, vt Deum placet, qui placatus pœnitentiæ donum concedat, quo peccata eluantur. Hactenus Azor; nec dissimiliter Scortia, Castro Palao, & Puteanus. Sed Cardinalis de Lugo subscriptus à suo fratre Francisco de Lugo L. 5. C. 4. q. 3. n. 28. & ab Auersa q. 11 sect. 1. V. *Rursus*, soluit difficultatem, assignando diuersos formaliter terminos Sacrificio, vt propitiatorio, & vt impetratorio, nã sub priori ratione respicit ablationem indignationis diuinæ propter peccata retardantia Deum, ne conferret auxilium saltem vberius ad contritionem; sed sub posteriori ratione respicit donationem, & beneficium illius auxilij. Non acquiesco, & vt omittam, quæ diffusè vellicant in ea solutione Martinonus D. 36. sect. 1. ex n. 7. Arriaga D. 51. sect. 2. ex n. etiam 7. moueor, quia cum per Sacrificium obtineatur à Deo ablatio suæ indignationis, quid aliud id est, quàm respici eam ablationem, intendique à Sacrificio vt impetratorio? Si Sacrificium esset formaliter ipsa ablatio, carentiavè indignationis, distingueretur vtique vt propitiatorium ab impetratorio, nam vt impetratorium referretur ad auxilium tanquam ad terminum omnino diuersũ ab ea ablatione. Cæterùm nequit nisi inscitè asseri, Sacrificiũ esse ipsammet ablationem. Idcirco difficultati occurro dicens, Sacrificium rectè appellari propitiatorium, tametsi vt sic respiciat eundem terminũ, quem impetrat, quia terminus ille est auxilium ad actum cõtritionis, quo propitiatur, & placatur Deus peccatori. Igitur Sacrificium vt propitiatorium est formaliter impetratorium, sed non è conuerso, siquidem dirigatur ad impetranda multa alia, non concernentia remissionem peccati.

15 Rursus inquies, vel Sacrificium impetrat infallibiliter auxilium speciale ad contritionem, vel non impetrat illud infallibiliter? Si secundum; dicetur impropriè propitiatorium pro peccatis, remissionemq; horum, siquidem non per se, sed per accidens conuenit illi impetrare aliquando auxilium, quo homo prodeat, vel possit prodire in contritionem. Si primum; inquires iterùm, an auxilium infallibiliter impetratũ debeat esse efficax, vel possit esse inefficax, aut sufficiens solummodò? Si debeat esse efficax, pullulat ferè omnia inconuenientia, quæ diximus sequi ex remissione peccatorum facta per Sacrificium tanquam causam proximam, & immediatam: ostenditque experientia, offerri Sacrificiũ pro pluribus peccatoribus, quibus, etsi careant obice actualis, & virtualis complacentiæ in peccatis, nõ confert Deus auxilium efficax ad contritionem. Si verò ob id nõ debeat auxiliũ esse efficax; erit per accidens respectu Sacrificij, quòd aliquãdo sit efficax, & proinde accidentale erit Sacrificio, quòd remittantur peccata ei homini, pro quo offeratur.

16 Respondeo primò, per Sacrificium impetrari à Deo infallibiliter aliquod speciale auxilium ad cõtritionem peccatoris, si in hoc nõ detur obex. Prima ratio est, quia Sacrificium tã est propitiatorium pro culpis, quã expiatorium pro pœnis earum. Sed vt expiatoriũ pro pœnis habet impetrare à Deo infallibiliter aliquem effectum. Ergo & vt propitiatorium pro culpis. Nullus autem effectus, quem infallibiliter impetret, potest conuenienter assignari, nisi auxilium speciale ad actum contritionis, aut ad attritionem in Sacramento, vel extra, si sermo etiam esset de Sacrificio, vt propitiatorio pro culpis venialibus; sed nunc loquimur de culpis lethalibus; indeq; quisq; inferet, quid de venialibus debeat dicere. Secunda ratio, Christus est principalis offerens huius Sacrificij, impetransque mediante eo pro peccatoribus apud Patrẽ. Sed Christus iuxta Paulum ad Heb. 5. exauditur pro sua reuerentia, obtinetq; infallibiliter, quidquid petit efficaciter in bonum hominum lapsorum. Illud autem, quod efficaciter petit, videtur esse præcipuè auxilium speciale ad conuersionem, quandoquidem tale auxiliũ sit via ad id, vt Sacrificium, quà est propitiatorium, sortiatur suum effectum. Tertia ratio, oblatio Sacrificij pro peccatoribus est virtualis oratio pro eis, conuersioneque eorum. Sed oratio, si concurrant certè quædam conditiones, impetrat infallibiliter, quod postulat. Igitur oblatione Sacrificij pro peccatoribus impetrabitur infallibiliter auxilium speciale ad conuersionem eorum, si in eis non detur obex. Confirmatur, si peccatores orent pro se ipsis, vel offe

rant,

rant, petendo v.g. vt Sacerdos celebret pro ipsis, tunc impetrabunt infallibiliter auxilium speciale ad conuersionem, vt docet Suarez D. 79. sect. 3. V. *Hæc res mihi.* Ergo idem continget, etiamsi non offerant, sed tantùm offeratur à Sacerdote Sacrificium pro eis, nam Sacrificij oblatio pro peccatoribus est per se ipsam virtualis oratio, æquiualetque formali orationi. Quarta ratio, quia sic optimè intelligitur, Sacrificium esse propitiatorium pro peccatis, remissiuumque eorum. Aliæ rationes afferẽtur à nobis inferiùs, quando eodemus argumenta Aduersariorum. Respondeo secundò, auxilium, infallibiliter impetratum, non debere esse efficax, seu nõ debere conferri à Deo in circumstãtijs, in quibus sortiturum esse effectum cõtritionis præuiderit per scientiam conditionatam, quam vocant mediam. Primò, quia neque statim, ac offertur Sacrificium pro multis peccatoribus, neque post, imò neque vnquam illi conuertũtur. Secundò, quia nobis non cõstat de promissione, legeque diuina dãdi auxilium efficax peccatoribus ad cõtritionem, si pro eis offeratur Sacrificium. Tertiò, quia sicut Sacrificij proprium est, habere virtutem propitiatoriam, & remissiuam peccatorum, sic etiam eiusdem vt Sacramenti proprium est, habere virtutem præseruatiuam à peccatis; & tamen hæc virtus non debet inducere auxilia efficacia ad præseruationem à peccatis. Ergo neque illa alia virtus inducere debet auxilia efficacia ad remissionem peccatorum. Cõfirmatur ex gratia Sacramẽtali, quę vltrà habitualem confertur per Sacramẽtum Eucharisticum, & per reliqua alia, nõ enim semper affert secum auxilia efficacia, nec solet proportionari quoad effectũ auxiliorum nisi soli dispositioni præsenti suscipientium Sacramenta, non autem præscientiæ diuinæ conditionatæ de bono vsu auxiliorum in alijs circumstantijs, quàm in præsentibus, quando suscipiuntur Sacramenta; neq; item solet esse indeterminata, & indefinita quoad numerum, & perfectionẽ auxiliorum.

17 Sed reclamabis, vt suprà, ergo accidentale erit respectu Sacrificij, quòd auxilium aliquãdo sit efficax, & quòd peccata remittantur in eis, pro quibus offertur. Contra tamen, quia neutrum est peraccidens respectu Sacrificij, nam quòd auxilium impetratũ infallibiliter ratione Sacrificij nõ sit efficax, non prouenit ex defectu virtutis in Sacrificio, sed ex indispositione peccatoris, ex huiusque non cooperatione, cum tamen ex vi Sacrificij conferatur à Deo auxilium speciale, quo possit peccator, si velit, elicere contritionem, multòque faciliùs, & promptiùs, quàm auxilijs ordinarijs. Sic non est peraccidens respectu Sacramentorum, quòd in suscipientibus causetur gratia, tametsi sæpe ob indispositionem suscipientium impediatur eius productio. Vnde sapiẽtissimè scripsit Bellarminus, complexo breui sermone duas nostræ sententiæ partes, *Missæ Sacrificium, cum pro peccatoribus offertur, infallibiliter impetrat nouũ, ac certum auxilium diuinum, quo peccatores ad pœnitentiam perducantur; sed illud auxilium variè operatur pro varia hominum dispositione. Nam si is, pro quo Missa offertur, dispositus est ad contritionem, efficietur in illo vi noui auxilij contritio; quæ propriè donũ pœnitentiæ est; & hoc est, quod dicunt Concilium Tridentinum, & S. Thomas suprà citati. Si verò non sit dispositus, efficietur in illo homine noua quædam dispositio, sed quæ fine suo frustrabitur, si ille ex arbitrij libertate vocationem Dei reijciat. Itaque non est mirum, si peccatores non semper conuertantur, pro quibus Missæ Sacrificium offertur, cum tamen sine dubio sæpe iuuentur.* Ita in L. 2. de Missa C. 5. Verba verò Concilij Tridentini, & S. Thomæ, ad quem Lectorem remittit Bellarminus, transcriptá sunt à nobis in primo pronunciato. Dices tamen, in illis verbis, *Docet sancta Synodus, Sacrificium istud verè propitiatorium esse, per ipsumque fieri, vt si cum vero corde, & recta fide, cum metu, & reuerentia contriti, ac pœnitentes ad Deum accedamus, misericordiam consequamur, & gratiam inueniamus in auxilio opportuno*, denotari auxilium efficax ad contritionem, de qua immediatè subdit Concilium, *Huius quippe oblatione placatus Dominus gratiam, & donum pœnitentiæ concedens*, &c. Fateor, denotari auxilium efficax, non quidem quod debeat cõferri à Deo virtute Sacrificij, sed quod sæpe conferatur, toties scilicet, quoties homo, pro quo Sacrificiũ offertur, accedit ad Deũ cum requisitis declaratis à Concilio, & quod absolutè posset conferri, attenta dignitate Sacrificij, etiamsi homo non

sit

sit tam dispositus, quando pro eo Sacrificium offertur, potest enim Deus ob Sacrificium oblatum pro peccatore etiam indisposito moueri ad danda auxilia, quibus adquirat dispositionem illam, de qua loquitur Concilium. Atque id fortè nonnunquàm contingit. Cæterùm nō expediebat, vt semper, infallibiliterque contingeret, ne daretur securitas, & libertas peccandi hominibus scientibus, oblato semel Sacrificio pro se, obtēturos à Deo auxilium efficax ad iustificationem, & donum perseuerantiæ per alia auxilia efficacia, vt prudenter considerauit Cardinalis de Lugo D. 19. S. 9 n. 148. Et hinc edisserit, qua ratione, etsi offeratur Sacrificium adiuncta etiam oratione formali ad impetrandū à Deo auxilium efficax pro conuersione peccatoris, non sit infallibilis effectus impetrationis, quia scilicet iuxta ordinem rectæ gubernationis non expedit, vt talis effectus sit infallibilis. Neque hinc arguere contra nos licet, non fore infallibilem concessionem auxilij specialis ratione Sacrificij pro peccatore oblati. Non, inquam, arguere licet, nam nullū sequitur absurdum ex eo, quòd sit infallibilis concessio auxilij specialis; quin potiùs exinde valde commendatur vtilitas Sacrificij citra periculum, ne homines absque timore, & tremore suam salutem operētur. Sed notare oportet, dari non rarò in peccatore obicem ad auxilium speciale, vt si peccator sit actualiter, aut virtualiter affectus ad peccata, si non sit sui compos, aut si sit, sed nihil cogitet de sua salute, distractus omnino ad alia.

18 Colligitur ex dictis, conferri à Deo virtute Sacrificij homini iusto auxilium speciale ad retractationem culparum venialium, conferriq; infallibiliter actu, nisi ex parte hominis adsit obex. Rursus auxilium efficax non conferri infallibiliter, infertur etiam ex superioribus. Et vtraque illatio extendēda est ad auxilium, quo homo iustus excitetur, vt eliciat virtutum actus, quibus meritoriè augeatur gratia sanctificans. Sed aduerto, impetrationem auxilij efficacis faciliorem fore, & concessionem eius fore frequentiorem, siue ad retractationem culparum venialium, siue ad eliciendos actus virtutum, nam status gratiæ multùm iuuat,

SECTIO II.

An remissio pœnæ sit fructus Sacrificij huius?

19 SERMO est de pœna temporali, & non de æterna, nam de huius remissione, an sit effectus Sacrificij? eadem est disputatio, ac de remissione culpæ lethalis, cui est inseparabiliter annexus saltem ex natura rei reatus pœnæ æternæ, atque adeò manente culpa lethali maneat is reatus, & remissa culpa lethali non maneat; quicquid sit, num, de potentia Dei absoluta, possit, siue per infusam gratiam sanctificantem, siue per condonationem extrinsecam diuinā, remitti culpa lethalis, & manere reatus pœnæ æternæ? Agimus igitur de pœna temporali, cuius reatus superstes est post dimissam culpam lethalē, vel venialem. His prænotatis.

Quinque Assertionibus nostra mens declaratur.

20 ASSERO primò, Sacrificium Missæ causat remissionem pœnæ tēporalis in homine iusto, siue viuo, siue defuncto habente reatum pœnę istius post susceptum Baptismum. Assertio est de fide Catholica ex Concilio Tridentino Sess. 22. C. 2. definiente, istud Sacrificium esse *verè prrpitiatorium* pro peccatis; propitiatio autem pro peccatis debet includere condonationem peccatorum, tum quoad maculam culpæ, tum quoad reatum pœnæ, si sit propitiatio perfecta. Definit idem Concilium ibidem clarioribus verbis hanc veritatem, nam in fine Capitis ait, *Quare non solùm pro fidelium viuorū peccatis, pœnis, satisfactionibus, & alijs necessitatibus; sed & pro defunctis in Christo, nondum ad plenum purgatis, ritè iuxta Apostolorum trāditionē offertur.* Rursus Can. 3. ferit anathemate eum, qui dixerit, *Sacrificium istud non esse propitiatorium:: neque pro viuis, & defunctis, pro peccatis, pœnis, satisfactionibus, & alijs necessitatibus offerri debere.* Insuper Sess. 25. in Decreto de Purgatorio docet, *animas in Purgatorio detentas, fidelium suffragijs, potissimùm verò acceptabili altaris Sacrificio, iuuari.* Animæ autem in Purgatorio detentæ habent

exoluendum pœnę temporalis rèatum, vt declarat idem Cōcilium Sess.6. Can. 30. Consonat Catechismus Concilij eiusdem parte 2.n.71.Cap.de Eucharistiæ Sacramento, vbi inquit, *vt Christus Dominus in Passione sua pro nobis meruit, ac satisfecit: sic qui hoc Sacrificium offerunt; quo nobiscum communicant, Dominicæ Passionis fructus merentur, ac satisfaciunt.* Et circa finem Cap.num. 79. *Huius Sacrificij eam vim esse, Parochi docebunt, vt non solùm immolanti, & sumenti prosit, sed omnibus etiam fidelibus, siue illi nobiscum in terris viuant, siue iam in Domino mortui nondum planè expiati sint. Nec enim minus ex Apostolorum certissima traditione pro his vtiliter offertur, quàm pro viuorum peccatis, pœnis, satisfactionibus, ac quibusuis calamitatibus, & angustijs.* Sic Catechismus Romanus. Sic etiam Patres, & Theologi ante Concilium Tridentinum. Nec plura de hac assertione, nam quæ sequentur, comprobabunt eam affatim.

21 Assero secundò, Sacrificium Missę per se immediatè causat remissionem pœnæ temporalis. Probatur hæc assertio, primò, quia cum Concilium Tridentinum tradidisset, per Sacrificium Missæ remitti culpas, quatenus per illud causatur aliquid, quo deleantur; posteà neutiquam requirens quidpiam, quod interueniat, quodque causetur virtute Sacrificij, inquit, *Quare non solùm pro fidelium viuorum peccatis, pœnis, satisfactionibus, & alijs necessitatibus, sed & pro defunctis in Christo, nondū ad plenum purgatis, ritè iuxta Apostolorū traditionem offertur.* Et quanquam cum pœnis, ac satisfactionibus coniungat peccata, forsan horum nomine significat pœnas ex peccatis relictas, sicut Machabęorum L.2.C.12.dicitur, *Sancta ergo, & salubris est cogitatio, pro defunctis exorare, vt à peccatis*, id est, à pœnis *soluātur.* Nec est inconueniens, vt maioris claritatis gratia Concilium exprimat pœnas post peccata memorata, sicut neq; est inconueniens, quòd post pœnas exprimat satisfactiones, etsi vtriusque vocis idem sit significatum, quia secunda magis declarat significatum in prima intentum. Si hæc interpretatio non arrideat, restat alia, scilicet Concilium loqui de peccatis, & pœnis, vt inter se distinctis; sed quoad modum remissionis peccatorum per Sacrificiū oblatum supponere doctrinā proximè à se datam. Probatur secundò, Sacrificium Missæ causat pœnæ temporalis remissionem, vt visum est in Assertione prima. Sed eo ipso quòd causet, non potest non causare per se immediatè, nam remissio pœnæ temporalis non fit per aliquid receptum intrinsecè in homine incompossibile cum ipsa, sed fit per extrinsecam Dei voluntatem condonantem ipsius; neque requirit ex parte hominis dispositionem aliquam actualem, sed contenta est statu hominis in gratia. Ergo &c. Respondebis, Sacrificium Missæ posse causare eam remissionem impetratoriè, quatenus videlicet impetret à Deo auxilia, vt homo exhibeat pœnitentiæ opera, quibus satisfaciat pro pœna temporali debita. Sed cōtra primo, nam gratis admissa remissione causata tantùm impetratoriè per Sacrificium, posset causari immediatè, quin homo ex parte sua præstaret aliquod opus satisfactorium. Contrà secundò, quia sermo in præsentiarū est de Sacrificio vt propitiatorio pro pœnis; necesse autē est, vt, quà propitiatorium, habeat diuersum modum causandi, atq; habet, quà impetratoriū. Atqui vt propitiatorium pro culpis non habet eum diuersum modum causandi; prout probabiliter cōcessimus in Sectione superiori. Ergo debet vt propitiatorium pro pœnis habere illum. Contrà tertiò, Sacrificium Missæ est propitiatorium pro pœnis defunctorū in gratia, causans per se immediatè in eis remissionem pœnarum, quin impetret auxilia ad opera meritoria, & satisfactoria, sunt enim ipsi extra statum merendi, & satisfaciendi. Nec mirum, præfatos defunctos liberari à pœnis virtute Sacrificij per se immediatè modo dicto, cum liberentur non dissimili modo virtute suffragiorum, quæ pro eis applicant fideles viuentes iusti tanquam solutionē pro eorū debito, vt declarat Catechismus Romanus parte 2.Cap.5.de Sacramento pœnitentiæ, non longe à fine, seu in numero 77. loquens de suffragijs, ac satisfactionibus tam pro viuis, quàm pro defunctis; cum item liberentur nō dissimili modo virtute Indulgētiarū, quæ dispēsantur ex Ecclesiæ thesauro, seu ex superabundantijbus Christi, & Sanctorum satisfactionib⁹. Virtus autē, quæ suffragijs, & Indulgētijs cōpetit erga defunctorum pœnas, debet potis-

potissimùm competere Sacrificio Missæ; & ita docet Tridentinum suprà. Cõtra quartò, quia in Sacrificio Missæ debet agnosci eadem virtus erga pœnas viuorum, qui iusti sunt. Nam Concilium Tridentinum æquè fatur de vtilitate Sacrificij oblati pro pœnis, & satisfactionibus viuorum; imò tam Concilium Tridentinum, quam Catechismus iussu eius editus indicat, notiorem esse vtilitatem illam respectu viuorum. Dabit alias probationes assertio, quam iam propono.

22 Atque ita assero tertiò, Sacrificium Missæ causat infallibiliter remissionem pœnę temporalis. Probatio prima sit, quia iuxta Concilium Tridentinum Sess. 22. Cap. 1. & 2. per hoc Sacrificium applicatur nobis specialiter salutaris virtus Passionis Christi, & per hanc oblationem incruentam vberrimè percipiuntur fructus oblationis cruentæ in cruce. Ergo Sacrificium Missæ habet ex institutione sua singularem vim, & efficaciam ad applicandum nobis fructum aliquem Passionis Christi, atque adeò nobis applicat infallibiliter illum, sicut ob eãdem rationem Sacramenta applicant nobis infallibiliter fructum aliquem. Atqui respectu Sacrificij Missæ non potest assignari alius fructus, quem infallibiliter applicet, nisi remissio pœnę temporalis, aut si alius potest etiam assignari, sed non potiori iure, quàm præfata remissio. Ergo, &c. Probatio secunda sit, quia cum nullum Sacramentum per se, ac directè conferat infallibiliter remissionem pœnæ tẽporalis, cui homo fiat obnoxius post Baptismum, expediebat, vt ad hunc effectum per se, ac directè causandum infallibiliter, institueretur à Christo in noua lege externum aliquid, ac sensibile; præ Sacrificio autem Missæ quidpiam aliud fuisse magis præcipuè institutum, nullus dicet. Præterea Sacrificiũ Missæ continet eminẽtiori modo omnia genera, omnemq; perfectionem Sacrificiorũ veteris legis, vt docemur ab Ecclesia in illa Oratione secreta, quæ recitatur in Missa Dominicę septimæ post Pentecosten, *Deus, qui legalium differentiam hostiarum vnius Sacrificij perfectione sanxisti &c.* Ast in lege veteri Sacrificia propitiatoria pro peccatis purgabant immediatè, & infallibiliter sordibus, & immunditijs legalibus, pro quibus expiandis erant instituta, vt ex communi sententia supponit Cardinalis de Lugo D. 19. sect. 9. num. 143. & 155. Ergo Sacrificium nouæ legis potiori de causa remittet immediatè, & infallibiliter reatum pœnæ tẽporalis residuum ex peccatis. Argumentum hoc vrgentius erit, si Sacrificia antiqua profuerint infallibiliter ad remissionem pœnæ temporalis. Videturque, profuisse, vt colligitur ex Lib. 2. Machabæorum Cap. 12. vbi refertur Iudas Machabæus iussisse, offerri Sacrificium pro peccatis mortuorum; concluditurque Cap. 12. his verbis, *Sancta ergo, & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur.* Et ita profuisse, imò etiam ex opere operato, significat Sanctus Thomas 3. parte, quæst. 79. articulo 5. nam huic argumento secundo, *Per Sacrificia veteris legis homo satisfaciebat pro peccatis suis; dicitur enim Leuitici 4. & 5. Si peccauerit homo, offeret hoc, vel illud pro peccato suo, & remittetur ei. Ergo multò magis hoc Sacramentum valet ad remissionem totius pœnæ*, huic, inquam, argumento respondet Sanctus Thomas, non quidem Sacrificia vetera caruisse vi, & efficacia remittendi pœnam temporalem, quo ruebat omnino argumentum; sed in hunc modum, *Alia Sacrificia, & oblationes non operabantur remissionem totius pœnæ, neque quantùm ad quantitatem oblati, sicut hoc Sacrificium; neque quantùm ad deuotionem hominis; ex qua contingit, quòd etiam hìc non tollitur tota pœna.* Huc vsque Doctor Angelicus. Sed Sotus in 4. Distinct. 11. quæst. 2. art. 1. V. *Secundò arguitur* censet, *nullum olim fuisse Sacrificium, quod ex opere (quod aiunt) operato aliquam haberet satisfactionem, quia non erant instrumenta Passionis Christi, sed meræ protestationes fidei eius venturi: quare solùm per modum meriti operantis & augebant gratiam, & satisfaciebant pro culpis.* Quæ Soti censura, similisque alia Bonfrerij ad Cap. 4. Leuitici, Versic. 1. Henrici Henriquez Lib. 9. C. 4. §. 6. cap. 11. §. 3. & Marchini Tractatu 3. de Ordine, parte 2. Cap. 7. num. 9. non est conformis menti Præceptoris Angelici. Nec video, cur sicut Sotus admittit, Circumcisionem virtute fidei in Christum contulisse gratiam, non etiam admittat, Sacrificia pro peccatis contulisse virtute eiusdem fidei remissionem pœnæ temporalis, vt indi-

cat Sanctus Augustinus q. 57. super Leuiticum, traditque expresse Scortia L. 1. C. 8. n. 3. & de Sacrificijs pro peccatis mortuorum Franciscus de Lugo Lib. 5. C. 4. q. 2. n. 13. de omnibusque Sacrificijs pro peccatis, siue mortuorum, siue viuorum, innuũt Cardinales Bellarminus L. 2. de Sacramentis C. 17. L. & C. 2. de Missa. L. 4. de Pœnitentia C. 15. Ioannes de Lugo D. 19. sect. 9. n. 155. Ruardus Tapperus art. 19. contra Lutherum, Andreas Sauslayus in Panoplia Sacerdotali parte 2. Lib. & C. 1. art. 2. pag. 308. Tirinus in Indice Controuersiarum Fidei, Controu. 22. n. 10. Tapia quæst. 7. de Eucharistia art. 4. §. *At vero.* Probatio tertia sit, satisfactio propria, quam vnus iustus applicat alteri, prodest huic infallibiliter, prodestq; similiter Indulgentia applicata iusto, siue viuo, siue defuncto. Ergo à fortiori sic proderit Sacrificium Missę ad satisfactionem pro pœna, & ad eius remissionem. Antecedens quoad primam partem conceditur ab omnibus ferè Theologis, quanquam Dicastillus Tract. 9. D. 3. dub. 1. n. 6. cum Ioanne de Medina, & Coninch existimet, posse probabiliter negari. Secunda pars eiusdem Antecedentis circa Indulgentiam viuo applicatam est in confesso apud omnes Catholicos; sed circa Indulgentiam applicatam defuncto conceditur à multis, & negatur à paucis. Nos vero proposuimus Antecedens non vt certum quoad omnes sui partes, sed vt certum quoad vnam, & vt probabilius, communiusque quoad alias. Nec militant in Sacrificio Missæ rationes, quæ probabiles aliquibus videntur, ne satisfactio propria, applicata pro alio, prosit ei infallibiliter, & ne indulgentia applicata defuncto conferat ei certa lege remissionem pœnæ, nam Sacrificium ex se aptum est natum, vt offeratur pro alio, vtileque illi sit; & defuncti anima non existit extra iurisdictionem Christi, à quo Sacrificium habet suam vim, & efficaciam. Sed de hoc puncto in D. 17. sect. 2. Iam verò postrema probatio sit, quia ex illis verbis in consecratione calicis, *Qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum*, iuncta communi Patrum, & Theologorum interpretatione, satis colligitur promissio, lexque certa Dei de remissione peccatorum quantum ad pœnam temporalẽ in eis, pro quibus non habentibus obicẽ offeratur Sacrificium Missę. Quare iure merito dixit S. Thomas 3. p. q. 79. art. 5 in Corp. hoc Sacrificium ex institutione sua præditum esse vi satisfactiua.

23 Assero quartò, Sacrificium Missæ causat ex opere operato remissionem pœnæ temporalis. Ratio est, quia hanc remissionem infallibiliter causat ex vi operis exhibiti, non attenta dignitate, vel merito Sacerdotis, neque aliorum offerentium inferiorum. Nam *hæc quidem illa munda oblatio est, quæ nulla indignitate, aut malitia offerentium inquinari potest*, vt ait Concilium Tridentinum Sess. 22. Cap. 1. Et quanquam in S. Thoma 3. p. & in alijs Theologis illius eui nõ extet expressa, vel saltem repetita mentio de fructu huius Sacrificij ex opere operato, vt notat Pater Salmeron tomo 9. Tract. 31. pagina 331. tamen in sensu dicto negari non potest Sacrificio huic fructus, qui vocetur ex opere operato. Et Sanctus Thomas in 4. dist. 45. quæst. 2. art. 1. quæstiuncula 3. in Corp. necnon art. 3. quæstiuncula 1. ad 3. non omisit vsum eius vocis; ait enim in primo loco, *In suffragijs, quæ fiunt per malos, duo possunt considerari; primò ipsius opus operatum, sicut Sacrificium altaris: & quia nostra Sacramenta ex se ipsis efficaciam habent, absque opere operantis, quam æqualiter explent, per quoscumque fiant; quantùm ad hoc suffragia per malos facta defunctis prosunt. Alio modo quantum ad opus operans, &c.* Posterioris loci verba reseruo in aliam sedem. Transcribo modò hæc, quæ Innocentius III. habet Lib. 3. de Mysterijs Missæ Cap. 5. & in quibus complecti videtur opus operatum tam Sacramenti, quàm Sacrificij, *In Sacramento corporis Christi nihil à bono magis, nihil à malo minus perficitur Sacerdote, dummodò Sacerdos cum cæteris in arca consistat, & formam obseruet traditam à columba. Quia non in merito Sacerdotis, sed in verbo conficitur Creatoris. Non ergo Sacerdotis iniquitas effectum impedit Sacramenti, sicut nec infirmitas medici virtutem medicinæ corrũpit. Quanuis igitur opus operans aliquãdo sit immundum, semper tamen opus operatum est mundum.* Sic Innocentius Papa.

24 Si quis obijciat, vt Sacrificium causet pœnæ temporalis remissionem, opus est, quòd homo, pro quo offertur, existat in statu gratię. Non ergo

go causat ex opere operato eam remissionem, cum requirat aliquam dispositionem ex parte hominis, cui facienda est remissio. Respondeo, statum gratiæ requiri, non vt dispositionem meritoriam, sed tanquam quidpiam, quod remouet prohibens, quale est peccatum mortale respectu remissionis illius; id autem, quod sic requiritur, non impedit, ne Sacrificium causet ex opere operato remissionem illam, vt patet in Sacramentis, quæ ex opere operato causant gratiam; & tamen, quæ mortuorum sunt, præsupponere debent ablatum obicem peccati actualis, & quæ viuorum, debent præsupponere statum gratiæ, vt illa causent primam, hæc secundam gratiam. Eodem Sacramentorum exemplo vincitur alia difficultas petita exinde, quòd plus pœnæ remittatur personæ, pro qua offertur Sacrificium, si ea habeat plus gratiæ, vel saltem plus deuotionis actualis. Etsi enim id admittatur, non obest remissioni pœnę ex opere operato; vti neque productioni gratiæ ex opere operato Sacramẽtorum, quòd in melius dispositis causent maiorem gratiam.

25 Si rursus quis opponat, saltem ex opere operantis Christi habebit Sacrificium, quòd remittat pœnam temporalem. Contrà est, quia Christus modò non satisfacit, nec meretur, sed tantùm applicat per Sacrificium satisfactiones suas, & merita præterita. Quanuis autem modò impetrare dicatur; ast valor Sacrificij non consistet solùm in impetratione hac; imò ratione præcisa rei oblatę erit hoc Sacrificium maximè fructuosum. Quare non tantùm causabit suos effectus per modum impetrationis factæ à Christo; sed etiam ex opere operato. Adhæc, si impetratio in rigore sumatur, est effectus petitionis formalis, quod tamen non est ad propositum, quia Sacrificium non est oratio formalis, sed actio offerens aliquid Deo ad eius cultum, & honorem. Insuper non ex eo, quòd Sacrificium sit impetratorium, sequitur, non esse causatiuum ex opere operato, potest enim esse impetratoriè causatiuum ex opere operato, quatenus impetratio effectuum ipsius non depẽdeat à dignitate, & merito Sacerdotis; cæterorumque offerentium inferiorum; quatenus etiam eius valor fundetur in oblatione facta nomine Christi, & in re oblata. Vnde ipse Christus offerens hoc Sacrificium in cœna exhibuit aliquid, quod, ratione rei oblatæ, habuit eandem virtutem, eosdemque effectus ex opere operato, ac nunc habet, quãdo per Sacerdotẽ nomine ipsius Christi exhibetur, quanquã tunc Christus impetrauerit, satisfecerit, & meruerit pro nobis.

26 Affero quintò, Sacrificium Missæ causat moraliter remissionem pœnæ temporalis; causat enim aliquo modo; sed non physicè, quandoquidem remissio non sit quid physicum, & positiuum. Ergo causat moraliter, quatenus per virtutem meritorum, & satisfactionum Christi, in se inclusam, mouet Deum, vt condonet pœnam temporalem, cedatque iure ad infligendam eam homini ob peccata præterita. Hæc assertio coincidit cum communi alia Theologorum de morali causatione gratiæ per Sacramenta, etiam si gratia sit quid physicum, & positiuum.

SECTIO III.

Quisnam sit fructus Sacrificij huius vt impetratorij?

27 CERTVM in primis est, Sacrificium Missæ, vt offertur à Sacerdote nomine Christi, habere ex institutione sua magnam vim impetrandi id, quod à Deo postulatur, siue sit spirituale, siue temporale, sed conducens ad spirituale. Nam hoc Sacrificio *nihil in Sacrificijs maius esse potest; nec vlla oblatio hac potior est, sed omnes hæc præcellit*, vt dicit Alexander I. Papa relatus C. *Nihil in Sacrificijs* 8. de Consecratione Dist. 2. At qui olim in lege veteri fuerunt Sacrificia ordinata ad impetrandum à Deo quæuis beneficia. Ergo multò potiùs ad id dirigetur ex institutione sua, maioremque virtutem continebit Sacrificium Missæ. Ac sanè si oratio se sola multùm valet apud Deum, valebit magnoperè iuncta huic Sacrificio, quod est obsequium Deo acceptissimum, & in quo Sacerdos orat in persona Christi, sicut Legatus à Rege missus ad alium Regem orat in persona Regis mittentis; forsanq; Christus per

se petit in cœlo idem ipsum, quod in terra per Sacerdotem ministrum suum. Hinc Concilium Tridentinum Sess. 22. C. 2. & Can. 3. docet, offerri ritè Sacrificium hoc pro peccatis, pœnis, & satisfactionib⁹, pro alijsque necessitatibus; quarum voce significat effectum Sacrificij vt impetratorij, indicatque, hoc vt tale habere ingentem vim, & efficaciam, sicut eam habet vt propitiatorium. Atque ita censet Ecclesia, & quisque fidelis, provt ostendit cura adhibendi Sacrificia Missarum ad Deum magis mouendum, vt annuat nostris desiderijs, ac postulatis, quæ diuino eius honori non repugnant.

28 Deinde certum est, Sacrificium Missę conuenienter suæ institutioni posse ad id offerri, vt impetremus, obtineamusque à Deo bona spiritualia, conferentiaque in æternam salutem, bona item temporalia, maximè vt his spiritualibus deseruientia. Nam ad hæc omnia consequenda possumus ad Deum preces fundere. Erit autem nostra oratio certior, & validior, si cum Sacrificio Missæ coniugatur. Et licet Christus mortuus non sit pro bonis naturalibus sine ordinatione eorum ad supernaturalia, nobis tamen fas esse, petere illa, sine respectu actuali ad hæc, contrà Vazquium D. 228. n. 33. Meratium D. 37. sect. 12. circa finem, Gasparē Hurtadum D. 3. Diff. 5. Caspensem Tract. 23. D. 2. sect. 1. n. 7. docet Cardinalis de Lugo D. 19. sect. 9. n. 157. & ex ipso Rodericus Arriaga D. 51. sect. 3. n. 15. pertinet enim ad dignitatē Christi, vt per eum, & ab eo impetrare valeamus naturalia bona, sistendo etiam præcisè in illis. Cæterùm quia S. Augustinus inquit Tract. 102. in Ioannem, *Quidquid petitur, quod pertineat ad gaudium vitæ æternæ consequēdum, hoc est in nomine Christi petēdum; quicquid aliud petitur, nihil petitur:* ideo suspendo nunc iudicium, & remitto maturiorem censuram in Tractatū de Prædestinatione. Itaque fructus Sacrificij vt impetratorij est valde vniuersalis tā ratione bonorum, quæ includit, quàm ratione personarum, ad quas se extēdit. & ideo S. Thomas Lectione 6. in 6. Ioānis dixit, *in immolatione huius Sacramenti esse vniuersalem effectum.* Cum autem dixerimus, hoc Sacrificium impetratorium esse omnium bonorum, offerrique posse ad omnium cōsecutionem, sequitur, impetratorium etiam esse ablationis omnium malorum, & ad omnia ea à nobis, vel ab alijs auertenda offerri posse, principaliùs quidem ad auertenda mala culpæ, ac pœnæ relictæ ex peccatis, & secundariò ad auertenda cætera mala, provt possunt esse occasio malorum culpæ, vel provt possunt incommodare bonis spiritualibus. Quia verò nonnunquam temporalia damna conducunt ad salutem animæ, non est insuetum, dirigere impetrationem Missæ ad ea inducenda. Quare Ecclesia in Missa contra Paganos orat, *vt gentes Paganorum, quæ in sua feritate confidunt, dexteræ Dei potentia conterantur:* & in Missa tempore belli, vt deprimatur feritas inimicorum. Sed aduertere hìc oportet, Missam non esse impetratoriam damnorum, siue spiritualium, siue temporaliū, quæ quis sibi, aut alijs ex odio, inimicitia, vindictaue exoptet. Absit enim cogitare, præditam ex institutione sua esse virtute impetratoria damni, quod non sine peccato graui desideretur, & petatur. Vnde, *si quis offerat, vt quæ furto ablata sunt, reinuenire, seu hostem occidere, vel rapinam perpetrare, seu nummos, aut gratiam adquirere valeat, rationabilis non dicitur offerendi causa, ideo nec acceptabilis est talis hostia. Hostia ergo nostra & merito offerentium, & offerendi causa fiat rationabilis, vt consequenter fiat etiam acceptabilis,* vt ait Odo Episcopus Cameracensis in sacri Canonis expositione, distinctione 3. Videatur Summa Armilla V. *Missa*, num. 37. Summa Tabiena eodem Verbo, §. 55. Summa Angelica eodem Verbo, n. 54. Gregorius Lopez l. 51. tit. 4. Partita 1. V. *Por su voluntad.* Atque hinc etiam intelligitur Canon *Quicumque* 26. q. 5. desumptus ex Concilio Toletano 17. Cap. 5. vbi damnantur, *qui* (ex enormi quadam superstitione irrepente in Hispaniam circa annum 694.) *Missam pro requie defunctorum promulgatam, fallaci voto pro viuis studebant celebrare hominibus, non ob alium finem, nisi vt is, pro quo id ipsum offerebatur Sacrificium, ipsius sacrosancti libaminis interuentu, mortis, ac perditionis incurreret periculum: & quod cunctis datum est in salutis remedium, illi hoc peruerso instinctu quibusdam esse expetebant in interitum.* De quo superstitiosissimo abusu loquens Emundus Merillius L. 2. Obseruationum Cap. 4. pagina 75. inquit.

* Scilicet id faciebant Sacerdotes, cū

Gotthi

Gotthi eas partes tenerent, & Aquitaniam; vbi etiam hodie aniculæ infensiores factæ, vulgo minantur, se illis, quibus irascuntur, Missam curaturas; neque aliam, opinor, intelligunt, quàm Missam defunctorum pro viuis. ❧ Sic Iurisconsultus ille Gallus, qui ibidem agit de malis Sacrificijs, nocturnis, funestis, precationibus diris, sceleratis precibus apud Gentiles. Et quod de aniculârum Aquitanica phrasi narrat, experimur etiam in Hispania, solent enim vetulæ irritatæ exclamare, *Yo se lo dire de Missas*; & cum vulgares homines imprecantur alicui ingens malum ob iniuriam, quam irrogarit, vel cum vident, dedisse causam, ob quam debeat timere illud, solent dicere, *Alla se lo diran de Missas*. Conferenda est cum declarato Canone Concilij Toletani Glossa ad C. *Dictum* est 1. q. 1. V. *Prodesse*. Consulēdi etiam sunt Ioannes Bernardus Diaz de Lugo in Practica Criminali Canonica C. 35 Hostiensis, Ioannes de Annania, & Paulus Grillandi, quos citat; item Emmanuel de Valle Opusculo 1. de Incantationibus sect. 2. C. 6. n. 14. C. 15 n. 9. etsi autem Summistæ paulo antèà allegati excusent à peccato mortali eũ, qui celebraret, vt Deus perdat inimicũ Reipublicæ, & impeditorem bonorum. Ego suadebo, ne in hunc finem dirigatur impetratio Sacrificij.

29 Circa malum pœnæ temporalis residuæ ex peccatis dubitabit nonnemo, an eius ablatio sit fructus Sacrificij vt impetratorij, non tantũ, quatenus istud applicetur ad impetranda à Deo auxilia ad pœnitẽtiç opera eliciẽda, quæ sint satisfactio pro pœna propria, vel aliena, sed etiam quatenus applicetur ad impetrandum à Deo, vt sine aliquo opere satisfactorio exhibito per nos, vel per alium remittat immediatè in nobis, vel in alio pœnam temporalẽ? Respondeo primò, ablationem pœnæ posse esse primo modo fructum Sacrificij vt impetratorij, sicut simili modo potest remissio culpæ esse fructus eiusdem Sacrificij vt impetratorij iuxta dicta in Sectione 1. vbi docuimus, posse per Sacrificium impetrari à Deo auxilia ad actus, quibus culpa eluatur. Etsi verò pœna temporalis remitti queat alio modo per Sacrificium vt propitiatoriũ, ita quidem vt eius remissio fiat immediatè, nihil obstat, quominus vna pars pœnæ remittatur vno modo, & altera altero, nec enim quodvis Sacrificium vt propitiatorium remittit semper totam pœnam, cuius reatum habeat persona, pro qua illud applicatur, alioquì superfluè pro eadem Purgatorij anima plures Missæ applicarentur, si semper per vnam Missam liberaretur à tota pœna is, pro quo Missa offertur; superfluè etiam in satisfactionem iniungeretur aliquibus, quòd pro se plures Missas faciant celebrari. Legatur S. Thomas 3. p. q. 79. art. 5. Fasque mihi sit in hoc loco adnotare, non esse expediens, vt cum Confessarius in satisfactionem imponit pœnitenti obligationem erogandi stipendium ad Missas pro se celebrandas, ipse Confessarius iubeat, aut innuat, tradi sibi illud. Vetuit id olim in sua Diœcesi Odo Episcopus Parisiensis C. 6 Synodicarum Constitutionũ n. 12. his verbis, *Nullus Missas, quas iniunxerit, celebret.* Et meritò sic statutũ est, ne Laici suspicarentur, Confessarios, proprij lucri temporalis causa, eiusmodi pœnitentias præcipere. Similiter Conciliũ Eboracense anno 1194. iussit, *Ne Sacerdos Laico ad pœnitentiam venienti obtentu cupiditatis iniungat, vt Missas faciat celebrari.* Et Alexander de Arioſtis in Sũma Confessorum L. 1. tit. 6. C. 4. dicit cum Directorio Iuris, atque Hostiensi, *habere speciem mali, si Sacerdos recipiat pecunias pro Missis, quas pro pœnitentia iniũxit celebrandas. Vnde dicat, quòd per alium faciat eas celebrari, ac per talem, qui sibi invicem huiusmodi transmittere non præsumat.* Sic ille; & latiùs, magnoque cum verborum pondere Aluarus Pelagius L. 2. de Ecclesiæ planctu C. 27. Legantur etiam Suarez L. 4. de Simonia C. 19. n. 4. Castro Palao Tract. 17. D. 3. puncto 12. n. 2. Alfonsus de Vega in Sylua, & praxi fori interioris Lib. 2. Casu. 439. Sunt etiam nonnulli Confessarij nimis largi in hoc pœnitentiarum genere, & onere imperando, vel hominibus mediocris fortunæ, quanuis nec expressè, nec tacitè significent, vt sibi, vel determinato alij Sacerdoti tradatur eleemosyna, & committantur Missæ. Sed etsi valde satisfactoriæ sint, discimus experientia, adimpleri à perpaucis; accesserunt que ad nos multi, qui paupertatem suam causantes petierunt commutationem pœnitentiæ; & alijs errorem de obligatione excussimus, licet simul nos

cerent,

cerent, verumque esset, non suppetere sibi nummos in Missarum stipem. Sed relicto diuerticulo.

30 Respondeo secundò, remissionem pœnæ posse esse secundo modo fructum Sacrificij vt impetratorij, quia potest esse fructus orationis; quidquid autem per solam hanc obtineri valet, poterit multò potiùs per eam adiunctã Sacrificio; à quo omnis iusta oratio accipit maiorem vim, & efficaciam impetrandi; fitque magis exaudibilis, vt docet S. Gregorius Nyssenus Oratione 2. in Orationem Dominicam. Quòd verò orationis vt impetratoriæ, & non tantũ vt operis pœnalis, ac laborioſi possit esse fructus remissio pœnæ, docent Durandus, Caietanus, Nauarrus, & alij apud Suarium tomo 4. in 3. p. D. 48. S. 5. n. 4. Item Cardinalis Bellarminus L. 2. de Purgatorio C. 16. Coninch D. 11 de Purgatorio Dub. 7. à n. 54. Lessius 3. p. q. 83. art. 1 dub. 8. n. 42. Laymã L. & Tract. 5. C. 2. n. 5. Cardinalis de Lugo D. 24. de Pœnitentia, sect. 1. à n. 20. D. 19. de Eucharistia, sect. 9. n. 158 Dicastillus Tract. 6. D. 1. Dub. 9. a n. 125. Thomas Tamburinus L. & C. 2. de Missa §. 14. n. 3. Rodericus Arriaga D. 51. sect. 3. n. 14. Consentit ex parte Franciscus de Lugo L. 5. C. 4. q. 2. n. 21. Vocat opinionẽ hanc piam, & probabilem P. Suarez tom. 3. in 3. p. D. 79. sect. 6. V. *Prior autem*, tomo 4. D. 37. sect. 10. D. 48. sect. 2. & 5. Sed absolutè eam non sequitur, vt neque Auersa q. & sect. 11. V. *Quintò*. Ast ego non video, cur per orationem non possim⁹ saltem impetrare à Deo, vt applicet, siue nobis, siue alteri viuo, aut defuncto aliquam Christi satisfactionem pro pœna, quam nos, aut alter debebamus soluere; sicut enim eiusdem Christi satisfactio applicatur hominibus per Sacramenta, per Sacrificium Missæ, & per Indulgentias infallibiliter, atque ex opere operato, quidni poterit applicari impetratoriè per orationem, quæ moueat liberalitatem, misericordiamque diuinam ad cõdonationem independenter à nostro, aut alieno actu pœnali, ac laborioso? Satis sit delibasse id, nam fusior huius rei tractatio pertinet ad Materiam de Satisfactione. Caueant verò Sacerdotes, obligati ex stipendio applicare Missam pro aliquo, ne eam applicent penes hunc solum fructum impetratorium remissionis pœnæ, nam qui stipem conferunt, in optatis habent, & pacisc untur expressè, vel tacitè de applicanda sibi Missa quoad fructum eiusdem remissionis infallibilem, declaratũ in Sectione præcedenti. Sed qui contẽti sunt, si applicent remissionis fructum specialissimum, respondentem sibi, putantque se tutos in conscientia; possent potiori iure vsurpare hunc applicationis modum, nam etsi re apse sit incertus, est tamen certior, quàm ille alius specialissimi fructus. Sed ego neutrum censeo probabilem, vt per ipsum satisfiat obligationi ex accepto stipendio, nisi expressè consentiat, qui eleemosynam tradit.

31 Rogabis primò, an fructus Sacrificij vt impetratorij sit infallibilis? Nam primo aspectu videtur esse, tum quia Sacrificium tam est impetratorium, provt offertur in persona Christi quàm est, propitiatorium, provt offertur in eadem persona. Sed fructus consequibilis ex Sacrificio vt propitiatorio est infallibilis. Ergo & qui consequibilis est ex Sacrificio vt impetratorio. Tũ quia offerri Sacrificiũ nomine Christi ad aliquid impetrandum à Deo, est idem prorsus, ac Christum petere illud per Sacerdotem tanquam per suum Ministrum, & Legatum. Sed Christo petenti etiam per alium conferre debet Deus infallibiliter id, quod petit, decet enim, vt Filius pro sua reuerentia exaudiatur à Patre. Ergo &c. Ex alia verò parte fructus Sacrificij vt impetratorij videtur non fore infallibilis; communiter enim existimatur, & dicitur, Sacrificium vt impetratorium non habere infallibilitatem in operando. Respõdeo, fructum Sacrificij vt impetratorij respectu auxilij specialis ad retractationem peccati esse infallibilem in persona non habente obicem, vt constat ex Sectione prima. Idemque dico de fructu consistente in ablatione indignationis diuinæ, in ordine ad quem fructum declarat Cardinalis de Lugo D. 19. sect. 9 à n. 140. rationem Sacrificij vt propitiatorij pro peccatis, nam ad talem ablationem mouetur Deus infallibiliter ex dignitate Sacrificij, si in persona, pro qua hoc offertur, non detur obex. Et quidem respectu vtriusque fructus prædicti consideratur Sacrificium vt oratio potiùs realis, quàm verbalis, eo enim

ipso

ipso quòd offeratur Sacrificium pro homine infecto culpa mortali, vel veniali, sequitur vterque ille fructus in modo, & mensura Deo nota, quin debeat Sacrificio adiungi specialis oratio verbalis, qua petatur vterq; ille fructus, neque item debeat adiungi specialis intētio, aut desiderium consequendi à Deo vtrumque illum fructum, sufficit namque intentio communis de Sacrificio offerendo pro ea persona, non secus ac sufficit, vt persona, pro qua Sacrificium offertur, comparet fructum remissionis pœnæ temporalis relictæ ex peccatis. Quapropter non omnis fructus collatus ex vi Sacrificij vt impetratorij respuit infallibilitatem in sui consequutione, non enim eam recusant duo illi, quos dixi. Cęterùm alij, ad quos opus est speciali oratione, aut intentione, nō erunt vniuersim infallibiles, neque in omni euentu, sed tunc tantùm, quando à Sacerdote petantur, aut intendantur in circumstantijs, in quibus Christi voluntati conformetur petitio, aut intentio Sacerdotis, aut in quibus concurrant conditiones, iuxta quas Christus promisit Ioannis C. 6. *Amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Et tunc oratio, associata Sacrificio, habebit vim, & efficaciam, vt plura obtineat, quàm si seorsim funderetur, crescit enim orationis energia ex Sacrificij societate, tum ob rem oblatam, tum ob principalē offerentem, qui est Christus, Imò & quando oratio, aut non conformatur omnino voluntati Christi, aut nō habet debitas conditiones ad infallibilitatem in consecutione beneficij petiti, credibile est, provt benè notat Granadº tomo 5. Controu. 6. Tract. 14. D. 7. S. 3. n. 13. loco rei postulatæ [quam suppono iustam, & licitam ex se esse] conferri à Deo auxilia, quę hìc, & nunc magis expediant ei personę, pro qua offertur Sacrificium; congruit namque rationi, vt prorsus non frustretur oratio, quam Sacerdos repræsentans personam Christi fundit ad Deum. Hinc ad rationes dubitandi pro parte affirmatiua, & pro negatiua dico; ad vnicam pro negatiua, conceptum Sacrificij vt impetratorij non excludere infallibilitatem in sui fructu, maximè si sit fructus, respectu cuius habeat se Sacrificium non modò vt impetratorium, sed etiam vt propitiatorium. Ad primam pro affirmatiua, constare nobis ex fundamentis iactis in prima, & secunda Sectione infallibilitatem fructus respondentis Sacrificio vt propitiatorio; nullum verò esse caput, vnde deducere valeamus infallibilitatem cuiusuis fructus respondentis eidē Sacrificio vt impetratorio. Addit, & benè, Cardinalis de Lugo D. 19. S. 9. n. 156. certitudinem satisfactionis non afferre vllum inconueniens; ast certitudinem impetrationis allaturam multa, & magna, peterentur namque vel ex ignorantia, vel ex affectu inordinato cō plura, quorum concessionō expediret. Ad secundā dico, conferri debere à Deo, non quicquid Sacerdos petat præcisè vt offerens nomine Christi, sed quicquid petat iuxta Christi intentionem, & voluntatem. Hinc etsi admittatur, existere nunc Christum in statu impetrandi, & actu semper offerre simul cum Sacerdote Sacrificium, non ideò infallibiliter obtinebitur, quicquid petatur, vt argumentatur ab absurdo Amicus D. 33. S. 4. n. 98. contra admittentes oblationē Christi simultaneam cum Sacerdote. Etenim Christus non petit in persona propria, sed nomine ipsius Sacerdos Vice Christus; & vt detur, quod postulet, debet esse conforme intentioni, voluntatique Christi.

32 Rogabis secundò, num fructus Sacrificij vt impetratorij sit ex opere operato? Respondeo, esse ex opere operato eum fructum, qui confertur infallibiliter: quo pacto conferri auxiliū speciale ad dolorem de culpa, scripsimus proximè, latiùsque in Sectione 1. Si verò sit sermo de fructu, qui non cōfertur infallibiliter, multum habet nominis proposita interrogatio. Placet mihi magis, vocare eum ex opere operato, tum quia Sacrificium ex sua institutione habet vim peculiarē, vt inclinet voluntatem diuinam ad eius cōcessionem, si petatur inter sacrificandum. Tum quia consequutio fructus illius nō dependet à dignitate, & merito priuatæ personæ Sacerdotis, sed oblationis factæ in persona Christi, & rei oblatæ; etsi enim Sacerdos sit iniquus, si tamen validè sacrificans petat nomine Christi, oratio exaudietur à Deo, si aliundè expediat. Tum quia complura sunt, quæ numerantur inter effectus ex opere operato Sacramentorum, quin semper infallibiliter causentur, ac hæc existunt,

quia

quia scilicet malitia ministrantis Sacramenta non ostet, ne causentur præfati effectus, quando Deo visum fuerit expedire concurrere ad eos, habita præcisè ratione operis exhibiti à Ministro validè conficiente. Tum denique quia Conc. Trid. Sess. 22. C. 2. agēs de fructibus Sacrificij enumerat non solùm eos, qui certò, & infallibiliter conferuntur, sed alios etiā, quorū communicatio non est certa, neq; infallibilis. Videtur autē Concilium agere de fructibus ex opere operato Sacrificij, vt colligitur ex contextu eius Capitis, atq; antecedentis; & in antecedenti dixerat, *Hæc quidem illa munda oblatio est, quæ nulla indignitate, aut malitia offerentium inquinari potest.*

33 Tractauimus huc vsque de fructu Sacrificij, vt offertur à Sacerdote, gerente personam Christi tanquam principalis offerentis. Restant pauca dicenda de fructu eiusdem Sacrificij, vt offertur à Sacerdote gerente personam Ecclesiæ orantis ad Deum per ipsum Sacerdotem; nam de fructu eiusdem Sacrificij, vt est priuatæ personæ Sacerdotis actio meritoria, satisfactoria, & impetratoria, si fiat benè moraliter, discurrendum est non secus, ac de fructu aliarū actionum virtutis, inter quas hæc eximiè fulget. Igitur quoad fructum ratione Ecclesiæ prouenientem affero, eū esse impetrationis, cum nascatur ex orationibus, quas Ecclesia per Sacerdotē tanquam Legatum suum mittit ad Deū. Affero præterea, eum esse ex opere operato, quia non dependet à dignitate, & merito Sacerdotis, vt simpliciter, & absolutè detur. Verumtamen, quia eò maior est, quò sanctior est Ecclesia, & Sacerdos ipse, vt suis locis probabo; quia item non excedit valorem operis ab Ecclesia præstiti, ideo potest dici, nō esse purè ex opere operato.

DISPVTATIO XI.

DE CHRISTO DOMINO, VT PRINcipali offerente Sacrificium Missæ.

MVLTI SVNT, QVI ALIQVA RAtione offerunt Sacrificium Missæ. Sed inter eos tenet principatum Christus Dominus; ideo de illo ante omnes alios est agendum, tum ob præcellentiam diuinæ suæ personæ, tum ob præstantius munus, quod exercet in oblatione huius Sacrificij.

SECTIO I.

Quanam ratione Christus sit principalis offerens? Præsuponitur, Christum esse offerentem, & Sacerdotem principalem.

DE hac veritate, etsi orta sit controuersia inter Græcos, imperāte Manuele Comneno, vt refert Nicetas Choniates Lib. 7. dubitare non licet consideranti verba illa Psalmi 109. *Tu es Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech*, & quæ in eorum explicationem affert S. Paul⁹ Cap. 7. Epistolæ ad Hebræos, vt probet perpetuitatem Sacerdotij in Christo, ratione incruenti huius Sacrificij duraturi vsque ad finem mundi, ministerio Sacerdotū offerentium, & sacrificantiū nomine, ac verbis Christi, non tanquam qui sint successores in potestate, & dignitate, non enim eam amisit Christus per

per mortem, sicut alij Sacerdotes Leuitici amittebant; sed tanquam successores in ministerio, & exercitio, ad quod accipiunt authoritatem ab ipso Christo, sed inferiores eo manentes. Hinc in C. *Sacerdos* 89. de Consecratione Dist. 2. legitur, *Sacerdos Dei Patris dicitur Filius Dei, secundùm humanitatem; in qua se pro nobis acceptabile Sacrificium Deo obtulit, vt sit ipse Sacerdos, qui est Sacrificium.* In C. *Firmiter* de Summa Trinitate, & Fide Catholica, *Idem ipse Sacerdos est Sacrificium Iesus Christus; cuius corpus, & sanguis in Sacramento altaris sub speciebus panis, & vini veraciter continentur.* Concilium Florentinum in Decreto Eugenij ait etiã, *Forma huius Sacramenti sunt verba Saluatoris, quibus hoc conficit Sacramentum. Sacerdos enim in persona Christi loquens hoc cõficit Sacramentum.* Concilium Tridentinum Sess. 22. C. 2. inquit, *Vna, eadẽq; est hostia, idem nunc offerens Sacerdotum ministerio, qui se ipsum tunc in cruce obtulit, sola offerendi ratione diuersa.* Sanctus Ioannes Chrysostomꝰ Homilia 83. in Matthęũ, *Non sunt humanæ virtutis hæc opera, quæ tunc in illa cœna confecit Christus: ipse nunc quoque operatur, ipse perficit, Ministrorum nos ordinem tenemus: qui verò hæc sanctificat, & transmutat, ipse est.* Quę verba leguntur etiam in Homilia 60. ad Antiochenum populum, & similia transcripsimus ex eodem S. Chrysostomo in n. 6. D. 7. Petrus Blessensis in Tract. de Eucharistia C. 7. canit,

Nihil aliud Sacrifex est, quàm Christi simulachrum,
Dum tractat corpus Christi cum sanguine sacrum,

C. 8. *Non alius celebrat, quanuis alius videatur,*
Mysterium sacrum Verbum Deus hoc operatur,
Verbum namq; caro factum sacra verba magistrat,
Et per Sacrificem carnem de pane ministrat.
Hìc opus, hìc opifex Deus est, sacrat, atque sacratur,
Fitque creatura, per quem res cũcta creatur.

C. 24. *Et licet assistat carnalis Pontifex aræ,*
Summus Pontificum sacra dicitur hìc celebrare,
Hic panem frangit, hic porrigit, hic benedicit,
Corpus adesse suum, quod dat cum sanguine, dicit.

C. 25. *Christum quotidie deuotio Presbyterorum,*
Mactat in altari mactator & ipse sacrorum.

Idem Blessensis in Serm. 47. Presbyterũ vocat coadiutorẽ Redemptoris in hoc Sacrificio. Echbertus Serm. 10. contra Catharos ait, *Ipse quoq; Christus, sicut pollicitus est, cum Ecclesia sua vsque ad consummationem sæculi est, & quotidie inuisibiliter offert per manus Ecclesiæ Deo Patri pro salute mundi corpus, & sanguinem suum sub specie panis, & vini. Propterea dictus est Sacerdos secundùm ordinem Melchisedech.* Nicolaꝰ Methonensis de Corp. & sang. Christi scribit, *Si censes, hoc, quod à nobis perficitur, illo* (quod à Christo factum) *minus esse; nescis, Christum etiam hoc tempore operari, nuncque adesse. Ero enim vobiscum dies vniuersos ad consummationem vsque sæculi, pollicitus est.* S. Augustinus L. 10. de Ciuit. Dei Cap. 20. *Per hoc & Sacerdos est, ipse offerens, ipse & oblatio. Cuius rei Sacramentum quotidianum esse voluit Ecclesiæ Sacrificium: quæ cum ipsius capitis corpus sit, se ipsam per ipsum discit offerri.* Hactenus S. Augustinꝰ. Omitto alios Ecclesiæ Patres contestes huius doctrinæ, videndos apud Suarium D. 77. sect. 1. Salmeronem tomo 9. Tract. 13. pag. 101. Vazquium D. 225. C. 1. & apud Scortiam L. 2. C. 3. Consulanturque S. Thomas 3. p. q. 82. art. 1. & art. 7. ad 3. q. 83. art. 1. ad 3. & Theologi antiqui in 4. Dist. 13. Verba Concilij Tridentini ministrant non incongruam rationem veritatis istius. Si enim est vna, eademq; hostia in hoc Sacrificio incruento, quæ in illo cruento, imò si Sacrificium incruentum est idem cum cruento, debet Christus esse offerens Sacrificij incruẽti, sicut fuit cruenti; & qui cruenti fuit offerens vnicus, erit incruenti offerens principalis. Nec aliter saluabitur, Christum nunc esse Sacerdotem quoad actum secundum, sed præcisè fuisse Legislatorem instituentem Sacrificij. Quo suppositio, opus, laborque est declarare, quanam ratione sit Christus offerens principalis?

***

Re-

Refertur sententia, quæ negat, & altera, quæ affirmat, Christū esse offerentem proximum, atque immediatum: ostenditurque, neutrius sententiæ argumenta conuincere intentum.

CENSET P. Vazquez D. 225. C. 3. vt & Henriquez L. 9. C. 19. num. 4. & 6. Christum esse tantùm offerentem remotè, & mediatè, ratione solius institutionis, qua præcepit, vt hoc Sacrificium in memoriam ipsius, & in persona eius immolaretur, in qua voluntate perseuerat, quin eam retractauerit. Citat Vazquez in sui patrocinium Scotum, Gabrielem, Cordubam; traxitque post se Stephanum Fagundez, Martinonum, Gasparem Hurtadum, Meratium, Becanum, Auersã, Columbum, Puteanum, Amicum, & alios. Ex aduerso P. Suarez D. 77. S. 1. existimat, Christum esse offerentem proximè, & immediatè, quatenus aliquo modo offerat actu, licet per Sacerdotem; sed per hunc offerentem in persona ipsius, & tanquam Legatum, qui repræsentet ipsum, nam iuxta Sanctum Cyprianum in Epist. 63. *Sacerdos in altari vice Christi fungitur*. Aitque Suarez, modum actu offerendi comperentem Christo perfectiorem fore, & aptiorem ad excellentiam Sacrificij legis Euangelicæ, si Christus per humanitatem suam concurrat physicè ad actionem, qua Sacrificium conficitur; vel si non physicè, saltem moraliter cooperetur, gerens se in concursu cum Sacerdote vt supremus Dei cultor, & intercessor pro hominibus, eo quòd totum suum concursum ordinet in cultum Dei, repræsentetque eum Patri in memoriam suę Passionis, vt hominibus ipsum propitiet. Quare actio sacrificandi erit infinitè honesta, bonaque moraliter à cognitione, voluntateq; Christi præsente. Hanc Suarij sententiam amplexantur communiter Theologi, qui post ipsum scripserunt; & ex anterioribus possunt multi pro ea allegari. Sed antequàm proferamus nostram, operæpretium erit, expendere momenta vnius, & alterius opinionis memoratæ.

3 P. Vazquez arguit primò, si Christus nunc proximè, & immediatè offerret Patri æterno Sacrificium pro nobis, nunc etiam pro nobis Patrem oraret formali, & expressa oratione; nunc etiam mereretur nobis impetrationem bonorum gratiæ. Sed Christus non existit nunc in statu orandi formaliter, & expresse, neque existit in statu merendi. Ergo non offert nunc Sacrificium proximè, & immediatè pro nobis. Secundò, ad impetrationem, & valorem istius Sacrificij superfluus est quiuis actus, quo Christus proximè, immediatèque offerat; nam si in triduo mortis Christi, sacrificasset aliquis Apostolorum, habuisset illud Sacrificium eandē impetrationem, ac valorem cum eo, quod modò fit, imò etsi per absolutam Dei potentiam humanitas nunc relinqueretur à Verbo, & ex voluntate Dei vigeret adhuc Missæ Sacrificium, asserit Ysambertus 3. p. q. 83. D. 7. art. 5. in fine, fore, vt hoc retineret eandem vim satisfactoriam, & impetratoriam, qua modò præditum est: & tamen in neutro casu daretur actus, quo Christus offerret proximè, atque immediatè; tũ non in primo (& à fortiori, neq; in secũdo) quia, extincto Sacerdote, non potest idem ipse offerre: tum quia Christi anima separata à corpore careret propinquitate requisita ad Sacrificiũ proximè offerendum, & non fungeretur munere Sacerdotis, aut Sacerdotissæ, vt de seiuncta anima meri hominis, qui fuerit in vita Sacerdos, fatentur omnes, & nominatim de anima Christi docẽt S. Thomas 2. Scripto Sentent. in 3. Dist. 22. q. vnica, art. 1. ad 3. S. Bonauentura ibidem q. 1. quorum primus ait, Christum in triduo illo non potuisse exercere munus Sacerdotis, quoad oblationẽ Sacrificij, licet retinuerit potestatem spiritualem Sacerdotij: & secundus apertè fatetur, Christum tunc non fuisse Sacerdotem, atq; adeò Christi Sacerdotium *dici sempiternum, non quia semper fuerit Sacerdos in actu, sed quia illi Sacerdotio nullum aliud successit*. Tertiò, non aliter Christus offert hoc Sacrificium ministerio Sacerdotis, quàm herus distribuat eleemosynam pauperibus per manus famuli. Sed herus non distribuit immediatè, ac proximè stipem in illo casu. Ergo nec Christus offert immediatè, & proximè istud Sacrificium. Quartò, si

Christus

Christus actu, & proximè hoc Sacrificium offerret, non tantum haberet voluntatem religiosam erga Deum, qua offerret se ipsum Patri in protestationem diuinæ excellentiæ; sed etiam ab hac voluntate actio exterior sacrificandi penderet, acciperetque bonitatem moralem in specie actus externi religiosi. Atqui actio exterior sacrificandi non pendet à voluntate Christi, neque ab ea accipit bonitatem moralem; sed solummodò procedit à Sacerdotis voluntate, qua sacrificare vult, & ab ipsa participat speciem moris. Ergo, &c. Minor probatur ex Concilio Tridentino Sess. 22. Cap. 1. dicente, Christum in Sacrificio Missæ immolari per Sacerdotes; & Cap. 2. Christum esse nunc offerentem ministerio Sacerdotum. Probatur etiam, quia à sola Sacerdotis voluntate procedit consecratio, seu prolatio verborum consecrationis, qua Sacrificium hoc perficitur; sicut externa Sacramenti conficiendi actio à sola Sacerdotis voluntate, qua conficere vult, oritur, eo quòd ab illa sola nascatur exterior verba consecrationis proferendi actio. Quintò ex S. Ambrosio dicente in L. 1. de Officijs C. 48. *Nunc Christus offertur, sed offertur quasi homo, quasi recipiens Passionem, & offert se ipse quasi Sacerdos, vt peccata nostra dimittat.* Sextò ex S. Thoma 3. p. q. 83. art. 1. ad 3. vbi ait, Christum esse quodāmodò Sacerdotē, & hostiā in hoc Sacrificio. Septimò ex Nicolao Cabasila Archiepiscopo Thessalonicēsi in Expos. Liturgiæ C. 49. cuius verba clara sunt pro opinione P. Vaz quij; expressitq; ea Cabasilas ex Simeone Thessalonicēsi etiam Archiepiscopo antiquiori, nomine cuius in L. de Mysterijs Missæ C. 44. & 45. exarantur à Frācisco Turriano ad L. 8. Const. Apost. C. 12. n. 5. in Scholijs, quin ibi, neq; alibi insinuet, Simeonē fuisse Schismaticum, vt refert Cardinalis de Lugo D. 18. sect. 3. n. 43. Imò Gibalinus Disq. 7. de Censur. q. & not. 2. n. 4. ait, fuisse etiam pluribꝰ erroribus corruptum; & ideo allegari à Vazquio parùm prudenter. Cæterùm noster Iacobus Pontanus, qui aliqua Simeonis opera Latinitate donauit, & edidit; Aubertus Mirœus in Auctario de Scriptoribus Ecclesiasticis C. 296. Antonius Possevinus in Bibliotheca selecta Lib. 6. C. 10. non tam paruipendunt Simeonem; neque in eius Libro de diuino templo, &c. qui habetur in nouioribus Bibliothecis VV. PP. neque in verbis, quæ ex Libro de Mysterijs Ecclesiæ transcribuntur à Turriano, apparent errores, quibus alij Græci nouiores inficiuntur.

4 Cæterùm hæc argumenta non conuincunt intentum. Nam ad primum respondeti potest primò, non esse inconueniens, quòd Christus nunc in Cœlo oret formali, & expressa oratione tam mentali, quàm vocali. Legantur S. Gregorius Lib. 1. Mor. C. 24. S. Augustinus Tract. in Psalmum 85. & Serm. 4. de Sanctis, necnon qui Patres multos congerunt Petauius Lib. 12. de Incarnatione Cap. 8. Claudius Espencæus Digressione de Christo Mediatore ex Cap. 6. vsque ad 10. vt sileam vulgatos alios Theologos agentes de oratione fusa nunc à Christo in Cœlo. Quæ si admittatur; sed non seruilis, neque supplex, neque qua petat Christus aliquid non anteà debitum ob merita suæ Passionis, vt notaui in Exerc. 29. de Cœlo Empyreo, num. 9. Vnde non placet mihi visio, quædā memorata à Iuanetino Niño in Interrogatorio vitæ Venerabilis Matris Sororis Annæ Mariæ de Sancto Iosepho num. 38. quatenus Christus sit conspectus ad Patrem orans genibus flexis; nisi ita sit repræsentatus imaginariè, vt meliùs innotesceret iuxta modum nostrum oratio eius ad Patrem æternum; sed quæ genibus reipsa flexis facta non sit. Memini, lectam à me fuisse similis visionis insuauem censuram in Theologo quodam. Sed quis ille sit, excidit memoria. Vt vt de hoc sit, respondeti potest secundò, etsi Christus non oret per se nunc in Cœlo, tamen per Sacerdotem vt sui Ministrum, & Legatum posse orare. Tertiò, etsi nec per Sacerdotem oret Christus, eoquòd orationes, quæ in Missa dicuntur, non sint institutæ à Christo, sed ab Ecclesia, & huius nomine fundantur ad Deum, nihilominus inde non sequi, Christum non offerre proximè, & immediatè Sacrificium hoc, potest enim quis sacrificare, quin tamen oret, vt si Sacerdos proferret solummodò verba consecrationis super materiam panis, & vini, & consumeret vtramque speciem, nullis Missæ recitatis pre-

cibus. Quartò, actum, quo Christus nūc offert se in Sacrificiu pro nobis, non esse meritorium, etiā si liber sit, & maximè honestus, sicut & plures alij, quos nunc in Cœlo elicit, quin per eos mereatur sibi, aut nobis, nam Christus post Passionem suam non est meritus quidpiam de nouo.

5 Ad secundum dici potest, cum Marchino Tract. 3. de Ordine parte 2. Cap. 5. num. 16. Sacrificium in eo casu non habiturum infinitatem ex parte offerentis, neque tantum valorem, ac modò: vel animam Christi in triduo separationis à corpore habituram respectu Sacrificij ab Apostolo aliquo celebrato eosdem omnino actus, ac in præsentiarum, foreque, vt ad Sacrificium medijs illis concurreret non secus, ac modò; quāquàm quia in illo triduo verè, & propriè neq; permansit Christus, neque Deus homo, non affirmaretur verè, & propriè Christus concurrere ad Sacrificium eo tempore celebratum. Notatque S. Thomas 3. parte, quæst. 50. art. 4. ad 3. cùm *Sacerdotem esse conueniat homini ratione animæ, in qua est Ordinis character, per mortem non perdi ab homine Ordinem Sacerdotalem, & multò minus à Christo, qui est totius Sacerdotij origo.* Neque oberit, si opponas, separatam Sacerdotis animam non posse sacrificare, etiāsi retineat characterem. Ergo neque posset anima Christi in triduo, etiamsi manserit cum vnione ad Verbum diuinum, in qua consistit, vel ex qua resultat Sacerdotium Christi. Non, inquam, oberit, quia potestas data à Christo alijs hominibus Sacerdotibus est ad sacrificandum visibiliter; id quod alienum est ab anima separata; ast in Christo exercitium Sacerdotij non debet esse visibile, siquidem nunc exequatur inuisibiliter illud, quare & in triduo potuisset eius anima præstare illud non minus, quàm modò eadem ipsa vnita corpori. Vnde non approbo Gamachæum concedentem in Cap. 9. de Sacrificio Missæ, satis esse pro Sacerdotio Christi, si sit perpetuum, & æternum post resurrectionem, etsi in triduo interruptum fuerit.

6 Ad tertium responderi potest, esse magis è dignitate huius Sacrificij, si Christus ad eius oblationem concurrat non illo modo tantùm, quo herus ad eleemosynam distributam per manus famuli, sed si concurrat etiam proximè, immediatèque per se. Et sic meliùs cauetur, ne oblatio Sacrificij maculari possit indignitate, aut malitia aliorum offerentium; vti inquinari potest eleemosyna prauo fine famuli, per cuius manus Dominus conferat eam; quod conceditur à Vazquio 1. 2. Disput. 70. Cap. 4. num. 13. Sic etiam meliùs cauetur, ne oblatio Sacrificij desinat esse satisfactoria, etsi alij offerentes non existant in statu gratiæ; vti eleemosyna data per manus famuli potest esse non satisfactoria domino, in cuius potestate iam non sit, si famulus existat in statu peccati: quæ est communis doctrina Suarij tomo 4. in 3. partem Disput. 48. sect. 8. Tanneri tomo 4. Disput. 6. quæst. 8. dub. 3. num. 65. & aliorum. Præter quàm quòd proximus, & immediatus modus ad Sacrificium concurrendi est perfectior; sicut & esset, si quis non contentus in lege prisca dedisse ouem, verbi gratia, sacrificandam, & iussisse, quòd immolaretur, adiungeret se socium Sacerdoti ad faciendam immolationem.

7 Quarti argumenti Minor negari potest. Cuius prima probatio ex Concilio Tridentino est parùm efficax, nam stat optimè, quòd Christus externè immoletur per Sacerdotes, sitque offerens ministerio externo Sacerdotum, & quòd simul ipse internè immolet se, atque offerat. Secunda probatio non est magis efficax, quia prolatio verborum consecrationis procedit à voluntate Christi, per ministerium Sacerdotis loquentis in persona eiusdemmet Christi, non autem in sua propria. Et quanquàm ipsa prolatio non procedat à voluntate Christi, potest ab hac voluntate, simulque à prolatione procedere immolatio, seu immutatio mystica, ac supernaturalis, qua Christus mactatur, & quę fit in corpore, ac sanguine Christi, provt sub speciebus manet; estque præcipuus actus externus Sacrificij, vt benè notauit Dicastillus Tract. 5. Disput. 2. dub. 1. num. 18. & 21. Ad quintum respondebitur, sicut particula *Quasi* non est diminutiua in prioribus verbis, ita neque in posterioribus, quanquam in medijs sit iuxta sensum declaratum Disputatione tertia, loquendo de alijs Patribus. Ad sextum iam diximus in numero 9.

ro 9. Disput. 2. Ad septimum, Nicolai Cabasilæ authoritatem momenti non esse, vt constat ex D. illa 3. n. 30. Etsi autem Simeonis maior sit, dum non constiterit, Schismate etiam laborasse; sed tanta tamen non est, vt ab eo palàm recessisse, nemo debeat verecundari.

8 Transeamus iam ad referenda, librandaque argumenta P. Suarij, aliorumque sequacium. Et in primis Pater Suarius pro sua opinione non aliud adducit argumentum, quàm quòd ea conducat, vt meliori, perfectiorique modo Christus offerat principaliter hoc Sacrificium, & quòd ea valde conferat ad dignitatem, ac valorem eiusdem Sacrificij, cum aliunde in concursu physico, vel morali humanitatis Christi ad sacrificandi actionem non detur vlla repugnantia, neque item in eo, quòd exhibeatur à Christo concursus ille vt à supremo Dei cultore, atque intercessore pro hominibus: atque adeò *inuisibilis Sacerdos Christus visibiles creaturas in substantiam corporis, & sanguinis sui verbi sui secreta potestate conuertat*, vt ait in Homilia de Paschate vel Sanctus Cæsarius Arelatensis, vel Sanctus Eucherius Lugdunensis, vel Eusebius Emesenus, vel incertus Author inter opera S. Hieronymi tomo 9. in Homilia de Corp. & sang. Christi. Affert quidem Suarius multa argumenta, vrgentiaque magnopere, ad probandum, institutionem huius Sacrificij à Christo non sufficere, vt Christus modò sit, & dicatur principalis offerens; neque item ad id sufficere, quòd virtus, & efficacia huius Sacrificij deriuetur ex meritis Passionis Christi. Sed neque in vno, neque in altero ex his discordat Vazquij sententia; nam vltrà institutionem requirit voluntatem Christi, hactenus non retractatam, de celebratione Sacrificij per Sacerdotes in persona, & nomine ipsius Christi. Et id iuxta Suarium *sufficeret, etiamsi nihil aliud intercederet; sic enim reperiretur quædam habitudo moralis ad Christum vt ad colentem Deum, quamuis per alium; sicut qui dat eleemosynam per famulum, rectè dicitur principalis donans; & licet famulus sit iniquus, si ipse est iustus, eleemosyna illa est munda apud Deum. Et similiter orationes Ecclesiæ per Sacerdotes dicuntur principaliter fieri ab Ecclesia, & exaudiri, esseque acceptæ Deo propter Ecclesiæ sanctitatem, quamuis contingat, Sacerdotes proximè orantes prauos esse.* Quæ sunt verba Suarij Vers. *Tertiò considerari potest.* Illa tamen ipsius ratio parũ mouebit eos, qui habuerint argumenta positiua ad excludendum meliorem, perfectiorẽque modum excogitatum à Suario in asserendo Christo offerente principali; & qui dignitatem, valoremque huius Sacrificij non posse inde peti, persuadeant sibi ob motiua suæ sententiæ.

9 Pater Dicastillus Tract. 5. Disp. 2. dub. 1. à numero 12. comprobat Suarij opinionem ex Concilio Tridentino Sess. 22. Cap. 1. & 2. Nam in priori Cap. declaratur, talẽ sacrificandi modum Ecclesiæ fuisse à Christo relictum, ad quem necessaria fuerit duratio Sacerdotij Christi post mortem. Vt autem Christus præcisè ratione institutionis sacrificaret, non foret necessaria duratio Sacerdotij post mortem, etsi enim Sacerdotium extinguendum fuisset post ipsam, sufficeret institutio anteà perfectè facta; præsertim cum actio instituendi Sacerdotes, & Sacrificium offerendum ab illis, non tam sit actus potestatis Sacerdotalis, quàm legislatiuę. Nec proderit dicere, Sacerdotium Christi eatenus non extinguendum, quatenus vnio hypostatica, in qua Sacerdotalis dignitas fundatur, manebit semper. Nam & ea Sacerdotalis dignitas salua consisteret in actu primo, quãuis Christus actu non instituisset Sacrificium in Ecclesia celebrandum. Respexit igitur Concilium ad Sacerdotij exercitium exhibẽdum à Christo, quoties ministerio Sacerdotum offeretur Sacrificium vsque ad mundi finem. Deinde in eodem priori Cap. declaratur, oblationem huius Sacrificij ita *esse mundam, vt nulla dignitate, aut malitia offerentium inquinari possit*; quod secus esset, si talis oblatio proueniret à solo homine vt offerente, posset enim vitiari ex defectu alicuius circumstantiæ, sicuti poterant offerentium iniquitate inquinari Sacrificia antiquæ legis, etsi instituta à Deo infinitè sancto, quia scilicet non ab ipso, sed à solis Sacerdotibus offerebantur. Vlteriùs in Cap. posteriori dicitur, huius Sacrificij *oblatione placatum Dominũ gratiam, & donum pœnitentiæ concedere, crimina, & peccata etiam ingentia dimittere: vna enim, eadẽq; est hostia, idẽ nũc offerens Sacerdotum ministerio, qui se ipsum tunc in cruce obtulit, sola offerendi ratione*

diuersa. Quibus verbis efficacia huius oblationis in dimittendis peccatis reuocatur ad eam causam, quòd vna, eadēque sit hostia, quæ nunc incruentè offertur, & quæ fuit cruentè oblata in cruce; & quòd vnus, idemque sit offerens Christus, qui nunc se offert Sacerdotum ministerio, & qui se obtulit in cruce. Ast si Christus non se offerret nunc proximè, atque immediatè, deductio Concilij esset eneruis. Responderi namque posset, oblationem factam in cruce ideo habuisse illam efficaciam, quia à Christo proximè, & immediatè offerente traxit infinitam honestatem; nunc verò carere illa efficacia, quia non participat honestatem infinitam ob defectum concursus præstiti à Christo proximè, & immediatè. Vnde à ratione argumentatur Dicastillus, in Sacrificio cruento non tantùm res oblata, sed etiam ipsa offerendi actio fuit honestissima, & Deo grata infinitè ob dependētiam proximam, & immediatam à voluntate libera Christi. Ergo idem existimandum est de Sacrificio incruento; alioqui neque opus esset, vt in Sacrificio incruento Christus se gereret tanquam principalis offerens. Sic Dicastillus. Sed prima ponderatio non officit opinioni P. Vazquez, neque enim hic dicit, solam Christi institutionem sufficere; sed præterea requirit aliquid, ad quod necessarium est, ne Sacerdotium Christi extinguatur post mortem; quippe requirat, vt Sacerdotes non præcisè vt successores, sed tanquam substituti, & mandatarij sacrificent in persona Christi; quod fieri non posset, extincto post mortem Sacerdotio eius. Secunda ponderatio non magis lædit, dummodò enim oblatio Sacrificij huius sit munda, vt à Christo offerente principali, interest parùm, aut nihil ad Concilij mentem, quòd vitiari possit, necne, à Sacerdote vt offerēte adęquato proximo, & immediato, vel tantùm vt inadæquato. Certè neque alia Sacramenta (ad quæ Christus non concurrit modo, quo ad Eucharisticum conficiēdum, conatur Dicastillus) queunt fœdari à Ministris, ita vt suum perdant valorem, virtutemque, & insuscipientibus frustrentur effectu, ac fructu; quia nimirùm eorum valor, & virtus est ex institutione Christi non attendentis quoad id, siue ad malitiam, siue ad bonitatē Ministrorum. Tertia ponderatio retorquetur contrà Dicastillum, nam oblatio Sacrificij incruenti, vt facta à Christo nunc tanquam principali offerēte, non est meritoria; inde tamen non asseret, infirmari Cōcilij deductionem, tametsi oblatio Sacrificij cruenti meritoria fuerit. Ac sanè vt oblationis huius meritum applicatur per illam alteram, ideoque vtrobique viget eadem efficacia; ita honestas formaliter resplēdens in oblatione Sacrificij cruēti communicat denominatiuè honestatem oblationi Sacrificij incruenti ob voluntatem Christi moraliter perseuerantem offerendi per suos ministros; faciq; vt in oblatione Sacrificij incruenti non desit efficacia ad effectus à Concilio expressos. Et sicut iuxtà Dicastillum D. 3. dub. 4. à num. 77. Sacrificium Missæ vt oblatum nomine Christi haberet infinitum valorem, tametsi Christus non cōcurreret proximè, & immediatè ad illud, quia sufficeret, quòd res oblata sit infiniti valoris, & quòd offerens principalis, etsi remotus, & mediatus, sit persona infinita; ita idem Sacrificium Missæ habebit honestatem potentem, & efficacem ad mouendum Deum, vt causet effectus, de quibus loquitur Cōcilium etiamsi Christus non præstet cōcursum proximi, & immediati offerentis, dummodò sit offerēs principalis. Ex his debilitatur ratio Dicastilli postremo adducta loco.

10 Pater Ægidius Coninch 3. par. quæst. 83. art. 1. dub. 6. num. 107. adhærens sententiæ Patris Suarij dicit duo, quorum vnum non negaretur à Vazquio, scilicet probabile esse, quòd Christus actu elicito obtulerit Patri omnia, & singula Sacrificia Missarum celebranda vsq; ad mundi finem; fecerit-que eam oblationē, quo tempore instituit hoc Sacrificium, & Sacramentum Ordinis. Argumentatur deinde Ægidius, quia cum Christus modò interpellet Patrem pro nobis, vt habetur Ioannis 14. V. 16. Ioannis 1. Cap. 2. Vers. 1. ad Hebræos 7. V. 25. credibile etiam est, quòd singula Sacrificia Patri offerat actu elicito, quando actu fiunt. Hoc enim ipsius in Patrem reuerentiæ, & summo in Ecclesiam amori congruit. Quæ ratio confirmatur à Scortia Libro secundo, Cap. 3. num. 2. quia decet, vt Christus perpetuo exequatur non tantùm

tùm vnum supremi sui Sacerdotij munus, quod est orare pro nobis, sed etiam alterum, quod est offerre Sacrificia pro nobis; *omnis namque Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in ijs, quæ sunt ad Deum, vt offerat dona, & Sacrificia pro peccatis*, vt ait S. Paulus ad Hebræos 5. V. 1. Cæterùm hæc ratio desumpta ex oratione Christi, quę sit formalis, & expressa, tantùm abest à reuincendis Aduersarijs, vt potissimè defendant, Christum nunc non offerre pro nobis, quia pro nobis non orat formali, & expressa oratione. Concedi tamen potest cum Martino no D. 39. sect. 3. n. 16. Christum nunc iungere suum affectum cum affectu Sacerdotis, & approbare Sacrificium, repręsentareque Deo Patri. Id quod probabile etiam videtur Arriagę D. 50. sect. 8. n. 50.

11 Castrus Palaus Tract. 22. D. vnica, puncto 4. num. 4. adstipulatur opinioni Suarij, cuius argumento ibi repetito addit hoc aliud in num. 5. Sacerdotes, cum consecrant, non loquuntur in persona propria, sed in persona Christi, vt constat tum ex verbis consecrationis, *Hoc est corpus meum: Hic est calix sanguinis mei*; tum ex communi apud Patres effato, vt suprà notabam: & nunc adijcio S. Methildem Lib. 2. Spiritualis gratiæ, visionum, ac reuelationum, apud quam Christus ait, *Sicut Diaconus ad altare ministrat, sic ego omnia à Sacerdote, & cum Sacerdote operor, quæ ipse operatur.* Rursus Hesychium L. 2. in Leuiticum, C. 8. dicentem, *Nisi Christus rogatus ore Sacerdotum, ipse venerit, & cœnam sanctificauerit, & initiauerit ea, quæ aguntur, nullatenus Sacrificium Dominicum fiunt.* S. Ioannem Damascenum in historia Barlaam, & Iosaphat, *Ipse Dei sermo viuus, & efficax, & omnia virtute sua peragens, facit, & conuertit diuino verbo suo panis, & vini oblationem in corpus, & sanguinem suum, superueniente Spiritu sancto, in sanctificationem, & illuminationem cum deuotione percipientiũ.* Tunc sic: nisi Christus immediatè, & proximè offerret Sacrificium Missæ, operaretur q; consecrationem, non dicerentur Sacerdotes proferre cõsecrationis verba in eius persona, quandoquidem & ipsi per acceptã potestatẽ ex Christo conficiant reliqua Sacramẽta; sed quia Christus non concurrit proximè, & immediatè ad illa, non dicũtur proferre formarum verba, conficereq; ea alia Sacramenta in persona Christi, sed in sua propria, iuxta animaduersionẽ Sancti Thomæ 3. p. q. 78. art. 1. Ita Castro Palao. Sed certè Patres satis cõmuniter loquuntur sine eo discrimine. Audiatur S. Odo Abbas Cluniacensis L. 1. Collationum Cap. 21. *Non melior est* (inquit) *Baptismus per manus cuiuslibet sancti hominis, quàm per manus peccatoris donatus. Quoniam qualiscumque baptizator, Iesus est, qui baptizat. Sic & de ministerio altaris debet intelligi, quia scilicet per manus aut iusti, aut iniusti Sacerdotis oblationem consecrat ipse Christus. Sicut enim Ioannes Chrysostomus in Homilia de proditione Iudæ disseruit, Nunc ipse Christus præstò est, & non ipse Sacerdos corpus Domini consecrat, sed ipse Christus per ipsum.* Sic Sanctus Odo. Audiatur Adelmañus Episcopus Brixiensis, qui in Epistola ad Berengarium ait, *Ipse igitur Christus, cum hominibus manens semper, & homines baptizat per homines, & consecrat, quidquid per homines consecratur:: Christus igitur per manum, & os Sacerdotis baptizat. Christus per manum, & os Sacerdotis corpus, & sanguinem suũ creat.* Ita Adelmañus, qui videtur habuisse præ oculis ad imitationem S. Augustinum relatum Cap. *Intra Catholicam Ecclesiam.* 1. quæst. 1. Cap. *Vtrum sub figura* de Consecratione Distinct. 2. vel potiùs Paschasium Rathbertum Lib. de Corp. & Sang. Domini dicentem, *Nunc autem sicut ipse Christus est, qui baptizat, ita ipse est, qui per Spiritum sanctum hanc suam efficit carnem, & transit* (melius, & correctiùs) *transfundit vinum in sanguinem.* Ita Paschasius Cap. 12. Transcribuntur hæc verba in Concilio Coloniẽsi anno 1536 parte 7. Cap. 17. Legantur etiam Sanctus Ioannes Chrysostomus in Homilia 60. ad Antiochenum populum, S. Laurentius Iustinianus in Serm. de Euchar. S. Augustinus Tract. 6. in Ioannem, Tertullianus Lib. de Baptismo. Longumque esset, annumerare alios Patres concordes. Et licet S. Thomas in loco præcitato assignet illam differentiam, quòd formæ aliorum Sacramentorum proferantur à Ministro in propria persona exercente aliquem actum; sed in Eucharistiæ Sacramento proferatur forma à Ministro in persona Christi loquẽtis: mens S. Thomæ declaratur à Patre Suario in Commentario, quin inde deducatur quidpiam, quod iuuet Castrum Palaum. Inquit enim Suarius, *Dupliciter*

ter potest aliquis loqui in persona alterius. Primò, vt Minister eius, potestate ab ipso data, ita vt ratione huius potestatis verba de ipsa persona Ministri veritatem habeant: & hoc modo loquitur Minister aliorum Sacramentorum in persona Christi, non excludendo propriam:: Secundò loquitur aliquis in persona alterius, præcisè vt repræsentans illum, ita vt tota veritas verborum non ad personã Ministri, sed eius, in cuius persona loquitur, referenda sit:: Et hoc modo loquitur Minister Sacramenti Eucharistici in persona Christi. Sic Eximius Doctor. Vnde vt Sacerdotes dicantur consecrare in persona Christi, non est opus, quòd hic proximè offerat, opereturque immediatè consecrationem. Ostenditur ab exemplis. Legatus Regis dicitur loqui in eius persona, quin tamen ob id Rex debeat cõcurrere immediatè ad loquutionem illius. Et quondam Angelus enũciabat, *Ego sum Deus*; nec ideo Deus præstabat concursum specialem physicum in locutionem Angeli vltra communem ad alias actiones creatas. Quibus exemplis vtitur Granadus Controu. 6. Tract. 14. D. 4. sect. 2. num. 11. Parco referendis alijs argumentis repertis apud Authores, quibus opinio Suarij placuit, recidunt enim in ea, quæ proposui.

SECTIO II.

Problematica ad quæstionem responsio, cum corollarijs duabus aduertentijs, deductionibusque nonnullis circa Sacerdotium Christi, concursumque ipsius in Sacrificium.

12 SI quis audire velit meam censuram in hac controuersia, dico breuiter; vt Christus sit principalis offerẽs, minimè opus esse, quòd actu offerat nunc proximè, & immediatè, sicut neque opus est, quòd sic consumat oblationem, seu hostiam incruẽtam huius Sacrificij, cum tamen consumptio, vel sit de essentia Sacrificij huius, vel ad eius substantiale complementum pertineat. Num verò Christus proximè, & immediatè actu offerat, necne, alijs de causis? relinquo inter problemata, quia vtrinque sunt argumenta similia vero, sed non talia, quę ad assensum cogant.

13 Lubet admonere cum Cardinali de Lugo Disp. 19. sect. 7. num. 94. & 95. si opinio Vazquij gratior sit, non ideo Sacerdotium Christi putandum esse, habere se nunc per accidẽs ad oblationem, quæ fiat à Sacerdote vt à proximo, & immediato offerente adæquato, nam cum Christus nunc debeat esse principalis offerens, & ad id requiratur actu Sacerdotium, sequitur, dignitatem Sacerdotalem esse etiam nunc per se necessariam in Christo respectu Sacrificiorum, quę modò celebrantur, & quę peragentur vsque ad mundi finem. Permanebit autem deinceps in Christo Sacerdotium quoad actum primum, si quidem consistat, aut resultet ex vnione hypostatica Verbi diuini ad humanitatem: quæ vnio erit æterna à parte post. Ex facta admonitione liquet, iuxta opinionem etiam Vazquij remanere eandem difficultatem circa potestatem Apostolorum sacrificandi in triduo mortis Christi, cum enim is tunc non existeret, videtur, non posse eos tunc non modò proximus, & immediatus, sed neque principalis offerens; videtur etiam, non posse Apostolos loqui in persona Christi tanquam principalis offerentis. Cui difficultati iam ego satisfeci in numero quinto. Sed si adhuc quispiam inexhaustam censeat, meminerit ex Disput. 3. num. 38. & 39. non deesse, quibus probabile sit, Apostolos non potuisse in triduo illo sacrificare. Nec dissentit Hieronymus Garcia in Summa Morali de Sacerdotij excellentijs Tract. 3. Disp. 1. dub. 3. punct. 1. Claret etiam ex eadem admonitione, etiamsi Christus non sit proximus, & immediatus offerens, dummodò principalis sit, vrgere eandem difficultatem de valore infinito Missæ; quicquid sec' dicat Amicus D. 33. sect. 4. n. 37. nam oblatio facta à Sacerdote mero homine erit moraliter Christi tanquam offerentis principalioris, & cuius vices agit ille; eritque non minus Christi, quàm si hic vnà cum illo offerret. Vnde videtur, debere continere valorem infinitum. A qua difficultate iam me expediui in D. 7. Vlteriùs ex eadem admonitione patet, fore, vt, si vellet Christus, posset nunc sine noua petitione à Patre, consecrare, & sacrificare se solo, siquidẽ modò sit Sacerdos non minus, quàm quando postremam cœnam peregit. Nec intelli-

telligo, quo pacto esset nunc offerens principalis tanquam Sacerdos, vt Concilia, & Patres docent, nisi modò sit Sacerdos; quicquid sit, an stare posset, quòd nos offerremus nomine illius vtcumque, quin actu ipse insigniretur Sacerdotio, provt discurrit Arriaga D. 50 sect. 8. ex n. 50. Porrò autem Christum post Resurrectionem exercuisse se solo in Castello Emmauntino Sacerdotium, consecrando sub sola panis specie, existimant plures, quos indicaui in D. 4. n. 4. Deinceps visus est aliquādo Christus quasi celebrans Missam. Nam vt lego in Naucleo Volumine 2. Chronographiæ, Generatione 34. *Fertur de Henrico II. Imperatore, quòd semper primam noctem, ingrediens Vrbem, solitus fuerit in Ecclesia S. Mariæ Maioris manere. Contigit autem semel, quòd dum solitarius oraret, visus sit sibi Christus, Pontificalibus indutus, procedere Missam celebraturus*, &c. Similem aliam visionem narrat Alanus de Rupe apud Eusebium Nierembergium Lib. 2. Doctrinarum Asceticarum in 4. C. 23. Sed hæ visiones, & germanæ aliæ in S. Gertrudi L. 4. Insinuationum diuinæ pietatis C. 62. in Cæsario L. 7. Miraculorum illustrium, & Historiarum memorabilium C. 20. intelligi debent, quatenus fuerint tantùm imaginariæ, vt notat Quintanadueñas noster tomo, & Tract. 2. Singularium in 1. n. 8. Non enim Christus in Cœlo existēs, vel descendēs temporariè ad terram, vel vtrobique simul extraordinariè præsens celebrat iam se solo, seu sine Sacerdotum mortalium ministerio.

14 Rursus aduerto, Christum posse dici concurrere moraliter proximè, & immediatè cum Sacerdotibus ad Sacrificium, tum vt ipse se prebet in victimam, & hostiam, quam illi offerant; sicque *Quoties eius commemorationem celebrent, opus nostræ redemptionis exerceatur*, vt ait Ecclesia in Oratione secreta Dominicæ 9. post Pentecosten, significans, redemptionis nostræ consummatæ in cruce fructum applicari nobis vi, & efficacia hostiæ, quam ad Sacrificiū istud incruentum exhibet Christus, & quæ eadem est cum hostia Sacrificij alterius cruenti, ad quod etiam se præbuit, quia voluit. Tum quatenus Sacerdotes celebrant iussu Christi, qui dixit, *Hoc facite in meam commemorationem.* Sic Exodi 12. V. 6. dicitur de Paschali agno, *Immolabit eum vniuersa multitudo filiorum Israel*, non quia singuli iugularent physicè agnum, sed moraliter, eo quòd vnus nomine omniū; imò nec necesse erat, vt paterfamilias, qui erat Sacrificij illius Sacerdos institut⁹, (si credimus, provt æquū est, Philoni in L. de Decal. & in L. 1. de Vita Moysis, S. Isidoro Pelusiotę L. 3. Epist. 75 cōfirmante peritè Bonfrerio ad præcitatum Exodi locum) cæderet proprijs manibus, sed sufficiebat, si ex eius imperio aliquis domesticus atque ita fecisse Petrum, & Ioannem, absente etiam Christo, sed ipsius iussu tanquam patrisfamilias respectu cœtus Apostolici, colligit valde probabiliter ex Euāgelistis Theophilus Raynaudus in Optimæ vitæ fine pessimo, Cap. 9. n. 4. Tandem Christus potest dici, concurrere moraliter proximè, & immediatè cum Sacerdotibus, quatenus Christus meruerit impetrare à Deo, vt quoties Sacerdotes proferrēt cum debita intentione, & supra materiā aptam verba consecrationis, ponerētur corpus, sanguisq; eiusdemmet Christi sub speciebus panis, & vini: quare cum positio fiat ex vigore verborum obtento per merita Christi, nihil mirum, si is dicatur, in genere merentis concurrere moraliter proximè, & immediatè cum Sacerdotibus ad Sacrificium. Legatur Gaspar Hurtadus Disput. 2. de Sacrificio Missæ, Diff. 1. Et accommodetur eadem doctrina ad concursum Christi per sua merita in fructum Sacrificij: quanquam is modus concurrendi non sit singularis erga Sacrificij fructum, sed competat etiam Christo erga Sacramentorum effectus, quosvisque alios in ordine gratiæ.

DIS-

DISPVTATIO XII.

DE SACERDOTE, VT OFFERENTE Sacrificium Missæ.

1 ECVNDVS ORDINE, & dignitate inter offerentes est Sacerdos; etsi enim Ecclesia dicatur etiam offerre; facit tamen id per Sacerdotem tanquam superiorem ipsa in hoc munere, vt sapientissimè considerat Eminentissimus Cardinalis Bellarminus L. 2. de Missa C. 4. Cum quo concordant Vazquez D. 225. C. 3. n. 14. D. 226. C. & n. 1. Gaspar Hurtadus D. 2. de Sacrificio Missæ, Diff. 3. Columbus L. 4. de Angelica, & Humana Hierarchia C. 63. n. 19. Quare ob præcellentiam Sacerdotis in offerendo agimus de eo, antequàm de Ecclesia. Quòd si alicui cum Hiquæo in 4. Scoti Dist. 13. q. 2. q. sua 6. non arrideat, vt ob rationem traditam tractetur priùs de Sacerdote, quàm de Ecclesia, prælegat Disputationem 14. nolo enim ego in quæstione de nomine maiorem operam collocare.

SECTIO I.

Solus homo, qui sit Sacerdos, potest validè offerre, consecrando.

Probatio Catholicæ huius veritatis. Pœna præsumentium celebrare, cum Sacerdotes non sint.

2 SOLVS Sacerdos ritè ordinatus in Ecclesia, seu characterе Sacerdotali insignitus, potest validè offerre hoc Sacrificium, conficiëdo Sacramentum Eucharistiæ, seu constituëdo corpus Christi sub speciebus panis, & sanguinem sub speciebus vini. Ita Cõcilia, Nicænum 1. Can. 14. vel 18. Alexandrinum, relatum à S. Athanasio in Apologia 2. contra Arianos, Laodicense C. 19. & 26. Lateranense sub Innocentio III. C. 1. referturque C. *Firmiter* de Summa Trinitate, & Fide Catholica, Florentinum in Instructione Armenorum, Tridentinum Sess. 22. C. 1. & Can. 2. Sess. 23. C. 1. & 4. necnon Can. 1. Ecclesia Romana in hymno ad Matutinum in Festo Corp. Christi. Consonãt Patres Eccles. S. Isidorus Hispal. adductus C. *Perlectis* Dist. 25. S. Isidorus Pelusiota in Epist. 326. Lib. 3. & anteà in Epist. 75. Pœnitentiale Romanum transcriptum ab Halithgario apud Hugonem Menardum in notis ad Lib. Sacramentorum S. Gregorij pag. 239. Ivo Carnotensis Epist. 124. S. Bernardus in Sermone de Cœna Domini, etsi nõ constet eius

eius esse ; citatur tamen à Gabriele Lectione 85. in Canonem Missæ, littera *A.* tanquam legitimus fœtus Melliflui Doctoris ; Gennadius Patriarcha Constantinopolitanus in Expositione pro Concilio Florentino C. 2. S. 7. S. Thomas Opusculo 6. de Articulis Fidei, & Sacramentis Ecclesiæ, innumerique alij congesti à Thoma Vualdensi C. 7. 27. & 28 de Sacramentis, Bellarmino Lib. 4. de Euch. C. 16. Scortia L. 2. de Sacrificio Missæ C. 5. & Theoremate 403. circa Constitutiones Summor. Pontif. Consaluo Duranto ad C. 79. L. 6. Reuelat. S. Birgittæ, Valentia L. 1. de Missa C. 4. Suario D. 61. sect. 3. Martinono D. 37. de Euch. sect. 3. Dionysio Petauio in Diatriba docta, & eleganti de hac re, Pasqualigo in Doctrina Morali sacra D. 108. sect. 1. Andrea Saussay in Panoplia Sacerdotali, p. & L. 2. C. 3. Concordant etiam Nicolaus Cabasilas in Expositione Liturgiæ C. 29. Rex Alfonsus Sapiens tit. 3. in proemio, l. 47. tit. 4. Partita 1. Theologi in 4. Dist. 13. & 3. p. q. 82. art. 1. vbi Angelicus Doctor ait, *Quicumque aliquid agit in persona alterius, oportet, hoc fieri per potestatem ab illo concessam. Sicut autem baptizato conceditur à Christo potestas sumendi hoc Sacramentum; ita Sacerdoti, cum ordinatur, confertur potestas hoc Sacramentum consecrandi in persona Christi; per hoc enim ponitur in gradu eorum, quibus dictum à Domino, Hoc facite in meam commemorationem. Et ideò dicendum est, quòd proprium est Sacerdotum, conficere hoc Sacramentum.* Quæ S. Thomæ ratio præcipua est in hoc puncto, sufficitque nobis contra Vuicleffum impugnatum ab Vualdensi suprà, & contra Lutherũ, qui Lib. de Captiuitate Babylonica, L. de abroganda Missa priuata, L. aduersꝰ Bullam Leonis X. somniarunt, communem esse baptizatis omnibus potestatẽ offerendi, & consecrandi.

3 Hinc Gregorius XIII. Constitutione 21. incipiente *Officij nostri partes*, voluit, puniri ab Inquisitoribus eos, qui non promoti ad Ordinem Presbyteratꝰ celebrarent Missas, vt qui essent suspecti de crimine sapiente hæresim Lutheranam. Addidit autem Clemens VIII. Constitutione 81. incipiente *Etsi aliàs*, degradari debere ab Ordinibus Ecclesiasticis, si quos haberent, & tradi Iudicibus Laicis mulctandos debito supplicio ; declarauitque Vrbanus VIII. Constitutione 79. incipiente *Apostolatus officium*, sufficere vigesimum annum completum, vt præfatis pœnis subiaceant. Iure Canonico veteri statutum non fuerat, quo supplicio afficiendi essent ; forsan enim antiqui illi Patres non crediderunt, tantam futuram esse aliquorũ hominum temeritatem, vt tantum nefas, quale est sine Ordinibus Missam celebrare, committerent, vt ait Bernardꝰ Diaz in Practica Criminali Canonica C. 12. Quem consule circa hoc crimen, & Scortiam in locis præcitatis, necnon Bobadillam in Politica L. 2. C. 17. Casu 51. Barbosam de Officio, & potestate Episcopi parte 2. Allegatione 40. n. 46. Antonium de Sousa in Aphorismis Inquisitorum L. 1. C. 32. & in Opusculo de Solicitantibus Tract. 1. Cap. 9. alioque agentes de casibus spectantibꝰ ad Inquisitionis sanctæ tribunal. Num verò Laicus vsurpans Ordinem sacrum Sacerdotis, fiat irregularis ? Controuertitur inter Doctores. De Diacono, qui præsumpsit Missarum celebrationem, legatur C. *Ex litteris*, de Clerico non ordinato : & exinde constabit, antiquos Patres expertos fuisse saltem in Diaconis nefarium illud scelus. Nec nos plura de pœnis, quibus subiacet, aut impedimentis, quæ inducit, ne ocasione Spartæ, quam nunc ornamus, inuehamus huc totam Theologiam Moralem.

Diluuntur sex argumenta.

4 CONTRA veritatem Catholicam non obest primò, quod de Frumentio non Sacerdote, cõmorante inter Indos, refert Theodoretus L. 1. Hist. Eccles. Cap. 23. scilicet cohortatum esse mercatores aduenas, vt in vnum congregati, more Romanorum, obirent Liturgiam, seu diuina ministeria. Secundò, quod narratur in Prato spirituali C. 25. de Monacho Laico, qui missus, vt benedictiones ferret, cũ iam rediret ad Monasterium, verba sanctæ oblationis, quasi versus aliquos caneret, dixit ; declaratumque est ab apparente Angelo, sanctificatas, ac perfectas fuisse oblationes per verba Fratris illius. Tertiò, quod de pueris, seu pastoribus, ad quorum eadem consecrationis verba panis conuersus est in carnem, traditur à Ioanne Beletho C. 44. de Officijs diuinis, à Gemma animę L. 1 C. 103.

C. 103. Alensi de Officio Missæ parte 2 §. 2. Guilielmo Durando in Rationali, L. 4. Cap. 35. Bossoardo de Sacrificio Missæ p. 2. C. 1. Iudoco Clichtoueo in Elucidario Ecclesiastico L. 3. pag. 146. Benedicto Gonono L. 2. Hist. Eucharisticæ pag. 181. cum Bredenbachio, & Buccingero. Non, inquam, obest, nam ad primum respondetur, per Liturgiā, sacrave ministeria intelligi in Theodoreto conuentum, causa orandi ad Deum, colendique ipsum, vt patet ex Ruffino L. 1. C. 9. Socrate L. 1. C. 15. Sozomeno L. 2. C. 23. Nicephoro L. 8. C. 35. qui in suis Historijs Ecclesiasticis de eodem Frumentio loquuntur. Ad secundum, vel esse apocryphā narrationem illam (vt & nonnullas alias contētas in Prato spirituali) vel Deum suprà ordinariam legem effecisse conuersionem illam. Ad tertium, in Prato spirituali C. 196. vnde emanauit notitia illa, non dici, transijsse panem in carnem; & quanuis in hanc concederetur, sed nō quæ esset Christi; quicquid suspicetur Alensis. Quare Innocentius III. L. 3. de Myst. sacro altaris C. 1. Alcuinus L. de diuinis Officijs, Cap. de celebratione Missæ, S. Remigius in Expositione Canonis, Petrus Blessensis Serm. 46. Hugo Victorinus de Sacramentis Fidei L. 2. parte, & C. 9. in Speculo etiam Ecclesiæ C. 7. etsi de eo casu meminerint, non tamen de transmutatione sequuta in carnem, vel in corpus Christi. Et permissa tali conuersione, restat respondere, fuisse, agente Deo extraordinariè. Sic ex singularissima eius dispositione Angelus consecrauit S. Amphilochium in Episcopum, vt prodit memoriæ Nicephorus L. 11. Hist. Eccles. C. 20 & ali? Angelus baptizauit S. Sabinianum, vt refert Andreas Saussay in Panoplia Sacerdotali parte 2. L. 5. C. 2.

5 Neque item officit, si quartò opponatur Conciliū Arelatense 1. Can. 15. dicens, *De Diaconibus, quos cognouimus, multis locis offerre, placuit, minimè debere fieri.* Quintò, Synodus Ancyrana C. 2. prohibens, ne Diaconi, qui immolauerant Idolis, *Offerant siue panem, siue calicem*: vetatque, non secus ac in Cap. 1. prohibuerat Sacerdotibus, qui sacrificarant eisdem Idolis. Sextò, Tertullianus in L. de Exhortatione ad castitatē C. 7. inquiens, *Nonne & Laici Sacerdotes sumus? Scriptum est, Regnum quoq; nos, & Sacerdotes Deo, & Patri suo fecit. Differentiam inter Ordinem, & plebem constituit Ecclesiæ authoritas, & honor per Ordinis cōsessum sanctificatus à Deo. Vbi Ecclesiastici Ordinis non est consessus, & offers, & tingis, & Sacerdos es tibi solus. Sed & vbi tres, Ecclesia, licet Laici; vnusquisque enim de sua fide viuit*, &c. Non, inquam, officit, nam ad quartum respondetur, Conciliū Arelatense, vel loqui de oblationibus panis, vini, aliarumque rerum exhibitarum à fidelibus, quas benedicere presumebant temerè Diaconi, presentibus Sacerdotibus, distribuebantque partim inter fideles, partim reseruabant sibi ad communem vsum; vel loqui de oblatione sacrificatiua attentata contra fas, iusque ab ipsis, vt & ab illo alio Diacono, de quo Vrbanus III. in C. *Ex litteris* de *Clerico non ordinato*. Ad quintum, prohiberi in Synodo Ancyrana, ne Diaconi illi offerrent more aliorum immunium ab eo delicto, quippe Diaconi inseruiētes altari offerant etiam num saltem calicem, sed non oblatione, quæ sit sacrificatiua consecratio. Ad sextum, obscura ea verba Tertulliani accipienda esse de Sacrificio metaphorico, de oblationibusque rerum, quas benedicendas afferebant fideles in Ecclesiam; & deficiente Sacerdote, quouisque alio Clerico, poterant benedici à digniori ex Laicis.

6 Ex dictis infertur à fortiori, fœminas non posse offerre sacrificando, cum sint ex lege Christi incapaces characteris Sacerdotalis. Videantur Cap. *Tertio quæritur* 15. q. 3. Tertullianus L. de Velandis Virginibus C. 9. Firmilianus in Epistola, quæ est 75. inter alias S. Cypriani. S. Epiphanius Hæresi 49. & 79. S. Augustinus de Hæresibus ad Quod vult Deum in 27. Philippus Abbas Bonæ spei C. 107. de Clericorum dignitate. Quoad vsum etiam ministrādæ Eucharistiæ vix extat exemplum in Antiquitate Ecclesiastica. Et licet illæ, quas vocabant Presbyteræ, Diaconissæ, Hypodiaconissæ, de quibus latè inter alios Claudius Espencæus L. 1. Digressionum in 1. Epistolam Pauli ad Timotheum C. 17. Iosephus Vicecomes Volumine 3. Obseruationum Ecclesiasticarum L. 1. C. 29. Vazquez 3. p. D. 245. Cap. 3. limites suorum munerum excesserint non rarò, quæ fuit vna ex precipuis causis ad eas multis iā abhinc

sæculis

sæculis non instituendas, tamen nescimus, ausas vnquam fuisse administrare Eucharistiam. Scripsi, *Vix extat exemplum*, nam vnius monumentum animaduerto in S. Gregorio L. 4. Dialogorum C. 15. & Homilia 40. in Euang. vbi de Romulæ obitu sermonem habens inquit, *Nocte quarta eandem Magistram suam Redemptam iterum vocavit: qua veniente, Viaticum perijt, & accepit.* Videturque, constare ex contextu, præter Romulam ægrotantem, & Redemptam, & fœminam aliam, non adstitisse ibi plures personas. In Concilio Rhemensi relato à Gratiano C. *Peruenit* 29. de Consecratione Dist. 2. reprehenditur tanquam horribile, & detestabile, quòd Presbyteri quidam in tantum parui penderent diuina Mysteria, vt Laico, vel fœminæ traderent sacrum Domini corpus ad deferendum infirmis.

SECTIO II.

An si non verus, sed reputatus Sacerdos celebraret, esset absque omni effectu? Vbi de alijs, qui cum defectu Ordinis, vel intentionis, vel materiæ, formæve ministrant Sacramenta alia.

7 ID est, an si quis non Sacerdos simulatè celebraret, vel an si suo, & communi errore existimatus Sacerdos faceret Sacrum, ministraretq; Eucharistiam non veram, compensaret Deus fructum Sacrificij, gratiamq; Sacramenti, quę oblationi veri Sacrificij, & sumptioni veri Sacramenti responsura esset ex opere operato? Similis alia dubitatio delata ad me est ab amico viro, qui legens in Monarchia Ecclesiastica Fratris Ioannis de Pineda Franciscani parte 3. L. 18. C. 23. anno 854. §. 6. passus est scandalum ex his eius verbis Latinè à me redditis, nam liber scriptus est Hispano idiomate, *Quanuis verum esset* (quod vt fabulosissimum habetur de Ioanna Papa fœmina) *non ideo Ecclesia illo tempore mansit sine capite, Iesus Christus nãque est verissimum eius caput, influitque sua in Ecclesiam dona. Et licet omnes illi, qui à Ioanna fuerunt ordinati, tantùm in speciem acceperint Ordines, debuerintque rursus ordinari ritè ad exequenda Officia Ecclesiastica, attamen qui apud illos confessi sunt, obtinuerunt absolutionem peccatorum, si cum debita dispositione accesserunt. Deus namque, qui est supremus Sacerdos, supplet huiusmodi defectus, ne fraudentur Sacramentali gratia fideles, vbi vacant culpa.* Hæc verba digna esse, quę expungerentur per Inquisitionis sanctę tribunal, iudicabat amicus ille noster satis doctus. Sed ego respondi, extare in grauissimis Authoribus similem propositionem, quin huc vsq; fuerit damnata. Multi enim asserunt, si Ministro desit intentio conficiendi Sacramenti Baptismi iuxta institutionem Ecclesiæ, suppleri à Deo defectum eius intentionis, non quoad characteris, sed quoad gratiæ, quæ Sacramento esset responsura, productionem. Cum verò potestas Ordinis non sit magis necessaria ad Pœnitentiæ Sacramentum, quàm Ministri intentio ad Sacramentum Baptismi; si absque errore præsumitur de misericordia diuina, quòd supplet defectum intentionis, conferendo gratiã in Baptismate non vero; quidni etiam poterit absque errore putari, quòd suppleat defectum potestatis Ordinis, tribuendo gratiam in Sacramento non vero Pœnitentiæ?

8 Antesignanus illorum Authorum est S. Thomas, qui in 4. Dist. 6. q. 1. art. 2. quæstiuncula 1. ad 2. scribit, *Quidam dicunt, quòd si desit mentalis intentio in baptizante, non confert Sacramentum Baptismi; tamen in adulto supplet fides, & deuotio effectum Baptismi, vt periculum ex hoc baptizato, qui ignorat intentionem baptizantis, nullum proueniat. Si autem sit puer, creditur piè, quòd summus Sacerdos, scilicet Deus, defectum suppleat, & salutem ei conferat.* Ita S. Thomas referens hunc modũ dicendi, & alium, quem postea subiungit, vt eligat Lector, quem maluerit. Rursus idem S. Thomas 3. p q. 64. art. 8. ad 2. inquit, *Circa hoc est duplex opinio, quidam enim dicunt, quòd requiritur mentalis intentio in Ministro, quæ si desit, non perficitur Sacramentum; sed hunc defectum in pueris (qui non habent intentionem accedendi ad Sacramentum) supplet Christus, qui interiùs baptizat. In adultis autem, qui intendunt Sacramentum suscipere, supplet illũ defectum fides, & deuotio. Sed hoc satis posset dici quantùm ad vltimum effectum, qui est iustificatio à peccatis; sed quantùm ad effectum, qui est res, & Sacramentum, scilicet*

quantùm

quantùm ad characterem, non videtur, quòd per deuotionem accedētis posset suppleri, quia character nunquam imprimitur, nisi per Sacramentum. Et ideo alij melius dicunt, &c. Probat quidem magis S. Doctor sententiam secundam, sed non improbat primam; imò de prima considerata in ordine ad vltimum effectum, qui est iustificatio à peccatis, nullum præbet indicium minoris approbationis. Fuitque illa opinio prima Alexandri Alensis 4. p. q. 8. membro 3. art. & §. 1. V. *Sed dubitatur*, quam amplexi sunt Durandus in 4. Dist. 6. q. 2. n. 12. & Gabriel in 4. Dist. 6. q. 1. art. 3. dub. 2. Bartholomæus ab Angelo, & Michael Zanardus apud Dianam p. 3. Tract. 4. Resol. 17. & apud Antonium de Quintanadueñas tomo, & Tract. 1. Singulariu in 1. n. 3. in 2. n. 1. Et probabilem eam esse, pronunciat Valentia tomo 4. D. 3. q. 5. pūcto 3. Videturq; suo suffragio confirmare Tabiena V. *Baptismus* 6. n. 10. Armilla eodem verbo, n. 60 Imo Viguerius in Institutionibus C. 16. V. 6. ait, *Si Sacerdos ex malitia in Baptismo, vel Pœnitentia falleret; Deus (qui facienti, quod est in se, non deficit in necessarijs, nec alligauit virtutem suam Sacramentis) sua infinita bonitate suppleret; quanuis regulariter character non imprimatur, nisi per Sacramentum. Sed in tali casu, si Deus suppleat principalem effectum, qui est gratia, supplet etiam minus principalem, iuxta regulam Topicorum, si id, quod magis videtur inesse, inest & id, quod minus.* En Viguerius admittit, produci tunc à Deo non tantùm gratiam, sed etiam characterem; quanuis quoad secundam partem loquatur sine exemplo Maiorum. Non me latet, vocari à Cabrera 3. p. q. 64. art. 8. D. 1. §. 6. n. 65 & 66. temerarium, & erroneum, ab Henriquez L. 1. C. 10. §. 3. imperitū assertum illud vel de productione gratiæ: referrique à Ioannetino Niño in Interrogatorio vitę V. Matris Sor. Annę Marię de S. Iosepho, n. 35. vidisse, abire in Limbum animas quorundam parvulorum baptizatorum malè ab Hæreticis. Sed nunc ego illud non defendo, nec aliud intendo, quàm obiectu istius opinionis, tot, tamq; illustrium Doctorum, retardare damnationis impetum contra eam alteram Pinedæ Franciscani.

9 Pro quò addo, quòd is Author neutiquam dixerit, pœnitentes recepisse Sacramentum Pœnitentię à Sacerdotib⁹ apparentibus, sed gratiā tantùm, quæ adquirenda foret vi Sacramenti, si à veris Sacerdotibus fuisset dispensatū. Porrò autem aduersus hunc dicendi modum non reperitur definitio aliqua Pōtificia, aut Conciliaris quantùm ad Sacramentum Pœnitentiæ, neque quantùm ad reliqua alia requirentia potestatem Ordinis. Et hinc eluescit causa, ob quam Pineda Franciscanus negat, fuisse verè Ordines susceptos in illo casu; nam vtquis maneat verè ordinatus, opus est, quòd ipsi indatur character. Et hunc discurrēdi modum seruauit S. Thomas, quandò admisit, suppleri defectum intentionis in Ministro Baptismi, quoad gratiæ, & non quoad characteris effectum. Et ideo S. Thomas non est contrarius Florentino Concilio, neq; Tridentino; quorum primum in Decreto Eugenij IV. definit, *Omnia Sacramenta tribus perfici, videlicet rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, & persona Ministri conficientis Sacramentum cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia.* Et secundum Sess. 7. Can. 11. decernit, *Si quis dixerit, in Ministris, dum Sacramenta conficiunt, & conferunt, non requiri intentionē saltem faciendi, quod facit Ecclesia, anathema sit.* Non est, inquam, contrarius S. Thomas his definitionibus, non enim docet, perfici Sacramentum Baptismi sine intentione Ministri, sed Deum ex misericordia sua in defectu intentionis largiri gratiam, non verò characterem. Prætereà est quidem de fide Catholica, necessariam esse potestatem Ordinis in Ministro Sacramenti Pœnitentiæ, quatenus non possit indifferenter quisque homo administrare illud; sed solus Sacerdos: cæterùm si administret, qui est reputatus Sacerdos, non conferri gratiam responsuram Sacramento in homine aliàs dispositio, cum onere confitendi posteà, quando innotuerit deceptio, nusquam decretum video, ita vt præcludatur aditus ad præsumendum de pietate diuina, quòd tunc citra opus operatum Sacramenti (vtpote re ipsa nō subsistentis) causet gratiam, quæ, si nō defuisset intentio, causanda esset vi Sacramenti, & ex opere operato. Si ob errorem communem cum titulo colorato supplet pia mater Ecclesia, conformans se l. *Barbarius* ff. *de Officio Prætoris*, l. 2. C. de Sent. & interloq. alijsq; iuribus adductis

ductis à P. Thoma Sanchez Lib. 3. de Matrimon. Disp. 22. num. 1. defectum iurisdictionis quoad valorem Sacramẽti Pœnitentiæ ministrati à Sacerdote non habente re ipsa iurisdictionem; mirum non est, si ob eundem errorem præsumat Franciscanus Pineda, non quidẽ de benignitate Ecclesiæ (siquidem hæc nequeat supplere defectus iuris diuini, aut naturalis iuxta textum in Cap. *Sunt quidam* 25. quæst. 1. & in Cap. *Cum inferior, de maiorit. & obed.*) sed de Dei clementia, quòd suppleat defectum potestatis Ordinis quoad gratiæ effectum. Ego quidem longè absum, vt id censeã; sed tamen, saluo meliori iudicio, affirmo, non esse præsumptionem denũciabilem ad Inquisitionis sanctę tribunal.

10 Si non nemo opponat, Leonem X. damnasse hanc Lutheri propositionem, *Si per impossibile confessus non esset contritus, aut Sacerdos non seriò, sed ioco absolueret, si tamen credat, se absolutum, verissimè est absolutus.* Quæ damnatio habetur in Bulla, cuius initium *Exurge Domine.* Et in Concilio Tridentino Sess. 14. Cap. 6. dicitur, *Non debet pœnitens adeò sibi de sua ipsius fide blandiri, vt etiamsi nulla illi adsit contritio, aut Sacerdoti animus seriò agendi, & verè absoluendi desit: putet tamen se, propter suam solam fidem, verè, & coram Deo esse absolutum; nec enim fides sine pœnitentia remissionem vllam peccatorum præstaret; nec is esset, nisi salutis suæ negligentissimus, qui Sacerdotem ioco se absoluentem cognosceret, & non alium, seriò agentem, sedulò requireret.* Responderi potest, Leonem X. & Concilium Tridentinum, damnare absolutionem Sacramentalem, quæ daretur à Sacerdote iocosè agente, & quem sic agere, nosceret pœnitens. At Pineda Franciscanus non loquitur in casu, quo, qui non est Sacerdos, absolueret per ludibrium, neque in casu, quo confitens sciret, illum non esse Sacerdotem, & non agere seriò; neque item vult, hominem, ex errore communi reputatum verum Sacerdotem, nullaque præbentem signa ioculariter agendi in auditione confessionis impertiri validam absolutionem Sacramentalem. Si rursus obijciat non nemo, ob Sacramenta Baptismi, Confirmationis, & Ordinis non imprimitur character, nisi sint rata, & valida, vt fatetur ipse Pineda Franciscanus, & cæteri Theologi, excepto Viguerio. Ergo neque ob ea, neque ob reliqua alia producetur gratia, nisi quando verè sint administrata, atque suscepta, & non merè apparenter. Si absolutio non est verè Sacramentalis, tam impertinens est, vt moueat Deum ad producendam gratiam, quàm impertinens esset quæuis alia externa actio Sacerdotis falsi; & ablutio exterior facta sine debita intentione non magis conducit, vt Deus causet gratiam, quàm vt causet characterem. Demùm generali Dei lege statutum est, vt qui confitetur, non obtineat remissionem peccatorum lethalium, quorum sit conscius, & proinde gratiam iustificãtem non comparet, nisi ipsi impendatur à legitimo Ministro absolutio vera Sacramentalis; in qua generali lege vt exceptio aliqua secundùm scientiam admittatur, opus est speciali reuelatione, aut testimonio diuino; quale in hoc casu desideratur. Nec fidendum est talibus persuasionibus quandam pietatis præseferentibus speciem, alioqui nihil erit certum, & fixum ex vniuersalibus regulis iuris diuini positiui. Vnde Dominicus Sotus in 4. Distinct. 5. quæst. vnica, art. 2. discutiens Caietani 3. par. quæst. 68. art. 2. persuasionem de salute parvulorum, si dum Baptismi facultas non adest, muniãtur signo crucis cum inuocatione Trinitatis, inquit satis maturè, *Hæc Dei supplementa, vbi Sacramentum, vel quidpiam eius essentiæ deest, adeò nunquam mihi persuaderi poterũt, vt si ingenuè, quod sentio, dicere mihi liceat, semper fuerim arbitratus, non solùm temerè, & absque vlla prorsus ratione asserta, imo præter sententiam Euangelicam, & nonnunquàm contra.* Ita Sotus, cui consonat Antonius Rubius in Assertionibus Catholicis cõtra Erasmum Lib. 1. Errore 2. Sed Sotus forsan calamum temperasset, si legisset hæc S. Thomæ verba in Opusculo 65. sub titulo de Sacramentis Ecclesiasticis, *Si Sacerdos facit, quod potest, & quod non potest, committit Deo, tunc ipse supplet defectum,* scilicet Baptismi, si Sacerdos non inueniat aquam. Pro qua existimatione referri etiam possunt S. Bonauentura, Alensis, Richardus, Gerson, Gabriel in locis designatis à Francisco de Lugo L. 2. C. 10. q. 1. n. 6.

11 Ego verò, consideratis his omnibus, propalàm denuncio, non mihi placere existimationem Franciscani Pi-

nedæ. Sed hæc, quę postremò contra illam obiciuntur, militant æquè aduersus existimationem S. Thomæ, & aliorum Authorum, quorum memini, & nihilominus illa existimatio hactenus illæsa euasit, necnon & germana alia proposita à S. Thoma in 4. distinct. 17. quæst. & art. 3. quæstiuncula 2. ad 1. vbi loquens de eo, qui in defectu Sacerdotis cõfiteretur Laico peccata sua, Instante periculo mortis, inquit, *Quanuis* Laicus, vel Sacerdote inferior *Sacramentum perficere non possit, vt faciat id, quòd est ex parte Sacerdotis, absolutionem scilicet; tamen defectum Sacerdotis summus Sacerdos supplet:: Et confessio Laico, ex desiderio Sacerdotis facta, Sacramentalis est, quodammodo, quanuis non sit Sacramentum perfectum, quia deest ei id, quod est ex parte Sacerdotis.* Sic Angelicus Doctor; à cuius existimatione non abludunt Magister Sententiarum in 4. Distinct. 17. Abbas Panormitanus in Cap. *Fures* de *Furtis*, & quædam Glossa ibidem. Est etiam apud eundem Sanctum Thomam in 4. distinct. 24. quæst. 1. art. 2. quæstiuncula 3. (quæ est de præsuppositione characteris baptismalis ad characterem Ordinis) persuasio alia, quæ prorsus colludit cum memorata ex Francisco Pineda, nam cum efformatum fuisset secundum hoc argumentum ad dissuadendam eam præsuppositionem, *Potest contingere, quod aliquis non sit baptizatus, qui se baptizatum æstimat probabiliter. Si ergo talis ad Ordines accedat, non consequitur characterẽ Ordinis, si character Ordinis præsupponat baptismal: & sic ea, quæ faciet in consecratione, vel absolutione, nihil erunt, & in hoc Ecclesia decipietur, quod est inconueniens.* Respondet Sanctus Præcetor, *Quòd talis, si ad Sacerdotium promoueatur, non est Sacerdos, nec conficere potest, nec absoluere in foro pœnitentiali. Vnde secundùm Canones debet baptizari iteratò, & ordinari. Etsi etiam in Episcopum promoueatur, illi, quos ordinat, non habent Ordinem. Sed tamen piè credi potest, quòd quantùm ad vltimos effectus Sacramentorum summus Sacerdos suppleret defectum; & quòd nõ permitteret, ita latere hoc, quòd periculum Ecclesiæ imminere posset.* Hęc S. Thomas. Habent eadem omnino, vel eadem ferè Siluester V. *Baptismus* 6. q. vel num. 3. Baptista Trauamala in Summa Rosella Verb. *Baptismus* 4. num. 13. Abulensis in Paradoxo 5. Cap. 125. & Author Glossæ, Verb. *Beati Ambrosij* in Cap. *Apostolicam* de Presbytero *non baptizato*. Glossæ etiam Verb. *Deceptæ* in Cap. *Dudum* de *Electione*. Suntque prorsus similia cum dictis à Francisco Pineda; & idcirco istius propositio non debet de singularitate culpari. Hunc in modum respondi consulenti amico.

12 Quæ verò tunc scripsi, huc transfero, & addo nunc Ioannem de Lapide Doctorem Parisiensem, postque Carthusianum in Resolutorio dubiorum circa celebrationem Missarum occurrentium, Cap. 2. art. 1. dub. 2. dicere hæc, quæ mireris valdè, *Vtrùm ille, qui credit, se ritè ordinatum, & tamen non est ritè ordinatus, conficiat hoc Sacramentum? De hoc non habetur certitudo; piè tamen credi potest, quod conficiat in virtute Ecclesiæ, & quia summus Sacerdos suppleat defectum, & quia non permittat, Ecclesiæ periculum imminere, & eam decipi.* Colludit Angelus de Clauasio Verb. *Baptismus* 7. num. 12. inquiens, *Si celebrat, ignorans* (se non esse baptizatum, vel etsi sit, sed se non esse ordinatum) *creditur, quod conficiat virtute Ecclesiæ, secundùm Innocentium. Hoc idem tenet Sanctus Thomas in* 4. *distinct.* 24. *& Albericus in Summa Confessorum Lib.* 4. *tit.* 22. *quæst.* 8. *& placet, quia virtus Spiritus sancti vegetans Ecclesiam suam supplet potentiam in tali, ne Ecclesia decipiatur.* Repetit idem ipsum Verb. *Euchar.* 2. num. 2. Quod an ab Innocentio, & Alberico sit affirmatum? fides esto penes Angelum: at à Sancto Thoma alienum est, quod ei imponit; & remotissimum debuisset esse ab ipsius Angeli, & à Ioannis Lapidani mente: vt & à Viguerio illud, quod de charactere retuli in num. 8. Puderet me, si, quantum monstri alant sub pietatis larua hæ cogitationes postremæ, voluissem explicatiùs ostendere. Quapropter satis fuerit, eas traduxisse, vt caueantur.

13 Asserо igitur, si homo non Presbyter celebret, non modò non conficiendam Eucharistiam, sacrificãdumvè ab eo, sed neque refundendum vllum ex opere operato fructum in illos, pro quibus applicuerit Missam fictam, neque item in illos, quibus simulatam Eucharistiam dispensauerit. Audiatur P. Suarez 3. p. q. 64. art. 8. in Commentario, V. *In argumento* dicens, *Si Laicus se fingat Sacerdotem, & consecret, non propterea*

tereà dicendus est Deus supplere hunc defectum, & perficere Sacramentum, aut effectum eius, ne populus decipiatur: hoc enim neque vlla Dei lege, aut promissione fundatum est; neque aliqua necessaria, aut probabili ratione. Quam doctrinam tradit Eximius Theologus, vt inde à paritate probet, Deum non supplere effectum gratiæ, quando Ministro Baptismi deest intentio debita. Vsus est eodem exemplo ante Suarium præstantissimus Doctor Dominicus Sotus in 4. Distin. 1. quæst. 5. art. 8. V. *Grauis tamen*, sic effatus, *Ac demum sequeretur, quòd si Sacerdos non intenderet consecrare, pariter Deus suppleret defectum; quod est asserta temeraria.* Sic Sotus. Legat, qui uelit, Barbosam parte 2. de Officio, & Potestate Episcopi, Allegatione 2. à num. 9. vsque ad 13. Didacum Antonium Frances in Foro conscientiæ parte 2. quæst. 7. num. 18. & 19. agentes de hoc puncto post alios, quos allegant.

SECTIO III.

An omnis Sacerdos possit validè offerre, consecrando?

Respondetur, posse. Et deducuntur multa Corollaria.

14 CONCLVSIO sit, omnem Sacerdotem ritè in Ecclesia ordinatum posse validè offerre, consecrando, si proferat consecrationis verba suprà conuenientem materiam cum intentione consecrandi, seu faciẽdi, quod facit Ecclesia. Probatur, quia ratione characteris Sacerdotalis, quem non ab Ecclesia, sed à Christo Domino habent Sacerdotes, conuenit his potestas offerendi Sacrificium Missæ, conficiendo Sacramentum Eucharistiæ sub speciebus panis, & vini. Atqui character est indelebilis, & inamissibilis. Ergo, & potestas illa; atque adeò deperdi nequibit per censuram aliquam Ecclesiæ, vel per peccatum aliquod ipsorum Sacerdotum. Consequentia optima est. Minor constat ex Concilio Tridentino dicente Sess. 23. Cap. 4. *Quoniam verò in Sacramento Ordinis, sicut & in Baptismo, & Confirmatione character imprimitur, qui nec deleri, nec auferri potest* (quod etiam decretum fuerat Sess. 7. Can. 9. de Sacramentis in genere, & in Florentino anteà in Decreto Eugenij §. *Quintò Ecclesiasticorum*) *meritò sancta Synodus damnat eorum sententiam, qui asserunt, noui Testamenti Sacerdotes temporariam tantummodò potestatem habere; & semel ritè ordinatos, iterùm Laicos effici posse, si verbi Dei ministerium non exerceant.* Sic Tridentinum. Maior comperta est tum ex characteris Sacerdotalis natura, tum ex forma verborum, quæ vsurpat Ecclesia in Ordinatione Sacerdotali, *Accipe*, inquit, *potestatem offerendi Sacrificia Deo, Missasque celebrandi, &c.* In quibus verbis obseruandum est, characterem, seu potestatem Sacerdotalem esse per se ad offerendum, & non tantùm ad consecrandum; imò potestatem ad id posterius conferri in ordine ad illud priùs; & ideò exprimi in forma prius illud, non autem id posterius. Sæpe tamen vtrumq; exprimitur, vt in Concilio Tridentino Sess. 23. Cap. 1. Ibi: *Potestatem traditam consecrandi, offerendi, & ministrandi corpus, & sanguinem eius*; & similiter Canone 1. Confirmatur Conclusio, nam certum est, quemlibet verum Sacerdotem consecrare validè, si cum intentione debita proferat consecrationis verba suprà materiam aptam. Ergo erit etiam certum, offerri tunc à quolibet validum Sacrificium, siquidem Sacerdotibus detur potestas non minus per se ad offerendum, quàm ad consecrandum; imò potiùs videtur dari principaliùs ad primum, quàm ad secundum, vel dari ad secundum in ordine ad primum. Ergo sicut per censuram, aut per peccatum nequit impediri potestas ad validè consecrandum, ita neque ad validè offerendum, vtraque enim potestas est immediatè collata à Christo Domino, & principaliùs ad offerendum, quàm ad consecrandum. Confirmatur iterùm, quia essentia Eucharistici Sacrificij consistit in consecratione vtriusque speciei. Si ergo quilibet verus Sacerdos potest consecrare validè vtramq; speciem, poterit etiam conficere validè Sacrificium Eucharisticum.

(***)

Corollarium 1. De Sacerdote habente impedimentum ex Iure Ecclesiæ.

15 EX præiacta Conclusione infertur primò, Sacerdotem ligatum censura Ecclesiastica, irregularē, aut degradatum, aut schismaticum, aut hæreticum posse validè consecrare. Hæc illatio est contra Hugonem Victorinum, qui in Tract. 6. Eruditionis Theologicæ Summæ Sent. C. 9. scribit, *Magis assentiendum est iis, qui dicunt, non conficere corpus Christi excommunicatos, & manifestos hæreticos, quia dicunt Offerimus ex persona Ecclesiæ totius.* Est etiam contra Magistrum Sententiarum in 4. Dist. 13. vbi ait, *Illi, qui excommunicati sunt, vel de hæresi manifestè notati, non videntur, hoc Sacramentum posse conficere, licet Sacerdotes sint, quia nemo dicit in ipsa cōsecratione Offero, sed Offerimus, quasi ex persona Ecclesiæ. Et ideo cum alia Sacramenta extra Ecclesiam possint celebrari; de hoc non videtur.* Et post transcripta quędam verba nomine Sancti Augustini in Libro, vel Sermone de Corpore Christi, qui Liber nunc non extat, sed citatur etiam à Gratiano Can. *Intra Catholicam Ecclesiam* 1. q. 1. extat quidem sermo de Corpore, & sanguine Domini, estq; secundus inter Sermones de Verbis Apostoli, sed ibi non habentur verba, quæ refert Gratianus, neque illa, quæ Magister. Concludit autem hic, *Ex his colligitur, quòd hæreticus à Catholica Ecclesia præcisus, nequeat hoc Sacramentum conficere.* Vnde violentum est, intelligere Magistrum, quatenus solùm voluerit, *in præcisis, & hæreticis manifestis priuari Sacramentum omni fructu, quanuis sit ibi corpus Christi verum*, vt interpretatur S. Bonauentura in 4. Dist. 13. art. & q. 1. vel quatenus tantùm intenderit, non posse ab hæretico, aut excommunicato confici hoc Sacramentum in ratione Sacrificij per Ecclesiam oblati, quin negauerit, posse confici in ratione Sacramenti præcisè, vt conatur explicare benignè P. Ioannes Martinez de Ripalda in annotationibus ad Dist. 13. Sed audimus passim non minus duras interpretationes adhibitas à lijs Doctoribus non magis antiquis, nec maioris factionis in Theologica facultate. Est etiam hæc illatio contra Gratianum C. *Manus*, Cap. *Quodquidam* 1. quæst. 1. propēdentem in Magistri existimationem; & contrà Authorem Glossæ ad C. *Degradatio* de pœnis in 6. ad C. *Accedens* 10. Dist. 50. non credentem, quòd degradatus conficiat Sacramentum Eucharistiæ. Pro eadem Magistri opinione refertur à Suario, & Vazquio infrà Guilielmus Parisiensis in Tract. de Sacramento Ordinis C. 4. Potestque accenseri Paschasius Rathbertus L. de Corpore, & sanguine Domini Cap. 12. vbi indicat, *præcisos falce Euangelica, & qui non sunt Apostolicæ propaginis*, non habere potestatem sacrificandi, quando non redeunt ad vnitatem Catholicam. Ex Modernis Hieronymus Columbus infrà allegandus, ostendit se nimis affectum erga hanc partem. Ego verò non immorabor in solutione argumētorum, siue ab authoritate, siue à ratione aduersus illationem, qua parte procedit de consecratione valida, non enim suppetit quidpiam, quod addam vltrà dicta à S. Thoma 3. par. quæst. 82. art. 7. & 8. Alphonso Castrensi L. 2. de iusta hæreticorum punitione Cap. 21. Didaco Couarruvia Lib. 1. Variarum Cap. 10. n. 8. Adriano in 4. q. 9. de Eucharistia, Didaco de Tapia quæst. 10. de Euch. art. 7. Ferdinando Velliosillo in Aduertentijs ad 5. tomum Sancti Hieronymi quæsito 6. Suario D. 61. sect. 3. D. 77. sect. 2 Vazquio D. 226. C. 1. Scortia Lib. 2. C. 5. Videndusque est Algerus L. 3. de Corpore, & sang. Domini à C. 1. vsq; ad 12. inclusiuè agens copiosè ante Magistrum de nostra prima illatione, confirmansque eam.

Corollarium 2. de eodem Sacerdote.

16 INFERTVR secundò, eum, de quo in antegressa illatione, posse validè offerre, & sacrificare. Hæc illatio est contra Scotum, qui in 4. Dist. 13. quæst. 2. num. 4. V. *Si obijcis*, ait, *Oblatio non pertinet ad rationem consecrationis, neque necessariò requiritur, quòd offeratur, offertur enim hostia consecrata, & tunc est Sacrificium, non Sacramentum. Sicut Eucharistia conseruata in pyxide est Sacramentū, licet non vt ibi sit Sacrificium, nisi aptitudinaliter.* Ita Scotus, vt respondeat argumento, quod Hugo Victorinus, & Petrus Lombardus proposuerunt suprà.

Vnde

Vnde admittit, fieri consecrationem à præfato Sacerdote, sed non Sacrificiū. Et licet ibi adiungat aliam solutionem, videaturque approbare magis, tamen in Reportatis super 4. Dist. 8. quæst. 3. n. 9. §. *Respondeo*, distinguens oblationē Sacrificij à confectione Sacramenti Eucharistici, inquit, *Licet Sacerdos in illa die Parasceues habeat aliquem actum Sacerdotij, offerendo scilicet, orationes dicendo pro se, & pro populo, non tamen principalem actum, qui est conficere corpus Christi.* Sic ibi Scotus. Quare excesit Philippus Faber in 4. Dist. 14. quæst. 2. Disput. 54. dum n. 5. & 8. scripsit semel, & iterùm, P. Suarium non vidisse Scotum, quando Disp. 77. sect. 2. V. *Secunda sententia* asseruit, Scotum propendisse in Magistri sententiam. Sed certè cum Suarius loquatur de hac, quoad non oblationem Sacrificij, constat, vidisse, & reuidisse Scotum. Quem immitatur Gabriel in 4 dist. 13. quæst. 1. dub. 2. Et in hoc sensu non inuolui hæresim, aduertit Suarius ibidem V. *Secundus sensus*, & post ipsum Nuñus ad art. 1. quæst. 83. dub. 7. §. *Secunda conclusio*, pag. 932. quem malè citat Columbus Lib. 4. de Angelica, & Humana Herarchia Cap. 58. n. 8. vt promoueat non confectionem Eucharistiæ ab excommunicato, aut schismatico, aut hæretico manifesto. Certè si oblatio Sacrificij sumatur pro verbis illis *Offerimus*, aut pro alijs orationibus institutis ab Ecclesia, non recusabo, cōcedere, præfatum Sacerdotem non offerre validè nomine Ecclesiæ. Aſt non agimus de oblatione nomine Ecclesiæ, sed Christi; neque agimus de oblatione præparatiua materiæ ad Sacrificium, sed de oblatione sacrificatiua formaliter, & ad quam præcipuè accipit in Ordinatione potestatem Sacerdos per illa verba, *Accipe potestatem offerendi*, &c. Quòd si quispiam somniaret, non aliam esse oblationem sacrificatiuam in Missam, quàm quę indicatur in verbis illis, *Offerimus*, diceret quidem illicitè illa Sacerdos præfatus ob prohibitionem Ecclesiæ, sed validè ob potestatem cum charactere à Christo datam ad dicēdum ea pro Ecclesia, vt obseruat Gaspar Hurtadus Disp. 2. de Sacrif. Missæ Diff. 2. Dices, Eugenium Papam IV. in Decreto pro instructione Armenorum §. *Sextum Sacramentum* pro forma Sacerdotij præscribere hanc, *Accipe potestatem offerendi Sacrificium in Ecclesia*, &c. Ergo vt quis verè offerat Sacrificium, requiritur, quod inter membra Ecclesiæ connumeretur. Respondeo, Ecclesiam ibi intelligi non secus, ac quando dicitur, Ministrum in conficiendo Sacramento debere intendere, quod intendit Ecclesia; vel ibi Ecclesiam sumi pro templo materiali, in quo ordinariè solet fieri Sacrificium; & quia in eo etiā Subdiaconus cantat Epistolam, & Diaconus Euangelium de more, ideo illis dicitur in Ordinatione, *Accipite librum Epistolarū, & habete potestatem legendi eas in Ecclesia sancta Dei: Accipite potestatem legendi Euāgelium in Ecclesia Dei.* Dices rursus, non esse vera Sacrificia extra Ecclesiam, eamque Catholicam, vt legitur Cap. *In Ecclesia Dei*, Cap. *Extra Catholicam Ecclesiam*, alijsque in Canonibus Causa 1. q. 1. & in S. Cyrillo Alexandrino Lib. singulari Glaphyrorum in Leuiticum ad Cap. 6. V. 26. Respondeo, Patres intelligendos de veritate Sacrificij quoad efficaciam, & fructum in sensu, de quo S. Thomas quæst. 82. art. 7. ad 1. vel intelligendos de Sacrificio, quod attentetur offerri, non seruata essentiali forma, aut materia, quam à Christo traditam habet Ecclesia Catholica. Et aliqui Patres sic debent accipi, quatenus non extet iam aliud Sacrificium vltrà institutum à Christo in Cœna, & vsitatum ab Ecclesia, vt notat Suarez Disp. 77. sect. 2. in fine. Et aliqui, vt Sanctus Hieronymus Cap. *Sic populus*, & duobus sequentibus, Cap. etiam *Maledictā*, accipiendi sunt de Christiano Sacrificio quoad licitum eius exercitium.

Corollarium 3. De Sacerdote peccatore.

17 INFERTVR tertiò, verum Sacerdotem, etsi infectus sit peccato lethali, posse offerre, & consecrare validè. Nam legitimus Minister Sacramenti, quantumuis existat in peccato mortali, dummodò omnia essentialia, quæ ad Sacramentum conficiendum pertinent, seruauerit, conficit proculdubiò illud, vt decernitur in Concilio Tridentino Sess. 7. Can. 12. de Sacramentis in genere; & Concilium Constantiense Sess. 8. damnat hunc 4. articulum Ioannis Vvicleff, *Si Episcopus,*

vel Sacerdos est in peccato mortali, non ordinat, non conficit, non consecrat, non baptizat. Et in Sess. 15 damnatur ab eodem Concilio germanus alius Ioannis Hus, estque ordine octauus. Rationem præclaram huius illationis edocet nos S. Augustinus adductus C. *Vtrum* 72. de Consecratione Dist. 2. C. *Intra Catholicam Ecclesiam* 1. q. 1. Inquit enim, *Intra Catholicam Ecclesiam in mysterio corporis, & sanguinis Domini nihil à bono maius, nihil à malo minus perficitur Sacerdote, quia nō in merito consecrātis, sed in verbo perficitur Creatoris, & virtute Spiritus sancti. Si ergo in merito esset Sacerdotis, nequaquam ad Christum pertineret. Nunc autem sicut qui baptizat, ita ipse Christus est, ita ipse est, qui per Spiritum sanctum hanc suam efficit carnem, & transfundit vinum in sanguinem. Credendum est enim, quòd verbis Christi Sacramenta conficiantur. Cuius priùs creantur imperio, eius vtique verbo recreantur ad melius.* Sic S. Augustinus, ex quo in L. de Corpore Domini referuntur hæc eadē verba ab Algero L. 3. C. 8. Suspicarer, esse potiùs Paschasij Rathberti Abbatis Corbeiensis, in cuius Libro de Corpore, & sanguine Domini C. 12. leguntur; si Algerus, & Gratianus non referrent plura verba, quàm quæ in Paschasio habentur. Certè nouū nō est, vt Liber Paschasij attribuatur alijs, quàm cuius est, vt alibi notaui. Et nunc obseruo, Gratianum C. *Iterata* 71. de Consecratione Dist. 2. in Authoris nomenclatura ponere Paschasium Papam de Corpore, & sanguine Christi: nunquam autem Paschasius aliquis Ecclesiam Romanam rexit; & verba illius Canonis desumpta sunt ex Libro Paschasij Abbatis C. 9. Sed post hæc scripta, relegēs Thomam Vualdensem, notaui, citare in Cap. 23. de Sacramentis quendam S. Augustini Sermonem de Corp. & sanguine Domini incipientem, *Interim dum à Domino peregrinamur*; rursus C. 27. 29. & 83. allegare eiusdem S. Doctoris Librum, seu Sermonem de eadem re inchoantem, *Veritas, quæ est Christus*: quo ex Libro, seu Sermone est formatus Canon vterque præfatus. Insistit eidem doctrinæ S. Augustinus L. 2 contra Parmenianum C. 6. L. 2. contra Petilianum C. 52. Illustrat eam S. Hieronymus relatus C. *Sicut Christus* 1. q. 1. cuius Maximi Doctoris verbis alienam ab eius mente glossam adiecit Gratian⁹ ibi. Exornat etiam Theodorus in foro pœnitentiali, Rubrica 41. dicens, *Licet malus sit Sacerdos; tamen conficit corpus, & sanguinem Christi, vt bonus, quia quæ sancta sunt, non possunt pollui. Et licet Sacramenta obsint indignè tractantibus, prosunt tamen per eos dignè sumentibus.* Accinit Giutmūdus L. 3. de veritate Corporis, & sanguinis Christi in Eucharistia, circa finē, inquiens, *Absit, vt præualeat iniquitas Sacerdotis verbis Domini Saluatoris. Falsa etiam esset fides Ecclesiæ, quæ & per bonos, & per malos Ministros verba Domini credit æqualiter operari. Sed absit à cunctis fidelibus hoc, vt iniquitas hominis verba Saluatoris infirmare posse, credatur. Absit, vt Ecclesiæ fides falsa sit, quæ sola apud Deum laudabilis est, quæ & per bonos, & per malos Ministros verba Christi æqualiter operatoria credit.* Tantùm Guitmundus. Consonat Sanctus Gregorius, cuius verba exarāt Magister Sententiarum in 4. Dist. 13. Gratianus Cap. *Multi sæcularium*, & C. *Non nocet* 1. q. 1. Omitto Nicolaum Papam ad consulta Bulgarorum C. 15. Beatum Nilum in fragmento Tractatus Paræneticī. S. Anselmum L. 1. Epist. 56. cum Gregorio Papa VII. & cum Vrbano II. Can. *Ad hoc verò* 6. Distinctione 32. Vbi in transitu moneo Lectorem, ne adhibeat fidem ijs, quæ de Gregorio VII. Papa transcribit ex Sigeberti Chronico ad annum 1074. S. Antoninus par. 2. Historiali tit. 16. C. 1. §. 21. Sed vt certior veritatis fiat, consulat Bellarminum L. 4. de Romano Pontifice C. 13. Ioannem Picardum in annotatione ad Epist. 56. L. 1. S. Anselmi. Taceo etiam Doctorē Angelicum 3. p. q. 82. art. 5. Thomam Vvaldensem de Sacramentis ex Cap. 1. vsque ad 16. S. Laurentium Iustinianum Sermone de Eucharistia, S. Isidorum Peluſiotam L. 1. Epist. 120. Lib. 2. Epist. 37. Lib. 3. Epist. 340. S. Hildegardem in Epist. de Christi corpore, & sanguine, & L. 2. Visione 3. n. 36. S. Birgittam L. 4. Reuelationum C. 58. & 132. L. & C. 7. Acta contra Albienses hæreticos anno 1176. apud Baronium n. 7. Nicolaum Cabasilam in Expositione Liturgię C. 46. Ivonem Carnotensem Epist. 57. 81. & 180. Agobardum Episcopum L. de priuilegio, & iure Sacerdotij, S. Damascenum in Parallelis Lib. 3. C. 45. EcKbertum Serm. 10. aduersus Catharos, Luitprandum in vitis Romanorum Pontificum C. 113. Concilium Frisingense anno 1440. ex Concilio Salisbur-

lisburgensi, in titulo de Celebratione Missarum, Amadeum Franciscanum apud Petrum de Alba in Bibliotheca Virginali tomo 1. fol. 667. Concludoque rum cū Petro Blesensi canente in Tractatu de Euch.

C. 6 *Sit licet immundus, qui sacræ præsidet aræ,*
Sorde tamen nulla valet hoc Sacrū maculare.
Par verbi est virtus, licet impar vita sacrantis,
Nec beat illud opus homo, sed vis cuncta creantis.

Tum cum Concilio Tridentino Sess. 22 Cap. 1. asserente, *Hanc quidem esse illam mundam oblationem, quæ nulla indignitate, aut malitia offerentium inquinari potest*, vt prædixerat Malachias C. 1.

Corollarium 4. De fructu Sacrificij oblati à Sacerdote præciso ab Ecclesia, vel peccatore.

18 INFERTVR quartò, Sacrificium oblatum à Sacerdote innodato vel censura Ecclesiastica, vel peccato lethali, tam fructuosum esse ex opere operato Sacrificij secundū suam essentiam, & substantiam personis à Sacerdote distinctis, pro quibus applicetur, quàm fructuosum esset, si offerretur à Sacerdote nec præciso ab Ecclesia, nec peccatore. Ratio est iuxta Sanctum Thomam 3. p. q. 82. art. 6. & iuxta S. Bonauenturam in 4. Dist. 13. art. 1. q. 4. quia vtrobique idem conficitur Sacramentum, idemque Sacrificium, & proinde idem fructus respondebit; rursus quia eius fructus prouenit ex Sacrificio, prout oblato à Christo principali offerente, & à Sacerdote offerente in persona Christi; hic autem non desinit esse principalis offerens, nec Sacerdos desinit offerre in persona Christi, tametsi irretiatur censura Ecclesiastica, vel inficietur noxæ lethalis macula. Dixi in illatione, *Personis à Sacerdote distinctis, pro quibus applicetur*, nam si Sacerdos existens in peccato mortali applicet Sacrificium pro se, non erit sibi fructuosum satisfactoriè ob obicē peccati illius; vti neque erit eo modo vtile alteri personæ, pro qua Sacerdos, siue malus, siue etiam bonus, applicet Sacrificium, si altera persona existat in statu similis peccati. Quando verò Sacerdos excommunicatus maiori excommunicatione applicaret Sacrificium pro se, non foret fructui satisfactorio obex excommunicatio, sed peccatum mortale in celebratione commissum; quod etiā esset obex fructui impetratorio; vt cōstabit ex dicendis in D. 17. Vnde dato casu, quòd excommunicatus non peccaret grauiter, celebrando, quia haberet legitimam excusationem deobligātem ab omissione celebrandi, esset ei tā proficuum, satisfactoriè saltem, Sacrificium oblatum pro se ipso, quàm si immunis existeret ab ex communicationis vinculo. Ita docēt Suarez tomo 5. in 3. p. D. 9. sect. 4. n. 8. & Gibalinus Disquisitione 7. de Censuris q. 1. propos. 1. Consectario 3. n. 24. Opponet quis ex Granado infrà n. 4. applicatio Sacerdotis est dispositio requisita, vt prosit Sacrificium ei, pro quo offertur; cum autem applicatio Sacerdotis peccatoris sit minus deuota, minusque placens Deo, quàm si esset Sacerdotis iusti, sequitur, minorem esse ex opere operato fructū prædeclaratum, qui ex Sacrificio praui Sacerdotis percipitur. Respondeo, intentionem Sacerdotis, applicantem Sacrificij, esse dispositionem, seu potiùs conditionem, vt Sacrificium prosit vni, & non alteri, aut vni magis, quàm alteri ex opere operato, non verò vt quò fuerit indeuota, displicensque Deo, aut minus deuota, minusque placens, non prosit, aut remissiùs prosit eo modo. Sic Ministri intentio de conferēdo, vel applicando Sacramēto personę alicui, etsi sit indeuota, displicensq; Deo, nō ideo obest, quo minus ei personæ communicetur fructus ex opere operato Sacramenti; aut etsi sit minus deuota, minusque placens Deo, non idcirco est in causa, vt ea persona tenuiorem fructum ex operato opere Sacramenti participet. Citātur pro se à Granado Sotus, & Henriquez. Sed hic loquitur in sensu postmodùm explicando, defensandoque à nobis cum eodem Granado; & ille in 4. Dist. 13. q. 1. art. 6. V. *Secundus effectus est*, vbi allegatur à Granado, nihil dicit, quod ipsi faueat.

19 S Thomas post redditam rationem quartæ huius illationis addit, *Oratio, quæ fit in Missa, potest considerari dupliciter. Vno modo, in quantum habet efficaciam*

ciam ex deuotione Sacerdotis orantis. Et sic non est dubium, quòd Missa melioris Sacerdotis magis est fructuosa. Alio modo, in quãtum oratio in Missa profertur à Sacerdote in persona totius Ecclesiæ, cuius Sacerdos est Minister. Quod quidem ministerium etiam in peccatoribus manet: sicut suprà dictum est de ministerio Christi. Vnde etiam quantùm ad hoc est fructuosa non solùm oratio Sacerdotis peccatoris in Missa, sed etiam omnes eius orationes, quas facit in Ecclesiasticis Officijs, in quibus gerit personam Ecclesiæ; licet orationes eius priuatæ non sint fructuosæ, secundũ illud Prouerb. 28. Qui declinat aures suas, ne audiat legem, oratio eius erit execrabilis. Sentit igitur S. Thomas, Missam celebratam a Sacerdote peccatore, & oblatam pro alio esse fructuosam ęquè quoad fructum respondentem ex parte Ecclesiæ, seu ob huius orationes, & preces, ac si offeretur à Sacerdote iusto. Consentio cum S. Thoma, quatenus ex dicta parte sit fructuosa Missa Sacerdotis peccatoris, nam quòd Sacerdos sit peccator, non facit, vt non maneat Minister Ecclesiæ, neque facit, vt nõ oret, & precetur Deum in persona, & nomine Ecclesiæ. Quare Sacrificium oblatũ à Sacerdote iniusto impetratorium erit ex sanctitate, & merito Ecclesiæ. Sed videtur mihi cum Henriquez L. 9. C. 18. §. 5. Fagundez in 1. prȩceptum Ecclesiæ L. 3. C. 6. n. 20. sequentibusque duobus, cum Granado in tomo 5. Controu. 6. Tract. 14. D. 9. n. 2. cum Dicastillo Tract. 5. D. 3. Dub. 8. n. 193. satis probabile, quòd ex parte præfata sit fructuosior Missa Sacerdotis iusti, eòque fructuosior, quò Sacerdos fuerit iustior. Nam Sacrificium Missæ tantò maiorem vim impetrandi habet ex parte Ecclesiæ, quantò hæc maiorem sanctitatem, & merita habeat in suis membris, vt dicam in D. 14. & à fortiori in sui Ministro, qui est membrum præpuum Ecclesiæ, geritque eius personã, & repræsentat ipsam. Rursus consentio cum S. Thoma, quatenus Missa Sacerdotis melioris sit fructuosior ex parte operis operantis Sacerdotis ei personæ, pro qua offertur, nam qui orat pro aliquo, vel illi applicat satisfactionẽ, quæ in bono opere respondet sibi, comparat alteri cumulatiorem, plenioremq; fructum impetratorium, vel satisfactoriũ, quò ipse sanctior, & gratior existat in oculis Dei. Vnde intelligendus venit Alexander Papa in C. *Ipsi Sacerdotes* 1. q. 1. cum inquit, *Ipsi Sacerdotes pro populo interpellant, & peccata populi comedunt, quia suis precibus ea delent, atque consumũt; qui quantò digniores fuerint, tantò facilius in necessitatibus, pro quibus clamant, exaudiuntur.* Ita ibi. Et eodem sensu dixit S. Laurentius Iustinianus in Sermone de Euch. *Plurimùm in oblatione altaris conferre Sacerdotis sancti suffragia, asseuerare nõ ambigo, tametsi eius dignitati detrahere, siue addere nequeat quidquam.*

20 Vlteriùs vt cum S. Thoma in postremis verbis consentiam, opus est, intelligi S. Doctorem de Sacerdotis priuatis orationibus, quæ peccaminosę sint, & malæ in se ipsis, eo quod petant praua, & indigna, vel quia vitientur ex alia circumstantia, quàm ex persona petente. Ideo autem opus est, quod dixi, quia orationes hominum peccatorum, si bonæ sint, & piæ, iunt impetratoriæ apud Deum, non ex iustitia, sed ex misericordia, & de congruo, vel etiam ex fidelitate, quando concurrunt conditiones quædam, vt docet ipse S. Thomas 2. 2. q. 83. art. 16. notatq; cum ipso Suarius in Commentario ad præcitatum articulum 6. q. 82. p. 3. & tomo 4 in 3. p. D. 48. sect. 8. n. 7. Locus Prouerbiorum, allatus à S. Thoma suprà, accipiendus est de orationib⁹ peccaminosis, & malis aliunde, quàm ex persona orante. Conducitque apprimè ad rẽ præsentem locus Ecclesiastici 34. V. 23 *Dona iniquorum non probat Altissimus, nec respicit in oblationes iniquorum, nec in multitudine Sacrificiorum eorum propitiabitur peccatis.* Cæterùm orationes quæcumque fusæ à Sacerdote inter celebrandũ, etiam quæ fiunt in primo, aut secundo *Memento* sine verbis, aut formula designata ab Ecclesia, possunt, ac debent iuxta aliquos, de quibus in D. 17. cõsiderari vt factæ nomine Ecclesiæ, & nõ tantùm vt factæ nomine proprio Sacerdotis, quippe in tota Missæ actione Sacerdos operetur repręsentans Ecclesiã, gerensque eius vicem. Quare sub illa consideratione erunt ex opere operato impetratorię orationes Sacerdotis peccatoris; orationes, inquam, quæ etiam sint peccaminosæ, & malæ obstatũ personæ, siquidem tota actio Missę non celebretur sine peccato, & malitia à Sacerdote peccatore, proindeque intra Missam orationes nõ fundantur ab eo absq;

piaculo,

piaculo, quanuis petant, quæ iusta sunt, & sancta. Dummodò autem postulent talia, non oberit impetrationi nomine Ecclesiæ, si vitientur in modo, vel ex prauo fine extrinsecùs appositò à Sacerdote. Ita Dicastillus suprà n. 194. 195. & 196. cum Cardinali Toleto Lib. 2. Summæ C. 8. dub. 1. cum Suario, tomo 4. in 3. p. D. 48. sect. 8. n. 3. & 8. Verba Suarij sunt in n. 3. *Non solùm oratio facta à Ministro existente in peccato, sed etiam facta ab illo peccaminosè, potest esse hoc modo fructuosa, & impetratoria, quia oratio illa quoad substantiam bona est, & vt sic fit nomine Ecclesiæ; & ideo non potest personalis malitia, quam Minister adiungit, Ecclesiæ intercessionem, & impetrationem impedire.* Hæc Suarius; qui in numero antecedẽti adduxerat ista Sancti Gregorij verba ex Pastorali parte 1. C. 11. *Si homo apud hominem, de quo minimè præsumit, fieri intercessor erubescit: qua mente apud Deum intercessionis locum pro populo arripit, qui familiarem se eius gratiæ esse per vitæ merita nescit? aut ab eo quomodò alijs veniam postulat, qui, vtrùm sit sibi placatus, ignorat? Qua in re est adhuc aliud solicitiùs formidandum, nequi placare iram posse creditur, hanc ipse ex proprio reatu mereatur. Cuncti enim liquidò nouimus, quia cum is, qui displicet, ad intercedendũ mittitur, irati animus ad deteriora prouocatur.* Sed Suarius in n. 3. interpretatur de illo, qui tantùm propria authoritate, & vt priuata tantùm persona intercedit. Deniq; pro declaratione S. Thomæ in postremis verbis obseruo, intelligenda ea esse de priuatis orationibus peccatoris Sacerdotis, qui conscius sit sui status in peccato lethali, nã si ipse putet, se existere in statu gratiæ, habeatque ad id motiua verosimilia, quanuis re ipsa non existat, erit oratio eius fructuosa impetratoriè, etiam vt fusa nomine proprio, & vt à priuata persona, tunc enim oratio non erit peccaminosa, & mala ratione etiam status peccati, in quo funditur à Sacerdote celebrante, quia status ignoratus peccati perinde se habet, ne obsit impetrationi orationis apud Deum, ac si re ipsa non daretur. Videatur Dicastillus suprà n. 195.

21 Non est discurrendum eodem omnino modo de Missę fructu prouenient ex parte Ecclesiæ, quãdo Missam offert pro alio Sacerdos excommunicatus maiori excommunicatione, ac quando offert Sacerdos, qui præcisè malus sit. Imò S. Thomas 3. p. q. 82. art. 7. ad 3. inquiens, *Si Sacerdos, ab vnitate Ecclesiæ præcisus, Missam celebret, quia potestatem Ordinis non amittit, conficit verum corpus, & sanguinem Christi; sed quia est ab vnitate Ecclesiæ separatus, orationes eius efficaciam non habent*, significat satis clarè, ex Missa celebrata à Sacerdote excõmunicato, & oblata pro alio nullum fructum respondentem Ecclesiæ deriuari in eum, pro quo offertur. Est autem sermo S. Thomæ de excommunicato vitãdo, quales suo tempore erant omnes excommunicati notorij.

22 Nobis sub distinctione videtur expediẽda hęc difficultas; & ideo prima propositio sit, Sacerdos excommunicatus toleratus offert validè quoad fructum prouenientem ex parte Ecclesiæ. Ita Abila de Censuris parte 2. C. 6. D. 4. Dub. 5. V. *Dico primò*. Henriquez L. 9. C. 18. §. 6. Azor tomo 1. L. 10. C. 21. q. 6. Dicastillus Tract. 5. D. 3 dub. 8. n. 211. Franciscus de Lugo L. 5. C. 3. q. 2. n. 13. Bonacina D. 4. q. vltima puncto 6. n. 7. & alij. Ratio est, quia eo ipso quòd Sacerdos excommunicatus toleretur ab Ecclesia, nõ annullat hæc, seu non irritat acta illius, neq; vult, vt in sui persona non offerat ille, neq; oret, si ipse semel offerat, & oret. Non est hæc propositio contra S. Thomam, nam in verbis prędexaratis loquutus est S. Doctor de excommunicato notorio, & non de eo, qui occultus esset; tempore autẽ S. Doctoris notorius omnis excommunicatus erat non toleratus. Ex dictis in hac assertione sequitur à fortiori, Sacrificium, oblatum à Sacerdote excommunicato tolerato, valere quoad fructum, de quo agitur, si celebret absque peccato, vel ob necessitatẽ vrgentem, vel ob bonam fidem, quia ignoret, prohibitam sibi esse ab Ecclesia celebrationem extra eam necessitatem.

23 Secunda propositio, Sacerdos excommunicatus non toleratus non offert validè quoad fructum prouenientem ex parte Ecclesiæ, nam hęc vult, vt in sui persona, & nomine non offerat ille, neque oret, quandoquidem Ecclesia velit aliquid ampliùs respectu Sacerdotis excommunicati non tolerati, quã respectu

respectu tolerati. At respectu vtriusq; vult, ne offerat, neq; oret publicè. Ergo vult respectu excommunicati nō tolerati, quòd non offerat, neque oret in persona, & nomine sui. Imò respectu vtriusque velle hoc ipsum, sentiunt Gaspar Hurtadus D. 5. de Excom. Diff. 2. n. 5. &. Gibalinus Disquis. 7. de Cēsuris q. 5. propos. 2. num. 5. ac proinde iuxta ipsos quod Ecclesia amplius vult respectu non tolerati, est, quòd rogatus etiam ab alijs fidelibus non offerat, neq; oret ipsius nomine extra casum, de quo in propositione nostra 3. Fateor, probabilem valde esse hunc modum discurrendi; sed mihi videtur, probabiliorem esse, quem elegi, vt enim Ecclesia non spoliat toleratum iurisdictione, quam ei contulit; atque adeò etiam si illicitè illam exerceat, ingerendo se se, quin rogetur ab alijs fidelibus, sed tamen validè exequitur; ita in nostro casu toleratus sustinebit validè personam Ecclesiam quoad offerendum, & orandum, tametsi illicitè, si ipse sponte, & non interpellatus assumat eas vices. Iam quātùm ad non toleratum nostra sententia est S. Thomæ in verbis superioribus, quanquàm Sotus in 4. D. 13. q. 2. art. 8 V. *De precibus* dicat, glossari posse dictū S. Thomæ, quatenus preces eius, qui est ab Ecclesia præcisus, non sint vllius efficaciæ, vt promanant à deuotione offerentis, & non vt profert eas in potestate Ecclesiæ. Fatetur tamen Sotus, congruentiorem esse nostram intelligētiam. Adhærent Angelico Doctori, fauentque nobis Didacus de Tapia q. 10. de Eucharistia art. 8. Gibalinus suprà cum alijs, quos memorat, Filliucius Tractatu 12. Capite 4. numero 96. Suarez D. 77. sect. 2. V. *Tertius sensus*, D. 79. sect. 8. V. *Tertia differentia*, & tomo 5. in 3. p. D. 11. sect. 2. n. 10. referens Magistrum Sent. Guilielmum Parisiensem, Scotum, Paludanum. Fauent etiam Theologi paulò anteà laudati, nec excipiendus est Azor, nam etsi in §. *Quæstio igitur est*, scribat in hunc modum, ✻ S. Thomas 3. p. q. 82. art. 7. ad 3. videtur asserere, horum, quos diximus, Sacerdotū preces, oblatas in Missa, nihil efficaciæ, & fructus habere, quia nomine, inquit, Ecclesiæ non funduntur. Vnde Sotus in 4. Dist. 13. q. 1. art. 7. ad finem, S. Thomę authoritate permotus, ait, eas nullius esse virtutis, & efficaciæ. Sed alij concedunt ingenuè, eas esse fructuosas, quia eas offert Sacerdos, quanuis alioqui hæreticus, vel schismaticus ratione publici muneris, & officij, quo fungitur: sed huius muneris potestas non est eis abrogata. Ergo valet eorum oblatio. ✻ Etsi, inquam, Azor ita scribat ibi; sed posteà in §. immediato addit, ✻ Existimo, non negare S. Thomam preces Sacerdotis quidē Catholici, sed vinculo excommunicationis maioris occultæ obstricti, esse fructuosas nomine Ecclesiæ, quia ob commune bonū noluit Ecclesia, vt eiusmodi excommunicatus euitaretur. Vnde licet peccet ipse, Ecclesia tamen per ipsum videtur offerre: secus est de excōmunicato, quē Ecclesia non tolerat. ✻ Sic Azor. Ast Sotus, quem anteà allegauit, loquitur potiꝰ in S. Thomæ persona, quàm in sua. Posteà namq; in art. 8. inquit, ✻ De precibus tamen eius (id est, Sacerdotis ab Ecclesia præcisi) maius est dubium, eo quòd simpliciter in prædicta solutione in 7. art. ait Sanctus, quòd orationes præcisi nullam habent efficaciam: vbi insinuat, quòd illas non fundit, quatenus Minister Ecclesiæ, eo quòd est ab ipsa præcisꝰ. Quare quòd dixerat art. 6. orationes Sacerdotis peccatoris in Missa, quatenus est Minister Ecclesiæ, esse fructuosas, non videtur, præcisos comprehendere. Qui autem dicere vellet, quòd Ecclesia, præscindendo hæreticos, degradatos, & alios, non potest facere, quin, si sacrificent, eius vtantur potestate, etiam in fundendis precibus, quanuis peccent, glossare potest dictum S. Thomæ, ✻ &c. In quibus verbis ostendit se non parùm inclinatum, vt admittat, fructuosas esse illas orationes; referuntq; Scortia L. 2. C. 5. n. 3. Dicastillus suprà n. 210. Sotum in q. 2. art. 1. absolutè decernere, esse fructuosas. Sed ego ibi nō inuenio. Magis fideliter citari videtur Victoria ab Scortia. Nam in Summa n. 83. inquit Victoria, ✻ Vtrùm Missæ hæreticorum, & excommunicatorum valeant, & prosint, cum sint separati ab Ecclesia, à qua valorem habent? dubitari posset. Verùm quoniam adhuc Ministri sunt Ecclesiæ, & vtuntur potestate sibi ab Ecclesia tradita, licet malè vtantur ea, probabilius est, quòd valent,

&

& prosunt alijs. * Huc vsq; Victoria; quem si quis intelligat de fructu Sacrificij quoad essentiam, & substantiam, non contendam cum illo, dūmodò mihi non neget, scriptum iri minus attentè à Victoria, valorem Missæ in ordine ad huiusmodi fructum esse ab Ecclesia; non enim est, nisi à Christo Domino, eiusq; institutione, & ordinatione. Gibalinus suprà associat Gabrieli Biel actutum per nos allegando Filliucium Tract. 12. C. 4. n. 96. & Sayrum L. 2. C. 3. n. 8. Sed primus stat ibi manifestè contra Gabrielem; & de secundo, quē ad manus nunc non habeo, valde dubito.

24 Igitur Gabriel Biel Lect. 27 in Canonem Missæ lit. G. Bossoardus p. 2. de diuinissimo Missæ Sacrificio C. 7. refragantur indubitāter secundæ nostræ propositioni, & contra eam obijciunt sic: ex vi suæ ordinationis habet Sacerdos, vt sit Minister Ecclesiæ in offerendo, & orando inter celebrandum. Ergo manente ordinatione, vti re vera manet in excommunicato vitando, retinebitur etiam potestas offerendi, & orandi in persona, & nomine Ecclesiæ, tametsi peccet cōtra huius legem Sacerdos excommunicatus vitandus offerens, & orans. Respondeo, Sacerdotem ex vi suę ordinationis habere, vt sit Minister Ecclesiæ quoad offerendum, & orandum cum efficacia, & fructu in huius persona & nomine, quandiu hęc velit offerre, & orare per ipsum: non vult autem hæc præstare id per Sacerdotem illo ex tempore, quo ipse fuerit excommunicatus nō toleratus. Sic in humanis potest Rex eligere aliquem in suum Legatum, qui Regiam personam repræsentet apud alium Principem, quandiù v. g. non cōmiserit læsę Maiestatis crimen. Video, replicari posse exinde, quòd Sacerdos non amittat Sacerdotium, munusque Ministri Ecclesiæ, etiamsi deueniat in statum excommunicati vitandi; amitteret verò Legati dignitatem ille, quē in exemplum adduxi, eo ipso quòd perpetraret crimen læsæ Maiestatis. Responderi posset, Sacerdotem excommunicatum vitandum desinere esse Ministrum Ecclesiæ in ordine ad offerendū, & orandum in Missa, quanuis perseueret Minister actu in ordine ad quædam alia, & Minister potentia in ordine ad offerendum, & orandum in Missa pro tempore, quo liber sit ab excommunicationis vinculo; quanuis item semper perseueret Sacerdos absolutè, & Minister Christi in ordine ad sacrificandum. Sed quia alicui videri poterit duriuscula in Sacerdote interruptio muneris Ministri Ecclesiæ modo etiam declarato, nisi aliud addatur; dico, Sacerdotem excommunicatum vitandum desinere esse Ministrum Ecclesiæ in ordine ad offerendum, & orandum in Missa cum efficacia, & fructu; desinere, inquā, ad tēpus, quo duret excōmunicationis vinculum. Vrgebit quis etiamnum, si Sacerdos excommunicatus vitandus celebret, tenetur ex præcepto Ecclesiæ adhibere preces, & cæremonias institutas ab ipsa, nam si alias adhibeat, peccabit, tum celebrando, tum præstando orationes, & ritus non præscriptos per Ecclesiam. Ergo quando celebrat adhibēs preces per ipsam institutas, exequitur in tali adhibitione voluntatem Ecclesię, proindeq; orat in persona huius, & nomine. Respondeo, Ecclesiam velle, & præcipere, vt talis Sacerdos ex suppositione, quòd celebret, adhibeat prædictas orationes, quas ipsa instituit; sed hoc non sufficere, vt fundantur in persona, & nomine Ecclesiæ, vt efficaces saltem, & fructuosæ. Non absimili modo explicandum est, qui fiat, vt Clericus obligatus ad horas Canonicas recitandas priuatim, quando est excommunicatus vitandus, non recitet eas nomine Ecclesię, etiamsi hæc absolutè velit, & præcipiat earum recitationem. Quòd si cui non arrideat, vt oratio facta ex absoluto Ecclesiæ præcepto, & ab homine ad talem orationem ab eadem Ecclesia deputato, non fundatur nomine eiusdem Ecclesiæ, poterit præbere discrimen inter Sacerdotis excommunicati vitandi celebrationem Missæ, & recitationem horarum Canonicarum, vt illa non sit nomine Ecclesiæ, secus hæc, quia scilicet illam prohibet absolutè Ecclesia; & vult, præcipitque absolutè hanc faciendam priuatim.

25 Tertia propositio, casu quo Sacerdos excommunicatus vitādus celebret absque peccato, vel ob inuincibilem ignorantiam prohibitionis Ecclesiasticæ, vel ob proximi in articulo, periculoue mortis necessitatem suscipiēdi viaticum, cuius non erit copia, nisi præfatus Sacerdos celebret, tunc validè à tali Sacerdote offeretur Sacrificium

quoad

quoad fructum prouenientem ex parte Ecclesiæ, vt docet præcitatus Azor in fine C. 21. quia tunc non militat ratio, quæ in casu propositionis secundæ, & quia tunc perinde se habebit Sacerdos ille in ordine ad celebrationem, ac si nō esset excommunicatus vitandus: imò *Si quis Presbyterorum, pro vitæ suæ contẽptu præterito, in illo extremitatis articulo positis viaticum denegauerit, tanquam animarum homicida, districtiùs puniri iubetur* à Paschali 2. Papa in Epistola ad S. Anselmum, quæ inter huius est 45. Libri 3.

Corollarium 5. De Sacerdote concubinario.

26 INFERTVR quintò, Sacrificium oblatum à Sacerdote concubinario, vel fornicatore notorio validum esse quoad fructum prouenientem ex parte Ecclesiæ. Ratio dubitandi specialiter poterat esse, nam Sanctus Thomas 3. p. q. 82. art. 9. ad. 3. ob C. *Nullus*, C. *Præterhoc*, Dist. 32. Cap. *Vestra*, C. *Quæsitum* de Cohabitatione Clericorum, & mulierum loquitur, vt & plures alij Authores, eodem modo de tali Sacerdote, ac de excommunicato, vel hæretico. Nihilominus quidquid sit de Iure antiquo, nunc Sacerdos concubinarius, vel fornicator notorius, diuersę conditionis est, ac Sacerdos excōmunicatus, suspensusve. Et quamuis gratis concederemus, esse Iure ipso excommunicatū, aut suspensum, est quidem toleratus; ideoque censendum de Sacrificio oblato ab illo, vti suprà in prima propositione de Sacrificio excōmunicati non vitandi. Sanctus Thomas loquutus est iuxta priscum Ius ante Cōcilium Constantiense, vt obseruauit Victoria n. 84. Colliges ex dictis, licitum esse audire Missam præfati Sacerdotis, recipereque ab eo Sacramenta in circūstantijs, de quibus alibi agemus. Interim legatur Gibalinus de Censuris Disquis. 7. q. 1. Corollario 25.

Corollarium 6. De Stipendio Missæ, quam celebret, & pro alio applicet Sacerdos peccator, vel excommunicatus vitandus.

27 SI Sacerdos existat merè in statu peccati, sententia cōmunis est, satisfacere obligationi contractæ ratione accepti stipendij, nam offert Sacrificium validum, & proficuum quoad fructum respondentem ex parte tā Christi, quàm Ecclesiæ. Et licet ex parte deuotionis, operisque operantis Sacerdotis non sit proficuum, quia Sacerdos existit in statu peccati; ast fructum deuotionis suæ, operisque operantis non tenetur Sacerdos transferre in alium, à quo acceperit Missæ stipendium, etiam si Sacerdos celebret in statu gratiæ, potest namq; retinere sibi talem fructum, vel applicare cui voluerit; & proinde quādo celebrat in statu peccati, non ideo nō satisfaciet obligationi iustitię ex accepto stipendio, quia Missam applicet in statu inhabili ad communicandum alteri illum fructum. Ita Suarez D. 79. sect. 8. V. *Tertia Differentia*, D. 86. sect. 1. in fine, Petrus de Ledesma in Summa C. 18. Conclus. 5. Miranda tomo 1. Directorij Prælatorum Regularium q. 41. art. 13. Conclus. 5. Trullench L. 2. de Sacram. C. 8. Dub. 8. num. 4. Tanner tomo 4. D. 5. q. 9. dub. 3. n. 77. Meratius D. 40. de Euch. sect. 2. V. *Ad tertiū*, Auersa q. 11. de Euch. sect. 8. V. *Vnde rursus*. Pellizarius in Manuali Regularium Tract. 5. C. 9. sect. 3. num. 60. Becanus de Sacramentis C. 25. parte 2. q. 12. in 3. Conclus. Coninch 3. p. q. 83. art. 1. dub. 10. n. 195. Bardi in Explicatione Bullæ Cruciatæ p. 4. Tract. 3. C. & sect. 1. n. 8. Martinonus D. 39. sect. 2. n. 14. Ysambertus 3. p. q. 83. D. 7. art. 12. Cabezudus 3. p. q. 83. art. 1. pag. 961. Gaspar Hurtadus D. 3. Diff. 8. Disp. 4. Diff. 15. Iacobus Granadus Controu. 6. Tract. 14. D. 4. sect. 5. n. 28. Petrus de Aragon 2. 2. q. 85. art. 3. pag. 909. Fagundez in 1. præceptum Ecclesiæ L. 3. C. 6. n. 19. & 23. Corduba L. 1. Quæstionarij q. 3. Conclusione 5. Bonacina D. 4. q. vltima, puncto 6. n. 5. cum multis, quos allegat, Franciscus de Lugo L. 5. C. 3. q. 2. n. 12. Dicastillus Tract. 5. D. 3. Dub. 8. n. 202. & alij. Vnde non approbo Thomam Tamburinum dicentem L. 3. de Missa C. 1. §. 3. n. 40. obligari stipendiarium Sacerdotem, vt applicet valorem ex opere operantis, si, & quatenus habet illum. Neque is est communis sensus fidelium, vt ipse asserit, sed potiùs oppositus; quanquam enim multi iuxta consilium Fagundezij suprà n. 22. quærunt Sacerdotes vitæ probatæ,

probatæ, vt sacrificent pro ipsis, non ideò dato stipēdio obligāt eos ad conferendū valorē ex opere operantis, sed vt summū volunt allicere ad id. Et præcipuus finis est, qui colligitur ex proximè dictis, & paulò anteà. Tamburinus nullum pro se citat Authorem. Sed ego inuenio Martinum Ledesmium ei consentientē secunda 4. q. 16. art. 14. fol. 192. vbi scribit, *Et si dicas, si Sacerdos sit in peccato mortali, quando dicit Missam, satisfacit cum illis perentibus, & non dat valorem suæ deuotionis, quia non habet illum. Concedo, quia non tenetur ad dandum illis, pro quibus celebrat, nisi quod tunc habet.* Sic Ledesmius. Imò Honcala in Tract. de valore Missæ, art. 10. & 11. existimat, Sacerdotem stipendiarium, si celebret in peccato mortali, teneri resarcire iacturam incursam à procuratore Missæ; essèque faciendam compensationem per alium pium affectum, bonaque opera. Hermānus Busembaū in Medulla Theologiæ Moralis L. 6. Tract. & C. 3. dub. 1. pag. (mihi) 694. etiam ait, eum qui pecuniam ab alio accepit, vt pro illo celebret, aut fieri curet, debere quærere probum Sacerdotem. Allegat Cardinalem de Lugo; qui nihil tale dicit. Et certè durissima esset obligatio. Lessius L. 12. de perfectionibus diuinis C. 14. n. 105. indicare videtur, dantem stipendij obligare Sacerdotem ad fructum ex deuotione propria, & ex ipsa actione Liturgica. Insinuant & id aliqui alij, qui opinantes, Missam prodesse non minus satisfactoriè pluribus, pro quibus applicetur, quàm vni soli, & rogati, cur ex multis accipere non possit Sacerdos integra stipendia, & vnicę Missæ celebratione exsoluere se onere admisso? respondere solent, fructum ex opere operantis Sacerdotis fore minorem, si per applicationem diuidatur in plures, cum tamen quilibet iure velit, vt sibi sine diminutione communicetur à Sacerdote, cui munus honorarium contulit. Nihilominus sententia, quam optaui, præualet authoritate, & (ni fallor) ratione.

28 Iam verò an Sacerdos excommunicatus vitandus satisfaciat obligationi stipendij integri? Maior est difficultas, si illud dederit fidelis ignorans statum Sacerdotis. P. Suarez D. illa 86. sect. 1. significare videtur, non satisfacere. Verba Eximij Doctoris sunt in v. finali, *Superest ergò, vt dicamus, teneri Sacerdotem ratione stipendij ad applicandum ei, pro quo specialiter offert, fructum illum Sacrificij, seu illam portionem satisfactionis, quæ illi vt Ministro publico ad distribuendū, seu applicandum commissa est. Probatur à sufficiente enumeratione, quia Sacerdos tenetur specialiter offerre, & applicare Sacrificium ei, qui stipendium dedit. Sed non tenetur personalem fructum applicare. Ergo saltem tenetur applicare hunc fructum, quem vocare possumus ministerialem.* Sic Suarez. Atqui fructus respondens ex parte Ecclesiæ commissus est distribuendus, & applicandus à Sacerdote vt Ministro publico, estque fructus ministerialis. Ergo &c. Alter columen Scholæ Societatis P. Vàzquez similiter indicat, non satisfacere, dum inquit D. 231. C. 5. n. 26 *Is, qui stipendium tribuit Sacerdoti, non solùm petit ab eo applicationem Sacrificij, sed etiam orationes Ecclesiæ, & impetrationem earum.* Quod Vazquij dictum confirmat Meratius suo suffragio D. 40. de Euch. sect. 2. V. *Ad tertium.* Arguitur etiam à ratione, tum quia fideles tribuentes stipendiū videntur intendere fructū istū, & non tātùm illum, qui Sacrificio respondet ex parte Christi; tum quia alioqui satisfaceret Sacerdos obligationi stipendij, si, relinquens cæteras Missæ partes, præstareret tantùm eas, quæ sunt necessariæ ad essentiam Sacrificij, & ad hoc, vt Sacrificium applicatum pro donatore stipendij sit validum, & proficuū quoad fructum proueniētem ex parte Christi. Videbiturq; mirum dictu, licere Sacerdoti, disponere nedū de generali, sed etiā de speciali fructu participabili ex oblatione Ecclesiæ ab eo, qui stipendium largitus est. Et cum Theologi tam se ingeniauerint in excogitandis varijs modis, quibus distribui possit multiplex Sacrificij fructus in plures personas, vix leges in aliquo, liberum esse Sacerdoti offerenti Sacrificium pro Petro v.g. applicare ipsi, vel non applicare fructum specialem respondentem ex parte Ecclesiæ.

29 Verumtamen P. Dicastillus supra n. 205. ait, *De fructu hoc Ecclesiæ non tam certùm est, ita esse ex iustitia applicandū illi, qui tradidit stipendiū, vt si re vera nō applicetur ex aliquo accidenti, v.g. quia Sacerdos est excōmunicatus, eo ipso peccet cōtra iustitiā, & sit obligatio restituēdi.* Et posteà n. 211. *Non puto, excōmunicatū vitandum te-*

neri ad restitutionẽ ei, á quo accepit stipendiũ, quia iam præstat fructum medium, & proprium huius Sacrificij, vt à Christo instituti. Quòd autem non præstet fructum illum generalissimum respondentem tanquam Ministro Ecclesiæ, non videtur obstare. Nam licet non debeat illum, à quo accepit stipendium, excludere; non tamen videtur, illum fructum esse illi necessariò conferendum, ita vt teneatur ex iustitia ad id. Tantùm Dicastillus. Vtraque pars est mihi probabilis, & pro ea, quam Dicastillus approbat, & in quã magis propendeo, addo Cardinalem de Lugo D. 19. sect. 9. num. 247. Thomam Tamburinum L. 3. de Missa C. 1. §. 3. num. 42. Petrum de Aragon 2. 2. quæst. 85. art. 3. pag. 910. Gasparem Hurtadũ D. 3. Diff. 8. in fine. D. 4. Diff. 15. in fine. Arriagam D. 52. sect. 7. Subs. 2. n. 32. Coninchum D. 14. de Censuris n. 35. Pellizarium in Manuali Regulariũ Tract. 5. C. 9. sect. 3. num. 84. Pallavicinum in Thesibus Theologicis Lib. 8. num. 173. Concordat Auersa quæst. 11. de Eucharist. sect. 18. Vers. *Imò*, quatenus saltem non teneatur talis excommunicatus restituere partem stipendij, quia non censetur cum tanto rigore Sacerdos obligari ad offerendum Missam, quoad fructum orationum, & precum, pro postulante eam, tradito stipendio.

Corollarium 7. De Sacerdote maleſico.

30 HIERONYMVS Columbus Lib. 4. de Angelica, & Humana Hierarchia C. 57. à num. 6. scribit, Sacerdotem, qui, vt Deum dehonoraret, eumque in Sacramento iterùm crucifigeret, vel sub pedibus, aut in sterquilinium proijceret, vel comburet, vel in præstigijs, ac maleficijs abuteretur, vel alijs ad id venundaret, fore, vt non consecraret, neque sacrificaret, etiamsi super aptam materiam proferret consecrationis verba, quia finis intrinsecus Sacramenti est Ecclesiæ vtilitas, & finis Sacrificij est Dei honor; qui vterque finis tunc deficeret, imò tunc adesset oppositus omnino finis: & quia potestas etiam Ordinis data est Sacerdotibus à Domino in ædificationẽ, & non in destructionem iuxta Paulum 2. ad Cor. 10. Hæc Columbi existimatio videtur mihi periculosa, ne amplius dicam, nam si Sacerdos habet verè intentionem consecrandi, & sacrificandi, non impediet valorem Sacramenti, & Sacrificij finis quicumque prauus, quẽ apponat. Audiatur Sãctus Thomas 3. p. quæst. 64. art. 10. in Corp. *Intentio Ministri potest peruerti dupliciter. Vno modo respectu Sacramenti, putà, cum aliquis non intendit Sacramentum conferre, sed deriſoriè aliquid agere. Et talis peruersitas tollit veritatem Sacramenti, præcipuè quando intentionem suam exteriùs manifestat. Alio modo potest peruerti intentio Ministri, quantùm ad id, quod sequitur Sacramentum, putà, si Sacerdos intendat aliquam fœminam baptizare, vt abutatur ea, vel si intendat conficere corpus Christi, vt eo ad veneficia vtatur. Et quia prius non dependet à posteriori, inde est, quòd talis intentionis peruersitas veritatem Sacramenti non tollit, sed ipse Minister ex tali intentione grauiter peccat.* Hactenus Angelicus Doctor, cuius docti ina accepta est apud cæteros Theologos, inter quos legendi sunt Vazquez D. 171. C. 3. n. 17. Coninch ad eum art. Sancti Thomę, Dicastillus Tract. 4. D. 2. dub. 14. num. 258. Franciscus de Lugo Lib. 1. de Sacramentis C. 2. quæst. 9. num. 73. Sayrus de Sacramentis Lib. 2. C. 4. quæst. & propos. 2. Sotus in 4. Dist. 1. quæst. 6. art. 10. Nec illa coarctatur ad simplex Sacramentum, sed extenditur ad Eucharistiam, quæ simul est Sacramentũ, & Sacrificium. Præterea dum Patres dicti tant apud Sayrum Lib. illo 2. C. 6. quæst. vnica, art. 2. iniquitate Ministri non impediri substantiam Sacramenti, & Sacrificij, comprehendunt etiam casum, de quo Columbus; loquuntur enim absolutè, & indefinitè proindeq; siue malitia consistat præcisè in statu Ministri peccatoris, siue etiam prodeat in aliquam ex illis intentionibus obliquis. Quod si, fatente Columbo, stat Sacramẽti, & Sacrificij cõfectio, & si ex ambitione, vel auaritia, vel hypocrisi fiat; quid ni etiã cũ ex maleficio? Vtrobiq; namq; saluatur obiectum, finisque intrinsecus Sacramenti, & Sacrificij assignatus suprà, si verè intendatur consecrare, & sacrificare; estque extinsecus finis non magis pecunia auarè cupita, quàm maleficium sacrilegè desideratum à Sacerdote. Nec plura aduersus Columbum, si tantùm addam, non posse à me dubitari, quin fideles adorarent species tanquàm Sacramentales, super quas Sacerdos protulisset verba consecrationis

cum

cum intentione non ficta, neque simulata efficiendi Sacramentum, etsi simul adhiberet peruersam aliam intentionem.

31 Occasione præcedentium noto hic opportunè, Sacerdotem peccaturū mortaliter, vel venialiter, pro vt finis malus, quem in consecrando, & celebrando intendat, fuerit grauis, vel leuis. Cum enim sit extrinsecus finis, qui non tollat intrinsecum, & vltimum vtilitatis spiritualis fidelium, & honoris Dei, pensari debet intentionis malitia ex grauitate, vel leuitate finis extrinseci mali; ita quidem vt quia celebratio assumatur tanquam medium ad malum finem, & ex hac ordinis peruersione irrogetur iniuria rei adeò sacræ, consurgat inde alia malitia sacrilegij. Vnde celebrare, vt venenatam hostiam des alteri, erit peccatum lethale tum contra iustitiam, tum contra religionē; sed vt gloriam vanam apud homines compares, erit peccatum leue, non enim intentionem tuam refers ad gloriā tanquam ad vltimum finem, ad quem scilicet ordines celebrationem, neque pro eo fine consequendo tacis ea, quæ sunt contra Deum, & contra ritus grauiter obligatorios in celebratione. Nā si faceres, delinqueres mortaliter celebrans ex fine vanę gloriæ, vt constat ex vniuersali doctrina S. Thomæ, & cæterum Theologorum 2. 2. q. 132. art. 3. Videatur Thomas Tamburinus Lib. 2. de Missa C. & §. 1.

Corollarium 8. De Sacerdotis anima separata, & de reunita ad corpus.

32 ETSI ea separata characterem retineat, sitque beata, non potest de lege communi consecrare, neque sacrificare, nam Minister ordinarius conficiendi Sacramenti, & Sacrificij deber esse formaliter homo, seu in statu vnionis ad corpus, quod animet. De Sacerdote quidem ait Sanctus Paulus ad Hebræos 5. *Assumi ex hominibus, & pro hominibus constitui, vt offerat dona, & Sacrificia pro peccatis.* Et de Ministro Sacramenti in vniuersali debere esse in statu illo, asseritur à Thologis cum Sancto Thoma 3. parte quæst. 64. art. 7. Franciscus autem Mayronius loquens in particulari de Ministro conficiendæ Eucharistiæ inquit, animam in corpore assumpto non posse de lege communi, quia *in consecratione requiritur forma verborum naturaliter prolatorum instrumentis naturalibus; sed tale corpus sic assumptum non proferret talia verba.* Additque Mayronius, Sacerdotem resurgentem posse conficere, quia habet omnia requisita; nec apparere, cur non posset resurgens in statu beato. *Et libentiùs* (ait) *audirem suam Missam, quàm de alio; quamuis enim non sit Sacramentum, nisi in via, tamen potest confici à non viatoribus.* Ita in 4. Distinct. 8. quæst. vnica, art. 2. Et quod significat de Beato existente cum corpore, & anima, quatenus posit iuxta legem ordinariam, & sine noua Dei commissione conficere Sacramentum, indicatur etiam à Sancto Thoma suprà ad 2. doceturque expressè à Soto in 4. distinct. 1. quæst. 5. art. 7. V. *Verumtamen*, & V. *Secundum argumentum*, Suario tomo 3. in 3. par. D. 13. sect. 1. V. *Atque ex his.* Dicastillo Tract. 1. D. 3. dub. 4. num. 38. Sed contradicunt Sayrus Lib. 2. de Sacramentis C. 3. quæst. vnica, art. 2. propos. 1. Cardinalis de Lugo D. 8. sect. 1. ex num. 2. Coninch ad prędcitatum art. Sancti Thomæ, num. 56. & 57. Bernal D. 17. de Sacramentis sect. 1. §. 2. num. 21. Est tamen dissidium non magni momenti, nam si Sacerdos beatus in rediuiuo corpore aggrederetur confectionem Eucharistiæ, non id faceret absque Dei voluntate, & iussu, deberetque ratum haberi Sacramentum, siue ordinarius, siue extraordinarius huius Minister dicendus esset. Num autem de facto consecrarit Beatus aliquis, assumpto corpore vero, vel apparente? non possumus affirmare certo, neque negare. De Sancto Thoma Apostolo legatur historia, cuius meminit Cardinalis de Lugo suprà, num. 4. De Sancto Petro Apostolo iam beato notabile est, quòd cum adhibuisset cœremonias solitas pro consecratione Ecclesię, quæ suo nomini erat dedicata in Anglia, monuit Episcopum per internuncium, vt quæ ipse omiserat, supplerer, scilicet *Dominici corporis, & sanguinis sacrosancta mysteria*, vt narratur in S. Eduardi Regis Angli vita apud Surium die 5. Ianuarij, & apud Baronium tomo 8. anno 610. num. 11. De Christo in corpore iam glorioso, an consecrarit? dixi nonnihil in D. præcedenti, n. 13.

DISPVTATIO XIII.

DE

REQVISITIS EX PARTE SACERdotis offerentis Sacrificium Missæ, vt hoc prosit alijs.

1 *PRODESSE IIS, PRO QVIBVS OFfertur à Sacerdote, Sacrificium, prodesseque ex opere operato, si obicem careant, extra dubium est, iamque antea à nobis pertractatum. Videndum nunc est, quid requiratur ex parte Sacerdotis, vt offerat Sacrificium pro alijs, eoque modo, quo prosit ipsis.*

SECTIO I.

De intentione requisita in Sacerdote.

QVEMADMODVM ad confectionem Sacramenti requiritur intentio Ministri, sic etiam vt Sacrificium applicetur pro aliquo, cedatq; in eius vtilitatem, opus est intentione Sacerdotis celebrantis, qui est dispensator mysteriorum Dei, & intercessor inter hunc, & homines; quare ex Sacerdotis intentione dependet oblatio Sacrificij pro eis, & dispensatio fructus, ad quem in Sacrificio datur valor. Videat, qui velit, Suarium Disp. 79. sect. 9. V. *Hæc quæstio*, agentē latiùs de hoc puncto, in quo Theologi consentiunt.

2 Disputant autem,

De Intentione Habituali.

AN ea sufficiat ad applicationem fructus? Nam P. Vazquez Disput. 138. Cap. 6. à num. 74. Granadus 3. parte Controuers. 3. Tract. 5. Disput. 4. sect. 2. num. 14. Fraxinellus, Berarduccius, & Beja apud Auersam quæst. 11. sect. 10. V. *Tertiò*, & aliqui alij existimant, non sufficere; sed requiri vel actualem, vel virtualem saltem; non secus ac communiter dicitur de intentione ad confectionem Sacramenti, & ipsius etiam Sacrificij Missæ. Verum tamen hoc exemplum est inefficax, quia intentio faciendi Sacramentum, & Sacrificium debet esse absolutè effectiua rei alicuius, quæ sit constituens ipsius Sacramenti, & Sacrificij, ideoque necesse est, vt vel per se, vel per virtutem vicariam relictam influat in Sacramentum, & Sacrificium. Quæ ratio non valet in intentione applicandi fructum Sacrificij pro alio, nam ea applicatio est quædam ex Dei commissione donatio fructus; ad quam satis est, Sacerdotem velle, quòd fructus sit Petri v.g. si Sacrificium fiat; nec opus est, vt ifundoriatur ex intentione applicationis, aut ex donatione fructus. Atque ita non requiritur, applicationem, aut donationem fructus esse effectiuam, aut efficacem absolutè illius; sed sufficit, esse sub conditione, quòd Sacrificium ponatur. Quare intentio applicandi Sacrificium, fructumq; alicui non debet influere vel per se, vel per quidpiam aliud superstes in Sacrificium, aut in fructum. Dices, fore, vt intentio Sacramēti posset etiā esse efficax cōditionatè, scilicet volēdo

poni

poni Sacramentum, si res ponantur, & verba. Sed contrà, quia Minister nullam habet efficacitatem, aut potestatem ad Sacramentum, nisi quatenus potest eius materiam, aut formam ponere. Ergo intentio illius debet habere efficacitatē ad huius materiæ, aut formæ positionem. Vnde sicut non sufficit ad id, quod aliqua actio sit propter finem, me velle, vt si fiat, sit propter finem talem, quia non habeo potestatem, vt actio sit ob finem, nisi quatenus possum facere eam ob finem; ita non sufficit, Ministrum velle, quòd, si dentur materia, & forma, ponantur ad finem ab Ecclesia intentum; sed necesse est, vt ab ipso ex intentione talis finis ponantur.

3 Argues iterùm ex Vazquez, applicare Sacrificium Paulo v. g. & offerre illud pro eo, est omnino idem. Ergo voluntas, quæ non est sufficiens ad offerendum, non erit sufficiens ad applicandum. Sed habitualis non est sufficiens ad primum. Ergo neque ad secundum. Est facile solutu hoc argumentum, adhibita distinctione primi Antecedentis: applicare per voluntatem, quę in se sit absoluta, conceditur; quæ sit conditionata, negatur; hæc enim non vult offerre, sed dat fructum sub conditione, quòd sit offerendum; redditurque extrinsecè absoluta per ipsam Sacrificij oblationem.

4 Rursus argues, non potèst Sacerdos applicare Sacrificium Missæ, nisi vt actu Minister Christi. At qui in ordine ad Sacrificium non est actu Minister Christi, nisi eo tempore, quo offert. Ergo tunc debet habere voluntatem applicandi, vel aliquid ex ea relictum. Enodatur expromptè hæc obiectio, dicendo, sufficere, habere tunc voluntatem habitualem, quæ est voluntas pręterita non reuocata, proindeq; tunc existēs moraliter. Prætereà dici potest, applicandi voluntatem habitam ante oblationem actualem Sacrificij, seu ante huius confectionem non esse voluntatem executiuam tunc fructus, quando ea habetur, sed pro tempore actualis oblationis, & confectionis Sacrificij; voluntas autem eiusmodi potest elici à Ministro non actu, sed potentia in ordine ad Sacrificium. Declaratur à simili eius, qui, quo tempore non est dominus rei, vellet, vt pro tempore, quo erit, transferatur in alterius dominium; esset quippe satis ad translationem ea voluntas, nisi reuocetur. Atq; hinc infertur, validam fore applicationem Missæ factam ante Sacerdotium susceptum, si iā Sacerdos creatus, & anteà non retractet illam. Ita Thomas Tamburinus L. & C. 2. de Missa §. 10. n. 3. post Cardinalem de Lugo D. 8. de Sacramentis S. 6. n. 99. Sed probabiliter potest limitari, vt, quando ante Sacerdotium habetur voluntas ex tunc applicandi pro tempore Sacerdotij, absit impedimentum incapacitatis positiuę ad illud; si enim homo applicans non esset baptizatus, irrita foret intentio; vti foret inualidus cōsensus contrahendi matrimonium, si habeatur, quando consentiens ligatur impedimento dirimente, tametsi adijciat conditionem, *Si Papa dispensarit*: & vti testamentaria rei dispositio cassa foret, si quo tēpore fit, sit subiectum iure incapax condendi testamentum, etiamsi dispositio sit rei vt habendæ pro tempore capacitatis. Dicastillus Tract. 1. de Sacram. D. 3. dub. 6. ex n. 138. videtur non assensurus limitationi. Legat eum, qui velit. Cum igitur argumenta proposita non conuincant intentum, neque adsint alia vrgentiora, subscribimus libenter communi sententiæ asserenti, intentionem habitualem satis esse ad Sacrificij applicationem, confirmamusq; insuper eam sententiā exemplo voluntatis, qua iustus homo applicet pro alio valorem satisfactorium impetratoriumvè suorum operum; satis enim est habitualis voluntas, seu quæ, etsi non habeatur physicè, quando fiunt opera, at fuerit anteà habita, & deinceps non retractata; quanquam requiratur actualis, vel virtualis voluntas ad conferendum valorem operibus, sicut requiritur intentio actualis, vel virtualis ad conficiendum Sacrificium validum. Confirmam⁹ etiam exemplo recipientis Sacramentum Baptismi v.g. quia enim ille non agit (vt neque Sacerdos, sed Deus causat Sacrificij fructum) sufficit voluntas habitualis in adulto ad Baptismi valorem, prout constat ex C. *Maiores* de Bap tis. & eius effectu §. *Item quæritur*, V. *Dormientes autem*, & ex Concilio Carthag. 3. Can. 34. necnon ex Arausicano 1. Canone 12. atque ex Sancto Augustino Lib. & Cap. quarto Confessionum. Et notare hic oportet, etsi prima facie Meratius Disputat. 38. sect. 7. V.

Posterioris autem, Ysambertus 3. par. q. 83. D. 7. art. 13. V. *Respondeo* videantur, contra nos stare, dum dicunt, non sufficere intentionem habitualem. Sed re ipsa non sunt nobis contrarij. Nam primus loquitur de ea, vt sumitur pro intentione, quæ nec actu est, nec actu fuit, sed esset, si eam habens cogitaret de illo, cui applicare habitualiter dicitur. Et secundus explicat, quatenus sit procliuitas ad applicandum pro aliquo Sacrificium adquisita per frequentem pro illo applicationem. Nos autem neque in vno, neque altero sensu intento ab his Authoribus sermonem habuimus de intentione habituali; & in eo, quem declarauimus, fauet nobis fidus Vazquij asslecla Gaspar Hurtadus Disp. 4. de Sacram. Diff. 5. sed pro se Vazquiū non benè allegans.

5 Disputant secundò Theologi,

Num valida fiat applicatio fructus iuxta intentionem, quā Sacerdos contra obligationem re ipsa habet, vel iuxta eam, quam deberet ex fidelitate, aut ex iustitia, aut ex præcepto Superioris habere?

SCOTVS Quodlibeto 20. art. 2. & Gabriel Lectione 26. in Canonem Missæ lit. G. referuntur communiter, quatenus docuerint, non prodesse Sacrificium nisi iuxta eam intētionem, quam deberet Sacerdos habere, quia non potest prodesse nisi iuxta intentionem congruentem Sacerdoti vt Ministro Christi, à quo Sacerdos accepit potestatem applicandi Sacrificium: intentiō autem congruens Sacerdoti vt Ministro Christi est proculdubiò illa, quæ cum voluntate Christi concordat, & non quæ opponit se ei; proindeque est intentio debita haberi, & non quæ re ipsa habetur contra obligationem. Cōfirmatur, quia æquum non est, vt per intentionem Sacerdotis, obligationi eius contrariam, atque adeò peccaminosam, applicet Christus, & communicet fructum Sacrificij. Alij post Martinum Ledesmam parte 2. 4. q. 16. art. 14. folio 193. affirmant, non prodesse Sacrificium oblatum à Sacerdote, præsertim Regulari, nisi iuxta intentionem debitam haberi ex obligatione publica, præceptovè Superioris, maximè Regularis. Mouentur, tum quia potest Ecclesia reddere inhabilem subditum ad multa, vt ad professionem, ad matrimonium, & sic de pluribus alijs. Ergo poterit similiter reddere inhabilem Sacerdotem ad applicandum ualidè Sacrificium contra intentionem ipsiusmet Ecclesiæ. Tum quia Prælatus sicut potest irritare iuramenta omnia, votaque multa Sacerdotis subditi sibi, ita annullare poterit intentionem circa Missæ applicationem. Tum quia vti votum factum contra voluntatem Prælati, præcipuè Regularis, est nullum, sic applicatio Missæ facta à Sacerdote, præcipuè Regulari, contra voluntatem Prælati nulla esse debet, tam enim iustum est, vt Sacerdos Religiosus non habeat velle proprium in applicatione Missæ contrà Prælati præceptum, quā in voti emissione. Et quidem Religiosus *velle, vel nolle non habet* iuxta Cap. 2. de *Testamentis in* 6. Tum denique quia *Sacerdoti Religioso Prælatus, & Monasterium debet victus, & vestitus sustentationem, quasi seruo, aut famulo conducto, & parato præstare operas suas* (aut potiùs quasi filio) *aut titulo beneficij Regularis; & hic quasi ex contractu, quo se mancipauit Monasterio, tenetur obedire Prælato iubenti specialiter offerre Missam pro ijs, qui Monasterio stipem contribuunt sub expresso onere, vt sibi Missa dicatur; aut profundatore, & benefactore.* Quæ sunt verba Henrici Hēriquez Lib. 9. Cap. 21. §. 6. licet ipse longè distet ab opinione abutentium eis, vt probent, voluntatem Prælati præualituram voluntati Sacerdotis Religiosi in applicatione Sacrificij.

6 Opinionem hanc rigidè censurauit Frater Andreas à Tordehumos Ribero Augustinianus anno 1581. in Apologia contra ipsam edita, impressaq; Methymnæ Campi, nam in quæst. 21. fol. 141. inquit, *Hæc opinio est Doctoris Ledesmij, peculiaris, propria, satis dura, & peregrina, & ideò minimè amplectenda; est enim contraria omnium Theologorum sententijs, necnon & Iurisperitorum.* Sic Author ille; cū quo discedo à Ledesma; Sed abstineo à censuris, præsertim cū opinio Ledesmæ dicatur communis Theologorum à Marchino Tract. 3. de Ordine p. 2. C. 33. n. 3. vbi allegat plures Doctores pro ea, sed non bona fide

ali-

aliquos antiquiores Ledesma, vt Syluestrum, & Armillam. Nec Scotus vbi supra aliud habet, quàm *quòd vbi habetur doctrina certa de applicatione, ibi est sic facienda, ita scilicet, quòd si contrarium fiat, fortè nec ei, cui applicatur, valet, & applicanti nocet, quia peccat.* Quæ verba transcribuntur à Biele, quin alia addat. Eodem modo se gerit Martinus de Frias in Tract. de Valore Missæ §. *Ad secundam quæstiunculam.* Et Antonius de Honcala in Opusculo de eodem Valore art. 3. etsi de Ecclesiæ Rectore, qui pro populo sacrificare tenetur, dicat, *Si alteri applicauerit Missam, nihil ei proderit, sed populo, cui est publicè adstrictus*, attamen de Sacerdote *obligato obligatione particulari alicui certæ personæ, sacrificando pro ea, si alteri specialiter Sacrificiū applicauerit, huic, & non illi proderit.* Sic Honcala. Quanquàm verò fideliter citet Marchinus decem alios; nihilomin⁹ contraria opinio plures multò patronos habet, estq; ferè omnium Recentiorum, teste Cardinali de Lugo Disp. 19. sect. 10. n. 211 Hieronymusque Garcia in Summa Morali de Excellentijs Sacerdotij Tractatu & Diff. 3. dub. 5. punct. 2. n. 10. recenset pro ea vndeviginti Patronos, possuntque sine exaggeratione annumerari centum alij. Sed his de extrinseca authoritate contentionibus dimissis, impugno primò sententiam illam, quia applicatio fructus Sacrificij est vsus potestatis, quam à Christo immediatè accipit Sacerdos in Ordinatione, vt constat ex verbis formæ, *Accipe potestatem offerendi Sacrificia Deo, Missasque celebrandi tā pro viuis, quàm pro defunctis.* Ast valor actionis, quæ est vsus potestatis sic acceptæ ex Christo Principe supremo, nō pendet aliunde, quàm à præsenti intentione Sacerdotis, cui potestas commissa est. Ergo &c. Minor probatur ex actione, quę est vsus potestatis consecrādi, non enim eius valor circa materiam aptam pendet aliunde, quàm ex intentione Sacerdotis proferentis verba cōsecrationis; non ob aliam certè rationē, nisi quia Sacerdos accipit immediatè à Christo Principe supremo potestatem consecrandi. Vnde etsi Sacerdos intendat consecrare, quo tempore non licet ei, vel ob statum in peccato lethali, vel ob prohibitionem Ecclesię, aut sui Prælati, factum tenebit, si Sacerdos habeat reipsa voluntatem consecrandi, proferatque verba consecrationis suprà materiam conuenientem. Accedit confirmatio desumpta ex humanis, nā si quis accipiat à Rege immediatè potestatem ad faciendum aliquid nomine Regis, & vt eius vices gerens, minimè pendebit à voluntate Prætoris in vsu talis potestatis.

7 Impugno secundò, quia quòd Sacerdos intendat Sacrificij applicationem, quæ sit contra suam obligationem ex fidelitate, aut ex iustitia, aut ex præcepto Superioris, non sufficit, vt irrita sit intentio ipsa, quanquam sufficiat, vt illicita sit. Quod declaratur exemplo eiusdem Sacerdotis intendentis consecrare, aut baptizare, quando ipsi non licet ob aliquam ex prædictis causis. Et ratio à priori est, quia applicatio Sacrificij oppositа obligationi Sacerdotis ob aliquam ex dictis causis, etsi displiceat Christo, non tamen est contra eius voluntatem, qua Sacerdoti dedit absolutè potestatem applicandi Sacrificij; vti foret ea applicatio, quam Sacerdos faceret pro anima existēte in Inferno, siquidem ad talem applicationem Christus non commiserit potestatem; ideoque hęc applicatio euaderet inualida, & cassa; ast illa valida erit, ac rata. Sic si Sacerdos intendat consecrare lignum v. g. irrita erit hæc intentio, vtpote quæ sit contra voluntatem, qua Christus dedit facultatem consecrandi solum panem, & vinum siue merum, siue lymphatū. Si tamen intendat consecrare materiam aptam, tametsi intendat tempore, quo non licet, vel quia ipse exiſtit in statu peccati, vel quia prohibet Ecclesia, aut Prælatus, displicebit quidem Christo intētio, sederit valida, ac rata, eo quòd non sit contra voluntatem, qua Christ⁹ concesſit absolutè Sacerdoti potestatē ad consecrandum. Ac sanè sicut oportuit, Christum reliquisse annexum Sacrificio fructum sine dependentia à moribus Sacerdotis ipsius, siue bonis, siue malis, ne illi, pro quibus offerretur, incerti semper, & ancipites essent de fructu à se participando; ita etiam oportuisse videtur multò magis, vt non relinqueretur cum dependentia ab extraneo alio, & ab eius voluntate, alioqui maior inde ambiguitas, & anxietas nascereturus. Nam si petas à Sacerdote Missam, ipseque det fidem, quam liberaturum non dubites, attenta hominis conditione;

ditione; restat adhuc perplexitas, num etsi pro te nominatim applicet Sacrum, antiquiori alia, & potiori adstringatur ipse obligatione? num ipsius Superior Sacrum illud dirigat in vtilitatem alterius personæ? Quòd si Superioris intẽtionem prævalere, necesse sit, inconsultissimè certè facerent fideles, qui eleemosynas Missarum conferunt priuatis Sacerdotibus Sęcularibus, aut Regularibus, & non potiùs eorum Episcopis, aut Prælatis. Adhæc: Sacrificium operatur suum fructum ex opere operato ad instar causę naturalis, quę applicata subiecto capaci producit necessariò suum effectum, siuè qui applicat per modum instrumenti humani, & moralis sit bonus, siue malus, siue gerat se iuxta, siue contra iustitiam, siue conformet se voluntati, præceptove Superioris, siue ab eo discordet. Ergo cum Sacerdos, qui celebrat, sit instrumentum applicans Sacrificij alicui determinatæ personę, idque ex commissione Christi data in potestate Ordinis, non poterit non Sacrificium causare suum fructum in persona capaci, etiamsi Sacerdos sit prauus, vel in applicatione deflectat à iustitia, aut à Superioris sui imperio. Vbi noto, præferre absurditatem, vt si Superior nõdum sit Sacerdos, fructus Sacrificij, qui est ex Christi institutione, respondeat Superioris, non autem subditi Sacerdotis applicationi. Dedecet etiam (nisi ego fallor) quod ex Fraxinello refert Pellizarius in Manuali Regularium Tractatu 5. C. 9. sect. 1. n. 17. vt commissione Superioris possit Sacrista Laicus irritare applicationes Missarum factas à Sacerdotibus Monasterij, & ipse, attendendo ad obligationes ob legata perpetua, vel ob stipendia manualia Conuentus, disponere de fructu Missarum.

8 Impugno tertiò, si Sacerdos nullam habeat intentionem saltem virtualem applicandi specialiter Sacrificiũ pro aliquo, siue teneatur applicare pro aliquo, siue non teneatur, non proderit Sacrificium specialiter vlli ex opere operato. Ergo si intendat Sacerdos applicare specialiter Sacrificium pro aliquo, pro quo hic, & nunc non tenetur applicare, sed pro alio, proderit specialiter ex opere operato Sacrificium illi, pro quo applicet actu, & non illi, pro quo tenebatur applicare. Consequentia patet, quia si intentio, & applicatio Sacerdotis est requisita, vt alicui ex opere operato prosit specialiter Sacrificium, certè hoc nõ proderit sic alij, quàm cui intentio, & applicatio Sacerdotis destinarit. Quemadmodùm quia necessaria est Superioris licentia, vt Religiosus validè donet alicui librum concessum sibi ad vsum in Religione, non adquiretur validè liber ab alio, cui Superior noluerit donari. Sicut etiam quia ad validè ministrandum Sacramentum Pœnitentię requiritur iurisdictio, cuius collatio dependet à voluntate Prælati, non ministrabitur illud validè ei, respectu cuius Prælatus non dederit iurisdictionem. Et quidem frustra requireretur Sacrificij applicatio facta à Sacerdote, vt Sacrificium prosit, si huius fructus nõ iuxta Sacerdotis, sed iuxta alterius voluntatem conferendus sit. Diana parte 2. Tract. 14. Res. 72. notat, negandũ esse in contraria sententia Antecedens, si Prælatus Sacerdotis applicaret Sacrificium. Sed contra primò, nam Prælatus Sacerdotis non est Minister, neque Dispensator Sacrificij illius; quarè ad Prælatum non spectat applicare fructũ illius. Contra secundò, quia quando Sacerdos nulli specialiter applicat Sacrificium, controuertunt Theologi, in quẽ recidat fructus Sacrificij inapplicati à Sacerdote; & hactenꝰ nemo dixit, recidere in eum, in quem velit Prælatus, vel in quem voluisse debuit Sacerdos. Contra tertiò, quia alioqui Religiosꝰ, qui ex obedientiæ præcepto obligante grauiter teneretur applicare Sacrificiũ pro aliquo viuo, vel defuncto, & inaduertenter, vel etiam aduertenter omisisset applicationem Sacrificij, non maneret obligatus ad celebrandum pro tali persona, iam enim hæc lucrata fuisset fructum Sacrificij per applicationem factam à Prelato. Vnde vanè curarent Superiores Sacerdotum de intimanda illis offerẽdi obligatione, quam habent, pro fundatoribus, aut benefactoribus, vel contribuentibus eleemosynas manuales, si semel Prælatis constaret, subditos nõ omittere Missarũ celebrationes. Similiter sequeretur, ut si Sacerdos nõ dixisset hodie Missam pro Petro tribuẽte stipendium, non teneretur vel dicere alio die, vel restituere stipendium, si fructus Sacrificij respondeat intentioni debitę haberi à Sacerdote ex iustitia, Petrus namq; obtineret Sacrificij fructũ,

non

non obstante defectu intentionis applicantis Missam pro ipso. Quæ sequela est contraria fidelium menti, & Decretis Vrbani VIII. fœlicis recordationis circa Missarum celebrationem. Sequeretur denique, Religiosum, cui Missarum stipendia ad suos vsus reliquisset Superior, si eas non applicet pro personis, pro quibus tenetur, fore, vt deberet restituere Superiori, non autem illis, qui stipendia contribuerunt. Et hæc sufficiant aduersus eam opinionem.

9 Cuius primum argumentum solutum manet ex prima, & secunda impugnatione. Ad secundum dico primò, Ecclesiam non posse reddere inhabilem Sacerdotem ad applicandum validè Sacrificium cõtra intentionem ipsiusmet Ecclesiæ, si sermo sit de applicatione Sacrificij quantùm ad fructum proueniẽtem ex parte Christi, quia potestas, quã ad huiusmodi applicationem habet Sacerdos, est accepta immediatè à Christo Principe supremo, & non subiecta Ecclesiæ quoad valoẽ in eius vsu. Vnde patet disparitas ad alia, ad quę potest Ecclesia reddere inhabiles suos subditos. Dico secũdò, quãquã Ecclesia posset id, quod proximè negaui, nõ fore, vt ideo posset, quod affirmat Aduersariorum opinio, scilicet vt pro Petro v. g. applicetur Sacrificium, quod non pro ipso, sed pro Paulo vult applicari Sacerdos. Sicut etsi Ecclesia possit irritare votum subditi, non potest tamen facere, vt votum sit ratum absque subditi consensu. Atque hinc Emmanuel Rodriguez in Summa C. 250. Verbo *Missa* n. 10. ait, posse Superiores irritare intentiones subditorum, quando eas concipiunt, nõ tamen facere, vt Missę prosint personis, quibus ipsi subditi non applicent: ideoque talium Missarum fructum reseruari in Ecclesiæ thesauro, & inde distribui à Deo in eas personas, quę magis indiguerint. Corduba etiam L. 1. q. 3. V. *Dico regulariter*, cõcordat quoad potestatem irritandi; sed addit, Superiores non exercere eam semper, ac prohibent intentiones subditorum non conformes suis, quia *Multa fieri prohibentur, quæ si facta fuerint, obtinent firmitatem*, Cap. *Ad Apostolicam* de Regularibus. Ad tertiũ, & quartum constat ex dictis. In quinto nihil aliud continetur, quàm quòd Religiosus debeat obedire Prælato in applicationibus Sacrificiorum. Id autem verissimum est, & à nobis non negatũ, saluatur namque optimè, vt applicatio sit illicita ob non seruatum Prælati imperium, sed tamen valida.

10 Loquor, quando Superior præcipit non ex vi sola iurisdictionis, aut voti obediẽtiæ Religiosæ, quo subditus obstrinxerit se ei, vti solent communiter Religiosi suis Prælatis, sed ex vi obligationis, quam vt caput Cõmunitatis habet intimandi subdito applicationes Sacrificiorum debitas ex iustitia à corpore Communitatis, & proinde à membris eius obstipendia habitualia, vel quotidiana; nam si præcipiat ex sola prima vi, aut ex sola secunda, probabile nonnullis est, præcipere inualidè, & proinde subditum non teneri obedire. Etenim applicatio Sacrificij pro hac persona in particulari potiùs, quàm pro alia, est actus internus, qui per accidens coniungitur cum externa actione Sacrificij tam in esse physico, quàm morali; quippe saluari possit hæc actio nõ modò quoad esse physicum, sed etiam quoad esse morale fructuosæ viuis, & defunctis in vniuersum absque illa applicatione speciali pro viuo isto, vel defuncto potiùs, quàm pro illo. Ast actus sic interni non sunt materia legis humanæ ex multorum sententia. Ita Thomas Tamburinus L. & C. 2. de Missa, §. 9. ex n. 4. citans pro se in n. 10. & 11. Castrum Palaum Tract. 3. D. 1. puncto 6. n. 4. Laymanũ Lib. 1. Tractatu, & C. 4. n. 3. Potuissetque allegare eundem Castrum Palaum expressiùs loquentẽ Tractatu 24. D. vnica, puncto 6. n. 14. vbi docet, præcipi inualidè à Prælato ex vi solius iurisdictionis, aut acceptati voti obedientiæ Religiosæ, vt subditus applicet opera sua satisfactoria in fauorẽ alicuius determinatè, mouetur que ratione breuiter à nobis iam indicata; cui assentiri videtur Hieronymus Garcia Tract. 3. de Excellẽtijs Sacerdotij, Diff. 3. dub. 5. n. 15. Vrget quidem in operibus satisfactorijs distinctis à Sacrificio peculiaris alia ratio, nam si Prælatus obligare posset ad applicanda vt satisfactoria, posset etiam consequenter obligare (quod tamen communiter negatur à Doctoribus) vt subditus v. g. ieiunet in statu gratiæ, & ex bono fine, aliter enim ieiunium non proderit satisfactoriè ei, cui applicetur. Ast Sacrificium, etsi in statu peccati fiat, & ex fine prauo, non amittit

amittit vim satisfaciendi ex opere operato pro illo, pro quo nominatim offeratur. Pellizarius in Manuali Regulariū, Tract. & C. 4. sect. 3. n. 93. & Illuminatus Moronus in 3. ex Responsis Moralibus 100. n. 121. tam longè distant ab assentiendo rationi illi priori, vt in exēplum actuum internorum, quos ob connexionem externorum cum ipsis Prælati possunt præcipere subditis Religiosis, adducant vnicè applicationem Missæ pro aliquo determinatè, nam si non habetur intentio applicandi pro illo Sacrificium, non fiet hoc pro illo, vti iubetur à Superiore. Sed præfati Authores supponunt, quod debuissent probare, scilicet Prælatum posse legitimè imperare, vt Sacrificium fiat pro aliquo determinatè. Multi cum Suario L. 3. de Legibus C. 29. n. 10. dicunt, ideo Prælatum posse id, quia specialis applicatio pertinet ad complementum Sacrificij, & ad fructum eius. Attamen si illud de complemento verum esset, sequeretur (quod absurdum absq; dubio est) peccare grauiter Sacerdotem Regularem, qui Superioris sui nullo vrgente præcepto particularis applicationis, omitteret ipsam, contentus generali pro viuis, & defunctis, nam voluntariè relinquere incompletum Sacrificium, nequit non esse graue scelus, & sacrilegium. Etsi verò specialis applicatio necessaria sit, vt aliquis nominatim participet Sacrificij fructum; vnde nam probabitur, Superiorem ratione tantùm suæ iurisdictionis, aut voti obedientiæ Religiosæ emissi à subdito, habere potestatem ad obligandum? Nā, vt media speciali applicatione faciat peculiariter participē fructus Sacrificij alium, quem ipse velit, si ille alius sit benefactor Religionis, vti hæc potest illi manere obstricta ex fidelitate, vel ex gratitudine, ita Prælatum posse subdito intimare, vt tāquàm pars Communitatis satisfaciat esusmodi obligationi, offerens Sacrificia pro tali benefactore, facilè mihi persuaserim. Ast quòd possit ex mero suo arbitrio Prælatus validè præcipere applicationem particularem pro quocumq; libeat ipsi, res est meo iudicio satis dubia. Rodericus Arriaga D. 53. sect. 1. n. 3. inquit, pertinere maximè ad Religionem, vt possit iam pro hoc, iam pro illo sacrificare, medio Ministro publico, proindeq; vt ei possit mandare, pro quo sit sacrificandum. Ita quidem est, quādo Religio tenetur obligatione iustitiæ, aut fidelitatis, aut gratitudinis erga aliquē, cōsequēterq; & Religiosi, ex quibus coalescit. Sed extra hos casus cur pertinebit ad Religionem facultas illa? Præsertim cum idemmet Arriaga ibidē n. 1. dixisset, ad subditorum actiones merè internas Superiorem Religiosum non habere vllum ius. Intelligo autem Arriagā, quando ratione iustitiæ, aut fidelitatis, aut gratitudinis non tenentur subditi adiungere actiones internas. Hactenus discursum est pro Tamburini existimatione. Sed quia aliūde sentētia frequens est, Ecclesiam prohibere, ne Missæ Sacrificiū applicetur specialiter pro aliquibus, etsi communiter iudicetur, tam esse supra potestatē legis humanæ prohibere actus internos, quàm eos præcipere, ideo in hoc puncto suspendo iudicium vsque ad D. 17.

11 Disputant tertiò Theologi.

De intentione anticipata.

AN videlicet Sacerdos possit validè, & licitè sic gerere se, vt collationem fructus Sacrificij celebrati hodie suspensam velit vsque ad diem crastinum, vel vsque ad alium ex sequentibus, in quo Petrus, dato stipendio, petet pro se Missam, aut pro anima amici, qui post celebrationē à Sacerdote factam obierit? Qui offerendi modus dicitur esse ex anticipata intentione. Potest & alius modus esse anticipatæ intentionis, vt si Sacerdos vellet, conferri hodie Missæ à se dictæ fructum homini illi viuenti, aut animæ existenti iam in Purgatorio, pro quo homine, aut anima petendam esse cras, aliove sequenti die Missam, tradito stipendio, sciat hodie Deus. Rursus potest alius esse modus anticipatę intentionis, vt si Sacerdos certò noscat hodie, quòd Petrus cras commendaturus est ei Missam applicandam pro defuncto ante hodiernum diem, tradituruſque stipendium, & Sacerdos velit offerre hodie Sacrum pro ea anima. Denique potest alius esse modus anticipatę intentionis, vt si Missam, quam cras tenebitur Sacerdos celebrare pro anteà defuncto, velit hodie dicere pro illo. Hos quatuor modos anticipatæ intentionis distinxisse sigillatim oportuit, vt ad quę-

stionem

stionem propositam respondeamus dilucidè.

12 Et quidem postremum modum validum esse, licitumque per se, dicemus in D. 19. consentientibus Bonacina D. 4. q. vltima, puncto 7. §. 5. n. 4. Cardinali de Lugo D. 21. sect. 2. n. 44. Henriquez L. 9. Cap. 21. §. 2. Vazquez D. 234. C. 3. n. 23. Dicastillo Tract. 5. D. 4. Dub. 20. n. 381. Francisco de Lugo Lib. 5. C. 3. q. 4. n. 36. aliisque apud Marchinum Tract. 3. de Ordine, parte 2. C. 31. num. 11. necnon apud Dianam parte 2. Tract. 14. Resol. 16. Cumque in hoc modo approbando conueniant omnes ferè Theologi, concordare etiam debent in tertio ob æqualitatem rationis, vt consideranti constabit. Et ita exprimit Franciscus de Lugo suprà n. 38. cum Vazquez, Fagundez, & Auersa. Ita etiam Castro Palao Tractatu 22. D. vnica puncto 6. n. 18. cum Barbosa in Remissionibus ad Concilij Tridentini Sess. 22. & 2. p. de Officio, & potest. Episcop. Allegatione 24. n. 12. ac sequentibus. Neq; facit contra tertium, multòq; minus contra quartum modum declaratio Sacræ Congregationis Concilij Tridentini confirmata à Summo Pontifice, & missa ad Nuncium Apostolicum in Hispanijs, in qua dicitur, *Superioribus diebus significatum fuit S. D. N. paucis ab hinc annis in Hispania nouam consuetudinem, recentiorum aliquorum Theologorum opinione innixam, sensim receptam, in dies magis inualuisse, vt Sacerdotes Missam celebrantes eius valorem generalē applicent ijs, qui postea Missæ celebrationem postulaturi, ac pro ea eleemosynam præbituri sunt; tametsi antequam Missæ Sacrificium perageretur, neque à Sacerdote illud rogasset, neq; ei hac de causa eleemosynam præstitissent. Quam rem cùm Sanctitas sua ad Sacrā Congregationem Cardinalium Concilij Tridentini Interpretum pro materiæ grauitate examinandā reiecisset, in ipsa Congregatione primò de ea actum est diligentissimè, & deinde relatum ad Sanctitatem suam: quæ ex huiusmodi Cōgregationis sententia, huiusmodi consuetudinem tanquam plurimis nominibus periculosam, fidelium scandalis, & offensionibus obnoxiam, atque à vetusto Ecclesiæ more nimiū aberrantem explosit, atque improbauit, &c.* Ita verbo tenus. Quæ declaratio dicitur à multis facta sub Clemente VIII. anno 1605. die XV. Nouembris. Cæterùm cum Clemens concesserit naturæ, die 3. Martij anni eiusdem, ideo alij dicunt, fuisse factam sub Paulo V. sedente iam ad clauum Ecclesiæ ex die XV. Maij. Et hæc diuersitas occasionē præbuit, vt aliqui suspectam censeant talem declarationem; vnde Pellizarius in Manuali Regularium Tract. 5. C. 9. sect. 3. n. 68. ait, ✻ An sit authentica? valdè dubitant Doctores, cum aliqui dicant, eam fuisse editam iussu Clementis VIII. die 15. Nouemb. 1605. quo tempore Clemens VIII. verè erat mortuus, vtpote qui ex hac vita decessit 3. Martij 1605. nec vllibi reperiatur in suo Bullario, eiusue Compendio ✻ Thomas etiam Tamburinus L. 2. de Missa C. 2. §. 8. n. 5. tribuit nonnullis innominatis, quòd respondeant, non constare authenticè de ipsa. Mihi tamen tanta eius apud Theologos, præsertim Hispanos, celebritas adimit omnem dubitationem; Emmanuel Rodriguez in Sūma impressa anno 1610. verbo *Missa* C. 250. Concl. 9. ob authoritatē illius mutauit sententiam, & Iacobus Granadus Controu. 6. Tract. 14. D. 7. n. 15. testatur, visum à se, & lectum rescriptum Congregationis apud Cardinalem Gueuaram Archiepiscopum Hispalensem, qui de hac re consuluerat Sanctitatem Pauli V. cuius tempore editam tradit etiam præcitatus Rodriguez, & Franciscus Sosa relatus ab Ascanio Tamburino tomo 2. de Iure Abbatum D. 5. q. 9. n. 21. necnon Cardinalis de Lugo D. 13. de Pœnitentia sect. 5. n. 138. cui imponit falsè Hieronymus Garcia in Sūma Morali de Excel. Sacerdotij Tract. 3. Diff. 10. dub. 6. n. 5. derogatam fidem ei declarationi, siquidem Eminentissimus Cardinalis conceptis verbis dicat, ✻ Sed re vera responsum fuit à Cōgregatione Concilij Tridentini iussu Pauli V. ad interrogationem Cardinalis de Gueuara Archiepiscopi Hispalensis · ✻ Iam verò diuersitas Authorū circa subscriptionis diem facilè componitur, si opinio de Missis anticipatis delata sit ad Clementem VIII. isque commiserit examen, & decisionem Congregationi Concilij Tridentini; licet causa sit cōclusa, & in Hispaniam missa declaratio sub Paulo V. die XV. Nouemb. 1605. Forsan etiam sub Clemente VIII. fuit concluſa, sed, incidente morte illius, remissio decreti in Hispaniam prorogata est vsque ad diem dictum Nouembris.

bris. Quòd autē Cardinalis Archiepiscop⁹ Hispalensis consuluerit Paulū V. difficile admodū est, nā ex die XV. vel XVI Maij resciri Hispali creationem ipsius, indeque scribere ad illum, & die XV. Nouembris responsum dare Romæ post maturam consultationem in Congregatione Concilij, non nisi miraculo fieri potuisset. Quare crediderim, consuluisse Clementem VIII. & accepisse sub Paulo V. responsum, quod etiam directum fuit ad Nuncium Apostolicum, vt per Hispaniam illud publicaret. Dicastillus Tract. V. D. 4. dub. 20. n. 379. testatur, se audiuisse à viris fide dignis, tam Clementem VIII. quàm Paulum V. prohibuisse anticipatas Missas; sed quia de priori prohibitione non constabat iuridicè in Hispania, additam esse posteriorem. Crediderim, viros illos passos esse ęquiuocationē. Sed prętermissis huiusmodi explorationibus pro ea declaratione, neutiquam ipsa facit contra tertium, neque contra quartum modum, quia in tertio perinde applicatur Missa pro defuncto, ac si iam esset petita, & stipendium promissum, aut collatum; in quartò autem iam est Missa petita, seu iam est imposita eius dicēdę obligatio, & de stipendio iam est cōuentum.

13 Restant secundus, & primus modus. Existimo verò, primum neque esse licitum, neque validum. Et quidē non esse licitum, probatur ex declaratione superiore, nam si contra aliquem modum intentionis anticipatæ prodijt, præsertim contra primum. De quo si à ratione probatum fuerit, non esse validum, concludetur perspicuè etiam à ratione, non esse licitum. Ostendo igitur, non esse validum, nam in Sacerdotis potestate non est, relinquere in pendenti fructum Sacrificij ex opere operato, etsi enim Sacerdos sit liber in conficiendo, & offerendo specialiter Sacrificio pro aliquo; ast si semel conficiat, & offerat, operatur iam ipsum Sacrificiū per modum causę naturalis effectū respondentem ipsi ex opere operato in subiecto existenti, & capaci; aut si subiectum nō existat, vel non sit capax, fraudatur Sacrificium sui effectus, ac fructus operatione. Confirmatur, non est in libera Sacerdotis potestate, aut Ministri alterius suspendere effectum Sacramenti ex opere operato, differreque illum in aliud certum tempus. Ergo idem dicendum est de Sacrificij fructu ex opere operato. Prętereà Sacerdos vel applicaret Sacrificij fructum eo die, quo celebrat, vel relinqueret applicandum die sequenti? Si pri⁹, quod necessarium esse, fatentur Vega L. 1. Casu 170. in Sylua, & praxi fori pœnitētialis, Henriquez infrà, Angles q. de suffragijs art. 2. Diff. 4. Ergo die celebrationis communicaretur fructus ei, pro quo offertur Sacrificium. Si posterius. Rogo, quisnam die sequenti applicabit Sacrificij fructum? Non Sacerdos, quia iam tunc non sacrificat, nō offert, non sustinet personam Christi. Applicatio autem fructus Sacrificij ex opere operato nequit validè fieri à Sacerdote, nisi vt sustinente personam Christi, vt sacrificante, vt offerente, vel nisi ab eo, qui se referat ad tempus, in quo sustinebit, in quo sacrificabit, ita vt ex nunc faciat applicationē pro tunc, nisi interim contingat, retractare volūtatem. Non petens Missam, quia is non est Minister Sacrificij. Non Deus, aut Christus, nam neuter reseruauit sibi fūctionem applicandi Sacrificij, sed eam vterque commisit Sacerdoti, vt humano modo fiat. Vlteriùs si Sacerdos validè posset Sacrificij hodie celebrati satisfactorium fructum suspendere in diē crastinum; posset etiam sic offerre pro se, aut pro alio peccatore, aut pro baptizato infante, non indigente, vt vellet, manere suspensum fructum satisfactorium vsque ad tempus status gratiæ, aut indigentiæ; quæ tamen absurda sunt, & contra communem Ecclesiæ sensum, ac praxim, vt ait Layman L. & Tract. 5. C. 2. n. 13. indeque fieret, quòd virtute remitteretur pœna peccati futuri, atque ita quodammodò daretur licentia impunè peccādi, vt inquit Coninch 3. p. q. 83. art. 1. Dub. 9. n. 168. Iure ergo merito scripsit Suarez D 79. sect. 9. V. *Tertiò inquiri potest*, primum modum anticipatæ intentionis *esse inauditum in Ecclesia Dei, & valde absurdum*, additque V. *Ex dictis colligo, esse præter vsū Ecclesiæ, posseque parere magnos abusus, si introducatur*. Vazquez etiam D. 234. C. 3. n. 22. Gaspar Hurtadus D. 4. Diff. 15. & alij ex Nostris vocant omnino improbabilem eum primum modum. Cuius præcipuus Author fuit Petrus à Nauarra L. 2. de Restitutione C. 2. q. 9. à n. 369. vsque ad 380. Eum citat, & se-

qui

qui videtur Vega suprà, vt & Henriquez Lib. 9. Cap. 21. §. 2. quanquam forsan non quoad primum, sed quoad secundum modum adhæreant. Sed manifestè tenent primum Petrus de Aragon 2. 2. quæst. 85. artic. 3. V. *Deanticipantibus Missas* pag. 927. Antonius Fernandez de Moure in Examine Theologiæ Moralis parte 3. Cap. 5. §. 9. interrogatione 5. Tenuit olim Emmanuel Rodriguez, sed reuocauit in anni 1610. editione Salmantina Summæ V. *Missa*, Cap. 250. Conclusione 9. Alios socios Nauarrę recensent Moralistæ Nomenclatores; sed aliquos sine examine, vt Bonacinam, nam hic potiùs dicit Disput. 4. quæst. vltima, puncto 7. §. 5. num. 3. ✻ Non satisfacere Sacerdotes, qui intendunt effectum Sacrificij suspendere ad illud vsque tempus, quo sibi tradetur eleemosyna; non enim est in potestate Sacerdotis suspendere effectum Sacrificij. ✻

14 Obijciet quis, applicatio fructus Sacrificij fit à Sacerdote per modum, moremque humanæ donationis, vt dicebamus in num. 2. Nihil autem vetat, quominus hodie possit Petrus velle, vt à Paulo cras adquiratur possessio, & dominium pallij, verbi gratia, sub conditione aliqua cras futura, videlicet sub conditione, quod petat pallium. Respondeo, applicationem fructus Sacrificij esse veluti quandam donationem eius fructus, sed factam medio Sacrificio; quo posito, & existente non est in potestate Sacerdotis, suspendere eum fructum in futurum tempus. Sic remissio peccati est veluti quædam donatio facta à Sacerdote administrante Sacramentum Pœnitentiæ; sed eiusmodi remissionem impedire non potest de præsenti, reseruareque in futurum tempus Sacerdos, si re ipsa ministret Sacramentum Pœnitentię validum subiecto ritè disposito. Et ratio à priori est tam in Sacrificio, quàm in Sacramento, quia vtrumque, vtpote agens necessarium, simul atque existit, agit, producitque effectum suum in subiecto ritè disposito, cui applicetur, siue velit, siue nolit Minister. Opponet quis rursus, si Sacrificium offeratur pro homine existente in statu peccati lethalis, suspenditur satisfactorius fructus vsque ad tempus, in quo homo iustificatus fuerit à peccato, vt censent Doctores aliqui. Ergo fructus Sacrificij potest manere suspensus. Nego Antecedens, de quo in Disputatione 18. & eo gratis admisso, distinguo Consequens, potest suspensus manere ex indispositione subiecti, transeat; ex mera intentione Sacerdotis offerentis Sacrificium, aut eius, pro quo istud offertur, nego. Ad cuius declarationem deseruit Baptismi, verbi gratia, exemplum, nam etsi Baptismi effectus possit suspendi ob obicem fictionis, cum qua suscipiatur, possitque reseruari, quoadvique recedat fictio; attamen suspendi nequit ex mera intentione Ministri. Denique argumentabitur quispiam, potest Sacerdos offerre hodie Missam pro eo, qui cras petet illam, quatenus Sacerdos offerat hodie Missam pro impetrando auxilio, quo Petrus, verbi gratia, cras indigebit. Concedo, validam esse, & licitam applicationem anticipatam Missę quoad fructum dictum impetrationis, similemve alium in remedium necessitatis futurę: vti etiã cõcedit Cardinalis de Lugo suprà, & post ipsum Thomas Tamburinus Lib. & Cap. 2. de Missa §. 8. num. 10. indicatque Martinonus Disp. 39. sect. 4. num. 33. Innotescit autem discrimen à fructu satisfactionis ex sect. 3. Disput. 10. clarescetque magis ex Disput. 18. Sed obseruare oportet, si Petrus cras det stipendium integrum, non licere Sacerdoti reportare illud, nisi Petrus explicet, curari à se fructum solum impetrationis, aliàs enim censetur velle, & principaliter, fructum satisfactionis.

15 Deueniamus iam ad secundum modum, quẽ ex parte tuẽtur, quatenus validus, & licitus sit, Cordu ba L. 1. Quęstionarij, q. 4. dub. 6. & Vega suprà, Casu 169. fatentur enim Sacerdotem, validè, & fructuosè referre intentionem suam in eum, de quo Deus noscat fore, vt cras applicet Petro Missam celebratam hodie à Sacerdote, nam eo ipso Missa erit hodie proficua Petro ex opere operato. Patrocinantur etiam omnino Nauarra suprà, & alij apud Dianam parte secunda, Tractatu 14. Resol. 15. Leandrum Tract. 8. Disp. 4. q. 19. Barbosam de Officio, & Potestate Episcopi, Allegatione 24. n. 12. & duobus sequentibus, Thomam Hurtadum in Resolutionibus Moralibus parte 1. Tract. 2. Resol. 14. num.

128. Ex nostris Henriquez Lib. 9. Cap. 21. §. 2. adfauet absdubio, quanuis in fine addat, *Hic tamen mos dicendi anticipatè Missas pro sperata stipe esset à Prælato prohibendus.* Reginaldus parte 2. L. 23. Cap. 17. num. 237. agnoscit, esse satis probabilem in speculatione; sed subdit, *In praxi tamen non caret periculo scandali, à quo cauendum est.* Pater Vazquez Disp. 234. Cap. 3. num. 22. & 23. eum etiã approbat, vt constabit legenti attentè tantum Doctorem. Quare allegatur benè à Gaspare Hurtado Disput. 4. de Sacrific. Missæ Diff. 15. Auersa quæst. 11. sect. 18. Vers. *Sextò posse*, Meratio D. 38. sect. 8. Dicastillo Tract. 5. Disput. 4. dubio 20. num. 380. interpretantibus mentem ipsius de sola applicatione pro anima patiente in Purgatorio, quando Missa celebratur à Sacerdote; nam si applicatio fieret pro homine viuo, fortasse Missa non prodesset illi, quando Sacerdos sacrificat, vel quia tunc ille non esset dispositus, vel non indigeret. Adstipulantur Vazquio omnes proximè laudati. Præterea Castro Palao Tractatu 22. Disput. vnica, puncto 6. num. 18. concedit, posse esse validum secundum modum; sed credit, *per illum non satisfieri ei, qui postmodùm Missam petit, & elargitur stipem.* Amicus, Disput. 33. sectione 8. num. 286. eum absolutè defendendum suscipit. Bonacina etiam censet, esse probabilem speculatiuè, refertque in eadem persuasione fuisse Congregationem Pœnitentiarię Mediolanensis, præsente se, & ita consulente: sed *in praxi non esse approbandum, & tolerandum.* Ita in Disput. 4. quæst. vltima, puncto septimo, §. quinto, num. 3.

16 Et quatenus speculatiuè validus sit, & licitus, argumentatur primò, nam non est, cur Sacerdos, tanquam bonus debitor non possit soluere anticipata solutione. Hæc tamen ratio, nisi aliquid aliud addatur, est difficilis, siquidem solutio suapte natura debeat præsupponere debitum. Arguit secundò, quia fructus Sacrificij, anticipatè celebrati ex intentione declarata in secundo modo, prodest de præsenti certæ personæ tradituræ eleemosynam, aut pro qua tradetur, siquidem persona sit certa in mente Dei, sitque capax, vt supponitur, & Sacerdos dirigat mentem suam in eam, & pro ea offerat Sacrificium. Videturque cedere id in bonum animarum Purgatorij, nam quò citiùs applicantur Sacra pro illis, eò melius sit, tum quia eò ad minus tempus manebunt ibi, tum quia fortè postea anima ibi non existet. Tertiò argumentatur Henriquez, nam vt Sacerdos cras accipiat stipendium Missę hodie celebratę pro eo, quem Deus nouerat, daturum cras illud, satis est, quòd, quando Sacerdos hodie celebrat, subsit interpretatiua conuentio, & conditio alteri vtilis. Sed hæc ratio ardua est, alioqui Sacerdos celebrans anticipatè posset ab eo, qui Missam non postulauit, exigere stipendium, vt ex iustitia debitum sibi ob interpretatiuam illam conuentionem. Quartò arguit Castro Palao, quia applicatio, iuxta secundum modum facta, est independens ab aliqua conditione futura; etsi enim sit contingens, quisnam primò petiturus sit cras Missam, & concessurus stipem; ast ex suppositione quòd Petrus, verbi gratia, sit petiturus, non est contingens, sed necessarium de præsenti sciri id à Deo, in quem Sacerdos hodie refert intentionem suam, ideoque non cras, sed hodie confertur Sacrificij fructus ei, quẽ Deus nosci, postulaturum cras Missam, & elargiturum pitantiam. Confirmatur hoc argumentum: intentio conditionata, qua Sacramenti Minister velit, quòd quando ponitur tota materia, & forma, fiat Sacramentum, sub conditione de futuro, quæ de præsenti sit vera, & affirmata per veram Dei cognitionem, seu sub præsenti conditione veritatis rei futuræ, non tollit valorem Sacramenti; vt si Minister Sacramenti Pœnitentiæ intendat, & dicat, *Ego te absoluo, si Deus iam scit, te cras restituturum*, eo enim ipso quòd Deus sciat id hodie, provt debet scire hodie, & ab æterno, si Petrus re ipsa cras restituet, iam absolutio est hodie valida. Ergo similiter si Sacerdos intendat applicare Missam hodiernam pro Purgatorij anima sub conditione, quòd Deus iam prænoscat, exigendam esse cras Missam pro ea commorante anteà in Purgatorio, tradendumque stipendium, valida erit iam hodie, & efficax huiusmodi applicatio. Propositionem in Antecedenti contentam

contentam vt negaret Suarez, non inuenit sufficientem rationem, vt ipse fatetur Disput. 13. sect. 3. V. *Sed vrgebis*; conceduntque eam Augustinus Bernal Disput. 17. de Sacramentis, sectione 2. §. 5. num. 100. Cardinalis de Lugo Disput. 13. de Pœnitentia sect. 5. n. 135. Arriaga Disp. 50. sect. 3. num. 18. & 19. Martinonus Disput. 52. sect. 4. à num. 36. Martinus Perez Disput. 18. sect. 7. num. 7. & alij. Consequentiam paritas suadet; & ideo Cardinalis de Lugo suprà num. 137. & 139. Arriaga, & Perez in locis citatis, Pellizarius in Manuali Regularium Tract. 5. Cap. 9. sect. 3. num. 70. expressè inquiunt, secundum modum esse probabilem, loquendo speculatiuè. Atque idem ipsum mihi videtur, quando necessitas, pro qua Missa cras petetur, est præsens tempore hodierno, quo Missa dicitur, nam si non sit præsens, non satis faciet Sacerdos postulanti Missam, dantique stipendium.

17 Dices, etiamsi necessitas sit iam præsens, fraudatur petens cras Missam fructu, quem perciperet, si post petitionem illa diceretur; fructu, inquam, responsuro ipsi vt quadantenus offerenti ratione petitionis, & eleemosynæ tributæ. Sed contrà, tum quia si Missa postuletur pro defuncto, qui in testamento eleemosynam designauit, non sequitur hoc inconueniens: tum quia non est defraudatio tanti momenti, vt obliget Sacerdotem ad restituendum, aut non admittendum stipēdium, cum saluus maneat fructus præcipuè intentus, & qui respondet ex opere operato Sacrificij ei, pro quo Missa à Sacerdote offertur. Dices rursus, modum hunc satisfaciendi petenti Missam, elargientique stipendium esse incertum, ideoque præsumendum esse defectum consensus in soluente eleemosynam. Sed contrà, quia nos non defendimus, esse certum, sed probabilem tantùm speculatiuè; & sic probabiliter speculatiuè præsumi potest, quòd in eum consentiat tribuens stipendium, quandiu ipse non manifestat suum dissensum. Addo, certitudinis carentiam compensari probabili anticipatione fructus. Dices iterùm, qui petit Missam, & dat eleemosynam, intendit sic disponere se meliùs ad suscipiendum Sacrificij fructum; quæ intentio inutilis erit, si fructus iam sit susceptus. Sed cōtrà, quia si anticipatio fructus sit speculatiuè probabilis, vt nos contendimus, probabile erit speculatiuè, quòd dans stipendium non intendat disponere se meliùs, nisi sub conditione non suscepti iam fructus: erit, inquam, probabile interim, dum ille non declaret suum animum de meliori dispositione ad fructum comparandum post elargitionem stipis.

18 Obijcit Pater Suarez Disput. 79. sect. 9. Vers. *Ex dictis colligo*, & cum illo Coninch 3. parte quæst. 83. art. 1. dub. 9. num. 168. Franciscus de Lugo Lib. 5. Cap. 3. quæst. 4. num. 35. Layman Lib. & Tract. 5. Cap. 2. num. 13. & 14. Sacrificij fructus non confertur à Deo iuxta ea, quæ præuidet futura, etiam absolutè, sed iuxta præsentem hominis intentionem, ac dispositionem, sicut Deus nec præmiat, nepunit ob merita, neque ob demerita nostra præuisa absolutè futura, sed ob merita, vel demerita nota existentia de præsenti. Respondeo, cum Deus reliquerit intentioni Sacerdotis applicationem fructus Sacrificij, & homo liber sit in habenda intentione effectus alicuius sub conditione veritatis præsentis, & rei futuræ, nihil mirum, si Sacrificij fructus conferatur à Deo iuxta ea, quæ præuidet absolutè futura, quādo Sacerdos assumit præuisionem diuinam vt conditionem ad applicandum eum fructum. Sic quia Deus reliquit intentioni Sacerdotis applicationem fructus Sacrificij, & homo potest pro suo libito intendere effectum aliquem sub conditione veritatis præsentis, & rei præteritæ, concedunt Aduersarij, conferri à Deo Sacrificij fructum iuxta ea, quæ nouit Deus absolutè præterijsse, quando Sacerdos assumit notitiam diuinam tanquam conditionem ad Sacrificij fructum applicandum. Ac sanè nullus est, qui neget, validam fore applicationem, si Sacerdos intenderet, & diceret sic, *Offero Missam hanc pro eo, quem Deus scit petijsse à me Missam anno præterito, & mihi tradidisse stipendium, quāquam iam non petat, nec velit, me esse obligatum ad eam ratione stipendij accepti*. Vnde elucet disparitas ad exemplum Dei præmiantis tantùm merita nostra præsentia, non autem futura, neque præterita reuocata, aut emor-

tua, quia scilicet Deus non reliquit intentioni liberæ hominum præmium meritorum nostrorum. Responsio præstita elucidatur exemplo Sacramenti Matrimonij, quod iuxta Thomam Sanchex Lib. 5. D. 8. de eo, cum multis alijs Doctoribus tam Theologis, quàm Canonistis, & Iurisperitis potest sub conditione de futuro intendi validè, volendo nimirùm, vt nullo repetito cõsensu fiat, si ponatur conditio. Cuius singularitatis inter reliqua Sacramenta ratio illa est, quia Christus voluit, vt Sacramentum Matrimonij sequeretur naturam contractus humani; possunt autem homines intentionem validam contrahendi habere sub conditione aliqua futura; ex cuius positione consensus externè expressus reddatur absolutus. Cum igitur applicationem fructus Sacrificij commiserit Deus intentioni liberæ Sacerdotis sacrificantis, & homo possit intendere aliquem effectum sub conditione veritatis præsentis, & rei futuræ, vel præteritæ, poterit consequenter Sacerdos applicare validè Sacrificij fructum ei animæ, pro qua petendam esse cras Missam noscat Deus, vel pro qua fuisse heri petitam, non lateat Deum. Cur autem Sacerdos non possit intendere validè Sacrificium sub conditione de futuro, ita vt velit fieri posteà, si ponatur conditio; nec Minister Sacramenti, quod non sit Matrimonij, possit intendere validè illud ipsum circa Sacramentum? alibi latè explicabitur; iamque suprà est expensum, cur nequeat intendere valide Minister siue Sacrificij, siue Sacramenti, vt posito siue vno, siue altero suspendatur effectus, qui respondet ipsi ex opere operato.

19 Franciscus de Lugo opponit secundò, Sacrificij applicatio debet fieri modo nobis accommodato, & proinde sine recursu ad diuinam scientiam nobis ignotam. Respondeo, fieri modo nobis proportionato, etiamsi conditio veritatis præsentis, videlicet cognitionis veræ diuinæ, à nobis ignoretur, quando fit applicatio, nam innotescit nobis posteà ex euentu sequenti, nempe ex facta petitione Missæ, & ex tradita eleemosyna, si applicatio fuerit in hunc modum, *Offero Missam pro ea anima iam in Purgatorij pœnis existente, pro qua Deus nunc sciat postulandum esse Sacrum die venturo, & stipem mihi esse exhibendam*, quia eo ipso quòd petatur cras Missa, & detur stipendium, inferimus, assumptam à nobis fuisse conditionem de præsenti veram, quando fecimus applicationem. Addo, non esse opus ad validam applicationem, vt assumatur à nobis conditio, de qua possimus scire naturaliter, quòd sit adimpleta, possumus enim applicare hoc modo, *Offero Missam pro Petro, si eius Pater est in Cœlo*; quæ applicatio erit valida, si Pater incolat Cœlum; sed id à nobis nequit naturaliter sciri: ideoque, si teneamur dicere Missam pro Petro ratione stipendij, vel alterius tituli obligatorij, debemus offerre aliud Sacrum sine ea conditione. Legatur Dicastillus Tractatu 1. de Sacramentis in genere Disput. 3. dub. 7. num. 162. vbi de confectione Sacramenti sub similibus conditionibus agit ingeniosè.

20 Tertiò obijciunt Coninch. & Franciscus de Lugo, fore, vt hodie collatus esset Petro fructus Sacrificij dependêter ab eius actu liberè cras futuro, & proinde cum potestate Petri ad talem actum eliciendum, & non eliciendum, atque adeò cum potestate ad faciendum, vt fuerit, & non fuerit collatus fructus ille, si applicationem sic conceperit Sacerdos, *Offero Missam hodiernam pro Petro, si Deus iam sciat, quòd postulabit à me cras Sacrum.* Videtur autem, absurda præfata potestas ad faciendum, ne fuerit collatus fructus Sacrificij, postquàm iam est collatus. Respondeo, eam potestatem non esse ad illud faciendum ex suppositione collati iam fructus; quo modo si non sit, non inuoluit absurditatem vllam; vt nec potestas Christi iam existentis ad faciendum, ne fuerit data antiquis Patribus gratia, quæ ipsis à Deo est concessa dependenter à meritis Christi liberis præuisis vt futuris. Vrget Arriaga Disputat. 5. de Euchar. sect. 5. num. 17. nam cum pro illo priori, quo Sacrificium offertur, debeat eius fructus conferri à Deo, nequit apponi à Sacerdote conditio aliqua vt necessaria, quæ tunc non videatur, sed tempore, & præuisione diuina sit posterior. Ita ibi Arriaga, tametsi in tomo de Pœnitentia elucubrato posteà mutarit tacitè sententiam. Et meritò, quia si

Sacri-

Sacrificium offeratur à Sacerdote sub conditione (id, quòd fieri non posse, nec Arriaga ostendit, nec potuillet ostẽdere) sequitur ineuitabiliter, vt ad erogationem fructus expectãda sit prœuisio diuina verificatæ conditionis, sub qua Sacerdos fecerit applicationem fructus. Et ea expectatio in cõditione, de qua loquimur, non est temporis, sed signi quasi naturę. Premit insuper Villalobos parte 1. Summę Tract. 8. Diff. 12. n. 2. quia si validum est, quod nos dicimus, erit etiam validum, offerre Missas de futuro pro ijs, qui de præsenti conferunt, stipendium. Respondeo, si pro oblatione Missæ de futuro in alterius commodum intelligatur applicatio fructus, seu exhibitio actu sequenda ante Missæ celebrationem, fore prorsus inualidam talem oblationem, nam non est in potestate Sacerdotis, ad Sacrificium anticipare fructum. Et nos non dicimus, esse in eiusdem potestate postponere ad illud, seu tenere pendentem, postquàm illud est peractum. Quare argumentum Villalobi non habet vllam contra nos efficaciam, sed contra eos, qui primum modum anticipatę intentionis amplexabantur.

21 Quartò opponit Layman aliud absurdum, scilicet fore cras in potestate Antonij, vt hodie ipsi collatus sit Sacrificij fructus, si sciat, Sacerdotem sic hodie concepisse intentionem, *Volo offerre pro eo, quem Deus sciat, petiturum cras à me Sacrum*, nam eo ipso quòd Antonio manifestetur intentio Sacerdotis, poterit moueri ad postulandum Sacrum. Respondeo, nullum esse absurdum in prædicta potestate, neque in eo quòd, præuidente Deo petitionem Antonij, collatus huic hodie sit Sacrificij fructus. Quæ petitio est vsus potestatis illius; sed non mouetur Deus ex illa vt meritoria ad conferendum hodie fructum Sacrificij, nam, vt supponoex Tractatu de Merito, Deus non præmiat ex natura rei meritum finitum, vt præuisum absolutè futurum, sed tantùm vt cognitum absolutè existens. Quare petitio crastina Antonij est pura conditio ad hodiernam collationem fructus Sacrificij.

22 Quintò obijcitur declaratio Cardinalium transcripta in num. 12. Responderi potest primò, damnari in ea primum modum intẽtionis anticipatæ, non verò hunc secundum. Non acquiesco, tũ quia verba declarationis, *Missam celebrantis, eius valorem generalem applicabant*, videntur intelligenda, quatenus Sacerdotes illi, siue inter celebrandum, siue post, facerent applicationem: tum quia finis declarationis fuit, ne, qui de præsenti non habent stipendium traditum, aut promissum pro Missis, referrent intentionem suam in eos, qui de cætero præbituri essent illud, aut promissuri. Si autem hæc responsio admittatur, non obtinetur finis ille respectu saltem Sacerdotum, qui prudenter, vel potiùs callidè sciant concipere intentionem anticipatam. Hinc in Antonio Ferdinandez de Moure deleri iubentur per Expurgatorium sanctæ Inquisitionis Hispanę verba exprimentia secundum modum sine cautelis, quas nos exhibuimus, cum tamen in alijs, qui, vt ille Author, scripserunt post eam declarationem, non imperetur expunctio, quia magis circumspectè loquuti sunt. Responderi secundò potest, reprobari solummodò consuetudinem Sacerdotum, qui (vt ibi dicitur) *Missam celebrãtes, eius valorem generalem applicabant ijs, qui posteà celebrationem postulaturi, ac pro eo eleemosynam præbituri essent*; non verò Sacerdotum, qui quo tempore facerent Sacra, applicarent valorem specialem, seu medium pro personis præfatis, & non tantùm generalem. Nam applicatio huius solius satis nõ est in stipendiario Sacerdote. Vbi sciendum est, Theologos post Scotum in Quodlibeto 20. distinguere triplicem Sacrificij fructũ, alium generalem, alium specialem, seu medium, alium specialissimum. Primus cedit omnibus, pro quibus Ecclesia vult offerri Missam. Secundus personæ, pro qua nominatim illa offertur à Sacerdote; & huiusmodi fructum appetit, postulatq; iure suo, qui stipendium confert. Tandem tertius cedit ipsi Sacerdoti celebranti. Igitur cum secundus modus, vt à nobis hactenus est defensatus, non sistat in applicatione anticipata valoris generalis, neutiquam lęditur ex declaratione. Thomas Hurtado tomo 1. Resolutionum Moralium in 14. Tract. 2. num. 130. indicat hanc responsionem. Contra quam facit, quòd in Theologis Hispanis, ex quorum opinione introduci cæperat, & inualescebat consuetudo Missarum anticipatarum, nullum extet

vestigium applicandi in eis Missis fructum solummodò generalem ; & quòd tam in anticipatis , quàm in celebratis post petitionem fidelium, postque promissionem, aut collationem stipendij, æqua esset ratio damnationis , si solus fructus generalis applicaretur. Quare ibi nomine *valoris generalis* videtur significatus, tam qui sic vocatur à Theologis , quàm qui specialis , seu medius. Responderi tertiò potest, non constare ex declaratione, inualidam esse, neque illicitam speculatiuè celebrationem ex anticipata intentione cum spe stipēdij; sed quòd in praxi non sit vsurpanda, vt pote periculosa, scandalosa, atque noua. Et ita videtur intelligi declaratio à Cardinali de Lugo suprà num. 138. vbi ait, *Meritò ergo prohibetur in praxi illa applicatio tot periculis exposita. Vnde ipsimet Authores primæ sententiæ fatentur , illam in praxi debere à Prælatis prohiberi*. Ita sapientissimus Theologus, quem imitati sunt Rodericus Arriaga, & Martinus Perez suprà. Neque obest Leandri Tract. 8. D. 4. q. 19. seu potiùs Marchini Tractatu 3. de Ordine parte 2. C. 31. n. 7. argumentum ad homines, * Si res ista est iusta, & hæc sententia probabilis, cur non poterimus in praxi sequi? * Non, inquam, obest, nam multa sunt speculatiuè probabilia, quæ non conuenit deduci ad praxim ob pericula , quibus sunt exposita, vel ob scandala inde prouentura, vel ob nouitatis inuidiam. Ipse Leander in eadē D. q. 4. & 5. ex Marchino suprà C. 16. num. 18. C. 21. num. 2. fatetur, prohibitum esse ab Vrbano Papa VIII. aliquid, quod sibi anteà videbatur æquè probabile, imò longè probabilius, quàm oppositum. Vel ergo anteà Leander ingentem deceptionem patiebatur, vel illud, quod in praxi vetuit Vrbanus, mansit adhuc probabile, aut etiam probabilius speculatiuè ; quanquā ego id non dicerem de opinione prohibita à Summo Pontifice , nisi simul adderem, non fuisse à me benè iudicatum anteà, quando maiorem probabilitatem sententiæ contrariæ attribuebam. Responderi quartò potest , declarationem eò respicere , ne ob lucrandum stipendium posteà, si desit de præsenti, cum celebrantur Missę , applicet has Sacerdos pro ijs, qui promisso, vel tradito stipendio sunt deinceps illas petituri , nam talis modus applicandi præfert lucri turpis speciem; quicquid sit, an tunc validus censeri possit ; & an etiam licitus, quoties ob Missas anticipatè celebratas non expectatur stipendium , vel saltem quoties absq; obligatione dicantur pro eis personis, quibus applicantur à Sacerdote. Tam quarta hæc, quàm tertia responsio genuinæ videtur. Secunda autem, & prima possent forsan satisfacere verborum sono, sed non menti declarātium. Omisi, dicere declarationem nō esse certam. Censeo namque præditam esse morali omni, quæ requiritur, certitudine, factamque fuisse ab Eminētissimis Cardinalibus Interpretibus Concilij Tridentini de mandato Summi Pōtificis, & de eo Missam in Hispaniam, vt persuadēt, quæ notaui in num. 12. Omisi etiam, dicere, declarationes doctrinales, à Sacris Cardinalium Congregationibus Romæ emanatas , etsi magnæ sint authoritatis, nec ab eis sit recedendum sine firmissimo fundamento, carere tamen vi obligandi , etiamsi confirmentur à Summo Pontifice, interim dū hic non pronunciat, *Volumus, & decernimus*, simili ve alio modo. Quæ est sentētia Brunonis Chassaing Tract. & C. 1. de Regularium priuilegijs , propos. 3. pro qua Antoninus Diana par. 11. Tractatu 2. Res. 42. citat etiam Verricellum. Sed crediderim, neque Brunonē, neque Verricellum loqui casu, quo Cōgregatio de mandato Summi Pontificis promulget , aut iubeat promulgari , & obseruari aliquid, vti accidit in casu nostro respectu saltem Hispaniæ , nam post verba exarata in num. 12. sequūtur hęc, *Atque Amplitudini tuæ litteras dari, quod facimus, mandauit* (Sūmus Pontifex) *vt omnibus illius Regni* (Hispaniæ scilicet) *Archiepiscopis, atque Episcopis, in quorum Diœcesibus huiusmodi applicatio in vsum inducta fuerit, per litteras, aut aliàs scripto iniungat, vt talem vsum aboleant, ac prohibeant excommunicationis, atque alijs , quas opportunas, & necessarias existimauerint, pœnis. Idemque præcipiat Generalibus, & Capitibus Ordinum :: Quæ omnia pro sua pietate, & Sanctissimi Domini nostri iussui obsequendi studio Amplitudinem tuam sedulò effecturum sperantes, &c.* Sic ibi. Quapropter duorum illorum Authorum opinanatio locum in nostro casu non haberet, etsi vera aliunde esset; cuius diiudicatio nō est huiꝰ tēporis. Et huc vsq; ad exercendum ingenium in secundo modo intentio-

tentionis anticipatæ, & non vt eum velim suadere alicui in praxi, etiam quãdo sine respectu ad stipendium, aut sine obligatione esset offerendum Sacrum pro aliquo. Vtquid enim Sacerdos eligat applicationem adeò litigiosam, & difficilem? Vtquid Sacrificij ex opere operato fructum exponat discrimini tã manifesto? Certè turius est id, in quo *nullum*, quàm id, in quo *magnum periculum timetur* iuxta Cap. *Significasti* 18. de Homicid.

23 Ex dictis infertur, quid iudicandum sit de Sacerdotis intentione, vt Sacri à se celebrandi fructus prosit ei personæ, quam determinet Prælatus, aut tertius alter; nam si persona sit capax, aut indigens tunc, quando fit Sacrum, lucrabitur illa fructum, casu quo determinatio facta sit à Prælato ante tẽpus Sacri, aut ipsomet tempore. Si verò determinatio fieret post Sacri tempus, applicatio Sacerdotis esset inualida, siquidem Sacrificij fructus nequeat manere suspensus. Sed iuxta secundũ modum anticipatę intentionis posset esse valida personæ iam existenti, seu pro necessitate iam præsente, si Sacerdos sic intenderet, & diceret, *Offero Sacrum pro ea persona, aut necessitate, quam Deus iam scit, Prælatum meum determinaturum cras.* Sic Meratius D. 38. sect. 8. V. *Dicendum secundò,* cum Corduba, & Vazquio.

24 P. etiam Layman suprà infert ex sua doctrina * Sacerdotem Societatis non satisfacere, qui per anticipationem Sacrificia Deo offert pro fũdatoribus Domuum, aut Collegiorum, quorum nomina tanquam defunctorum posteà promulgabuntur, si eorum mors accidit, postquàm Sacrificia celebrata fuerunt; satisfacit tamen, si mors contigit ante Sacrificia peracta, licet sacrificanti ignota fuerit. * Quòd corollarium quoad vtramque partem placet Pellizario in Manuali Regularium Tractatu 5. Cap. 9. sect. 1. n. 14. Hermaño Busembaum in Medulla Theologiæ Moralis Lib. 6. Tract. & C. 3. dub. 2. Gratum etiam nobis est. Et quoad secundam vix differt modus ille offerendi, & satisfaciendi ab eo, quem ad satietatem discussimus in superioribus, nam offerre pro fundatore iam defuncto re apse, sed nobis ignoto tunc, nec noscendo, vsque dum promulgetur in commonitorio suffragiorum, perinde est, atque offerre pro eo, pro quo Deus iam scit, Generalem Societatis admoniturum Socios, vt persoluant Sacra fundatoribus defunctis debita iuxta Constitutiones Societatis.

SECTIO II.

Plura de Intentione requisita in Sacerdote.

25 Disputari quartò potest,

An intentio, & applicatio Sacerdotis sit valida, quando Sacerdos offerat Sacrum pro ea anima, quam Deus, vel homo designet, & eligat apud se?

RATIO dubitandi desumitur ex paritate intentionis, quæ in Ministro Sacramenti requiritur, vt cõficiat illud, debet enim fieri ad determinatam materiam, aut subiectum. Sed disparitas est manifesta, nam applicatio Sacrificij non fieri debet, demostrando ad exteriorem sensum personam, pro qua offertur Sacrificium, ideoque potest esse valida, etiam si persona sit ignota applicanti. Ast confectio Sacramẽti debet fieri formæ verbis demonstrantibus sensui exteriori materiã, aut subiectum, & idcirco intentio conficiendi Sacramenti non potest esse valida, nisi materia, aut subiectum, vt determinatũ in individuo, sit notum intendenti conficere. Præterea non est omnino certũ, & cõstans apud Theologos exemplum, quod adducitur, nam Coninch 3. parte q. 74. art. 2. Dub. 3. n. 37. existimat, valituram consecrationem, si Sacerdos velit ex decem hostijs, quas habeat in conspectu, consecrare quinque sibi quidem ignotas, sed iam à Deo designatas; quia si non sint iam designatę, existimat Coninch, nõ valituram consecrationẽ, alioqui hæc remaneret pendens vsque ad determinationem, quam Deus faceret quinque hostiarũ post transacta verba consecrationis; quę suspensio est impossibilis. Sed certè ea euitaretur, si Sacerdos intẽderet cõsecrare quinque, quas Deus iam sciat, fore à se designandas; sicut suprà dicebam, euitandam suspensionem absolutionis, si Sacerdos intende-

intenderet absoluere sub conditione, quòd Deus iam nosset, Petrum cras restituturum; & vt etiam aiebam, non remansurum in pendenti fructum Sacrificij, si à Sacerdote applicaretur ei, quem eligendum esse à Deo, aut à Prælato, verum iam sit de præsenti.

26 His vtrinque tentatis, resolutio quæstionis sit affirmatiua, quia etsi ad Sacerdotem spectet applicatio fructus Sacrificij, præstatur ea sufficienter à Sacerdote referente intentionem suam in intentionem, electionemque Dei, aut alterius hominis. Neque opus est, vt Sacerdos cognoscat personam, cui applicatur Sacrificij fructus. Ita Suarez D. 43. sect. 6. V. *Et hinc sequitur primò*, Trullench L. 3. de Sacramentis C. 8. dub. 6. n. 8. Bonacina D. 4. q. 2. puncto 5. n. 10. Dicastillus Tract. 4. D. 2. Dub. 12. n. 220. alijq; communiter. Sed discordant nonnihil Vazquez Disp. 141. C. 1. n. 7. & Meratius D. 38. sect. 8. V. *Tertia quæstio*, putant enim in eo casu, quo Sacerdos offerret Sacrificium pro illa anima, cui Deus vellet, illud prodesse, nisi ampliùs designaretur, non profuturam applicationem illam quamcumque Sacerdotis, quia ipsius est, & non Dei applicare intentionem offerendi Sacrificium, vt alteri proficiat. Daretur verò penes Vazquiũ, & Thomam Tamburinum L. atque Cap. 2. de Missa §. 9. n. 17. necnon penes Verricellum laudatum à Diana parte 11. Tractatu 6. Resol. 36. amplior ea designatio, si Sacerdos offerret Sacrificium pro illa anima, quam Deus noscat, eo magis indigere. Sed contra, quia altera designatio à Sacerdote facta, etsi sit minor, quàm quæ à Vazquio conceditur esse sufficiens, non est, cur non sit etiam satis, iam enim Deus non ex mero suo arbitrio, sed ex voluntate etiam Sacerdotis applicabit Sacrificij fructum, siquidem quòd eum applicet animæ, cui voluerit, proueniat ex intẽtione Sacerdotis. Quo casu aliter se gerit Deus, quã si applicaret Sacrificij fructum pro mero suo libito, non habens respectum vllum (si sic fari licet) ad Sacerdotis intentionem. Et dummodò dependenter ab intentione Sacerdotis conferatur à Deo fructus prædictus, manet abundè tectum, sartumque Sacerdotis munus quoad applicandum fructum illum. Si obijciatur, Ministrum conficientem Sacramenti Eucharistici debere dirigere intentionem suam ad materiam definitam, ac determinatam respectu ipsi-met conficientis, quin sufficiat, quòd alius eam definiat, ac determinet. Ita quidem est, vt & quòd materia debeat esse sensibiliter præsens conficienti, cũ tamen persona, pro qua offertur Sacrificium, nullatenus debeat sic præsens esse Sacerdoti. Ratio autem discriminis iam suprà est proposita. Adijcio aliam; quòd Minister conficiendi Sacramenti Eucharistici agat immediatè, & proximè per intentionem suam, & verba; ideoque opus est, vt ipse determinet materiam, circa quam, vel ex qua conficiendum est Sacramentum. Ast idemmet, vt Minister applicandi fructus Sacrificij, nõ agit immediatè, & proximè eum fructum; sed Deus illum agit, attẽta intentione Sacerdotis. Notauit acutè hoc discrimen Bonacina suprà.

27 Disputari quintò potest,

Num intentio, & applicatio fructus Sacrificij, quocumq; tempore à Sacerdote fiat, prosit?

RRespondeo primò, non prodesse, si fiat post celebratam Missam, imò & post peractum essentialiter, ac substantialiter Sacrificium, quia deinceps Sacerdos non sustinet personam Christi, vt eius nomine dispensset Sacrificij fructum ex opere operato, provt inquit Coninch 3. p. q. 83. art. 1. dub. 9. n. 167. & quia, provt ait Suarez D. 79. sect. 9. Versic. *Tertiò inquiri potest*, * Sicut Sacramentum solùm est in potestate Ministri pro tempore, & momẽto, quo conficitur, & tunc habet effectum, qui nõ potest suspendi à Ministro; ita Sacrificium est sub potestate, & intentione Ministri, quandiu offertur, & tunc debet applicari, & habere effectũ, qui non debet suspendi arbitrio, vel incuria Ministri; & ideo si hac de causa semel careat effectu, iam non est in potestate Ministri applicare illud: quia nõ est institutum, vt operetur, nisi dum fit, seu existit suo modo; & ideo Sacerdos nullum adquisiuit ius, vt Sacrificium iã præteritum applicet ad operandum. * Sic perdoctè Suarez. Vnde non satisfaciet obligationi iustitiæ, similive alij

Sacerdos,

Sacerdos, qui Missas anteà dictas sine speciali applicatione velit posteà prodesse ijs, quibus applicare tenetur Sacrificij fructum.

28 Respondeo secundò, si sumptio consecratarum specierum non pertineat ad essentiam, neque ad substantiã Sacrificij, applicatio huius, vt valida sit, debet fieri ante consecrationem calicis; sufficiet autem, quòd fiat ante sumptionem, si hæc spectet ad essentiã, aut ad substantiam Sacrificij. Sed de pũcto hoc iam egimus in D. 3. n. 37. Nunc addimus, curandum esse, vt applicatio fiat ante consecrationem, præsertim quando ad Missę applicationem pro alio datur obligatio, cum enim tam probabile sit, sumptionem non esse de essentia, neque de substantia Sacrificij, sed hoc essentialiter, ac substantialiter saluari in consecratione, Sacerdos applicans Missam post consecrationem exponet se periculo valde probabili non satisfaciendi suę obligationi. Quę si sit ex iustitia ob acceptum stipendium, Diana parte 10. Tract. 12. Resolutione 27. affirmat, teneri Sacerdotem ad restituendum illud, aut ad celebrandam aliam Missam, cuius applicationem faciat ante consecrationem, nam qui dat stipendium certum, vult applicationem Missæ certam, liberamque à varietate opinionum. Et in simili casu de Sacerdote consecrãte vnam solam speciem arguit Diana p. eadem, Tract. 16. Resol. 63. vt probet, non satisfacere obligationi contractæ ex accepto stipendio, si applicet eiusmodi Sacrificium, quandoquidem non sit certum, esse verum, & propriũ Sacrificium. Præterea idem Author Resol. 88. ductus eadem ratione ait, eũ qui in Ordinatione Sacerdotali tetigit calicem, & non patenam, peccare contra iustitiam, si dicat Missas ex stipendio non ordinatus denuò sub conditione, cũ non sit certum, sed solummodò probabile, quòd verè sit Sacerdos, verèque sacrificet, qui in Ordinatione solum calicem attrectauit. Sed hoc argumentũ probat nimis, inde enim sequeretur, Sacerdotem, qui offert pro aliquo Sacrificium cum applicatione tantùm habituali, aut cũ applicatione facta post oblationem panis, & vini, non satisfacere oneri accepti stipendij, nõ enim est certum, sed probabile solummodò, quòd applicatio habitualis sufficiat, vt fructus Sacrificij ex opere operato communicetur alteri; neque item est certum, sed tantùm probabile, quòd Sacrificij essentia non constituatur partialiter ex oblatione hostiæ, & calicis; quòdque applicatio facta post essentiale aliquid Sacrificij non sit in irritũ. Præterea sequeretur, obligationi certæ ex iustitia nunquàm satisfieri per solutionem probabilem tam speculatiuè, quàm practicè, neque per solutionis modum vtraq; illa consideratione probabilem; sed semper requiri solutionem certam, & indubitatam, modumq; solutionis certum, atque indubitatum. De hac tamen difficultate iam diximus aliquid in D. 8. n. 10. gratumque erit, legere Marchinum Tract. 3. de Ordine parte 2. C. 17 à n. 4.

29 Respondeo tertiò, non debere fieri applicationem, vt valida sit, ante, vel simul atque fit quidpiam pertinens ad essentiam Sacrificij; satis est, si fiat applicatio, antequã finiatur omne, in quo consistit essentia Sacrificij, aut quod attinet ad eius substantialem integritatem. Ratio est, quia cum Missæ ex opere operato fructus non conferatur, antequàm Sacrificium sit perfectum essentialiter, ac substantialiter, cumque eò vsque Sacerdos operetur in persona, & nomine Christi, superest adhuc tempus, & locus, vt ipse applicet fructum Sacrificij, quandiu hoc non est omnino absolutum, & finitum, seu quãdiu verum non est, iam desijsse, & transactum esse. Vnde sapienter scripsit Hẽriquez L. & Cap. 9 §. 4. ✻ Non datur ex opere operato fructus, effectusque Sacrificij, nisi facta consumptione, quæ est signum diuinæ acceptationis, in quo fit realis applicatio Sacrificij ex Christi institutione. Vt Eucharistiæ Sacramẽtum non confert proprium effectum sine vsu, & sumptione. Quare si celebrãs decedat ante consumptionem, vt sibi non recipit gratiam, aut alium fructum ex opere operato; ita nec alijs, pro quibus offerre cæpit, confertur ex opere operato fructus satisfactionis, aut impetrationis. Sic merita Christi sine cõsummatione Sacrificij cruenti per mortem (de qua Matthæi 27. *Consummatum est*) non sunt de facto acceptata à Dèo tanquam efficacia ad apertionem Cœli. ✻ Hactenus Henriquez, cum quo consentire videtur Amicus D. 33. sect. 3.

sect. 3. n. 70. dicens, * Non compleri essentialiter hoc Sacrificium, nisi per sumptionem, atque adeò tunc, & non ante participari fructum ipsius, quia nō datur fructus ex opere operato, nisi cōpleto Sacrificio. Vnde si quis moreretur ante sumptionem, non participaret effectum Sacrificij; cuius fructus tunc participaretur, quando ab alio Sacerdote compleretur, qui simul cum præcedente facit vnum. *

30 Ex quibus apertè colligitur primò, Sacerdotem, qui à consilio prętermittat aliquid pertinens ad essentiā, substantiamve Sacrificij, non satisfacere obligationi, quam habeat offerendi, applicandique illud pro aliquo.

31 Colligitur secundò, Sacerdotem, qui à consilio, vel ex obliuione omisit applicationem ante consecrationem hostiæ, posse ante consecrationem calicis supplere omissionem, & cum *Nemo eam sibi legem posit dicere, vt à priori voluntate ei recedere non liceat*, vt dicitur l. *Si quis in principio ff. de Legatis* 3. posse etiam Sacerdotem, qui ante consecrationem hostiæ adhibuit applicationem pro Petro, reuocare eam, & ante consecrationem calicis adhibere nouam pro Paulo; cui, & non Petro, communicabitur Sacrificij fructus ex opere operato. Ita Thomas Tamburinus Lib. & Cap. 2. de Missa §. 10. n. 5. addens à fortiori in §. 11. n. 2. Sacerdotem applicantem hodie Missam crastinam pro Petro, si cras reuocet illam applicationem, cuius memor sit, & instituat aliā pro Paulo, fore vt hęc alia pręualeat. Ita etiam Dicastillus Tract. 5. D. 3. dub. 7. n. 175. Sed aduertendum est, nec Paulo, nec Petro conferendum Sacrficij fructum, si Sacerdos, recordatus prioris applicationis, velit, non reuocare eam, quando posteriorem facit, nam in hoc casu nihil intendet, cum intendat impossibile, id est, totum fructum cōmunicari Petro, & non alteri, totum communicari Paulo, & non alteri. Sermo est namque de applicationibus totalib⁹; quia si de partialibus, dicerem, diuidi fructum inter Petrum, & Paulū. Rursʾ aduertendum est, si Sacerdos intendat applicare Missam pro Paulo, ita vt velit expressè, quòd si contingat obliuiscitalis applicationis, & aliam pro Petro posteà efficere, non prævaleat hæc, sed prior, censeri à Cardinali de Lugo D. & sect. 8. de Sacramentis n. 121. Tamburino suprà §. 11. num. 5. &. 6. Dicastillo Tract. 1. D. 3. dub. 8. n. 168. & 171. Bernali D. 17. de Sacramentis sect. 2. §. 7. n. 78. potentiorem fore re ipsa apud Deum applicationem priorem eo modo conceptam, nisi per posteriorē expressè reuocetur: argumento textus in l. præcitata, vbi testamentum cum clausula derogatoria alterius, quod fieri possit, obtinet, nisi in subsequenti apponatur clausula cum specialibus, vel generalibus saltem verbis reuocatoria prioris. Vtitur etiam Sapientissimus Cardinalis exemplo testamenti, vt si prior applicatio facta sit sine reuocatione alterius, quę possit fieri, dicat è cōtrà, prævaliturā posteriorem, sicut euenit in nouiori testamēto, si in antiquiori non sit adiecta clausula derogatoria. Sic ad num. 24. Discordat autem ab ipso Tamburinus, censens in n. 8. validiorē fore applicationem priorem, quia Paulus, qui *prior est tempore* quoad applicationem pro ipso, *potior est iure, de Reg. iuris in 6.* cum aliunde nihil obsit contra eū. Sed quis, salua pace doctissimi vtriusq; Theologi, censere posset, posteriorē applicationē potentiorem fore apud Deū, nam ea est implicitè reuocatoria prioris: quemadmodùm voluntas deliberata promittendi hodie aliquid Deo esset virtualiter retractatio voluntatis heri habitæ de non vouendo quidpiam ipsi die sequente. Vel certè si applicatio posterior non reuocat implicitè priorem, neque prior proderit Paulo, neque posterior Petro, vt dixi in antecedenti animaduersione, & repetam ad finem præsentis. Exemplum testamenti non cōuinceret, ideo enim in secūdo requiritur clausula reuocatoria primi, si hoc confectum fuit cum clausula derogatoria subsequentium, quia aliter testator censebitur oblitus primi, & non reuocaturus illud, si in mentem veniisset: cui præsumptioni attenderunt leges, & cū falsa non sit, sed similis vero, iudicandū iuxta eā est in foro etiam interno. Hæc verò ratio non valet in valore applicationis Missæ apud Deum. Debetque à Cardinali de Lugo agnosci discrimen inter testamentum, & applicationem Missæ, nam testamentum secundum sępe non reuocat primum, etsi hoc re apse non habeat adiectam clausulam derogatoriam posteriorum, vt patet in testamento,

mento, quod fuerit confirmatum iuramento promissorio, & in condito inter liberos, & ad pias causas, quia, vt docet Molina tomo 1. de Iustitia, & iure, Tractatu 2. D. 153. ex n. 17. huiusmodi testamenta censentur moraliter, ac si haberent clausulam reuocatoriam. At si prior applicatio Missæ re ipsa expressè non velit derogare posteriori, reuocabitur per istam iuxta Lugum. Neque item conuinceret ratio Tamburini, nã anterioritas tempore nihil hic iuvat, sed sola applicatio præsens. Si opponeretur, posteriorem applicationem non reuocare priorem, siquidem possent simul existere. Responderet, posse ex errore, & ignorantia duas applicationes totales pro Paulo, & Petro concipi simul; sed tunc neutram profuturam. Propendeo magis in opinionem Lugi.

32 Colligitur tertio, si vnus Sacerdos consecret hostiam, & alius calicem, pertinere ad posteriorem, vt applicet Sacrificium, siquidem posterior compleat, & perficiat illud; nec tenebitur posterior conformare se intentioni prioris. Ita Vazquez D. 231. C. 6. n 41. Dicastillus suprà, n. 174. Gaspar Hurtadus D. 3. de Sacrificio, Diff. 10. Meratius D. 38. S. 8. V. *Alterum est*, Caspensis Tractu 22. D. & sect. 2. n. 21. Castro Palao Tract. 22. D. vnica, puncto 6. n. 16. Consonat Suarèz D. 79. sect. 12. V. *Sed tunc occurrit*, quatenꝰ saltem applicatio posterioris efficacior sit futura, & habitura effectum: inclinat tamen magis in id, vt posterior debeat (quanquam non sub obligatione graui) conformare suam intentionem cum ea, quam conceperit prior. Assentitur Suario Amicus D. 33. sect. 7. n. 276. & in sect. 3. n. 70. notarat, stipendium Missæ pertinere ad posteriorem, qui cõsecret sanguinem, cõsumatque ipsum, & corpus, non autem ad priorem. Hæc autem adnotatio subinfertur perspicuè ex proxima nostra illatione. Sed numquid prior satisfaciet obligationi ex iustitia ob acceptum stipendium, si absque culpa sua non perficit Sacrificium, quod applicuerat pro Petro, à quo acceperat stipendium? Videtur satisfeciſſe, cum fecerit, quantũ ex sua parte potuerit. Nihilominus cẽseo, ratione stipendij accepti teneri ad applicandum aliud Sacrum pro Petro, nisi is postulauerit Sacrum dicendum eo determinato in die, in quo Sacerdos citra culpam suam non potuit perficere illud ob repentinum casum ęgritudinis, aut incursus hostium. Tunc enim valet ratio in contrariũ allata. Sed quid rursus, si vnus Sacerdos consecret vtramq; speciem, & alter in eius defectu sumat vtramque, vel vnam, cuinam competeret stipendium Missæ? Amicus ait in illo n. 70. competere priori. Verba ipsius sunt immediatè sequentia ad exarata in n. 29. * Fructus tamen illius, (id est Sacrificij, quod fuisset prosequutus vnus Sacerdos vsque ad consecrationem vtriusque speciei, & alter perfeciſſet consumptione vtriusque, vel vnius tantùm) probabiliùs obuenturus esset precedenti, cuius fuit victima, & vice cuius sequens consumeret: vnde illi, non isti competeret stipendiũ pro Missa acceptum. * Hæc ille, quibus similia repetit sect. 7. n. 275. Sed non sunt concordatu facilia cum transcriptis in n. 29. Mihi videtur, si applicatio Sacrificij subsequens consecrationem vtriusque speciei, & antecedens sumptionem valida sit, vt probabiliter dixi cum Henriquez, & cũ eodemmet Amico in illo n. 29. fore, vt stipendiũ responderet posteriori Sacerdoti. Quod iudicium conforme est illationi tertiæ; quanquam fatear, potiorem esse rationem in posteriori consecrante vnam speciem, & in eo etiam, qui non vnam tantùm, sed duas consumeret, cum tamen neutram consecrasset.

33 Disputari sextò potest.

Ad quem Sacerdotem pertineat applicatio fructus Sacrificij, quando plures Sacerdotes eandem celebrant Missam?

VT contingit in Ordinatione Sacerdotum, & in consecratione Episcoporum, & apud Græcos in celebratione Episcopi, cum quo Presbyter simul consecrat; olim etiam *consueuerunt Presbyteri Cardinales Romanum circumstare Pontificem, & cum eo pariter celebrare*, vt inquit Innocentius III. L. 4. de Sacro altaris Mysterio C. 25. à quo, & à veritate deviat Albertus Magnus Dist. 6. de Euch. Tractatu 4. C. 2. n. 17. affirmans, *Plures Sacerdotes simul nec debere, nec*

nec posse simul vnam conficere hostiam. Respondet Vazquez suprà num. 40. ✻ Ad quemlibet illorum perinde pertinere applicationem illius, ac si solus esset, eo quòd vnusquisque eorum verè consecrat, non vt partialis, vt aiunt causa, sed vt totalis; ac proinde ad ipsum sine alterius voluntate pertinet, hoc Sacrificium integrè applicare, cui voluerit: cumque effectus illius infinitus sit, perinde proderit illis, quibus à singulis Sacerdotibus applicatur, ac si ab vno solo Sacerdote vni tantùm applicaretur. ✻ Sic Vazquez, subscriptus à Meratio D. 38. S. 8. V. *Supereſt*, cuius verba transcribit, & approbat Diana parte 5. Tractatu 14. Resolutione 112. Consonant Dicastillus suprà n. 173. Filliucius tom. 1. Tract. 5. n. 96. Auersa q. 11. sect. 9. V. *Septimo demum*, cum Alfonso de Leone, Calpensis Tract. 22. D. & sect. 2. n. 21. Cardinalis de Lugo D. 19. sect. 12. n. 252. Franciscus de Lugo L. 5. C. 4. q. 9. n. 82. Gaspar Hurtadus Disp. 3. Diff. 10. Coninch 3. p. q. 83. art. 1. dubio 10. n. 191. & copiosiùs omnibus P. Suarez D. 79. sect. 12. V. *Hic verò potest.* Responsio Authorum, quos citaui, & nostra confirmatur exinde, quod fructus Sacerdoti offerenti respondens in Sacrificio celebrato sine consortio aliorũ Sacerdotum coofferentium, participatur æquè integer ab ipso, quando cum alijs sacrificat, vt sentiunt communiter Theologi, nosque diximus D. 8. sect. 3 & 4. Ergo similiter integer participabitur fructus, qui ex opere operato Sacrificij respondet personæ, pro qua offertur per vnum Sacerdotem, quanuis idem Sacrificium offeratur per aliũ Sacerdotem pro alia persona. Et ita constanter affirmant prælaudati Theologi, quorum plerique antiquiores sunt Augustino Bernali. Vnde mirabile est, hominem, alioqui valde versatũ in legendis Authoribus, scripsisse D. 45. de Eucharistia, sect. 2. §. 2. n. 12. nouam esse difficultatem, & à nemine (quem ipse nouerit) tactam, cuinam ex tribus personis conferretur fructus satisfactorius Sacrificij, si Episcopus in Ordinatione Sacerdotum offerret Missam pro vna, & duo Sacerdotes pro duabus alijs diuersis? Mirabile, inquam, est, cum Suarius, & Vazquius, qui omnium manibus teruntur, non solùm iam attigissent, sed etiam exantlassent eam difficultatem.

34 In qua Bernal censet primò, æquum esse, vt noui Sacerdotes referant intentionem suam applicantem Sacrificij in intentionem Episcopi principaliter celebrantis, proindeque in eius personæ vtilitatem velint cedere fructum, quam Episcopus mente sua elegerit, aut verbis expresserit. Existimat secundò, si Neopresbyteri non gerant se modo prædicto, sed velint applicare Missam pro distinctis personis, adhuc prævalituram applicationem solam Episcopi. Censet tertiò, si contingeret, Episcopum non consecrare, quia Neopresbyteri præcurrissent in prolatione verborum consecrationis, quin habuissent intentionem non consecrandi, si priùs, quã Episcopus, absoluissent verba, tunc fructum Sacrificij diuidendum esse ex æquo inter duas personas, quarũ singulis illi applicuissent Missam.

35 Sed certè Bernal implicat se absque causa tribus nouis nodis, vt se explicet ab vno. Nam quod tertio loco dicit, quodque Granados Controu. 6. Tract. 14. D. & sect. 4. n. 23. approbat, impugnatur efficaciter; si enim quilibet ex Neopresbyteris sic est consecrãs, & offerens, vt non dependeat ab alio, tantam efficaciam habebit cuiuslibet applicatio in ordine ad Sacrificij fructũ, quantam haberet, si solus consecraret, & offerret. Nec est potior ratio, vt diuidatur effectus Sacrificij, & non ipsa cõsecratio, ita vt ex hostia debeat vnus cõsecrare vnam partem, & alius aliam; cuius partitionis necessitas est prorsus absurda. Prætereà quid dicet Bernal de fructu respondente Neopresbyteris, vt offerentibus? Quid item de fructu respondente etiam Laicis, vt suo modo coofferentibus, quando assistunt Sacro celebrato ab vno solo Sacerdote? Num Neopresbyteri minorem fructum reportant, quàm si vnusquisque seorsim celebraret? Num homo Laicus ob consortium cum alio in audienda Missa refert minorem fructum, quàm si solus eam audiret? Minimè quidem. Et ratio est, quia cum Missa prædita sit valore ad fructum syncategorematicè infinitum extensiuè, potest tantundem prodesse singulis, quantùm si ab vno solo celebraretur, aut audiretur.

36 Iam illud, quod secundo loco Bernal dicit, impetitur non minus valenter, tum quia Neopresbiteri gaudent

dent æquali potestate ad offerendum Sacrificium pro viuis, & defunctis, ac ipse Episcopus. Ergo non est, cur debeat prævalere huius intentio, si illi seriò velint applicare Sacrificium pro diuersis personis, aut animabus Purgatorij, & non referant intentionem suam in intentionem Episcopi, neque vnus in alterius. Tum quia sicut intentio Episcopi quoad consecrationem non debet prævalere, ita neque quoad applicationem fructus Sacrificij. Quare sicut per potestatem à Christo iam acceptam possunt Neopresbyteri consecrare validè, poterunt etiam validè offerre pro persona, aut personis sibi placitis.

37 Illud verò, quod primo loco ait Bernal, cogitatur proprio ex Marte, nam neque ex Ecclesiæ præcepto, neque ex alio capite verisimili habetur ea obligatio, vt Neopresbyteri referant intentionem suam applicantem Sacrificij in intentionem Episcopi, nisi vt summùm conditionatè, quatenus intendant applicare per se Sacrificij fructum sub cõditione, quod simul cum Episcopo finiant verba consecrationis, non autem, si post Episcopum, vel ante; vti solet dici, debere sic conditionatam esse intentionem consecrandi conceptam ab illis. Sed re vera non datur vlla obligatio ad intendendam præfato modo applicationem Sacrificij, quia ratio, quæ probabiliter suadet, intentionem consecrandi debere esse eo modo conditionatam, caret vi respectu intentionis applicatiuæ fructus Sacrificij. Ratio illa est, ne contingat, vel Episcopum non consecrare, si Neopresbyteri finiant verba consecrationis ante ipsum; vel hos proferre eiusmodi verba suprà materiam iam consecratam: quorum primum abhorrens est, siquidem Episcopus, vt potè principalis celebrans, debeat non manere expositus periculo non consecrandi; & secundum præferat sacrilegij speciem. Porrò autem assignata ratio non æquè vrget in nostro casu, nam quòd Episcopus vel non applicet specialiter fructum Sacrificij, vel si applicet, sit absque effectu, & frustrà, quando Neopresbyteri absoluant, priusquã ipse, verba consecrationis, non est absurdum vllum, vel non tam notabile, quàm quòd Episcopus non consecret. Rursus quòd à novis Sacerdotibus prolata verba consecrationis cadant suprà materiam Sacrificij iam applicati, & cuius fructus iam sit etiam collatus (si velis) non video, quam speciem sacrilegij afferat. Sæpe namque Sacrificium offertur pro eo, cui non est conferendus satisfactorius fructus; in quo offerendi modo nullum est sacrilegium. Sæpe etiam sine sacrilegio omittitur specialis applicatio fructus satisfactorij competentis suapte natura Sacrificio. Sed concedamus Augustino Bernali, Neopresbyteros debere referre intentionem suam in Episcopi intentionem applicatiuam fructus Sacrificij. Rogamus subinde, an Episcopus possit applicare fructum Sacrificij tribus personis, vni quidem nõ secus, ac si ipse solus celebraret; alteri ex titulo applicationis, quam vnus nouus Sacerdos commiserit ipsi; & ex titulo applicationis ab alio commissæ, alteri etiam? Rogamus præterea, an gratis concessa obligatione reuocandi intentionem suam in intentionem Episcopi, & respectu eiusdemmet personæ, cui conferendus sit Sacrificij fructus, an, inquam, tunc possit triplex fructus obuenire illi personæ, seu duplo maior, quàm si solus Episcopus pro illa applicaret Sacrificium? Si Augustinus Bernal respondeat affirmatiuè ad vtramque interrogationem, habemus intentum, & ipse frustrà laborauit in triplici euasione à nobis discussa. Vt autem respondeat negatiuè, non apparet mihi ratio aliqua propria vero, quando is, qui refert intentionem suam in alium, est Sacerdos, & actu consecrans, sacrificans, & offerens; similiterque ille, in quem refertur intentio.

38 Dicet Bernal, rationem esse, ne sequatur, fructum Sacrificij esse syncategorematicè infinitum extẽsiuè, vel intensiuè. si idẽ Sacrificiũ possit pro pluralitate concelebrãtium extendere suum fructum æquè integrum ad plures personas, vel si possit in eadem persona causare intensiuè maiorem, & maiorem fructum iuxtà multitudinem concelebrantium, & coofferentium illud, ita vt singulorum oblationi respondeat non minor portio fructus, quàm si singuli seorsim celebrarent, & offerrent. Fateor, sequi id. Sed verisimum id est,

vt visum est Disput. 7. sect. 3. & admitti debet ab Augustino Bernal in fructu respondente tum Episcopo, ipsisque Neopresbyteris concelebrantibus, & coofferentibus, qua tales sunt; tum pluribus Laicis assistentibus eidem Sacrificio, & quadantenus cum Sacerdote offerentibus. Audiatur Eximius noster Doctor Disp. 79. sect. 12. Vers. *Dico ergo primò*, vbi sic effatur, ✻ Quando plures offerentes concurrunt cum Sacerdote ad idem numero Sacrificiu, omnes, & singuli, quatenus offerentes sunt, accipiunt integrum fructum, non minorem, quàm si vnus tantùm esset offerens. Vnde in hoc sensu fructus huius Sacrificij potest quodammodò dici Infinitus, vel potiùs augmentabilis in infinitum extensiuè. In hac conclusione habet verum prima sententia, quam à nullo Authore existimo negari. Potest quidem inter eos esse controuersia, an isti offerentes vt sic recipiant aliquem fructum ex opere operato, vel solùm ex opere operantis, vel per modum impetrationis. Quod autem hic fructus, qualiscumque ille sit, fiat prædicto modo, nec minuatur in singulis ex aliorum consortio, à nemine, vt arbitror, negari potest. ✻ Sic Suarius.

39 Egimus diffusè contra Bernalem; vertamus calamum contra Arriagam, qui Disput. 52. sect. 7. subs. 3. n. 36. & 37. dissertè ait, fructum Sacrificij non multiplicari, quando plures Sacerdotes consecrant simul, offeruntque, siue pro eadem, siue pro diuersis personis, quia vnicum est Sacrificium ob vnitatem mactationis victimæ, & protestationis dominij diuini; & quia non est credēdum, dedisse Christum vni Sacro plus valoris ex opere operato ob pluralitatem conficientium illud; quia item si multi Sacerdotes eandem personam baptizarent simul, non ideo maiorem gratiam in eo causarent, quàm si vnus solus baptizaret. Non declarat Arriaga, quomodò diuidatur in plures personas fructus, quando pro illis Sacrum offertur à multis Sacerdotibus concelebrantibus, neque an vni tantùm conferatur præfatus fructus? Cæterùm tum ex ante dictis aduersus Bernalem, tum ex Disput. 7. n. 11. ex Disput. 8. num. 26. profligata manet prima, & secunda ratio Arriagæ; & ad tertiam dico (quicquid sit, an in eo casu sint materialiter plura baptismata, vel vnum?) non produci maiorem gratiam, quia actiones baptizantium, & verba applicantur vni, eidemque subiecto. Ast Missæ Sacrificiū pluribus personis applicatur à Sacerdotibus concelebrantibus. Vnde sicut si multi eandem aquam miraculosè bilocatam applicarent Petro, & Paulo, & eos simul abluerent, proferendo verba formę, efficeretur in vno, & altero æqualis gratia; ita in eisdem æqualis sequetur fructus, si idem Sacrificium applicetur non minus vni, quàm alteri à multis Sacerdotibus vna sacrificantibus. Sed replicabis, ergo saltem si vni, eidemque personæ applicetur à multis Sacerdotibus vnum, idemque Sacrificium, ad quod simul concurrant, non reportabit ea multiplicatum fructum, sed simplicem, quem comparasset, quādo ab vno tantùm Sacerdote applicaretur; prout continget in effectu gratiæ, si multi vnam, eandemque personam baptizent. Respondeo, vnum numero Sacrificium esse ex institutione Christi applicabile pluribus personis, & vni soli, vnde si à multis Sacerdotibus copulatim celebrantibus applicetur vni personę, referet illa æqualem fructum ex applicatione vnius, ac ex alterius, siquidem quilibet perinde faciat applicationem, ac si faceret pro distincta persona ab ea, pro qua alius. Ast vnum numero baptisma non est applicabile, tam pluribus personis, quàm vni soli, non enim nisi vni soli est applicabile nec possunt plures baptizari, nisi per multa numero baptismata, etiam quando vnus plures simul baptizaret. Vrgebis adhuc, esto vnum numero Sacrificium sit applicabile pluribus personis, sed non ita, vt quando applicatur ab vno Sacerdote solùm celebrante, quælibet lucretur tantum fructum satisfactorium ex opere operato, quantum si ei soli applicaretur. Ergo etsi sit applicabile à multis Sacerdotibus vni, eidemq; personæ, non obtinebit hæc tantū fructū ex applicatione vniuscuiusque, quātum adquirerent singulę plurium personarum ex applicatione facta pro ipsis à singulis multorum Sacerdotum, aut quantum illa vna, eademque persona participaret ex applicatione facta pro ipsa ab vno

Sa-

Sacerdote celebrante sine consortio aliorum. Concedo Antecedens, & nego Consequētiam. Ratio discriminis reddita à me est in locis prǽallegatis paulò anteà.

40 Disputari septimò potest,

An nouus Sacerdos, quando celebrat cum Episcopo, possit applicatione speciali Sacrificij facta tunc ab ipso satisfacere obligationi ex iustitia ob acceptum stipendium?

VIdetur non satisfacturus, tum quia incertum valde est, an ipse consecrarit, nam si Episcopus, vel alius absoluit priùs verba consecrationis; hic consecrauit solus, & sacrificauit, proindeq; huius solius applicatio valida fuit, atq; fructuosa; potest autem quàm facilè contingere, vt Episcopus, vel alius anteuertat in prolatione verborum consecrationis; raròque quis certus erit de verbis finitis vnà cum alijs celebrantibus, vel ante alios. Tum quia etsi quis certus sit de consecrata à se hostia obfinita verba simul cum alijs, vel ante alios concelebrantes, restat dubium circa cōsecrationem calicis ob incertitudinem expensam quoad hostiæ consecrationē; qui verò non consecrat vtramque speciem, non sacrificat, neque est valida, neque fructuosa applicatio, quam facit fructus Sacrificij. Tum quia Neopresbyteri non perficiūt Sacrificium, si quidem sumant solummodò de speciebus panis, & non de speciebus vini, has enim sumit solus Episcopus; ast fructus Sacrificij non confertur, nisi quando perficitur Sacrificium, & nisi ex vi applicationis factæ ab eo, qui perficit illud. At ex alia parte videtur satisfacturus nouus Sacerdos, de quo est sermo. Nam Ecclesia persuadet sibi, posse moraliter cōtingere, vt Episcopus, & omnes Neopresbyteri consecrent vtramque speciem; monentur enim ex Pontificali Romano, vt omnes habeant intentionem consecrandi, & vt curent simul absoluere verba consecrationis cum Episcopo; quæ admonitio foret inutilis, si moraliter contingere non posset quod dixi. Vnde quandiu Neopresbytero non constet in particulari, quòd Episcopus, aut alius absoluit priùs verba consecrationis hostiç, vel calicis, potest probabiliter credere, consecratam à se fuisse vtramque speciem. Etsi verò Neopresbyteri non sumant species consecratas vini, probabile est, non obesse id, quominus sacrificent perfectè, & quominus applicatio Sacrificij ab ipsis facta valida sit, atque fructuosa. Eligat quisque quam partem maluerit. Propendet magis in priorem Auersa q. 11. sect. 9. V. *Septimo demum* cum Alfonso de Leone de Officio Capellani q. 7. sect. 8. Posterior (indicata à Quintanadueñas tomo, & Tractatu 2. Singulari 3. numero 7.) habebit minorem difficultatem in Episcopo, quando consecratur, & *concelebrat principaliter celebranti*, iuxta Cap. *Quod sicut* 28. *de elect. & electi potest. §. super eo*, nam facilius factu est, vt duo finiant simul verba consecrationis, quàm plures; & tam consecrator Episcopus, quàm consecratus sumunt species panis, & vini. Vbi notandum est, fuisse olim in vsu, vt quando Episcopus consecrabatur, *porrigebat illi* consecrator *formatam, atq; sacratam oblationem integram. Suscipiensque eam Episcopus, ipse ex ea communicabat super altare: quod verò residuum erat, sibi reseruabat denuò ad communicandum vnoquoque die vsque ad quadraginta dies expletos.* Ita refertur in Ordine Romano, titulo, *qualiter Episcopus in Romana Ecclesia ordinetur.* Vnde minus mirum est, quod de data Neopresbyteris hostia consumenda per totidem quadraginta dies obseruaui D. 4. num. 6. ex S. Fulberto iuxta Prouincię Senonensis ritum, de quo, quia alibi non occurrit Claudio Espencæo, voluit hic L. 2. de Eucharistia C. 14. vt fides esset penes S. Fulbertum. Sed cum volens nolens digressiunculam hanc fecerim, addo aliam spectātem ad concelebrationem duorum Sacerdotū, provt lego in Nicephoro Callisto L. 14. Historiæ Ecclesiasticę C. 51. *Hoc ipso tempore* (scribit Nicephorus) *etiam magnus Symeones, sanctæ, & celebris recordationis, qui primus stationem in columna inuenit, viguit: & celebre consecutus est nomen, domicilium super columna bicubitale vndequaque habens. Quo tempore Domnus sacras Antiochenæ Vrbis habenas tenuit: qui etiam ea re audita, quum ad eum venisset, totus consternatus est, & cū*

eo mystico, arcánoque congressu conuenire exoptauit. Conuenerantque adeò ambo, & Sacrificio immaculato, atque incruento peracto, alter alteri viuificam communionem porrexit.

41 Disputari octauò potest,

An si Sacerdos aliquis habeat obligationem celebrandi pro aliquo, vel curandi, vt celebretur, & alter, eo inscio, offerat Sacrum pro eadem persona, ex intentione liberandi eum ab illa obligatione, cesset illa de cætero in eo alio Sacerdote?

BONACINA D. 4. q. vltima, puncto 7. §. 1. n. 4. respondet affirmatiuè * Iam enim est satisfactum oneri Titij, & Missæ valor est applicatus illi, cui Titius tenebatur applicare. Quamobrem huiusmodi Sacerdos poterit dicere Titio, se celebrasse pro onere, quod ipsi incumbebat. * Sic Bonacina citans Cordubam, Nauarram, Anglem, Rodriguez; quibus associo Vegam in Sylua, & praxi fori Pœnitentialis L. 1. Casu 171. Basseum in Floribus Theologiæ Practicæ, V. *Missa* 3. n. 8. Vnde hoc modo poterit Religiosus Sacerdos extrà Monasterium versans celebrare, vt satisfaciat obligationi, quã Communitas iam habeat, etsi Superior non intimauerit illi. Neque id est sacrificare pro intentione futura, vt veretur Villalobus tomo 1. Tract. 8. Diff. 12. n. 4. Nam si obligatio iam tunc celebrandi vrgeat, cessat omnino periculum illud. Insuper Bonacina addit, * Imò poterit recipere eleemosynam celebranti debitã, modò non intenderit, gratis celebrare, nam operari' dignus est mercede. * Cui additioni consentio cum Fraciſco de Lugo Lib. 5. C. 11. q 3. n. 36. si Titius acceptet illam applicationem cũ onere soluendi stipendium, nam si non acceptet, (vt licitè potest) vertat stultitiæ suæ Caius, quòd se ingesserit ad satisfaciendum oneri Titij ante initum cum eo pactum de transferendo in se stipendio. Sic si ego gestor sim negotiorũ Petri sub salario annuali, & alter, me inconsulto, & sine mercedis conuentione, intromittat se ad negotia Petri agenda, non teneor ego tradere ei salarium designatum mihi à Petro in singulos annos. Sed insurgit pulchrum dubium, num si Titius nolit acceptare applicationem Missæ à Caio factam, debeat Titius offerre Sacrum pro persona, à qua accepit stipendium, aut restituere hoc ei; vel potiùs possit nec offerre Sacrum, nec restituere stipendium? Et posse quidem hoc secundum, probatur exinde, quòd iã pro illa persona applicatum est Sacrificium ex intentione adimplendi obligationem inductam per stipendium, quod concessit. Etsi autem Titius non approbet factum Caij, non ideo irrita redditur applicatio, neq; priuatur persona illa fructu, qui ipsi obuenit ex Sacrificij applicatione. Nihilominus Franciscus de Lugo ait, Titium teneri ad Sacrum celebrandum, vel ad restituẽdum stipendiũ; etsi autem non præbeat rationem, videtur ea esse, quòd Titius careat titulo ad retentionem stipẽdij, si non celebret Missam, cuius de causa traditum ei est. Neq; contra id facit, quòd Caius iã obtulerit Missam pro persona, cui Titius erat obligatus. Non, inquam, facit, nam respectu Titij non acceptantis applicationem Caij perinde est, ac si Missa non fuisset celebrata. Propendeo magis in hanc partem, supposito quòd Titius nõ debeat acceptare applicationem Caij cum onere soluendi ei stipendium. Sed erit, qui contendat, debere, vsus hoc exemplo: si ego debeam tibi centum, & tu totidem Ioanni, soluamq; ego huic centum, teneris in conscientia acceptare solutionem à me præstitam, & non exigere à me illam summam, quia transfero in me ius, quod Ioannes habebat ad eam à te postulandam, vt docent Lessi' L. 2. de Iustitia C. 16. dub. 5. Gaspar Hurtadus D. 9. de Iustitia, Dist. 5. cum alijs, concludens, posse me vti compensatione, nam ius, quod ego in te tunc habeo, tanti valebit, quãti illud, quod tu in me. Sed respondeo, disparem longè esse rationem, nam Caius non erat debitor Titij in Missa dicenda iuxta eius intentionem, & ideo Titio non inest obligatio acceptandi Missam oblatam à Caio. Ast ego debebam tibi cẽtum; vnde teneris, quandiu non remittis debitum, acceptare solutionem conuenientem, quam ego tibi exhibeam; & est conueniens solutio, si ego creditori tuo tantam summam præstem, quantam tibi debeo.

42 Dispu

42 Disputari nonò potest,

An prosit alicui ex opere operato Sacrificium, si Sacerdos nec pro alio, nec pro se offerat illud speciali intentione, & applicatione?

SERMOQVE est de satisfactorio fructu, qui responsurus ex opere operato esset personæ alicui, si pro ea fuisse oblatum Sacrificium speciali intentione. Pater Suarez Disputatione 79. sectione 9. Vers. *Tertio inquiri potest* ait, nulli prodesse, sed eius fructum reponi in thesauro Ecclesiæ, seu potiùs non extrahi è thesauro illo, cum sit pars infiniti fructus Passionis Christi, cuius satisfactiones, & merita ibi manent, dicunturque inde extrahi, cum applicantur nobis per Sacrificium Missæ, & per Sacramenta. Probatur Suarez ij opinio, quia, vt fructū quēcumque operetur Sacrificium in illo, qui non est offerens, requiritur per modum conditionis applicatio à Sacerdote facta; requiriturque similiter, vt in illo, qui est offerens, operetur fructum prouenientem ex Christo vt principali offerente. Ergo si Sacerdos nec pro alio, nec pro se offerat specialiter Sacrificium, non proderit hoc alij, aut sibi quoad fructum, de quo procedit quæstio; quidquid sit, an Sacerdos, & alij inferiores offerentes, eo ipso præcisè quòd in gratia offerant, participent ex opere etiam operato fructum aliquem satisfactorium, qui vocari solet specialissimus; sed nunc nos non agimus, nisi de speciali, & medio, qualis appellatur communiter is, qui confertur personæ, pro qua nominatim Sacerdos applicat, & offert Missam. Prior pars Antecedentis manifesta videtur, nam nulla causa operatur nisi vt applicata; nec Sacramentum operatur nisi vt applicatum. Ergo neque Sacrificium. Ast hoc alij ab offerente applicatum non potest esse nisi per ipsum offerentem applicetur, nec potest esse applicatum, vt prosit ex opere operato, nisi applicans sit Sacerdos offerens. Ergo, &c. Accedit confirmatio, quia vt Christus tanquam principalis offerens communicet Sacrificij ex opere operato fructum personæ, quæ non se habet, aut non consideratur vt offerens, vtitur ministerio Sacerdotis applicantis Sacrificium pro tali persona, non secus ac causa prima vtitur ministerio causæ secundæ ad producendos plerosque effectus. Ergo sicut causa prima non operatur ex lege ordinaria eos effectus in absentia causæ secundæ, ita neq; Christus præfatum fructum Sacrificij, deficiente applicatione Sacerdotis. Posterior Antecedentis pars videtur non minus perspicua, nam etsi Christus commiserit Sacerdoti, vt, cui velit, applicet Sacrificij fructum respondentem ratione ipsius Christi vt principalis offerentis, tamen si Sacerdos non applicet, non est cur talem fructum comparet sibi Sacerdos, cum non sit fructus respondens ratione oblationis Sacerdotis, vt est ipsius. Quod argumentum proponitur, & premitur optimè à Cardinali de Lugo Disputatione 19. sect. 10. numero 228. Vnde elucescit discrimen ad alia, quorum satisfactorius fructus ex opere operantis, si non prosit alteri distincto ab operante, quia hic non habuit intentionem offerendi ea pro altero, retinetur ab ipso operante, vtpote respondens ratione actionis propriæ. Hactenus pro Suarij opinione, quæ approbatur à Vazquio, Disputatione 231. Cap. 3. numero 10. & 11. Martinono, Disputatione 39. sectione 4. numero 35. communisque est inter Doctores, placetque nobis. Sed Arriagæ Disputatione 53. sect. 2. num. 8. probabile valde videtur, pertinere ad liberalitatem diuinam, vt Sacrificij fructus recidat in Sacerdotem, si is non applicet illum alteri. Potuisset tamen Arriaga recordari principij, quo ipse fæpe vtitur in hoc Tractatu, videlicet non esse tribuendum Sacrificio aliquid, de quo neque ex authoritate, neque ex ratione constet. Porrò de illa liberalitate diuina in Sacrificio vndenam constat? Imò vndenam adeò probabiliter præsumitur?

43 Addit Suarius & posse rarissimè accidere casum, in quo Sacerdos nulli applicet hunc fructum. Nam ad hoc sufficit intentio formalis, vel virtualis. Nam si ad conficiendum Sacramentum, vel offerendum ipsum Sacrificium Deo sufficit virtualis intentio; multò magis sufficiet ad applicandum fructum eius. Hęc autem virtua-

lis intentio vix deesse potest, nempe omnis Sacerdos, quando alteri non applicat Sacrificium, saltem habet virtualem intentionem fruendi fructu illius. Applicat ergo sibi ipsi; vel si aliquo titulo obligatus sit ad offerendum pro alio, etiam habet vnusquisque intentionem virtualem implendi obligationē suā. ✠ In quibus verbis considerandum est primò, quid velit significare Eximius Doctor nomine intētionis virtualis, quam dicit, vix posse deesse in Sacerdote, vt lucretur fructum Sacrificij, quando non applicat hoc alteri. Nam si significet intentionem actualem præteritam non retractatam, manentemque in aliquo sui effectu, talis intentio est specialis applicatio fructus Sacrificij pro ipso Sacerdote. Et in hoc casu non procedit quæstio; nec dubitari potest, prodesse tunc ex opere operato Sacrificiū ipsi Sacerdoti, si concedatur (vt ab omnibus conceditur) proficuum esse cum simili intentione personis distinctis à Sacerdote, quando pro eis offertur. Si Suarius significet intentionem actualem præteritam non retractatam, sed amentia, vel somno, vel occupatione in rebus prorsus diuersis interruptam, qua voluerit Sacerdos, vt sibi esset vtile Sacrificium ex opere operato, quoties non offerret illud specialiter pro alio, talis etiam intentio est specialis applicatio fructus Sacrificij pro se; & similis intentio non sufficit ad per se immediatè conficiendum Sacramentum, aut Sacrificium. Scripsi *Per se immediatè*, respiciens ad Matrimonij Sacramentum, quod per procuratorem perfici potest interrupta intentione Ministri, qui mandauit: cēsentque Henriquez, Sanchez, Bonacina, & quidā alij, verum id esse in interruptione etiam ex amentia. Si Suarius significet intentionem interpretatiuā, aut implicitam consistentem in ea animi Sacerdotis dispositione, ob quam sit certum, aut probabile, quòd Sacerdos applicaret Sacrificium pro se, si occurreret cogitatio de non facta applicatione pro alio; talis etiam intentio vel est specialis applicatio Sacrificij pro se; vel non est intentio sufficienter eius applicatiua: etsi enim ad validè, & fructuosè recipienda aliqua Sacramenta sufficiat nonnunquam in adulto recipiente voluntas interpretatiua, & petitio implicita, tamen ad nullius Sacramenti validam confectionem sufficit voluntas illa; crediderimque, nec sufficere ad validam Sacrificij applicationem actiuam, tametsi sufficiat ad passiuam; imò quia ad hanc sufficit vt quid minimum, quod iuxta dicenda in D. 18. potest exigi ex parte adulti, pro quo offertur Sacrificium, ideo videtur, non sufficere ad illam, quæ exigere debet aliquid amplius, vt pote actio respiciens Sacerdotem tanquam agentem; & cum Sacerdos non aliter possit agere, quàm per intentionem, respectu applicationis, necesse est, vt intentio sit saltem habitualis; & aliqui dicunt, necesse esse, vt sit saltem virtualis, id est, volūtas actualis præterita non reuocata manens in aliqua sui virtute, vel operatione.

44 Expendendum secundò est in verbis Suarij, quid velit dicere, quādo asseuerat, omnem Sacerdotem habere intentionem virtualem fruendi fructu Sacrificij, semper, ac alteri non applicat illud, vel ferè semper, ita vt rarissimè, & vix aliquando possit euenire contrarium. Demus enim, quòd nomine intentionis virtualis significet voluntatem præsumptam, interpretatiuam, & implicitam. Certè hæc non rarissimè, sed sæpe potest deesse in Sacerdote. Nam potest sæpe Sacerdos habere voluntatem positiuam non fruendi satisfactorio fructu Sacrificij, præsertim si videat, se celebrare in statu peccati mortalis; Sacerdos autem habens voluntatem positiuam prædictam excludit eo ipso eam aliam præsumptam, interpretatiuam, & implicitam. Quid igitur fiet de fructu satisfactorio, si Sacerdos tunc aduertenter, vel inaduertenter omittat applicare Sacrificium pro persona distincta?

45 Tertiò considerandum est in Suarij verbis, quid velit denotare per intentionem virtualem Sacerdotis circa adimplendam obligationem suam offerendi Missam pro alio, nam de eiusmodi intētione, an sit volūtas præsumpta, an merè habitualis, an virtualis, seu manens in aliqua sui virtute, vel operatione? dubitari potest, vt suprà. Et Sacerdos, qui accepisset stipēdium sub onere celebrandi Missam pro alio, non existeret, me iudice, tutus in conscientia, si in suæ obligationis satisfactionē referret eam Missam, quam celebrasset, nec sibi, nec alteri applicans actua-

liter

liter, si anteà non habuisset voluntatem applicantem Sacrificij pro eo, qui dedit stipendium, ita vt ea voluntas non esset reuocata, & proinde perseueraret habitualiter vt minus. Ego quidem volũtate præsumpta, interpretatiua, & implicita non putarẽ satisfieri. Sit aliquis Sacerdos adeò negligens in applicandis Sacrificijs, quæ celebret, vt nunquam tempore Sacrorum, neque anteà habeat voluntatem actualem offerendi specialiter pro se, vel pro alijs, si talis Sacerdos obligatus esset ad Missas ob accepta stipendia, nemo (ni fallor) dicet, talẽ Sacerdotem satisfacere suæ obligationi; quanquam si non habeat voluntatem positiuam non applicandi Missas, possit affirmari, quod habeat voluntatẽ præsumptam, interpretatiuam, & implicitam applicandi. Et hęc satis circa verba Eximij Doctoris.

46 Cõsentit cum eo Cardinalis de Lugo supra, quatenus si contingeret, omitti omnino applicationem Sacrificij à Sacerdote siue pro alijs, siue pro se, relinqueretur fructus Sacrificij in thesauro Ecclesiæ. Sed subiungit Eminentissimus Purpuratus. * Cæterùm de facto credibile est, totum fructũ respondentem Christo vt offerenti prouenire in illo casu ipsi Sacerdoti, vel etiam alijs, quia semper videtur habere intentionem generalem, quòd prosit, quantùm possit, illud Sacrificium ipsi, & alijs omnibus: quam intentionem satis explicãt illa verba (Offero tibi pro innumerabilibus peccatis meis, &c. Et pro omnibus fidelib⁹ Christianis viuis, atque defunctis, vt mihi, & illis proficiat ad salutem.) Quare dum non applicat specialiter portionem Christo correspondentem pro alijs, videtur velle, quod omnibus, pro quibus offert, accrescat. * Sic Cardinalis de Lugo, subscriptus à Thoma Tamburino L. & C. 2. de Missa §. 12. n. 2. Quibus non acquiesco, quia intentio illa generalis datur semper, ac Sacerdos sacrificat, & Missam celebrat iuxta ritum Ecclesiæ, & cum orationibus, ac precibus præscriptis ab ipsa, quin tamen satisfactori⁹ fructus proueniens ex Christo vt offerente principali applicetur, aut applicari debeat à Sacerdote omnibus Ecclesiæ membris, sed tantùm fructus impetratorius, vt docet ipse Cardinalis de Lugo n. 220. & duobus sequentibus. Si respondeatur, esse quidem verum, quod non applicetur, neque applicari debeat, quando Sacerdos offert specialiter Missam pro aliquo; secus, quando non offert. Contrà, quia non constat, quo fundamento id posterius dicatur. Contrà etiam, quia quando Sacerdos offert specialiter Missam pro aliquo, & quando non offert, eędem perseuerant communes orationes, ac preces Ecclesiæ pro ipso Sacerdote, & pro alijs. Ergo si quando Sacerdos offert specialiter Missam pro aliquo, non colligitur ex orationibus, & precibus fructus satisfactorius, qui ex opere operato communicetur omnibus Ecclesię membris; neque item colligetur, quando pro aliquo specialiter non offert Sacerdos.

47 Ex dictis in hac quæstione consulendum est Sacerdotibus, vt aliquando concipiant intentionem applicandi sibi fructum satisfactorium Missę, quoties euenerit, eam à se celebrari, quin applicent specialiter pro se, nec pro alijs; illa enim intentio, quandiu nõ fuerit reuocata per voluntatem cõtrariam, sufficiet, ne Sacerdotes amittant præfatum fructum. Inquies ex Coninch 3. p. q. 83. art. 1. Dub. 9. n. 166. & Auersa q. 11. sect. 10. V. *Secundò debet*, illam intentionem contineri implicitè in voluntate generali, qua quisque semper intendit sibi prodesse, quantùm possit, & qua Sacerdotes communiter aliquo modo mouentur ad celebrandũ; ideoque superfluum esse nostrum consilium. Sed mihi videtur, illam voluntatem generalem esse nimis remotam respectu applicationi Sacrificij pro se, esseq; expositam reuocationibus multis per actus, vel omissiones, quibus quis velit, non prodesse sibi, quantùm possit, vel quib⁹ quis omittat, prodesse sibi eo modo. Prætereà cum illa voluntate generali stat alia etiã generalis de adimplendis suis obligationibus. Quare si Sacerdos, qui nec pro se, nec pro alijs offert specialiter Sacrificium, habeat obligationem dicendi Missam pro alio, necesse erit, vt Deus determinet, cuinam conferendus sit fructus Sacrificij, Sacerdotine, vel ei, cui ipse sit obligatus.

***

Dif-

48 Disputari decimò potest. *An quando Sacerdos offert specialiter Sacrificium pro aliquo, qui re ipsa non indigeat Sacrificij fructu, vel eius sit incapax, tunc talis fructus redeat ad ipsummet Sacerdotem?*

RESPONDEO, si talis fructus alteri, quàm pro quo Missa est applicata, sit communicādus non merè gratis, liberaliterque à Deo, fore in Sacerdote capace, & indigente potius ius, vt ipsi concedatur. Sed absolutè censeo, nulli alteri esse debitum, nullique alteri conferri, vt deducitur ex suprà disputatis, proindeque remanere in thesauro Ecclesiæ. Considero tamen in Sacerdote capaci, & indigente quasi conditionatum ius quoddam, vt sibi prę alia persona communicetur, si extrahendus sit è thesauro illo. Quapropter expedit, vt Sacerdotes habeant intentionem saltē habitualem applicandi sibi, vel animabus Purgatorij fructum Missarum, quas specialiter applicari à se contingat pro personis re apse incapacibus, aut non indigentibus. Ita consulunt Suarez, Coninch, multique alij.

DISPVTATIO XIV.

DE ECCLESIA VT PER SACERDOtem offerente Sacrificium Missæ, de alijsque offerentibus quodammodò cum Sacerdote. Vbi de Ministro seruiente in Missa.

1 POST CHRISTVM, ET *post Sacerdotem Ministrum Christi agimus de Ecclesia ob rationem dictam in limine Disputationis: 2. Potest autē Ecclesia militans (nam de hac est sermo, & non de triumphante, neque de purgante, vt posteà breuiter attingam) considerari in communi, vt est communitas quædam, & congregatio omnium fidelium; potest etiam considerari in particulari penes aliquam sui partem, scilicet penes nonnullos fideles cooperantes ad Sacrificium Missæ. Hæc Disputatio complectitur Ecclesiam tum in communi, tum in particulari.*

SECTIO

SECTIO I.

Qua ratione Ecclesia tota, & pars aliqua eius, videlicet fideles nonnulli, offerant Sacrificium Missæ per Sacerdotem?

ECCLESIAM totam offerre Sacrificiũ Missæ per Sacerdotem vt partem sui nobilissimam, & vt intercessorem, ac mediatorem coram Deo, apud quẽ agit partes populi Christiani, est omnino extra controuersiam. Nam Concilium Tridentinum Sess. 22. Cap. 1. ait, Christum, *Celebrato veteri Pascha, quod in memoriam exitus de Ægypto multitudo filiorum Israel immolabat, nouum instituisse Pascha se ipsum ab Ecclesia per Sacerdotes sub signis visibilibus immolandum in memoriam transitus sui ex hoc mundo ad Patrem*, &c. Adijcit in C. 6. Missas etiam, in quibus solus Sacerdos sacramentaliter communicet, censeri debere verè communes, *Partim quod in eis populus spiritualiter communicet; partim verò quòd à publico Ecclesiæ Ministro non pro se tantùm, sed pro omnibus fidelibus, qui ad corpus Christi pertinent, celebrentur*, id est, nomine omnium fidelium offerantur: quem in sensum possunt probabiliter exponi verba Concilij, non excluso alio de oblatione in omnium fidelium vtilitatem. Præterea in Canone Missæ dicitur, *Hanc igitur oblationem seruitutis nostræ, sed & cunctæ familiæ tuæ, quæsumus, Domine, vt placatus accipias.* Et inferiùs, *Vnde & memores, Domine, nos serui tui, sed & plebs tua sancta eiusdem Christi filij tui Domini nostri, tam beatæ Passionis, necnon & ab inferis Resurrectionis, sed & in cœlos gloriosæ Ascensionis, offerimus præclaræ maiestati tuæ*, &c. Consonant Ecclesiæ Patres S. Irenæus L. 4. C. 32. & 34. S. Augustinus L. 10. de Ciuitate Dei C. 20. S. Cyprianus de Oratione Dominica, S. Leo I. Papa in Epist. 81. C. 2. Petrus Damiani in Opusculo 11. C. 7. & 8. Beda in C. 22. Lucæ, Anselmus in Cap. 26. Matthei, Alcuinus L. de Diuinis Officijs C. de Celebratione Missę, & eius significatione, Paschasius L. de Corpore, & sanguine Domini C. 12. Innocentius III. Lib. 3. de Sacro altaris Mysterio Cap. 5. & 6. Rupertus L. 2. Officiorum C. 2. & 6. & 7. Florus Magister in Expositione Missæ, Remigius Autissiodorensis de Celebratione Missę, Stephanus Eduensis de Sacramento Altaris C. 13. Albertus Magnus de Sacrificio Missæ, Tract. 3. C. 7. n. 3. Rabanus Lib. 1. de Instit. Clericor. C. 32. Odo Cameracensis in Expositione Canonis, Dist. 2. S. Thomas 3. p. q. 80. art. 12. ad 3. q. 82. art. 6. & 7. alijque adnotati à Suario D. 77. sect. 3. V. *Omittimus*, Vazquio D. 226. C. 2 & Scortia L. 2. C. 4. Duranto L. 2. de Ecclesiæ ritibus C. 34. n. 7. Qui Patres confirmant suis effatis tum veritatem propositam de Ecclesia in communi, tũ aliam, quam postmodùm proponemus de Ecclesia in particulari.

2 Dicitur autem Ecclesia in communi offerre, tum quia offert Sacerdos, qui est eius membrum, instrumentumque deputatum ad munus hoc: tum quia per Sacerdotem tanquam per Ministrum, seu potiùs intercessorem, & mediatorem, legatumque publicum ad Deum repręsentat, offertq; ipsi Deo munera, vota, desideria, precesq; suas: tum quia Ecclesia adiecit substantię sacrificationis multas orationes, ritus, & ceremonias, quas in eius persona, & nomine fundit, facitq; Sacerdos. Et olim quidem dicebatur etiam populus per manus Sacerdotum offerre Sacrificia, quæ huius diuinissimi figura erant. Sic Exodi C. 3. legitur, *Dimitte populum meum, vt sacrificet mihi in deserto.* Numeror. 28. *Hæc sunt Sacrificia, quæ offerre debitis.* Leuitici 23. *Offeretis holocaustum Domino*: quibus in locis sermo est ad populum. Notatque Author quęstionum ex veteri Testamento q. 46. inter opera S. Augustini, *Quamuis proprio Sacerdos fungatur officio; ille tamen offerre dicitur, cuius nomine agit Sacerdos: ipsi enim imputatur, cuius munera offeruntur.* Sic Author ille. Et S. Augustinus in Epistola 122. inquit de sacris Virginibus Christianis captiuis inter barbaros, *Sic sunt illæ in terra captiuitatis suæ, quomodò erant illi,* (Azarias, & socij) *in terra, vbi nec sacrificare more suo poterant Domino, sicut nec istæ possunt, vel ferre oblationem ad altare Dei, vel inuenire ibi Sacerdotem, per quem offerant Deo.*

3 Hinc ex Ecclesia offerente accipit Sacrificium Missæ valorem, & dignita-

dignitatem, siquidem Ecclesia sit sponsa valde grata Christo. Sed valor, dignitasq; exinde accepta non est infinita, sed finita, cum sanctitas Ecclesiæ finita sit. Cæterùm quia in Ecclesia potest inueniri iam maior, iam minor sanctitas, quò plures iusti, & sanctiores, vel pauciores, & minus sancti in ea actualiter floreant; idcirco valor, dignitasq; Missæ proueniens ex Ecclesia offerente poterit etiam esse iam maior, iam minor, vt docent Scotus in Quodlib. 20. art. 2. ex V. *Sed sic est.* Gabriel Lect. 26. in Canonem Missæ, lit. H. Bellarminus L. 2. de Missa C. 4. Suarez D. 79 sect. 11. V. *Dico tertiò*, Scortia supra n. 3. cum alijs, quos citat; & id Vazquio D. 229. C. 2. n. 10. probabilius videtur, quanuis videat, non posse facilè definiri: vnde à Cardinali de Lugo D. 19. sect. 9. num. 126. refertur quasi subdubitans. Docent etiam Henriquez L. 9. C. 17. §. 3. & 4. Dicastillus Tract. 5. D. & Dub. 3. n. 63. Dub. 4. n. 93. alijque communiter. Probatur primò, nam si Sacrificiũ Missæ accipit valorem, ac dignitatem ex Ecclesia offerente, nihil causæ est, quominꝰ ex maiori sanctitate Ecclesiæ, vel minori accrescat ei, vel decrescat valor, & dignitas. Secundò, quia valor, & dignitas Sacrificij Missæ proueniens ex Sacerdote crescit, vel decrescit iuxta maiorem, vel minorem Sacerdotis sanctitatem; idemque est de valore, ac dignitate proueniente ex alijs coofferentibus, seu cooperantibus ad illud. *Nam non solùm quid offeratur, sed qualis sit, qui offerat, intuetur Omnipotens, sicut eloquia sacra testantur :: Grata profectò sunt munera, orationes placabiles, acceptæq; laudes, quas quotidie sancta mater Deo reddit Ecclesia. Verùm fiunt proculdubiò gratiora, si Ministrorum mens sit deuota, cor humile, affectus ignitus, sancta cogitatio, obsequium rationabile, oculus interior rectus, custodia cordis non dormitans, loquela composita, & irreprehensibilis vita*, vt ait S. Laurentiꝰ Iustinianus L. de Institutione, & regimine Prælatorũ C. 10. Trahũt huc nonnulli, & non coactè, orationem illam secretam in Missa de Conuersione Sancti Pauli, *Apostoli tui Pauli precibus, Dne, plebis tuæ dona sanctifica, vt quæ tibi tuo grata sunt instituto, gratiora fiant patrocinio supplicantis.* Sic ibi; diciturque S. Paulus nunc supplicans, non verò offerens. Ergo similiter putandum est, ex inæquali bonitate Ecclesiæ inæqualem esse valorem, & dignitatem Sacrificij Missę respondentem ei bonitati. Tertiò, Sacrificia veteris legis eò gratiora erãt Deo, quò iustiores erant personæ offerentes, vt constat ex Genesis C. 4. V. 4. Cap. 8. V. 21. imò solùm ex probitate offerentium erant grata Deo, quin essent ex se grata, sed potiùs displicerent, quæ ab improbis offerebantur, vt compertum est ex Ecclesiastico C. 35. ex Psalmo 39. & 50. ex Prouerbijs C. 15. Ergo etsi Sacrificium Missę sit ex se gratum Deo, & oblatum etiam ab iniustis offerentibus non displiceat ipsi, *Nullaque indignitate, aut malitia offerentiũ inquinari possit*, iuxta Oraculum Concilij Tridentini Sess. 22. C. 1. tamen conueniet cum Sacrificijs veteris legis in eo, quòd sit acceptius, & gratius Deo, prout acceptiores, gratioresque fuerint personæ offerentes; nam quòd sit infinitè gratum ratione Christi, non tollit, ne ratione alia diuersa, quæ sit caput æstimationis, & valoris finiti, augeatur, vel minuatur in hoc valore, & æstimatione. Vnde Ecclesia in Canone Missæ ex acceptione veterum Sacrificiorũ Abel, Abraham, & Melchisedech apud Deum ratione deuotionis Patrum illorum sumit argumentum, vt precetur, moueatque eum ad acceptandum excellentissimũ Missę Sacrificium ratione etiam deuotionis offerentium, vt ponderat S. Thomas 3. p. q. 83. art. 4. ad 8. Quartò, Oratio Legati ad Principem eò validior est, & potentior ad impetrandum, quò Respublica mittens Legatum charior est Principi. Igitur Orationes, & preces Missæ delatæ ad Deum per Sacerdotem tanquam Legatum Ecclesiæ erunt eò efficaciores, quò Ecclesia à Deo magis diligatur.

4 Dominicus Sotus in 4. Dist. 13. q. 1. art. 6. opponit, ✲ Sacramẽtorum ministeria nõ fundari in gratia personarum Ecclesię, sed in Passione Christi. Quare licet per impossibile nulla esset in tota Ecclesia persona Deo grata, nihilominꝰ Sacrificium haberet suum valorem. ✲ Deinde opponit, ✲ Ecclesiam per habitus personarum nihil ad Sacrificium attendentium, sed dormiẽtium, vel alijs vacantium rebus, non offerre Sacrificium, sed solùm per actũ Sacerdotis, & circumstantium, & eleemosynas ministrantium. Ergo ex aliorũ

dignitate

dignitate nulla fieri videtur Ecclesiæ accessio. * Sed prima obiectio est parui momenti, vel potiùs extra rem, cum non agamus de valore, & dignitate essentiali, substantialique Sacrificij, proueniente ex Christo, sed de accidẽtali promanante ex Ecclesia. Primus valor est quidem independens ab Ecclesiæ sanctitate, neque ex huius incremẽto, aut decremento maior est, aut minor. At secundus valor fundatur in Ecclesiæ sanctitate, indeque augetur, aut minuitur. Ad alteram obiectionem dico, etiamsi multi fideles nullatenus attendant ad Sacrificium, adhuc illud offerri à tota Ecclesia per Sacerdotem tãquàm per mediatorem deputatum, & ordinatum ad agendum coram Deo causam totius Communitatis fidelium; ideoque nihil obstare, quòd actu multi fideles non curent de Sacrificio, ne hoc ratione etiam non curantium sit gratũ Deo, nam qui actu non curant, non desinunt esse membra Ecclesiæ, nec desinũt pertinere ad totam fidelium Cõmunitatem. Videantur Didacus de Tapia q. 10. de Euch. art. 6. in fine, Vazquez suprà n. 11. & Cardinalis de Lugo suprà n. 127.

5 Vlteriùs ex Petro de Soto Lectione 13. de Eucharistia opponi potest argumentum, quod habetur in his eius verbis. * Quod nonnulli disputant, an videlicet ea, quæ Ecclesiæ nomine fiunt, modò gratiora sint apud Deum, modò minus grata, propterea quòd non semper in Ecclesia çquè multi sunt boni? Non est opus discutere. Certè totam Ecclesiam semper adspicit Deus siue præsentem, siue præteritam. Nec ego dubito vnquam à Deo petere, vt secundùm intentionem, & merita eorum, qui preces illas, quas dicimus, ordinarunt, & statuerunt, & omnium denique, quibus ipse placet, aut vnquã placuit, concedat: nõ secundùm nostra, qui oramus. Nec tamen ideo non est verum, supplere omnes fideles meritis suis, & operibus, quæ desunt (vt Paulus inquit) Passioni Christi, & augere Ecclesiæ merita: sed omnia illa putamꝰ semper Deum adspicere. Igitur orantis deuotio, & sanctitas siue offerentis, siue participantis, magis agit, vt particeps fiat orationum, & meritorum Ecclesiæ, siue alius etiam propter illum, quàm vt addat quidquam illis, in quibꝰ omnia procul dubiò includuntur, quæ quocumque tempore grata sunt apud Deum. Quòd si quis de hoc dubitet, melius est Deo relinquere, & nihil temerè affirmare: sicut neque istud nos asserimus. * Hactenus Petrus de Soto. Sed respõdeo, iustos, qui fuerunt, seu mortui sunt, & qui erunt, seu nascentur, nõ existere in statu offerendi, proindeque valorem, & dignitatẽ Sacrificij Missę, prouenientem ex Ecclesia, debere tantùm pensari ex Ecclesia præsenti, & non ex præterita, neq; ex futura. Cum autem Ecclesiæ præsentis omnes fideles actu viuentes sint membra, & vno tempore existant sanctiores fideles plures, quàm alio, erit etiam maior valor, & dignitas Sacrificij Missæ vno tempore, quàm alio, prout ea dignitas desumitur ex Ecclesia offerente.

6 Dixi, mortuos non existere in statu offerentium, comprehendoque tam eos, quorum animę beantur in Cœlo, quàm eos, quorum animæ in Purgatorio emundantur. Vt enim Scotus Quodlibeto 20. art. 2. V. *Sed cum*, ait, *Istud Sacrificium est proprium Ecclesiæ militantis, sicut & Sacramentum, in quo est Sacrificium.* Sic Subtilis Doctor. Hinc infertur cum Amico D. 33. sect. 6. n. 234 etsi quandoque animæ beatæ assistant Sacerdoti celebranti, non ideo dicẽdas esse offerre per ipsum. Eademque est ratio de animabus Purgatorij. Hinc etiam cum Bonacina deducit Trullench L. 3. de Sacramentis C. 8. dub. 7. n. 11 Sacrificium Missæ magis prodesse viuentibus, quàm defunctis, nam hi non concurrunt simul cum Sacerdote ad oblationem, secus illi. Stet itaque, Sacrificij oblationem, quæ adhuc non sit sacrificatio, & consecratio, pertinere solummodò ad Ecclesiam militantem. Quòd si ab offerendi munere excludantur animæ separatæ, multò potiùs remoueri debent Angeli, vt admonent Suarez D. 77. S. 3. V. *Sed difficultas*, Vazquez D. 226. C. 2. n. 10. Sed ratio, quã secundus assignat, scilicet quòd victima huius Sacrificij non sit à Christo relicta Sacerdotibus, vt pro Angelis eam offerant, non est sufficiens; alioqui, cũ fuerit relicta, vt pro animabus Purgatorij offerant eam, sequeretur, illas esse offerentes. Quare ratio petenda est ex dictis à nobis anteà cum Scoto, & exinde etiam, quòd Sacrificium sit sensibilis,

lis, atque externus cultus præstabilis Deo ab hominibus tantùm. Id quod intelligendum est de lege ordinaria, nam aliquando Angelum in corpore assumpto sacrificasse, videtur constare ex C. 6. Iudicum, notantque ibi Interpretes è nostra Societate Nicolaus Serarius, Iacobus Bonfrerius, Cornelius à Lapide, Emmanuel de Naxera, & Eusebius Nieremberg L. 8. de Origine Scripturæ sacræ C. 20. post Theodoretũ, & veteres alios; quanquam Arias Montanus, Colmalque Magallanes post S. Augustinum tribuant Sacerdotalem functionem non tam Angelo, quàm Gedeoni.

7 Præter declaratum offerendi modum, communem Ecclesiæ vniuersę militanti (& ob quem fortè dixit Concilium Tridentinum Sess. 22. C. 1. Christum *Dilectæ sponsæ suæ Ecclesiæ visibile, sicut hominum natura exigit, reliquisse Sacrificium*) competit fidelibus nonnullis alius modus offerendi magis propriꝰ & immediatus ob concursum aliquem exhibitum erga Sacrificium Missæ vnà cũ Sacerdote agente, & offerente principaliori, eoque solo consecrante, & sacrificante propriè. In primis autem assistentes Ministri, vt Diaconus, Subdiaconus, alijque inseruientes, siue Missis solemnibus, siue priuatis, cum concurrant physicè aliquatenus ad eas, meritò dicuntur offerre. Iosephus Vicecomes Volumine 3. Obseruationum Ecclesiasticarum L. 3. de antiquis Missæ ritibus Cap. 18. exarat quædam verba nomine Rheginonis Prumiensis Lib. 1. de Ecclesiastica disciplina, in quibus Diaconus, vel quilibet Ecclesiæ deputatus Clericus ob nauatam operã suam Presbytero sacrificanti dicitur etiam sacrificare. Sed Rhegino transcribebat ibi Concilij Toletani I. Canonem V. cuius hæc sunt originalia verba, *Presbyter, vel Diaconus, vel Subdiaconus, vel quilibet Ecclesiæ deputatus Clericus: si ad Ecclesiam ad Sacrificium quotidianum non accesserit*, &c. Non ergo benè apud Rheginonẽ, *Si ad sacrificandum non venerit*: quanquam etsi hoc modo scriptum extaret in eo Concilio, interpretandum esset, quatenus Clerici non Presbyteri dicerentur sacrificare in eodem sensu, ac offerre; sed aliquãtò minus propriè, & multò minus vsitatè.

8 Deinde dicuntur offerre & illi, qui sunt moralis causa, vt Sacerdos celebret, eo quòd præbeant ipsi stipendium, aut moueant aliter ad celebrandum, scilicet iussu, rogatu, consilio; sępe enim minus principali concausę physicæ, vel morali tribuitur eadem denominatio, quæ causæ magis principali. Vnde mirum non est, si offerentis denominatio, quæ Sacerdoti pręcipuè competit, communicetur etiam fidelibus alijs concurrentibus cum ipso physicè, vel moraliter ad Missam. Neque hinc inferas, defunctos, qui pro Missarũ celebratione pecuniam reliquerunt, fore offerentes largo saltem modo, vt concedit Sotus in 4. Dist. 13. q. 2. art. 1. §. *Offerentes*. Nam cum sint extra statum viæ, & Ecclesiæ militantis, ne largo quidem modo possunt dici actu offerẽtes; neque Sacerdotes in ordine ad ipsos agunt munus offerentium principalium, vt obseruat Amicus suprà n. 190. diximusq; iam nos in n. 6. antecedenti. Et in hoc est dignum obseruatu, fideles quondam solitos afferre in Ecclesiam panem, & vinum, tradereque Ministris altaris, vt inde portio competens consecrata sumeretur sacramentaliter tam à Ministris, quàm ab ipsis fidelibus Laicis, & quod residuum maneret inconsecratum, deseruiret ad sustentationem diurnam ministrantium altari. Offerebant primùm mares, deinde fœminæ; recitabanturque vtrorumque nomina, vt eruditè comprobant ex multis Concilijs, & Patribus Hieronymus Columbus L. 4. de Angelica, & Humana Hierarchia C. 67. n. 6. Ioannes Stephanus Durantus L. 2. de Ecclesiæ Catholicæ ritibus C. 26. ex num. 7. vsque ad 10. Vnde quia afferebant, & offerebant materiam, ex qua conficiendum erat Sacrificiũ, appellati sunt offerentes eiusdem Sacrificij. Quæ ratio videtur mihi valde genuina, & ex ea aperitur sensus orationum quarundam, quibus ab antiquo vtitur Ecclesia. Nam in secreta Dominicæ sextæ post Pentecosten sic orat, *Propitiare, Domine, supplicationibꝰ nostris, & has oblationes famulorum, famularumque tuarum benignus assume; vt quod singuli obtulerunt ad honorem nominis tui, cunctis proficiat ad salutem.* Similiter in secreta Dominicæ sextæ, *Propitiare, Domine, supplicationibus nostris, & has populi tui oblationes benignus assume*, &c. Rursus in secreta Dominicæ septimæ, *Accipe Sacrificium à deuotis tuis famulis, & pari benedictione*

benedictione. sicut munera Abel, sanctifica, vt quod singuli obtulerunt ad Maiestatis tuæ honorem, cunctis proficiat ad salutem.

9 Tertiò, qui assistunt Missę, vt præcisè eam audiant, dicuntur etiã offerentes; tum quia non modò sunt præsentes, sed etiam consentiunt actioni sacrificandi per Sacerdotem factæ, intenduntq; eam; quare eius sunt moralis causa: tum quia volunt colere Deum, protestando per præsentiam suam ad Sacrificium Missæ, quòd sit author vitæ, & mortis; id autem quodãmodò est offerre Deo externum cultum Sacrificij illius: tum quia religiosæ intentionis audiendi Missam, vel interessendi ei assignari debet aliquod obiectum, in quod feratur; nõ potest autem assignari aliud commodè, quàm oblatio facienda simul cum Sacerdote, & facienda ab intendẽte præsente. Quod debuissent addere, (nisi subticuerint tãquam quid manifestũ) Cardinalis de Lugo D. 19. sect. 11. n. 230. Franciscus de Lugo L. 5. C. 3. q. 2. n. 16. ex quibus didicimus hanc rationem; alioqui quotquot vellẽt offerre simul cum Sacerdote, intenderent audire Missam; quæ sequela est absurda, nam qui stipem conferunt pro Missa dicẽda volunt offerre simul cum Sacerdote, & tamen non eo ipso debent intẽdere auditionem Missæ, si hæc celebretur in ipsorum absentia. Probant verò prælaudati Authores, non posse commodè præfigi intentioni dictæ aliud obiectum, quam quod declarauimus. Nã velle audire Missam, non est velle præcisè assistentiam corporalem in Ecclesia tempore celebrationis; potest enim quis velle eam assistentiam ex alio fine, & absque intentione audiendi Missam; neque item est velle audire materialiter voces, quæ dicuntur in Missa, neque rursus est videre materialiter ritus, & cœremonias, quę in ea aguntur; alioqui surdus, (subintellige idem de cæco) nõ posset intendere obiectum, ad quod obligantur fideles ratione præcepti de auditione Missę; quare surdus immunis esset ab huiusmodi præcepti executione contra communẽ Theologorum sententiam de surdo, vt & de cæco. Si dicas, esse velle, vel audire, vel videre. Impugnaberis, quia alioqui surdus simul, & cæcus non teneretur præcepto illo, etiam si posset externo aliquo signo deprehendere diuinam rem, cui Sacerdos operatur; alioqui etiam non satisfaceret præcepto illi, qui auritus, & oculatus non audiret, neq; videret Sacerdotem ob impedimentum aliorum fidelium interpositorum, cum quib⁹ tamen haberet præsentiam humanam, & moralẽ ad actionem sacram Missæ. Sed de hoc latiùs in D. 30. Neq; denique est velle, quòd Sacerdos offerat Missã pro intendente audire eam, præsenteque ad ipsam; alioqui si Sacerdos illicitè non offerret Missam pro sic intendente, & præsente, non audiret hic eam modo sufficienti ad præcepti adimpletionem de auditione. Restat igitur, vt sit explicitè, aut implicitè velle oblationem Missæ à se præsente faciendam simul cũ Sacerdote tanquam principaliori offerente. Cõfirmo ego id ipsum, nam præcepto audiendi Sacrum obligatur Sacerdos, satisfacitq; illi, quãdo Missam celebrat die Dominico, aut festo, non sanè ob aliã rationem, nisi quia tunc offert Deo Sacrificium, cultumq; externum religiosum, qui in Sacrificij oblatione cõsistit. Ergo cum illius præcepti, vtpote quod vnum, idemq; sit, debeat esse vnũ, idẽque obiectum respectu Sacerdotum, & fidelium cæterorum, consequens est, vt fideles cæteri, quando intendunt adimplere illud præceptum, intendant etiam explicitè, aut implicitè vt ab ipsis præsentibus offeratur Deo Sacrificiũ simul cum Sacerdote offerente principaliori. Inquies ex Arriaga D. 57. sect. 7. n. 41. talẽ intentionem solere abesse in hominibus plebeis, atque idiotis, & tamen habent eam, quæ sufficiens est ad satisfaciendum illi præcepto. Sed cum ipse admittat, debere intendi à quouis fideli assistere actioni illi cognitæ vt sacræ, non poterit non saltem implicitè intendi id, quod nos diximus.

10 Ex his intelliguntur plura, quæ in Liturgia continentur, & in quibus alij præter Sacerdotem dicũtur offerre. Nam Sacerdos in Offertorio calicis inquit, *Offerimus tibi, Domine, calicem salutaris &c.* posteàque ait, *In spiritu humilitatis, & in animo contrito suscipiamur à te, Domine: & sic fiat Sacrificium nostrum in conspectu tuo hodie, vt placeat tibi, Domine Deus.* Priora verba pronunciantur etiam à Diacono, si Sacerdoti solemniter ministret. Insuper post manuum ablutionem dicit Sacerdos, *Suscipe, sancta Trinitas, hanc oblationem, quam*

tibi offerimus &c. Osculatoque altari, & versus ad populum inquit, *Orate fratres, vt meum, ac vestrum Sacrificium acceptabile fiat &c.* Præterea in priori Canonis parte non solus Sacerdos, sed & alij asseruntur rogare, petere, & offerre. Ibi: *Rogamus, ac petimus, Offerimus.* Et paulo post clarissimè, *Memento, Domine, famulorum, famularumque tuarum, & omnium circumstantium, quorum tibi fides cognita est, & nota deuotio, pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc Sacrificium laudis, &c.* Tò *Pro quibus tibi offerimus* dicitur à Sacerdote de ijs, qui nullum cõcursum in Sacrificium præbent; & Tò *Vel qui tibi offerunt* intelligitur de ijs, qui aliquo modo cooperantur in Sacrificium, non autem de Sacerdotibus alibi celebrantibus, vti exponi posse, significat Innocentius III. L. 3. de Mysterio sacro altaris C. 6. Et Hugo Menardus in Librum Sacramentorum S. Gregorij pagina 14. vult sine causa, particulam *Vel* non esse disiunctiuam. Seruant illam eandem loquendi normam Patres multi ex citatis in n. 2. Sciendumque est cum Vvalafrido C. 22. de Ecclesiasticis rebus, *quosdã inordinatè offerre, qui attendentes numerum oblationum potiùs, quàm virtutem Sacramentorum, sæpe in illis transeuntes offerunt Missis, ad quas persistere nolunt. Rationabilius siquidem est, ibi offerre, vbi velis persistere, vt qui munus Domino obtulisti, offeras pariter pro eodem munere suscipiendo postulatã deuotionem. Non enim frustra in Actione dicitur, Qui tibi offerunt; non dicit, qui obtulerunt, vt intelligamus, eos persistere debere in offerendo, donec oblata ad hoc perueniant, ad quod oblata sunt.*

SECTIO II.

De Ministro adiuuante in Missa.

11 VISVM mihi est, agere de eo in hoc loco, quia post Sacerdotẽ consecrantem, & sacrificãtem tenet primum gradum inter merè offerentes, quorum functioni declarãdæ insudat hæc Disputatio. Igitur de huiusmodi Ministro scribit S. Thomas 3. p. q. 83. art. 5. ad 12. *In solẽni celebratione Missæ plures Ministri debent adesse. Vnde Soter Papa dicit, vt habetur de Consecratione Dist. 1. Hoc quoque statutum est, vt nullus Presbyterorum Missarum solemnia celebrare præsumat, nisi duobus præsentibus, sibiq; respondẽtibus ipse tertius habeatur, quia cum pluraliter ab eo dicitur, Dominus vobiscum, & illud in Secretis, Orate pro me, apertissimè conuenit, vt ipsius respondeatur salutationi. Vnde & ad maiorem solemnitatem ibidem statutũ legitur, quòd Episcopus cum pluribus Missarum solemnia peragat. In Missis tamen priuatis sufficit, vnum habere Ministrum, qui gerit personam totius populi Catholici, ex cuius persona Sacerdoti pluraliter respondet.* Ita S. Doctor; quo cum tenẽt iã omnes Theologi contra Hugonem ad illud Cap. *Hoc quoq;* sufficere vnum tantùm, qui Missã non solemnem celebranti assistat, & ministret; fauetq; communis consuetudo, cui Ecclesiastici Præsules non contradicunt. Decretũ autẽ Soteris Papæ abijt in desuetudinem, & abrogatum est contrario vsu tum ob maiorem numerũ Sacerdotum, qui tenentur frequentiùs celebrare, tum ob maiorem celebrandi facilitatem, quo tempore Christianus populus non tã assidue, ac antiquitus, frequentat Ecclesias, adestq; Sacris. Nihilominus in Missis, quibus vnus tantùm Minister assistit, retinentur iure merito plurales alloquutiones, & responsiones. Etsi enim pluralis numerus requirere soleat saltem duo, *l. vbi numerus, ff. de Testibus, l. Inter illa §. finali ff. de verbor. obl. & C. Pluralis de Reg. Iur. in 6. C. Si testes 4. q. 2. & 3. §. Vbi numerus:* tamẽ quia iuxta Petrum Damianum in Opusculo 11. de *Dominus vobiscum* Sacerdos alloquitur totam Ecclesiam repræsentatam in vno Ministro, & is vicissim respondet nomine totius Ecclesiæ, vt cum dicit, *Habemus ad Dominum*, conueniens est, ne antiqua formula mutetur. Potest etiam dici, sufficere ad veritatẽ pluralium earum alloquutionum, & respõsionum, tũ quòd enuncientur conditionatè, si multæ adsint personæ, tum quòd referantur non ad vsum hodiernum, sed ad antiquum Ecclesiæ: quo insensu saluatur optimè veritas, quam Ecclesia præsens intendit: & hinc explicantur nonnullæ preces Liturgicæ conceptæ sub plurali numero adstantium, offerentium, & communicantium, etsi non nisi vnus solus adsit de populo, aut Minister tantùm, & neque is communicet. Hinc etiam intelligitur, cur quando priuatim recitatur ab vno solo Officium diuinum, non omittantur alloquutiones, & respõsiones

nes plurales. Addit pro hoc vltimo aliã rationẽ Martinonus D.40.sect.3.n.33. quia scilicet recitans sustineat personã tum publici Ministri Ecclesiæ, tum populi, cuius pars est. Quæ ratio valeret, vt si vnus solus ex dispensatione celebraret, nihil immutandũ esset in Missa.

12 S. Thomas interpretatur Decretum Soteris de solemni celebratione Missæ. Sed, vt optimè vidit Suarez D.87.sect.2.V. *Iuxta hanc* difficilis est ea expositio, ✠ tum quia hoc sensu superfluum esset tale præceptum, quia fieri non potest, vt Missa solemnis sine pluribus Ministris celebretur, quia in hoc eius solemnitas consistit; vel certè dicendum erit, ibi præcipi, quòd omnes Missę cum ea solẽnitate dicantur, quod est difficilius, & contra D. Thomę mentem: tum etiam quia ratio, quæ ibi subiungitur, generaliter omnes Missas cõprehendit, scilicet vt Sacerdos aptè dicere possit, [Dominus vobiscũ,] & similia. ✠ Hactenus Eximius Doctor; addiderimque, Anacletum Papam Sotere anteriorem præcepisse in Epist. 1. Episcopis quidem *sacrificantibus, vt testes secũ habeant, & plures, quàm alij Sacerdotes*, vt refertur C. *Episcopus* 59. de Consecrat. Dist. 1. & quibuscumque Sacerdotibus quomodocumque celebrantibus, *Ipsi, quando Domino sacrificant, non soli hoc agere debent; sed testes secum adhibeant, vt Domino perfectè in sacratis Deo sacrificare locis probentur.* Adiecerim etiam Concilium Toletanum 11. dicens in C. 14. *Necessarium duximꝰ instituere, vt vbi temporis, vel loci, siue Cleri copia suffragatur, habeat semper quisquis ille canens Deo, atque sacrificans post se vicini solaminis adiutorem.* Refertur hic Canon à Gratiano 7. q. 1. estque eius initium, *Illud diuini Oraculi.* Innocẽtius III. L. 2. de Mysterio sacro altaris C. 24. post relata superiora Soteris verba, subdit, *Verùm aliud est necessitatis articulus, & aliud religionis contẽptus.* Vbi innuit, debere assistere plures Ministros, nisi necessitas excuset; quæ faciet, vt pluriũ Ministrorum defectus non attribuatur contemptui religionis, neve fit ex contemptu. Sediam, vt, vno solum Ministro præsente, celebret Sacerdos Missam priuatam, sufficit arbitrium ipsius Sacerdotis, quin requiratur articulus necessitatis; nec ideo timenda est nota contemptę religionis. Sunt, qui vnius tantùm Ministri vsum antiquum velint probare ex verbis S. Laurentij ad S. Sixtum Papam, *Tu nunquam sine Ministro offerre consueueras.* Intelligenda tamẽ sunt de Ministro Diacono; etsi alij inferioris Ordinis adessent.

13 Supponit, & benè, S. Thomas, necessarium esse pro Missa priuata vnum saltem Ministrum, si loquamur per se. Ita fert Ecclesiæ consuetudo, & praxis vniuersalis; quę, cum versetur in re graui, obligat absque dubio grauiter. Accedunt Rubricæ Missalis titulo de defectibus, §. 10. n. 1. & in Concilio Basileensi Sess. 21. C. 8. refertur tãquam abusus aliquarum Ecclesiarum, *quòd Missa priuata sine Ministro dicitur*; insuper in C. *Proposuit de filijs Presbyterorum* dicitur, *Non enim solus Presbyter Missarum solemnia, vel alia diuina officia potest sine Ministri suffragio celebrare.* Cæterùm cum in hoc Cap. habeatur sermo de alijs etiam Officijs diuinis, ait non ineptè Suarez V. *Decreta*, intelligi posse de Missa solemni, seu publica quoad cantum, & non de priuata. Videantur Concilia Prouincialia Nannetense incerto anno, C. 30. apud Burchardum L. 3. C. 68. Ivonem p. 3. C. 70. & apud Rheginonẽ C. 19. de Ecclesiastica disciplina, Mogũtinum anno 813. C. 43. alterum Mogũtinum anno 1549. C. 54 Treuerẽse eodẽ anno, tit. de Missę Officio ritè peragendo, Parisiẽse anno 829. sub Ludouico L. 1. C. 48. Augustanum anno 1548. C. 18. in quibus decernitur de necessario ad Missam Ministro; & in Concilio Eboracensi anno 1194. imperatur, *ne sine Ministro litterato celebretur*; & in Leonis IV. Põtificis Maximi Homilia, seu Epistola per Prouincias ad Episcopos missa, communicãda Presbyteris subditis, dicitur, *Nullus Missã cantet solus*, & in Ordine Romano ante dimissionem Concilij Prouincialis hæc erat vna ex admonitionibus iuxta C. *Vt quisque, de Vita, & honest. Clericor. Omnis Presbyter Clericum habeat, vel Scholarem, qui Epistolam, vel lectionem legat, & ad Missam respondeat.* Iosephus Vicecomes Volum. 2. de Ecclesiasticis obseruationibꝰ L. 5. de Missæ ritibꝰ C. 4. transcribit ista S. Gregorij verba ex L. Capitularium Cap. 7. *Sacerdos Missam solus nequaquam celebret*. Habet eadem Theodulphus Episcopus Aurelianensis in Epistola ad Clerum suę Diœcesis. Quarum authoritatum nonnullæ adeò Ministri necessitatem ponderant, vt non vno solo

sint contentæ, imò tunc non dici benè *Dominus vobiscum*, asseuerat Berno in Expositione Missæ ex editione Iacobi Fabri: quare accipiendæ sunt cum mitigatione, quam vsus obtinuit. Videantur etiam C. *Placuit* 1. q. 4. C. *Illud diuini Oraculi* 7. q. 1. C. *Nemo Ecclesiam* 9. *de Consecratione* D. 1. C. *Cum sicut de Consecratione Ecclesiæ*, C. *Vt quisque de Vita*, & *honest. Clericor.* C. *Proposuit de Filijs Presbyterorum*, ex quibus textibus deducit Doctores, dotem Ecclesiæ debere sufficiētem esse ad alendos vt minimùm duos, ea nimirū de causa inter alias, vt nō deficiat, qui Sacerdoti ministret in altari.

14 Verumtamen Minister non est ita necessarius, vt non possit Sūmus Pontifex dispensare licitè ex causa quidē congrua, sed quæ aliàs se solanō esset sufficiens ad celebrandū sine Ministro, si deficeret dispensatio, quia præceptū de Ministri assistentia est merè Ecclesiastīcū, caditq; proinde sub Papæ potestatē. Hinc si alicubi vigeat consuetudo celebrandi sine Ministro respondente, vt de Germaniæ pagis renuere non videntur Synodi Ratisponēnsis, & Brixinensis, testaturq; Layman L. & Tract. 5. C. 6. n. 13. Tannerus tomo 4. D. 5. q. 10. dub. 6. n. 91. citans earum Synodorum verba in n. 87. existimandum est, dispēsasse Pōtificem expressè, vel tacitè, vt addit Franciscus de Lugo L. 5. de Missa C. 13 q. 2. n. 14. Hinc etiā si quis Sacerdos voluntariè secederet in solitarium locum, vbi vitam ageret; deesset que Minister, fas minimè illi foret, celebrare ordinariè, non obtenta prius à Pontifice dispēsatione, nam non licet sine eius nutu instituere modum vitæ incompositibilem cum obseruantia generalium præceptorum Ecclesiæ, neque ob necessitatem ortam ex propria voluntate facere Sacrum cōtra communem consuetudinē, & legem. Ita Suarez D. 87. sect. 1. in fine, alijque apud præcitatum Lugum suprà; quos decipi, dictum est minus cōsideratè à Marchino Tract. & p. 3. de Ordine C. 15. n. 2. Neq; obstat Glossa ad C. *Hoc quoque* dicens, *Imò & incluſus Missam solus cantare potest, vbi Clerici copia non suffragatur.* Nam, vt ait Tabiena V. *Missa* §. 9. ea glossa est abrogata per generalē, & contrariā cōsuetudinē. Et licet Zerola in 2. p. Praxis Episcopalis V. *Missa*, §. *Tertio* scribat, * Potest Sacerdos solus celebrare. Et ita credo, quod in primitiua Ecclesia faciebant Sancti interdū in desertis, & speluncis, præsertim in persequutionibus per cryptas, ac cœmiteria, domusque priuatas, * Sed neq; verum est, quod credit; quin imo in primitiua Ecclesia fuit semper cura, vt Missæ celebrarentur in multorum præsentia: saltē quòd sine Subministro fuerint peractæ, nullū exemplū habemus; & quidquid de hoc sit, neq; inde debuisset Zerola absolutè dicere, posse Sacerdotem solum celebrare. Non negabo, Vvalafridū Strabonem C. 22. de Ecclesiasticis rebꝰ, Stephanum Eduensem C. 13. de Sacramento altaris, Odonem Cameracēsem Expositione in Canonem Missæ Dist. 2. indicare quidpiam de Missis solitarijs in Cœnobijs longè post Ecclesiæ exordia. Ast non exprimunt, præsentem non fuisse Subministrum aliquē, sed eò respiciunt, vt dicant, defuisse in eis frequētiam fidelium, sine qua antea non solebant fieri. Vt taceam, non esse nunc temporis permissa omnia, quæ quōdam Maioribus nostris. Hinc præterea non licebit Sacerdoti omnino surdo facere Sacrum absq; Ministro respondente, etsi Nauarrus L. 1. Consiliorum in 36. n. 1. dicat, * Nullibi videntur à Presbyteratu prohiberi surdi, qui penitus non audiunt; quoniam possunt dicere Missam soli, & sine Ministro respondente, & cōsequenter non audiendo Illum. * Sic Nauarrus. Cæterùm quāuis non audiatur Minister, potest is suum exhibere ministerium in actionibus, quæ ad illud spectant; potestq; Sacerdos surdus indicare, quòd conuenienti tempore exhibeat in verbis respondens ad prolata ab ipso Sacerdote. Hinc tandem non probo Emmanuelem Sà dicentem absolute V. *Missa* n. 18. *Potest quis, si desit Minister, ipse sibi respondere in Missa.* Non probo, inquā, quia, si desit, non est celebrandum ordinariè. Habuit Sà Nauarrum, cuius vestigia premeret, vt & Zerola suprà.

15 Sed numquid fas erit extraordinariè, celebrare Missam sine Ministro, casu quo aut ipse Sacerdos, aut populus in die festo non posset audire aliam Missam, vel etiam vrgentiori casu, quo siue Sacerdos ipse, siue quicumque alius decessurus esset absque viatico? Vazquez in notatione circa art. 5. q. 83. S. Thomę n. 43. & Gaspar Hurtadus D. 4. Diff. 12. docent, non licere in posteriori etiam casu, nā præcep-

ceptum diuinũm de sumendo viatico non obligat, nisi quando celebrari potest, seruato ritu Ecclesiastico. Quæ ratio militat à fortiori, ne obliget in priori casu præceptum Ecclesiasticum de audienda Missa; & proinde vt desit causa, quæ licitam reddat celebrationem sine Ministro. Concordant cum Vazquio in priori casu graues alij Authores apud Leandrum D.7.q.54. Nihilominus cũ multò pluribus apud eundum q. illa 54. & antecedenti, necnon apud Franciscũ de Lugo in præcitata q.2. rursusq; apud Dicastillum D.4.dub.12.n.234. cẽseo, licere in vtroq; casu; in posteriori quidem, quia præceptum diuinum accipiẽdi viaticum præualet Ecclesiastico præcepto, aut consuetudini non celebrandi absque Ministro; cuius defectus in extrema necessitate non videtur cedere contra Sacrificij decorum, atque decẽtiam. Si autem quis inde inferat, obligatum etiam esse in posteriori casu Sacerdotem celebrare. Non grauabor cõcedere cũ Auersa q.11.sect.9.V. *Quòdsi.* Deinde in priori licet, nam, etsi non cõstet, fortius esse præceptum Ecclesiasticum Missæ, siue audiendæ, siue celebrãdæ in die festo, etiam valdè solẽni, quã alterum non celebrandi sine Ministro, etiam quando non solus Sacerdos, sed & multitudo rusticanorũ pateretur alioqui defectum Sacri; tamen vnum, & alterum præceptum par esse, potest prudenter iudicari, & cum vtrumq; simul adimpleri nequeat, licebit eligere alterutrius adimpletionem, vt cum Auersa suprà considerauit perdoctè Franciscus de Lugo suprà n.12. Cauendum tamen est, vt fiat citra scãdalum. Ex resolutione præstita in posteriori casu colligitur, Sacerdotem posse licitè, imò & debere prosequi Missam post consecrationem hostię, si Minister recessit ab altari, & aliquandiu expectatus non redit, nam præceptum consecrandæ, & sumendæ vtriusque speciei arctissimũ est, si quod aliud. Imò quia maioris momenti est ineeptæ Missæ absolutio, & perfectio, quàm eius prosequutio sine Ministro, fas erit, ab ea non desistere, quin potiùs obligatorium, præsertim post oblationem, si Minister discedat, & non redeat: desistendumq; non esse postquàm est incæpta, dicunt sine limitatione Gaspar Hurtadus suprà cum Henriquez, Thomasque Tamburinus L.1.de Missa C.7 §.5.n.6. quia defectus Ministri non est necessitas tantæ considerationis, quãtæ debet esse, vt ab inchoata Missa cesset Sacerdos. De incluso in carcere propter iustitiam, aut fidem Catholicã, si desit copia Ministri, celebrare posse sine illo, vt ex Missa solamen, aut iuuamen, quo indigus sit, capiat, videtur Francisco de Lugo suprà n.11. Ego verò suaderem, vt medijs alijs quæreret sibi consolationem, aut præsidium spirituale, nisi in casibus, de quibus paulò anteà. Oportet tamen notare, minorem causam, quàm quę in illis continetur, requiri, vt Sacerdos celebret cum Ministro, quem ipsemet Sacerdos in eadem Missa instruat ad respondendum, præeundo, seu verba responsionum simul cum illo dicendo (etsi difficile sit, præstare id tunc conuenienter, vt notat Tannerus suprà n.89.) & adhuc minorem requiri, vt Sacerdos celebret cum Ministro, nesciente quidẽ respõdere, sed sciente inseruire, prebẽdo vrceolos ad calicem parandum, & purificandum, transferẽdo Missale ex vno latere ad aliud, pulsandoque campanulam. Ita Suarez D.87.sect.2.V. *De alio Ministro*, Cardinalis de Lugo D.20.sect.6.n.103. alijque.

17 Rogas, an fœminę ministerium in Missa licitum sit? Respondeo, esse lethaliter illicitum, si sermo sit de ministerio proximo, quo actiones circa altare, & personam Sacerdotis exercẽtur, ministrando vrceolos, infundendo aquam, & præstando similia. Probatur ex C. *Inhibendum de Cohabitatione Clericorum, & mulierum*, vbi dicitur, *Prohibendum quoque est, vt nulla fœmina ad altare præsumat accedere, aut Presbytero ministrare, aut intra cancellos stare, siue sedere.* Quod C. refertur, & confirmatur in Concilio Moguntino l. teste Ioanne Baptista Scortia L.2.de Missæ Sacrificio C.21.n.2. Sed ego non inuenio in eo Concilio. Fortè pro Nannetensi (in cuius 3. C. apud Binnium extat) positum est Moguntinum. Adducit idem Scortia pro eadem prohibitione tum Epistolam 2. Soteris prohibentis, ne sacratæ etiam fœminæ sacra vasa tangerent, vel incensum ad altare deferrent, quod reprehensione, & vituperatione plenum esse, nulli rectè sapientium dubium sit; tum Canonem 44. Concilij Laodicensis vetantis mulieres ad altare ingredi, & contingere, quæ virorum officijs sunt

deputata; tum Zachariam Papam in Epist. 6. ad Pipinum Regem Francorum, Episcopos, Abbates, & alios Francorum sublimiores Potestates, data anno 744. C. 5. Vbi etiam citat, imò & transcribit Gelasium Papam in Epist. ad Episcopos per Lucaniam scripta anno 494. n. 28. Inquiunt itaque vnus, & alter Summus Pontifex, *Nefas est, fœminas sacris altaribus ministrare, vel aliquid ex his, quæ virorum officijs sunt deputata, præsumere. Nihilominus impatienter audiuimus, tantum sacrarum rerum subijsse despectum, vt fœminæ sacris altaribus ministrare firmentur, cunctaque, quæ non nisi virorum famulatui deputata, sexum, cui non competunt, exhibere: nisi quòd omnium delictorum, quæ singillatim perstrinximus, noxiorum reatus omnis, & crimen eos respicit Sacerdotes, qui vel ista cõmittunt, vel committentes minimè publicando, prauis excessibus se fauere significant.* Addo ego Concilium Parisiense anno 829. L. 1. C. 45. allegans etiam Gelasium Papam, & grauissimis verbis reprehendens ministerium fœminarum ad altare. Addo rursus Innocentium IV. Papam dicentem, *Mulieres seruire ad altare non audeant, sed ab illius ministerio omnino repellantur.* Ita apud Bzouium in Annalibus Ecclesiasticis anno 1254. in Diplomate super compositione Archiepiscopi Nicosiensis in Cypro, & Suffraganeorũ eiꝰ cũ Græcis Episcopis ad Episcopum Tusculanum, Apostolicæ Sedis Legatum. Addo item Ordinem Romanum in ordine agendi Concilium Prouinciale, in quo, quando dimittebantur Conciliares, fiebat hæc admonitio, *Nulla fœmina ad altare Domini accedat, nec caliĉ Domini tãgat.* Insuper addo Theodulphum Episcopum Aurelianensem, qui in Epistola ad Clerũ suæ Diœcesis scribit, *Fœminæ, Missam Sacerdote celebrante, nequaquam ad altare accedant, sed locis suis stent, & ibi Sacerdos earum oblationes Deo oblaturus accipiat, Memores enim esse debent fœminæ infirmitatis suæ, & sexus imbecillitatis; & idcirco sancta quælibet in ministerio Ecclesiæ contingere pertimescant. Quæ etiam Laici viri pertimescere debent, ne ὀργὴ pœnam subeant, qui dum arcam Domini extraordinariè contingere voluit, Domino percutiente interijt.* Ita Theodulphus. Prætereunda non est S. Hildegardis inquiẽs L. 2. Visione 6. *Nec fœminæ ad idem altare debent accedere, quoniam ipsæ infirmum, & debile habitaculum sunt.* Et hæc satis ab authoritate, quæ magis illustrabuntur, cum de contactu rerum sacrarum vetito fœminis sermonẽ habeamꝰ in D. 27

17 Ratio prohibitionis quoad ministerium in altari desumitur ex tanti Mysterij sanctitate, ac puritate, à quo remoueri debent omnes turpium cogitationum occasiones, quas in fœminarum opera reperiendas plerumq; nullus ibit inficias, si ministerium proximum foret; nam si remotum sit, quale præstant Moniales è Choro respondẽtes cantando, nec interdicitur in Canonibus memoratis, nec affert occasiones illas. Vnde infero, si in Ecclesia Monialium adsit, qui possit exercere proximũ ministerium, etsi nesciat, aut nõ valeat, quia mutus sit, respondere, licitum fore celebrare, dummodo Moniales è Choro respondeant cantantes, vel communi etiam voce loquentes in casu vrgentis alicuius necessitatis. Eademque videtur esse ratio de alijs fœminis honestis in simili casu, si tamen communi voce respondeant è remoto loco, & quin ad altare accedant. Ita Cardinalis de Lugo suprà, eiusque frater Ioannes de Lugo suprà q. 3. n. 18. & 19. contrà Vazquiũ. Et olim quidem totus populus constans ex viris, & mulieribus respondere solebat Sacerdoti. vt ex S. Iustino in Apologia pro Christianis obseruat Martinonꝰ, Disputatione 40. sectione 3. num. 36. & ex eodem in Dialogo cum Tryphone, necnon ex Liturgijs S. Iacobi, S. Marci, S. Basilij, Missaque, seu Canone vniuersali Æthyopum, S. Germano in Theoria rerum Ecclesiasticarum, Constitutionibus Apostolicis L. 8. C. 15. S. Cypriano in Orationem Dominicam, S. Chrysostomo Homilia 36. in 1. ad Corinthios, S. Cæsario Arelatensi Homilia 5. de diuinis Mysterijs, Paschasio Rathberto in C. & V. 26. Mathæi probat eruditè Iosephus Vicecomes Volumine 3. Obseruationum Ecclesiasticarum L. 1. C. 14. Imò prolatis altè à Sacerdote verbis cõsecrationis, respondebant cuncti fideles *Amen*, vt ex Liturgijs SS. Iacobi, Basilij, & Chrysostomi, ex S. Iustino, Ambrosio, Augustino, atque Leone confirmat Salmeron tomo 9. in Euangelia Tract. 12. pag. 98. Tract. 14. pag. 114. Tract. 32. pag. 319. constatque ex S. Ambrosio, & S. Leone, colligiturque ex Eusebio Cæsarienſi, fuisse quondam in vsu, vt quicumque communicabant, dicerent *Amen*,

men, quando Sacerdos enunciabat, se tradere illis corpus Christi, vt ibidem animaduertit prælaudatus Martinonus; simulque, id non fuisse contra præceptū Apostoli 1. ad Corinthios 14. V. 34. nā ibi solùm iubetur, ne mulieres in Ecclesia exhortentur, doceant, aut interrogent: quas prisco quo in Missa cantasse, alternantibus choris marium, & fœminarum, ostendit præcitatus Vicecomes C. 32. & 33.

18 Porrò fœminæ adeò arcendæ sunt à ministerio proximo, vt hoc a Sacerdote debeat potiùs per se ipsum suppleri in casibus præcedentis numeri 15. quàm permittere, quòd à fœminis exhibeatur, siquidem expressiùs prohibeatur in Iure; indecentiusq; appareat ministerium proximum præstitum à fœminis, quàm ab ipsomet Sacerdote, vt contra Nuñum Cabezudum tenent plerique Theologi recentes. P. Henriquez L. 9. C. 30. §. 1. ait, *Papæ priuilegium concedit, vt Monialis, vrgente necessitate; per fenestellam altari propinquam ministret.* Ast de tali priuilegio nec Francisco de Lugo q. 3. n. 19. nec mihi constat, neq; de illo loquuntur Siluester, & Tabiena citati à Fagundez L. 3. in 1. præceptum Ecclesiæ C. 21. n. 3. & à Tannero D. 3. q. 10. dub. 6. n. 88. Nisi intelligendus sit Henriquez de ministerio quoad respondendum tantùm. Et in hoc sensu accipitur à Moure in Examine Theologiæ Moralis parte 3. C. 5. §. 4. n. 10. Emmanuel autem Rodriguez in Summa V. *Missa*, Cap. 247. n. 1. allegans eundem Henriquez, loquitur obscurè. Vt vt de hoc sit, reprobanda est cum Conincho ad q. 83. n. 264. consuetudo vigens in quibusdam locis, vt fœminæ ministrent proximè; de quibus dicitur in Rubricis Missalis, titulo de Defectibus §. 10. n. 1 deseruire non debere in Missa. Adesis Dianam parte 2. Tract. 14. Res. 44. p. 10. Tract. 15. Res. 26.

SECTIO III.

Plura alia de eodem Ministro.

19 CIRCA eundem Ministrum potest primò disquiri, an tempore interdicti localis generalis queat Laicus, qui neque sit excōmunicatus, neque interdictus, seu qui causam interdicto non dederit, esse Minister inseruiens Sacerdoti celebranti; cuius non sit familiaris domesticus? Nā si sit, poterit iuxta C. *Licet de Priuilegijs, in* 6. & iuxta frequētem Theologorum, Canonistarumque sententiam. Sed etsi non sit, poterit, casu quo Sacerdos non inueniat alium Ministrum Clericum. Cum enim Sacerdoti concessum sit, eo tempore sacrificare; consequenter conceditur adiutorium illud, quod ex cōmuni vsu Ecclesiæ necessarium est ad Sacrificium, vt post Nauarrum, & Couarruviam docet Suarez D. 34. de Censuris, sect. 1. num. 31. alijque passim. Et alioqui aut Sacerdos deberet tunc non celebrare; quare priuilegium Cap. *Alma mater de Sententia excommunicationis in* 6. redderetur inutile respectu illius; aut posset ille sacrificare sine Ministro: quod neutiquam admittendum est, vt conuincunt tradita in Sectione præcedenti. Maioris est difficultatis, an si de facili reperiri queat Minister Clericus, vel ad manum sit, liceat nihilominus assumere Ministrum Laicum? Doctores communiter significant, non esse fas; nam facultatem assumendi Ministri Laici restringunt ad casum, in quo desit, qui Clericus sit, & qui debeat ex munere suo, vel velit inseruire. Fuit mihi nuper de hoc puncto controuersia cum homine valde litterato; censuiq; tunc, vt & modò, licitum esse, eligere Ministrum Laicum, relicto Clerico; vsusque fui exemplo eius, qui habens priuilegium recitandi de Conceptione B. Virginis Mariæ in Sabbatho Quadragesimali potest admittere socium ad horas Canonicas alium nō priuilegiatum; satisfacietque vterque earum perso: quæ est persuasio, & praxis doctorum, timoratorumque virorum. Si igitur istud priuilegium fauet ei, quem non exprimit; quia recitare cum socio, est decens, & conforme vsui Ecclesiæ in Choro; fauebit illud aliud priuilegiū, siquidem Minister potiori iure inseruiens Sacro necessarius sit, & non adiungatur ex decentia tantùm. Sic tunc discurrebam fretus authoritate Patris Sà dicentis V. *Interdictū*, n. 21. ✻ Qui potest celebrare, potest sibi adiungere Ministrum quemuis non priuilegiatū ✻ & postea inueni fauentem nostrum Frāciscū Bardi in Explicatione Bullæ Cruciatæ parte, & Tract. 2. C. 3. sect. 2. n. 18. qui citat Suarium L. 8. de Legibus C. 11. n. 7. Præsento huius verba, vt

quę

quę totam dubitationem sedent, ✻ Sic ergo dicendum est de priuilegio dicendi Missam tempore interdicti: nam inutile esset, si nō posset Minister aliquis illo gaudere. Nec enim cogēdus est Sacerdos habens tale priuilegium quærere Ministrum, qui similem fauorem habeat, vt ab eo iuvari possit; hoc enim accidentarium est, & ab eo non pendet vtilitas prioris priuilegij, quod per se debet esse efficax. Neque tunc fit extensio priuilegij, sed rigorosa, & iuridica interpretatio, nam qui facultatē, vel potestatem aliquam concedit, omnia necessaria ad illius vsum, quæ ab ipso concedi possunt, intelligitur concedere, argumento textus in C. *Prætereà, de Officio delegati.* ✻ Sic Eximius Doctor: quem imitantur Bonacina, & ipsū referens Castro Palao Tract. 3. D. 4. puncto 12. n. 2. licet non tam clarè loquantur, ac ille.

20 Secundò dubitari potest, nū tempore cessationis à diuinis, quando celebretur ad renouandam Eucharistiam pro viatico infirmorum, possint assumi à Sacerdote Ministri duo, vel vnus solus? Posse duos, affirmat Henriquez L. 13. C. 53. §. 2. iuxta C. *Hoc quoque* de Consecratione, Dist. 1. Consentiunt Castro Palao Tract. 29. D. 5. puncto 9. §. 2. n. 9. Gibalinus Disquis. 7. de Censuris q. 15. n. 5. Non improbat Abila parte 6. de Censuris Disp. 1. dub. 4. Concluſ. 2. Mihi videtur, non esse assumendum nisi vnum solum Clericū, vel Laicum, quia etsi Soter Papa in illo Capite iusserit, vt duo saltem Ministri adessent sacrificanti, iam decretum illud abrogatum est contraria consuetudine, ideoq; duo Ministri non sunt nunc necessarij, & proinde euitari debent, quandoquidem Ecclesia intendat, vt cessatio seruetur in omnibus, quæ non sint requisita ad intrinsecam solemnitatem, & ad consuetas cæremonias Sacrificij, quod fieri permittit, seu potiꝰ vult ex fine subueniendi ægrotis eo in casu. Debet itaque vnus solus Minister Inseruire, siue sit Clericus, siue Laicus, nam, vt suppono ex Tractatu de Cessatione à diuinis, prohibitio, quam affert, assistentiæ ad diuina Officia, non magis afficit Laicos, quàm Clericos. Videatur Castro Palao suprà num. 4. Hinc à fortiori infertur, interdicti tempore adhibendam esse vnius solius Ministri Laici operam in Missa, quia assistere tunc Missæ, vetitum est Laicis specialiter.

21 Tertiò dubitari potest, an illegitimus filius queat licitè ministrare patri suo Sacerdoti celebranti? Nauarrus de Oratione C. 18. num. 75. ait, *satis consonum esse Iuri communi, ne patri missanti filius ministret.* Ius autem commune continetur in titulo *De filijs Presbyterorum*, sub varijs Capitibus, in quibus prohibetur, ne illegitimus filiꝰ ministret, vbi pater ministrat, vel ministrauit. Sed quia dici posset, ministeriū illud debere intelligi de seruitio prestito cum solemnitate, & exigente statum Clericalem, non autem de opera exhibita ad Missas priuatas, quibus Laici inseruire solent: quę responsio promoueri posset exinde, quòd in Canonibus illis ministerium vetitum proli illegitimæ accipiendum est eodem sensu, quo ministerium paternum; ast istud non sumitur ibi pro iuvamine in Missa more Laico, alioqui prohibitiones circa filiū extenderentur etiam ad casum, in quo pater more illo tantùm inseruiisset Missæ. Ideo instauratur difficultas tum ex C. *Cum decorē* in eodem titulo, vbi dicitur, *Indecorum esse, vt in altaris Officio illegitimus filius impudico patri ministret, in quo vnigenitus Dei Filius æterno Patri pro salute humani generis victimatur*: tum ex Concilio Tridentino Sess. 25. C. 15. de Reformatione, vbi iubetur, ne *Quoquo modò ministrent Clericorum filij in Ecclesijs, vbi eorum patres Beneficium aliquod Ecclesiasticum habent, aut habuerunt*: tum ex Concilio Treuerensi dicente in tit. de Missę Officio ritè peragendo, *In Missa vnus ad minus adsit Minister; non proles illegitima.* Vnde Tannerus tomo 4. D. 5. q. 10. dubio 6. num. 88. agens de Ministro qualicumque Missæ, ait, illegitimum debere non ministrare patri, neque in Ecclesia, vbi pater obtineat, aut obtinuerit Beneficium. Sic enim *Paternæ incontinentiæ memoria, à locis Deo consecratis, quos maximè puritas, sanctitasque decet, longissimè arcebitur*, vt vult Concilium Tridentinum suprà.

22 Sed pro breui decisione dubij expedit discernere certa ab incertis. Igitur primo certum est, filium genitū ex legitimo matrimonio posse inseruire celebranti patri, qui mortua coniuge ascenderit ad sacros Ordines, nam citra

obten-

obtentionem immediatam Beneficij paterni, manet in reliquis, ac si esset filius legitimus cuiusuis alterius, vt suppono cum Doctoribus, de quibus Augustinus Barbosa in Collectaneis ad locum citatum Concilij Tridentini n. 10. & 11. parte item 3. de Officio, & potestate Episcopi, Allegatione 65. n. 16. colligiturque ex C. *Ad præsentiam*, ibi: *Si tibi constiterit, quòd memoratus R. sit in Sacerdotio genitus.* Deinde certum videtur, si non sit publicum, & notorium, quòd Petrus, verbi gratia, sit filius illegitimus Pauli Sacerdotis, posse illum adiuvare hunc in Missa. Infertur à simili ex C. *Conquerente*, vbi ne filius habeat personatum, requiritur, publicum esse, & notorium, quòd pater in eadem Ecclesia eum habuerit. Ergo pariter necessarium est, vt de illegitimitate constet publicè, & notoriè. Nec Ecclesia solet ob occulta arcere personas ab huiusmodi functionibus; & ab ea, quę cōsistit in Ministrando Missæ more Laico, ne remoueat, patebit cuiusuis, potiorē esse rationem: quicquid sit, an præmissa doctrina temperari deberet limitatione aliqua. Certum tertiò est, posse iustè decerni, ne filius illegitimus seruiat patri in Missa more Laico. Et ita decretum fuit in Diœcesi Conimbricēsi, vt refert Nauarrus suprà, & vt Quintanadueñas noster parte 2. Singulariū, Tract. 2. Singul. 8. n. 1. in Diœcesibus Hispalensi, atque Granatensi. Et cum aliunde materia sit grauis, inducent per se obligationem sub lethali culpa Synodalia illa statuta. Iam ad quæstionem respondeo, non esse Iure communi antiquo, neque nouo Concilij Tridentini prohibitam ministrationem more Laico in Missa præstitam patri Sacerdoti à filio illegitimo. Nam C. *Cum decorem*, intelligitur de ea, quę fiat more Clericali ob præbendam Canonicatus in eadē Ecclesia; & Concilium Tridentinum loquitur quidem de ministratione quacumque, sed quæ sit propria status Clericalis, ita vt Laico cōpetere nequeat. Ast adiuvare in Missa priuata, functio est ex vsu hodierno communis non minus Laicis, quàm Clericis. Concilium Treuerense præscribit in posterioribus verbis id, quod decet. Tandem ratio proposita tum in C. *Cum decorem*, tum in Concilio Tridentino mouere sufficienter valeret ad præcipiendum, ne Minister Missæ etiam priuatæ foret illegitima proles Sacerdotis celebrantis; sed actu non mouisse, existimamus ob prædicta.

23 Quartò quæri potest, quęnam sint obligationes ministrantis in Missa priuata? Pater Suarez D. 87. S. 2 V. *De alio Ministro*, respondet scitissimè ✻ Peccare mortaliter, si voluntariè, dum ampullas ministrat, loco vini afferat aquam, vel aliquid huiusmodi: regulariter verò excusari à graui culpa, quādo aliquid simile committit ob naturalem inaduertentiam. Quoniam autem sæpe contingit, huiusmodi Ministros, aut non esse satis instructos, nec per se omninò sufficientes, nec perfecta ratione vtentes, vt in villis, & paruis oppidis sępe accidit; ideo tunc maximè debent Sacerdotes ipsi vigilare, ne aliquis defectus eorū occasione committatur. ✻ Hactenus Suarez. Nec ingratum erit Lectori, si adiungamus, quod Posseuinus ait in Lib. de Officio Curati C. 2. n. 9. ✻ Si quis Sacerdos habeat Ministrum, qui malè respōdeat, putà, multa in notabili parte omittat, vel corruptè proferat; celebret, & non curet, quia cum sit error iste frequens, maximè inter idiotas, hactenus de illo dubitantem non vidi ✻ Sic Posseuin°; cuius animaduersio illustrari potest ex Canone *Retulerunt* 86. de Consecratione Dist. 4.

24 Plus est, quod paulò anteà dixerat ille, scilicet Sacerdotem sine necessitate posse celebrare, & sibi ad omnia respondere, dummodò adsit Minister, qui, etsi nesciat respōdere, queat ministrare vrceolos, rursúsque qui, etsi nequeat propter chiragram, aut aliud impedimentum hos ministrare, sciat respondere. Et probat primum ex Missali in titulo de Ritu seruando §. 4. n. 2 vbi habetur, *Si Minister, vel qui interfunt, celebranti, non respondeant ad Kyrie eleison, ipse solus nouies dicit.* Sed profectò non est omnium eadem ratio, idenim in *Kyrie eleison* permittitur ob responsionis ordinatæ difficultatem, quæ sæpe incausa est, vt Ministri non respondeant, aut malè. Æquum tamen est, vt Sacerdos expectet, an Minister respondeat, nam, teste S. Gregorio L. 7. Epist. 63. *Kyrie eleison apud nos* (nempe apud Ecclesiam Romanam) à Clericis *dicitur, à populo respondetur: & totidem vicibus etiā*

Christe

Christe eleison dicitur. Vbi transcursim obseruo, Authoris, qui scripsit Sancti Dunstani Archiepiscopi Cantuariensis vitam apud Suarium 19. Maij, hęc verba, *Kyrie eleison, quod in cœlestibus didicit, suos docuit, idque multis in locis hodie sancta Ecclesia inter Missarum solemnia canit.* Sed certè ea supplicatio habetur in Liturgijs SS. Iacobi, Marci, Basilij, & Chrysostomi, & de ipsa loquuntur Sanctus Basilius in Epist. 63. S. Augustinus in Epist. 178. S. Gregorius loco citato, & ante ipsum præcipitur à Concilio Vasensi 3. anno 529. tempore Ioannis Papę II. C. 3. vt non omittatur in Missa; ad quam ex Græcis traduxit S. Siluester Papa. Quare multò antiquior est Sancto Dunstano, qui migrauit ad Superos anno 988. Legantur Bellarminus L. 2. de Missa C. 16. Ioannes Stephanus Durantus L. 2. de Ecclesiæ Catholicæ ritibus C. 13. Scortia de Sacrificio Missæ L. 3. Cap. 15. n. 3. Augustinus de Herrera in Origine, & progressu rituum, & cœremoniarum Missæ L. 2. C. 4. Noteturq; ex C. *Cum aliquis* 11. q. 3. solitum decantari *Kyrie eleison* ab Episcopo in Ecclesia, quando excommunicati pœnitẽtia ducti veniam postulabant. Ibi: *Et si ille terræ prostratus veniam postulat, & de futuris cautelam spondet, tunc Episcopus apprehensa manu eius dextera, in Ecclesiam illum introducat, & communioni Christianæ reddat, & septem Psalmos pœnitentiales decantet cum istis precibus Kyrie eleison*, &c. Sic ex Concilio Arausico.

25 Regredior ad Posseuinum: quem impugno aliundè, quia dum non vrget legitima aliqua causa, non decet celebrare sine Ministro, qui respondeat; estq; valde alienum à consuetudine Ecclesiæ, & ab eius ritu; ad quem spectat, vt Sacerdos tantùm proferat, quæ sui muneris sunt, &, alio respondente, taceat, vt monet Suarez suprà. Aduertoq; ego, requiri magnam causam ad celebrandum cum Ministro nesciente, aut non potente ministrare vrceolos, quia huiusmodi seruitium ad manuum ablutionem, & digitorum purificationem supplebitur valde difficulter à Sacerdote. Quapropter meritò inter defectus notabiles in Officio Sacerdotis occurrentes ponitur à Missali, titulo de defectibus §. 10. n. 1. *Si non adsit Clericus, vel alius deseruiens in Missa.* Sed de his satis in Sectione, quę hãc proximè præcessit.

26 Nunc ò pęræpretium erit, obseruare nonnulla circa ritus, & cęremonias exequendas à Ministro adiuvante in Missa priuata. Et quidem post Missalis à Clemente VIII. recognitionem debet Minister pulsare campanulam, tũ quandò Sacerdos dicit, *Sanctus*, &c: tũ quando immediatè post consecrationẽ elevat hostiam, & calicem; nam ita iubetur in titulo de ritu seruando §. 7. n. 8. & §. 8. num. 6. Pulsatio campanulę, quando paulò post consecrationem sustollitur aliquantulùm calix cum hostia, & quando Sacerdos ministraturus Eucharistiam dicit, *Ecce agnus Dei*, non præcipitur à Clemente VIII. quanquã posterior hæc pulsatio sit vsu receptissima. Et quæ fit ad eleuationem corporis, & sanguinis instituta fuit iuxta Nauclerum Volumine 2. Chronographiæ, Generatione 42. anno 1240. à Gregorio IX. Papa. Sed incęperat aliquot anteà annis in Germania. Nam, vt refert Cæsarius Heisterbachcensis L. 9. Illustrium miraculorum, & historiarũ memorabilium C. 51. ✲ Tempore schismatis inter Philippum, & Othonem Dominus Vuido Cardinalis, aliquando Abbas Cisterciensis, cum missus fuisset Coloniam ad confirmandam electionẽ Othonis, bonam illic consuetudinem instituit; præcepit enim, vt ad eleuationem hostiæ omnis populus in Ecclesia ad sonitum nolæ veniam peteret; sicque vsque ad calicis benedictionem prostratus iaceret. Præcepit etiam idem Cardinalis, vt quoties venerabile altaris Sacramentum deferendum esset ad infirmum, Scholaris, siue Campanarius Sacerdotem præcedens per nolam illud proderet, sicque omnis populus tam in stratis, quàm in domibus Christum adoraret. ✲ Hucvsque Cęsarius; & ex eo Arnoldus de Vuion in Ligno vitæ L. 5. Cap. 30. Chrysostomus Henriquez in Menologio Cistercienſi die 20. Aprilis, Aloysius Nouarinus in Agno Eucharistico L. 5. Sacrorum Electorum C. 63. n. 621. Augustinus de Herrera in Origine, & progressu rituum, & cæremoniarum Missæ L. 3. C. 12. n. 15. Imò Ivo agens gratias Reginæ Anglorum pro campanis transmissis Ecclesiæ Carnotensi, quam ipse rexit vsq; ad annum 1114. significat in Epist. 167. pulsatas fuisse iam tunc in Missæ celebratione. Ait enim, *Quæ quoties ad significationem certa-*

certarum horarum mouentur, ita auditorum mentes mulcentur, vt vestra memoria in singulorum cordibus renouetur. Nec leuiter est æstimanda talis memoria, quæ tunc reflorescit, quando illa singularis hostia, pro nobis redimendis in ara crucis oblata, per noui Sacerdotij Ministros in Domini mensa quotidie consecratur: quando hymnis Cœlestibus, tãquàm vitulis labiorum, Deus à fidelibus honorificatur; quãdo à peccatoribus rea pectora tundentibus, Deus offensus Sacrificio contribulati spiritus ad misericordiam inclinatur. Sic Ivo. Sed & ante eius ætatem inuenire est campanulæ vsum ad eleuationẽ Eucharistiæ; Author namque vitæ S. Meinulphi Diaconi (quem infantem baptizari curauit Carolus Magnus sub annum 799.) apud Suarium 5. Octobris, C. 12. scribit, ✻ Tintinnabulũ quoddam æneum benè sonorum inuentum est inter ossa S. Meinulphi, cum ea è sepulchro transferrentur: creditur que ille eo vsus fuisse sub eleuatione Sacramenti in illo suo Diaconi ministerio: eaque de causa cũ illo in eius sepulchro repositum est. ✻ Tantùm Author ille. Tribuitur Sabiniano Papæ ad annum 604. à Iacobo Gaulterio in Chronologica tabula Ecclesiæ Catholicæ cum Ciacono, Genebrardo, & Polydoro Virgilio, quòd constituerit, vt ad Missarum solẽnia campanæ pulsarentur. Sed accipiendi sunt de ære campano grandiori pulsato pro conuocando populo ad Missam. Nos nunc de illo nõ agimus. Adeat, qui velit, Barbosam Voto decisiuo, & consultiuo Canonico 102. ex n. 1. vsq; ad 39 & Iosephum Vicecomitem Voluminе 2. Obseruationum Ecclesiasticarum L. 1. de Missæ ritibus ex Cap. 25. vsque ad 28.

27 Prætereà à Pio V. & Clemente VIII. §. 8. n 6. iubetur Ministro accensio intortitij proximè ante consecrationem, non extinguendi, nisi postquàm Sacerdos sanguinem sumpserit, vel alios communicauerit, si qui erunt communicandi in Missa. Regulæ Æditui Societatis n. 7. ipsum monent, *Vt cum Sanctissimum Sacramentum eleuatur, facem, aut cereum accendat; quo tempore etiam tintinnabulum pulset: accendet etiam facem, cum alijs Sanctissimum Sacramentũ ministrabitur; ipseque confessionem generalẽ eorum vice recitabit.* Quod vltimum traditur etiam in Missali, §. 10. n. 6. Cæterùm accensio intortitij, quæ est quidem cæremonia valde prisca, vt constat ex S. Hieronymo Epist. 20. ad Marcellam, S. Isidoro Hispalensi L. 7. Etymologiarum C. 12. Ordineque Romano, necnon ex Gersone parte suorum Operum secunda in Resolutionibus quarũdam quæstionum, fit ad Missas priuatas nunc extra Religionum aliquarum tẽpla rarò in Hispania, quantùm noscere potui.

28 Adhęc: deportatio Missalis ad alteram partem altaris in cornu Euangelij pertinet communiter ad Ministrum; quanquam posse fieri à Sacerdote ipso, non renuam, nam §. 6. num. 1. in præcitato titulo de ritu seruando, legere est, *Sacerdos, si priuatim celebret, ipsemet, seu Minister portat librum Missalis ad alteram partem altaris in cornu Euangelij.* Sed cum transferendum est Missale ad cornu Epistolæ, non exprimitur ibi, an possit deferri per Sacerdotem; solùm enim dicitur §. 11. n. 1. *Celebrante purificato, dum calicem collocat in altari, liber Missalis defertur per Ministrum ad cornu Epistolæ.* Denique circa obseruanda à Ministro priuatæ Missæ est valde vtilis instructio, quæ in Regulis Æditui Societatis n. 3. habetur his verbis, *Dum sacris inseruit, attentus ad suum ministerium cum deuotione, & attentione sit. Nec ante eum, qui celebrat, aut ad latus ex æquo, sed aliquantò posteriùs maneat: vtatur verò sono, qui congruat cum eo, quo Sacerdos vtitur; omnia rectè proferat, nec celeriter nimiùm, nec nimis lentè. Denique in ijs sit benè instructus, & cæteros, qui Sacerdotibus ministrabunt, eadem doceat.*

29 Quintò interrogari potest, num Minister inseruiens altari, si inde aliquandò recedat, vt afferat vinum, aut hostiam, thusve, vel pulset vt campanas, satisfaciat præcepto, quod eadie vrgeat, audiendi Missam? Communis responsio Doctorum est affirmatiua. Ita Scortia L. 2. C. 20. num. 3. cum Sãcto Antonino, Siluestro, Tabiena, Nauarro, Suarez, & Henriquez. Ita etiã Fagundez in 1. Ecclesiæ præceptum L. 2. C. 6. n. 10. addens Toletum, & Azorium; Ioannes Dicastillus Tract. & D. 5. dub. 3. n. 43. adijciens Emmanuelẽ Sà, Graffium, Bartholomæum ab Angelo, & Bonacinam. Quæ doctrina confirmatur egregiè ex communi alia apud Thomam Sanchez L. 7. Consiliorum, Cap. 2. dub. 15. vbi probat, occupationem

nem necessariam ad diuinum in Choro Officium excusare, ita vt partem omissam non teneantur supplere, qui nō potuerunt, aut non debuerunt præuenire. Prioris doctrinæ ratio est, quia Minister re ipsa absens, sed ea de causa, censetur moraliter præsens integræ Missæ, cui cooperatur, etiam dum recedit, atque adeo satisfacit præcepto Ecclesiæ. Limitant aliqui, dummodò Minister bona fide procedat. Quæ restrictio est superuacanea; loquimur namque de recessu non malitioso, neque doloso, sed requisito, aut conducente ad cultum Sacrificij, quin Minister in culpa fuerit nō præparandi, aut non præueniendi. Alij etiā limitant, si tamen Minister non abeat è templo, aut non nisi breui temporis spatio. Hæc autem restrictio aut non est necessaria, aut destruit rationem, quā ipsimet dederant præsentiæ moralis ob cooperationem ad Sacrificium, nam si Minister recedit è templo ob inseruiēdum Missæ, non censebitur absens moraliter; & intra ipsummet templum potest quis adesse, quin sit moraliter præsens Missæ. Prætereà recessus per longum tempus, aut non esset vtilis Missę, nisi Sacerdos eam interrumpens expectaret, quousque rediret Minister; vel si vtilis esset, quia expediret v. g. pulsari campanas pendentes è turri extra templū, deberet suffici alius Minister; & videtur adhuc fauere primo ratio assistentiæ moralis ad Missam ob occupationem in re pertinente ad eam.

30 Verumtamen, nisi secunda limitatio adhibeatur, premit valde argumentum hoc Castri Palai Tract. 22. Disp. vnica, puncto 16. n. 7. Præsentia moralis cum absentia morali consistere non potest; qui autem à templo recedit etiam occasione deferēdi Sacrificio necessaria, est absolutè absens non solùm physicè, sed etiam moraliter à Sacrificio. Si respondeas, ministerium illud circa necessaria ad Missam reputari pro præsentia ad eam. Contra, ergo qui post responsiones vsque ad Introitum abiret, vt per villam quæreret vinum ad purificationem, eo quòd aduertisset tunc, deesse ad illam, tametsi non ad cōsecrationem, satisfaceret præcepto, quāquam rediret post consecrationem. Similiter etiam satisfaceret, qui toto tempore Missę pulsaret extra templum campanas pro eius solemnitate in die aliqua valde festiua; & qui per pagum discurreret petens eleemosynam conferendam Sacerdoti tunc celebranti pro animabus Purgatorij. In his enim casibus valet etiam illa ratio præsentię moralis, siquidem occupatio, vel recessus sit obfaciendum, vel deferendū aliquid necessarium ad Missam. Nemo verò concedet, adimpletum iri præceptum in præfatis casibus. Ego saltem non admitterem.

31 Quare ad interrogationem respondeo, recessum Ministri è Sacro stare cum adimpletione præcepti, si sit ad breue tempus siue intra, siue extra templum, si item sit occasione rei alicuius necessariæ, vel magnopere conducentis ad eiusdem Sacri perfectionem. Quia breuis recessus, & ob causam iustā componitur optimè cū morali ad Missam præsentia, quam postulat præceptum, siue sit recessus Ministri, siue cuiusuis alterius. Sed in Ministro militat potior ratio, cum enim sit, vt supponitur, ob causam Sacri ipsius, iuvat id, ne præiudicet præsentię morali. Cęterùm si recessus etiam Ministri, & ex causa prædicta duret per notabile Missæ tempus, non video, quomodò non officiat præsentiæ morali. Et quidem hæc fundari debet in præsentia physica, & corporali: alioquì qui cooperaretur Sacrificio tribuens stipem Sacerdoti pro eius celebratione, haberet præsentiam moralem ad illud, quanta satis esset ad præceptum adimplendum, etsi per multas leucas distaret physicè, & corporaliter à templo. Iam verò Minister recedens ab altari per notabile Missæ tempus caret præsentia physica, & corporali ad magnam eius partem. Igitur non satisfaciet præcepto. Fatebor tamen, ratione præstiti seruitij erga Missam esse excusandum faciliùs ab auditione alterius Sacri, si commodè non possit interesse illi, quàm excusaretur alius, qui ex causa diuersa discessisset per tempus æquale, imò & per minus. Sic Suarez D. 88. sect. 2. V. *Ex hac*, Fagundez suprà, Pellizarius in Manuali Regularium Tract. 5. C. 4. sect. 2. n. 51.

32 Hinc consequenter censeo, Ministrum satisfacturum præcepto, etiamsi recedat tempore consecrationis, vt afferat aliquid necessarium; si tamen redeat statim, nec absens sit per notabile Missæ tempus. Eiusdem est censuræ

Cardinalis

Cardinalis Lugus D.22. sect.1. num.6. quem sequitur suus frater Franciscus de Lugo L.5.C.14.q.6.n.67. citans Dianam parte 5. Tract. 13. Resol. 61. qui parte 10. Tract. 14. Res. 46. firmat se magis in eadem opinione; cui subscribit etiam Auersa q.11. sect.19. V. *Rursus non*, & à fortiori alij apud Leandrum Tract.2.in 5.præcepta Ecclesiæ D. 1.q. 45. & 46. Sed oppones, si quiuis alius recederet, & abesset eo solo tempore, quanuis præsens foret reliquis partibus Missæ, non adimpleret præceptum, vt dicemus in D.30. Ergo idem existimari à nobis debet de Ministro. Negamus Consequentiam, quia in Ministro, vt prænotauimus, militat potior ratio, vt censeatur, sitq; moraliter præsens cõsecrationi, à qua re ipsa, & physicè sit absens ob prouidẽdum rei alicui necessariæ ad Sacrificium.

33 Sextò sciscitari quis poterit de obligationibus Ministri exercentis munus Diaconi, vel Subdiaconi in Missa solemni? Huic quæsito respondet plenissimè Suarez D.87.sect.2.V. *De priore Ministro.* Trãscribo eius verba, ✻ Tenetur ad ea obseruanda, quæ iuxta ritum ab Ecclesia institutum circa solemnem Missæ celebrationẽ instituta sunt:: Peccarerque, hæc leuiter omittendo, vel negligenter, aut irreuerenter tractando. Secluso autem contemptu, & scandalo, rarò erit in hoc graue peccatum, quia vt ministerium hoc minus principale est, & accidentariũ in Officio Missæ, ita materia huius defectus communiter non apparet admodũ grauis. Interdum tamen esse potest, si aut redundet in aliquam irreuerentiam grauem ipsius Sacramenti; aut si eam ob causam aliquid omittatur, quod, licet accidentarium sit, tamen maioris momenti in Missa censeatur. ✻ Sic Eximius Doctor. Nec mihi occurrit quidpiam addendum,

34 Poterat septimò hic discutari, num Minister inseruiens Missæ, siue solemni, siue priuatę, debeat existere in statu gratiæ? Communior sententia est, loquendo etiam de Diacono, non teneri. Sed de hoc puncto nos in Tract. de Sacramẽtis in genere. Quicquid autem sit de ministrante ex officio in Missa solemni; ast de seruiente in priuata nullum legi, qui dicat, peccare per se, si non sit in statu gratiæ. Excipio innon inatos quosdam, qui apud Martinonum D.40.sect.10. existimarunt, quemcumque, qui audiat Missam, reum esse peccati noui lethalis, si eum de antiquonõ pœniteat. Ast illa existimatio exotica est, & à nobis refutanda in D. 30. Nunc aduertimus, etsi Clericus sit, qui ministret Missæ priuatæ, quia tamen non ex officio, vt proprio, & speciali sibi nunc temporis, sed vt potest, imo & vt de facto citra necessitatem etiam præstat passim Laicus, ideo non obligari prę Laico, vt se disponat ad gratiam. Huc à fortiori facit exemplum vulgare Sacerdotis ministrantis sine solemnitate Sacramentum Baptismi, etsi enim baptizet cum conscientia noxę mortalis, non cõmittit peccatum graue, vt frequentior fert opinio, quia scilicet non baptizat, vt Minister ex officio. Obijciet quis ex dictis in Sectione 1. Ministro seruienti in Missa, competit offerre diuinissimũ Sacrificium; huiusmodi autem functio exigere videtur sanctitatem in exequẽte eam. Vnde Sacerdos vt præcisè offerens delinquit lethaliter, si innoxius nõ sit. Respondeo, probari nimiùm hoc argumento, alioqui audientes Missam, & conferentes stipendium ad illam, cum offerentes etiam sint, premerentur eadem obligatione. Quapropter functio offerendi excellentissimum Sacrificiũ non per se, & immediate, sed per Sacerdotem, iure suo haud postulat sanctitatem in offerente; quanuis deceat, vt nullus, qui sceleris conscius sit, ministeriũ suum ad altare impendat illi. Paritas ex Sacerdote desumpta inefficax est, is enim offert per se ipsum, & immediatè. Quòd si in eo offerre sumatur pro consecrare, & sacrificare, satis patet, quantùm superet alios offerentes; si autem sumatur in significatione denotante oblationem verbalem expressam, siue panis, & vini, siue corporis, & sanguinis Christi post consecrationem, excedit etiam in hoc sensu cæteros offerentes. Omitto nunc discutere, an titulo præcisè offerentis debeat Sacerdos celebrare crimine insõs? Cui inuestigationi suus erit locus, & tempus in Disput. 29.

DISPVTATIO XV.

DE FRVCTV, QVI EX SACRIFICIO Missæ prouenit offerentibus, necnon & ijs, pro quibus offertur generaliter.

1 *TRACTAVIMVS AFFATIM Disputatione X. de fructu, qui ex opere operato Sacrificij Missæ confertur personis, pro quibus specialiter offertur, expedit, vt nũc exploremus, an personis offerentibus communicetur etiam aliquis fructus ex opere operato eiusdem Sacrificij? Vbi simul agemus de fructu proueniente in personas, pro quibus illud generaliter offertur à Sacerdote.*

SECTIO I.

Christo vt offerenti non respondet aliquis fructus applicandus ei personæ, quam per se elegerit. An Sacerdoti, & alijs offerentibus Sacrificium Missæ per concursum ad ipsum respondeat fructus aliquis ex opere operato?

PRIOR SECTIONIS pars probatur, nam sicut Christus nunc non offert seorsim à Sacerdote, ita neque illi respondet aliquis fructus seorsim ab eo, qui oblationi Sacerdotis factę in persona, ac nomine eiusdem Christi; & applicationem talis fructus non reseruauit sibi Christus, faciendam in bonum personæ, quã per se eligeret, sed commisit Sacerdoti, vt ipsam faceret tanquã constitutus dispensator mysteriorum Dei. Legantur Suarez D. 79. sect. 8. V. *Primò igitur*, Coninch 3. p. q. 83. art. 1. d. 9. n. 149. vbi primo impugnat Scotũ Quodlibeto 20. vt qui ibi senserit contrarium. Ego tamen nec vestigium opinationis illius reperio in Scoto. Sed qualiscumque illam tenuerit, fortè non aliud voluit dicere, quàm quod Cardinalis de Lugo D. 19. sect. 10. n. 228. in his verbis, * Effectus, qui correspondet Christo vt principali offerenti, non oritur ex oblatione Sacerdotis, vt est ipsius; sed ex oblatione Christi; qui tamen voluit, vt Sacerdos applicaret hanc suam portionem, cui vellet: quòd si eam non applicat, nõ est, cur proueniat ipsi Sacerdoti, cum nõ sit ipse solus offerens, sed etiã Christus, qui suam portionem potest applicare, cui velit. Quòd si non applicatur, debuisset potiùs prouenire ipsi Christo offerẽti, si ipse indigeret, non eius Ministro.*

2 Posterior Sectionis pars operosior est. Ad quam prænoto, Sacerdotem considerari posse tum vt offerẽtem in persona Christi, tum vt offerentem tanquam personam priuatam, sed prin-

principaliorem cæteris offerentib⁹ per concursum in Sacrificium. Si primo modo consideretur, certum est, Sacerdotis oblationi respondere ex opere operato fructum communicabilem ei personæ, cui Sacerdos liberè applicuerit volens pro ipsa offerre Sacrificium; & proinde talem fructum communicandum de facto Sacerdoti, si hic applicet sibi, velitque pro se offerre Sacrificium. Si secũdo modo consideretur Sacerdos, procedit quæstio proposita, quæ comprehendit non modò Sacerdotem, sed etiam àlios cooperantes in Sacrificium.

3 In qua quæstione duplex versatur sententia, alia affirmatiua, alia negatiua.

Authores respondentes affirmatiuè ad secundam partem Sectionis: argumentaque eorum.

TENERE videtur affirmatiuam opinionem S. Thomas 3. p. q. 79. art. 5. in Corp. inquiens, *Hoc Sacramentum, in quantum est Sacrificium, habet vim satisfactiuam. Sed in satisfactione magis attenditur affectus offerentis, quàm quantitas oblationis :: Quamuis ergo hæc oblatio ex sui quantitate sufficiat ad satisfaciendum pro omni pœna, tamen fit satisfactoria illis, pro quibus offertur, vel etiam offerentibus secundùm quantitatem suæ deuotionis, & non pro tota pœna.* Sic in fine Corporis; & in principio dixerat, *Hoc Sacramentum habet effectum Sacrificij in eo, qui offert, vel in ijs, pro quibus offertur.* Pro eadem sententia adduci potest Catechismus Romanus parte 2. C. 4. n. 71. dicens de Eucharistia, *Vt sacramentum est, ijs, qui diuinam hostiam sumunt, meriti causam affert, & omnes illas vtilitates, quæ suprà commemoratæ sunt: vt autem Sacrificiũ est, non merendi solùm, sed satisfaciendi quoque efficientiam continet. Nam vt Christus Dominus in Passione sua pro nobis meruit, ac satisfecit: sic qui hoc Sacrificium offerunt, quo nobiscum communicant, Dominicæ Passionis fructus merentur, ac satisfaciunt.* Et inferiùs in n. 79. *Huius Sacrificij eam vim esse Parochi docebunt, vt non solùm immolanti, & sumenti prosit, sed omnibus etiam fidelibus, siue illi nobiscum in terris viuant, siue iam in Domino mortui, nondum planè expiati sint.* Pro eadem etiam opinione afferri possunt verba illa Canonis, *Pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerũt pro redemptione animarum suarum, &c.* Significare enim videntur, Sacrificium pollere vi iuuandi illos, à quibus, & non tãtùm illos, pro quibus offertur. Insuper fauere videtur Concilium Tridentinũ Sess. 22. Can. 3. vbi supponit, Eucharistiam vt Sacrificium prodesse sumenti, tametsi non ei soli. Verba Canonis sunt, *Si quis dixerit, Missæ Sacrificium tantùm esse laudis, & gratiarum actionis, aut nudam commemorationem Sacrificij in cruce peracti, non autem propitiatorium, vel soli prodesse sumenti:: anathema sit.* Vlterius citantur Caietanus tomo 2. Opusculorũ Tract. 3 de Celebratione Missæ q. 2. Siluester Verbo *Missa* 1. q. 9. Sed Caietanus, & Siluester loquuntur tantùm de fructu ex opere operato Sacrificij comparatione eorum, pro quibus offertur; vel si loquantur comparatione offerentium, est quidẽ satis obscurè, vt notat Vazquez D. 231. C. 3. n. 11. qui in n. 12. cõcedit, Canum L. 12. de Locis C. 13. V. *Alterum argumentum*, & Sotum in 4. Dist. 13. q. 2. art. 1. V. *Igitur vt ad quæstionem* stare pro ea sententia. Cæterùm etsi Canus, & Sotus doceant, nõ minorem esse fructum, Sacrificij, quando multi offerunt, quàm quando pauci, sed potiùs esse tãtum in singulis, quantus esset, si vnusquisq; solus offerret, nõ constat, Authores illos, & antiquos alios concordes in ea doctrina sermonem habere de fructu ex opere operato Sacrificij. Et aliqui apertè effantur de fructu quidem ex opere operato, sed qui respondeat Christo, vt principali offerenti, & Sacerdoti, vt ministeriali offerenti. Cæterùm quicquid sit de Theologorum veterum mẽte, Suarez Disp. 79. sect. 8. V. *Quartò de cæteris*, Henriquez Lib. 9. C. 20. §. 2. Petrus à Nauarra de Restitutione Lib. & C. 2. per totam 5. Difficultatem, Layman L. & Tract. 5. C. 2. n. 18. Bonacina D. 4. q. vltima, puncto 4. n. 2. & 6. Filliucius Tract. 5. C. 3. n. 72. Granadus tomo 5. Controu. 6. Tract. 14. D. 8. num. 2. & 5. Amicus D. 33. sect. 6. num. 171. & 184. Toletus L. 2. C. 7. n. 1. Fagundez L. 3. in 1. præceptum Ecclesiæ C. 6. ex numero 19. Villalobus tomo 1. Tractatu 8. Diff. 8. n. 7. Trullench L. 3. de Sacramentis C. 8. dub. 6. n. 2. Azor tomo 1. L. 10. C. 20. q. 9. in fine, Auersa de Eucharistia quæst. 11. sect. 9. V. *Et hæc pars.* Dicastillus Tract. 5. D. 3. dub.

6. àn. 144. vsque ad 157. Bauny parte 1. Theologiæ Moralis Tract. 6. q. 7. in fine, q. 10. Conclus. 1. Lessius 3. p. q. 83. art. 1. dub. 9. n. 45. & 46. Hieronymus Columbus Lib. 4. de Angelica, & Humana Hierarchia C. 68. ex num. 6. Franciscus de Lugo L. 5. C. 4. q. 5. n. 49. Leander Tract. 8. D. 3. q. 12. multique alij partim ab ipsis citati, partim à nobis omissi conspirarunt pro affirmatiua parte, quam præ omnibus illustranit Suarez his argumentis, alijque post ipsum.

4 Primum ordine est, oblationi Sacrificij Missæ competit, vt sit fructuosa ex opere operato. Ergo congruum est, vt de eius fructu participent omnes, qui physicè, vel moraliter ad eā concurrunt. Et de primis, nempe de Sacerdotibus, certum sibi id esse, ait Amicus suprà, quoniam ipsa actio physica, & immediata offerendi, cum fiat in persona Christi, fundataque sit in meritis ipsius, non potest non esse dignissima, vt ad illam, etiam quà oblatio est præcisè, consequatur effectus in offerentibus, qui obice careant. De secundis verò, cum sint moralis causa Sacrificij, quod in oblatione consistit, videtur etiam debere compotes esse fructus ipsius, nisi aliàs sint indispositi. Secundum, eo ipso quòd cum Sacerdote concurrant alij ad Sacrificium, offertur hoc maiori cū deuotione, reuerentia, & dignitate. Ergo, si cætera sint paria, respondet illis maior fructus ex opere operato iuxta doctrinam S. Thomæ suprà. Tertiū, Sacramenta conferunt suū ex opere operato effectum omnibus sumentibus. Ergo & Sacrificiū conferet suum ex opere operato fructum omnibus offerentibus per cōcursum physicum, aut moralem; sicut enim vsus Sacramentorum cōsistit in receptione, ita ratio Sacrificij in oblatione. Quartum, Christus potuit sic instituere Sacrificium, vt ex opere operato proficuum esset cunctis cōcurrentibus ad illud; congruitq; rationi, vt sic instituerit illud, nec inde sequitur aliquod absurdum, aut inconueniens. Ergo &c. Quintum, nō est credibile, quòd ille, qui audit Missam, non recipiat plus fructus ex opere operato Sacrificij, quā ille, qui non audit, sed pro quo æqualiter, ac pro eo alio offeratur a Sacerdote Sacrificium; neque item est credibile, quòd si duo cum pari deuotione audiant Missam, alter Sacerdotis veri, alter ficti, non lucretur prior præ posteriori maiorem fructum virtute Sacrificij veri. Sextum, veterum Sacrificiorum oblatio fructuosa erat ex opere operātis iuxta deuotionem singulorum offerentiū. Ergo oblatio noui huius, & excellētioris Sacrificij erit proficua ex opere operato cum proportione ad deuotionem offerentium immediatè, & proximè. Septimum, ex opere operato prodest Sacrificium Missæ ijs, pro quibus offertur. Sed speciali ratione offertur pro ijs, qui sunt offerentes proximè, & immediatè, vt constat ex Offertorio hostiæ, ibi, *Et pro omnibus circumstantibus*; necnon ex verbis Canonis, *Et omnium circumstantium, quorum tibi fides cognita est, & nota deuotio, pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt.* Voluit autem meritò Ecclesia offerri specialiter Sacrificium pro circumstantibus, vt hi maiorem fructū perciperent ex illo, quā absentes, etiāsi in reliquis forent pares; & nisi id ita esset, parùm incitarentur fideles ad audiēdum Sacrum, alijsque modis cōcurrendum ad ipsum.

5 Hæc sunt argumenta sentētiæ affirmantis; quæ fructum, quem in Sacrificij opere operato adstruit, vocat specialissimum, præsertim respectu Sacerdotis, ad distinctionem alterius, quē generalissimum, aut generalem appellat, & alterius, quem specialem. Generalis est ille, quem Sacerdos applicare debet omnibus fidelibus viuis, atq; defunctis. Specialis verò est ille, quem applicare debet ijs, pro quibus vult, aut tenetur offerre specialiter Sacrificium. Solet etiā dici medius, vtpote positus, aut consideratus inter generalē, & specialissimum. Solet que & hic nominari personalis, quia respondet Sacerdoti vt personæ priuatę, non autem vt publico Ecclesiæ Ministro, quemadmodùm generalis, neq; itē vt publico Christi Ministro, quēadmodū specialis, & medius. Has voces didicit Schola Theologica ex Scoto in Quodlibeto 20. art. 1. quā quis ipse non videatur agnoscere in Sacrificio Missæ fructum specialissimum, qui sit ex opere operato, sed tantùm operantis, nec enim aliter loquitur de eo fructu, quàm de quouis alio ratione actus meritorij, aut orationis fusæ à persona grata Deo.

Si

Si offerentibus respondeat fructus ex opere operato, non erit ab ipsis applicabilis alijs.

6 AVTHORES admittentes fructum specialissimum non conueniunt in decidendo, an ex intentione offerentium possit, necne, applicari alijs? Sed si concedatur talis fructus, censeo cum Suario suprà, sect. 9. in fine, & cum multis alijs, non posse applicari, est enim fructus, qui suopte modo exhibitionis à Deo respondet ex opere operato ipsis offerentibus; fructus autem, aut effectus, qui sic respondet alicui, non potest ex eius intentione applicari alteri, vt constat in effectu ex opere operato Sacramentorum, v. g. in remissione pœnæ per Baptismum, per Pœnitentiæ Sacramentum, per satisfactionē Sacramentalem. Patet etiā in remissione pœnæ ex opere operato Indulgentię; quæ remissio nequit applicari alteri, nisi specialiter concedatur in ipsa forma Indulgentiæ à Summo Pontifice. Similem autem concessionem factam à Christo fuisse huic Sacrificio, cogitatur omnino gratis ab Auersa q. 11. sect. 9. V. *Dicendum tamen.* Claret denique in fructu speciali, & medio respondente ex opere operato ijs, pro quibus nominatim offertur Missa, nam persona, pro qua applicatur, nequit transferre illum à se in aliam.

7 Nec obijcias exemplum fructus specialis, & medij, qui applicari potest à Sacerdote, siue sibi, siue alijs. Non, inquam, obijcias, nam is fructus respondet Sacrificio vt offeribili; est autem Sacrificium offeribile à Sacerdote non minus pro alijs, quàm pro se. At fructus specialissimus respondet offerentibus, quà offerentes sunt; non secus ac effectus Sacramēti ex opere operato respondet suscipientibus, quà suscipientes sunt. Præterea fructus specialis, & medius est indifferens, vt conferatur huic, vel alteri personæ iuxtà intētionem, & applicationem liberam offerentis Sacerdotis tanquam publici Ministri deputati ad procurandum bonum commune, & non tantùm bonum priuatum; ideoq; tā potest applicari à Sacerdote pro alijs, quàm pro se; imò nisi à Sacerdote applicetur, siue sibi, siue alijs, non communicabitur vlli. Cęterùm fructus specialissimus est ex se determinatus ad offerentes tanquam ad personas priuatas, estq; quasi ex se applicatus ipsis, quin requiratur ad eius communicationem intentio, applicatioq; libera facta, aut à Sacerdote, aut ab alijs coofferentibus, dommodò enim ad Sacrificiū concurrant, & aliunde non habeant obicem, potientur tali fructu.

8 Neque rursus obijcias, in Canone Missæ dici, circūstantes offerre Sacrificium *pro se, suisq; omnibus.* Ergo nō minus alijs, quàm sibi possunt applicare Sacrificij fructum. Nam respondetur, offerentes à Sacerdote distinctos offerre tantùm, & applicare pro alijs fructum Sacrificij ex opere operantis; alioqui semper offerrent, & applicarent pro alijs fructum specialissimum cum obligatione proueniēte ex institutione Ecclesiæ; quam tamen obligationem neq; in Sacerdote tu ipse agnoscis. Mihi quidem absurda apparet potestas in fœmina, vel homine Laico, vt, authoritate sua, eò præcise quòd interfit Sacro, valeat per modum communicationis applicare alteri remissionem pœnæ temporalis ex opere operato Sacrificij. Certè ea potestas videtur propria Ministrorum Christi, qui sunt dispensatores mysteriorum Dei, & quibus in Ordinatione dicitur prę alijs fidelibus, *Accipite potestatem offerendi Sacrificia pro viuis, & defunctis*: & qui soli sunt immediatè offerētes Sacrificij, ita vt alij non offerant, nisi mediantibus illis: causa autem sola immediata operatur efficaciter; nec potest mediata ponere effectum, nisi immediata causet illum, vt hoc punctum quasi acu attingens notauit Martinonus D. 39. sect. 4. num. 34. quare inualidè, & inefficaciter applicabitur Sacrificij ex opere operato fructus pro persona aliqua ab alia, quę tantùm assistat ei, si pro eadē persona non applicet Sacerdos celebrans. Et rogo, cur fœmina aliqua, aut homo Laicus non posset sustentationem suam petere ex auditione Missæ, cuius specialissimum fructū applicaret pro alio, à quo acciperet stipendium, non secus atq; accipit Sacerdos, quando pro alio applicat specialem, mediumque fructum; non secus etiam atque posset accipere idemmet, quando pro alio applicaret fructum specialissimum, in opinione plurium,

qui dicunt, applicabilem esse pro alio. Imò non pauci pronunciarunt, posse Sacerdotem referre duplicatum stipendium, si applicet vtrumq; fructum, videlicet specialem, & specialissimum: quos esse inter se æquales, imò & minorem secundum, quàm primum, asseritur à Bordono tomo 1. Variarū resolutionum in 25. q. 8. quanquam duplo minorem esse secundum, affirmetur à Filliucio tomo 1. Tract. 5. C. 6. n. 181. Recēset eos Authores Diana parte 2. Tract. 14. Resol. 14 parte 5. Tract. 14. Resol. 45. par. 10. Tract. 12. Resol. 21. Sed eorum assertio de duplicato stipendio displicuit Congregationi Mediolanensis Pœnitentiariç anno 1617. apud Dianam Resol. illa 45. & post Decreta Vrbani VIII. circa celebrationem Missarū debuisset esse omnino antiquata, si quidem in eis prohibeatur cum onere etiam restituendi, vt per vnicam Missā satisfiat vnquam duobus stipendijs. Sed de hoc puncto latiùs agetur in D. 31.

9 Dicet quis, potest fœmina, & homo Laicus applicare pro alijs fructum proprium satisfactorium communionis suæ Sacramentalis. Ergo multò potiùs poterit pro alijs applicare fructū specialissimum Sacrificij, cui interfit. Negandum est Antecedens de fructu satisfactorio ex opere operato Sacramenti Eucharistici suscepti. Ita Petrus de Ledesma in Summa C. 10. Concluf. 13. Elias à S. Theresia L. 2. Legationis Ecclesiæ triumphantis ad militantem pro liberandis animabus Purgatorij C. 7. n. 16. Pasqualigus in Doctrina Morali sacra D. 117. sect. 10. referens Suarium, Vazquium, Coninchum, Syluium, Kellisonum, Mercerum, Cornejum, Præpositum, Nuñum, Ylambertum. Itaetiam Franciscus Bardi in Explicatione Bullæ Cruciatæ parte 4. Tract. & C. 3. allegans Caietanum, Cordubam, Valentiam; imò dicens, nullum à se inuentum Authorem, qui apertè doceret cōtrarium. Et ante Pasqualigum, ac Bardi Theophilus Raynaudus in Tractatu inscripto, *Error popularis de communione pro mortuis agenda*; quem sapientissimum virum, quia non ea moderatione, qua par esset, impugnauit Modernus quidam, prodijt alter, qui defenderet, susciperetque eius vindicias in libello, cui titulus appositus N. *vulsus, & depilatus*. Nos etiam in D. 13. de Eucharist. ex n. 53. vsque ad 58. exagitauimus non perfunctoriè Antecedentis falsitatem. Nunc breuiter reuincimus exinde, nam ille fructus annexus est gratiæ, quam Eucharistia ex opere operato confert sumentibus: quare cum hi non possint validè applicare alijs gratiam sibi conferendam; neque item poterunt fructum satisfactorium ei gratiæ annexum. Videantur Sanctus Bernadinus Senensis tomo 4. Sermone 12. art. & C. 2. Sanctus Thomas in 4. Distinct. 20. quæst. 1. art. 2. quæstiuncula 3. ad 2. multòque magis in 3. par. quæst. 79. art. 5. vbi postquàm docuit, Eucharistiam esse simul Sacrificium, & Sacramentum, sub priorique ratione habere effectum ex opere operato in eo, qui offert, vel in ijs, pro quibus offertur, & sub posteriori in eo tantùm à quo sumitur; declarat subinde Sanctus Doctor effectum Sacramenti directum, qui est gratia, & indirectū, qui est remissio pœnæ. Quare apertè significat, tam vnum, quàm alterum esse sumenti addictum, & determinatum, quando prouenit ex opere operato Sacramenti suscepti. Et ideo idem Sanctus Doctor Lect. 6. in Ioann. C. 6. scripsit, *Laicos sumentes Eucharistiam pro his, qui sunt in Purgatorio, errare*, si scilicet sumant, vt eis applicent pœnæ remissionem, seu fructum satisfactorium, qui alias conferendus erat ipsismet sumentibus, ex opere operato Eucharistiæ sumptæ. Perspicuūque est ex antecedentibus verbis Sancti Doctoris, nullum Sacramenti effectum, qui sit ex opere operato, posse à sumentibus transferri in alios; licet possit ex opere operantis esse alijs proficua susceptio Sacramenti, si à suscipiente dirigatur ad satisfaciendum, aut impetrandum pro alijs.

Requisita ad fructum ex opere operato in offerentibus, & consectaria ex eo.

10 IAM verò in duobus conueniunt Patroni sententiæ affirmantis fructum specialissimum. Fatentur enim primò, necessarium esse statū gratiæ sanctificantis in concurrentibus ad Sacrificium, vt lucrentur eum fructum vt satisfactorium: Dico *vt satisfactorium*, nam de fructu gratiæ actualis exci-

excitantis ad eliciendum dolorem de peccatis, & de fructu consistente in aliquo gratiæ dono comparabili per meritum de congruo non exprimunt, quid sentiant, cum tamē negare non possint, necessarium haud quaquam esse siue ad vnum, siue ad alterum. Ideo autem quod dixi; fatentur apertè, tum quia peccatum lethale est obex ad remissionem pœnæ temporalis, tum quia talis fructus prouenit ex actione, quam quisque concurrentium exercet in persona sua, ordinaturque per se ad ipsosmet offerentes. Ergo præsupponere debet ex parte eorum dispositionem gratiæ sanctificantis. Hinc sequitur, offerentes applicaturos inualidè alijs fructum specialissimum satisfactorium, si ipsi existant in statu peccati mortalis, etiamsi aliàs possent applicare validè alijs talē fructum. Ratio est, tum quia peccatum reddens offerentes indignos ad comparandam sibi remissionem pœnę habebit eandem vim, vt impediat, ne comparēt alijs, cum sermo sit de remissione, quæ prouenìat præcisè ex actione offerentium in persona, & nomine proprio. Tū quia ad satisfactionem ex opere operantis pro alio opus est, vt satisfaciens existat in statu gratiæ. Ergo similiter requiretur status gratiæ, vt quis validè applicet alteri satisfactionem conuenientem sibi ex opere operato. Vtraque ratio à nobis assignata præcludit viam argumento, quod posset obijci ex paritate fructus specialis satisfactorij applicabilis validè à Sacerdote existente in peccato mortali, & ex paritate Indulgētiæ pro defuncto lucrabilis à viuo peccatore; vt suppono cum communiori sententia apud Dicastillum Tract. 9. D. 2. Dub. 17. à n. 222.

11 Fatentur secundò assertores fructus specialissimi, ceteris paribꝰ, esse hunc maiorem in eo, qui magis cōcurrit ad Sacrificium, crescereque iuxta meliorem dispositionem, religiosioremq; deuotionem vniuscuiusque cōcurrentis, nam cum proueniat ex actione, quam quilibet eorū exercet in persona sua, consentaneum rationi est, vt quantificetur ex propiori, & præstantiori ad Sacrificium concursu, necnon ex dispositione, ac deuotione cumulatiori. Nec ideo desinet esse ex opere operato, vt patet in effectu Sacramenti ex opere illo; qui effectus commensuratur dispositioni suscipientis Sacramētum; & in ipso Sacrificio probabilius nobis est, specialem, mediumque fructum, qui est etiam ex opere operato, attemperari dispositioni eius, pro quo Sacrificium offertur, quanquam non eius, qui offert; quicquid dicant nonnulli apud Vazquium D. 231. Cap. 7. n. 45. & 46. indicatq; Henriquez Lib. 9. C. 18. §. 5. C. 20. §. 2. docetque expressè Granados refutatus iam à nobis n. 18. D. 12. ex doctrina Suarij, D. 79. sect. 8. V. *Quarta differentia*, Cardinalis de Lugo D. 19. sect. 11. n. 138. Arriagæ D. 53. sect. 3. n. 12. & 13. Bardi in Explicatione Bullæ Cruciatæ parte 4. Tract. 3. C. & sect. 1. n. 8. Bartholomæi à S. Fausto Lib. 1. de Suffragijs q. 54. cum alijs, quos citant. Et ratio discriminis est, quia fructus specialis satisfactorius prouenit ex offerentis actione vt exercita præcisè in persona Christi; habetq; se Sacerdos in ordine ad talem fructum, sicut Minister Sacramenti in ordine ad huius effectum, qui non est maior, aut minor iuxta perfectiorem, aut imperfectiorem statum Ministri; & sicut famulus habet se respectu eleemosynæ, quam per eius manus herus tribuat, non enim est magis, aut minus satisfactoria animæ Purgatorij, pro qua herus eam applicet, quò magis, aut minus probus fuerit famulus. Neque proderit dicere, si Sacerdos potest fructum mediū conferre personæ, cui voluerit, & in quā mensura libuerit, idque ex cōmissione Christi; quidni ex eadem poterit, provt fuerit meliùs dispositus, & sanctior, conferre eum fructum intensiorem, aut copiosiorem? Non, inquā, proderit, quia de posteriori facultate à Christo indulta nullum extat indicium; necea esset aptà nata Ministri, Dispensatorisq; Mysteriorum Dei muneri, quo insignitus à Christo est Sacerdos. Verendumque esset, ne ex malitia, & indignitate offerentis retroageretur omnino fructus medius, contra effatum Tridentinæ Synodi Sess. 22. C. 1. si ex eius maiori, aut minori dignitate magis, aut minꝰ restagnaret, exundaretvè.

12 Infertur ex his duobus pūctis, in quibus concordant Authores patrocinantes fructui specialissimo, ex primo quidem, quàm dubia foret adquisitiò huius fructus ab eo, pro quo à Sacerdote applicaretur, penderet enim

à Sa-

à Sacerdotis sanctitate; quare hic, si esset conscius peccati, non satisfaceret obligationi, quam haberet sacrificandi pro alio, quando pro alio applicaret fructum tantùm specialissimum, teneretur; restituere stipendium acceptum, aut celebrare in statu gratiæ alterum Sacrum, cuius fructum specialissimum applicaret pro elargitore stipendij, vt hoc modo satisfaceret ipsi, si hoc modo posset satisfieri contribuentibus stipē, quin consentiant expressè in solam applicationem specialissimi fructus. Imò etsi Sacerdos non foret conscius peccati, si tamen negatiuè dubius foret, an esset dignus amore, vel odio, nisi Deo per extraordinariam reuelationem dubitationem adimente; maneret Sacerdos semper anceps, an satisfeciisset obligationi suæ, proindeque teneretur restituere stipendium, aut celebrare alteram Missam, cuius fructum specialem applicaret in bonum eius, qui dedit stipendium, nam debito certo non satisfit per dubiam solutionem, nec actio certi debiti potest elidi dubia exceptione, l. *Titia Textores ff. de legat.* 1. Quanquā autē Sacerdos possit habere opinionem probabilem, certitudinemque moralem, ac coniecturalem de sui statu in gratia, tamen quia id, quod soluit, est tantùm probabile tum in se, tum quoad applicādum illud alteri, nemo non videt, esse valde periculosam debiti certi solutionem, nulli firmo, & constanti fundamento innixam. Nonne intutissima esset redemptio debiti mille ducatorum, si traderes creditori vas aureum tanti valens, sed quod non certò tuum sit, quin imò valde dubites de facultate tua disponendi liberè de eo. Quo exemplo ad rem hanc peropportunè vtitur Ludouicus de Conceptione in Examine veritatis moralis Tract. 2. Casu 12. ex n. 15. Nosque in D 31. conabimur, suis momentis expendere difficultatem istam.

13 Infertur ex secundo puncto, arduum esse reddere rationem, cur Sacerdos, qui probabiliter existimaret se iustiorem, deuotioremque alijs, non posset assumere sibi maius stipendium ob Missam, cuius fructum specialissimum applicaret viuo, aut defuncto; nā si iuxta aliquos assertores fructus specialissimi potest Sacerdos arrogare sibi duplicatum stipendium Missæ, cuius fructum tam specialem, quàm specialissimum applicet pro alio, quia gemina hac applicatione grādior portio fructus confertur personæ, pro qua offertur Missa; quidni poterit Sacerdos, qui se sanctiorem reputet, & meliùs dispositum, facere illud etiam, quod diximus? Siquidem, vt agnoscit Bardi suprà, applicatio fructus sui specialissimi futura sit plus proficua ex opere operato, quàm si fieret ab alio Sacerdote minus sancto, minusque disposito. Hæc autem sequela est planè absurda. Tantùm in gratiam Doctorum, qui in concurrentibus ad Sacrificium Missæ admittunt specialissimum fructum ex opere operato satisfactorium.

Authores respondentes negatiuè ad secundam partem Sectionis, argumentaque eorum.

14 SED eum negant alij, Vazquez D. 231. C. 3. n. 12. & sequentibus, Coninch. 3. p. q. 83. articulo 1. dub. 9. n. 152. & 162. Cardinalis de Lugo D. 19. sect. 11. àn. 233. etsi in num. 252. videatur retrocedere nonnihil: Caspensis Tract. 23. D. 2. S. 3. n. 24. Ysambertus 3. p. q. 83. D. 7. art. 6. Hieronymus Garcia in Summa Morali de Excellentia Sacerdotij Tract. 3. Diff. 1. punct. vltimo, Arriaga D. 53. sect. 3. Castro Palao Tract. 22. D. vnica, puncto 6. n. 14. Gaspar Hurtadus D. 8. de Sacrificio Missę Diff. 9. Meratius D. 38. sect. 5. & 6. plurelque alij. Mouentur primò, quia Concilium Tridē. tinum Sess. 22. Cap. 2. solummodò significat, Sacrificium Missæ prodesse ex opere operato ijs, pro quibus offertur; concludit enim Caput illud, *Quare non solùm pro fidelium viuorum peccatis, pœnis, satisfactionibus, & alijs necessitatibus, sed & pro defunctis in Christo, nondum ad plenū purgatis, ritè iuxta Apostolorum traditionem offertur.* Similiter in verbis, quibus potestas Ordinis confertur Sacerdoti, dicitur ipsi, *Accipe potestatem offerendi Sacrificia pro viuis, & defunctis*, proindeque significatur, potestatem ipsius ad proficiendum viuis, & defunctis per Sacrificia ex opere operato esse solummodò sub ratione potestatis offerendi pro eis. Præterea S. Paulus Cap. 5. Epistolæ ad Hebræos, cum dixisset, Sacerdotem *pro homi-*

hominibus constitui in ijs, quæ sunt ad Deũ, vt offerat dona, & Sacrificia pro peccatis, addit posteà, *Propterea debet, quemadmodũ pro populo, ita etiam & pro se metipso offerre pro peccatis.* Ergo Sacerdos vt redemptionem peccatorum consequatur per Sacrificia siue alijs, siue sibi, debet offerre siue pro alijs, siue pro se. Adhęc: Concilium Tridentinum Sess. illa 22. C. 1. & 2. totum valorem, & efficaciã huius Sacrificij ad remissionem pœnæ temporalis, & ad quemcumque alium effectum ex opere operato reuocat in oblationem factam à Sacerdote vt gerente personam Christi. Legatur attentè vnum, & alterum Caput, & comperietur, nullam vtrobique haberi rationem de oblatione, quam Sacerdos in persona sua exerceat. Dignumque est obseruatu idem silentium apud Ecclesiæ Patres, nusquam enim vim Sacrificio conuenientem ex institutione sua attribuunt vel partialiter personæ priuatæ Sacerdotis, vel cuiuscumque alterius inferioris offerentis. Incredibileque fit, vt fructus aliquis Passionis Christi dispensetur ex institutione Sacrificij, habito respectu ad personam priuatam Sacerdotis, aut cuiusuis alterius offerentis, & ad eius actionem nomine proprio factam. Secundò, quia S. Thomas 3. p. q. 22. art. 4. ad 1. ait, *Sacerdotes effectum Sacerdotij sui participare, non in quantum Sacerdotes.* Cæterùm cũ proximè subiungat, *sed in quantum peccatores*; ideo aptiora sunt alia eiusdem S. Doctoris verba in responsione ad 2. *In oblatione Sacrificij cuiuscumque Sacerdotis duo possunt considerari, scilicet ipsum Sacrificium oblatum, & deuotio offerentis. Proprius autem effectus Sacerdotij est id, quod sequitur ex Sacrificio. Christus autem consequutus est per suam Passionem gloriam Resurrectionis, non quasi ex vi Sacrificij, quod offertur per modum satisfactionis, sed ex ipsa deuotione.* Ergo iuxta S. Thomam proprius effectus Sacerdotij, seu opus operatum Sacrificij vt satisfactorij, non respondet deuotioni offerentis. Tertiò, nam Sacramenta non prosunt ex opere operato ministrantibus, vt tales præcisè sunt, nisi etiam applicent sibi ea, sumantque illa. Ergo similiter Sacrificiũ non prodest ex opere operato offerẽtibus, vt tales præcisè sunt, nisi etiam pro se applicent, offerantque illud. Sicut enim Sacramenti Minister est eius causa efficiens, ita etiam offerens Sacrificij est instar causæ efficientis illud. Vnde Aduersariorum argumentum tertium suprà propositum non comparat benè offerentem Sacrificij cum suscipiente Sacramẽti, hic enim habet se instar causæ passiuæ; meliùs cum hoc comparatur is, pro quo offertur Sacrificium. Et tunc à Sacramenti effectu, quem ex opere operato adquirit suscipiens illud, arguitur appositè ad Sacrificij fructum, quem ex opere operato cõparet is, pro quo Sacrificium offertur. Quartò, quia Christo non profuit ex opere operato cruentum sui Sacrificium; non ob aliam rationem, nisi quia non obtulit illud pro se, sed pro nobis. Ergo nec Sacrificij incruenti fructus ex opere operato communicabitur offerentibus, sed illis solùm, pro quibus offeratur. Quintò, nam etsi oblatio Sacrificij, facta ritè, & rectè ab offerente iusto, non possit non ipsi prodesse ex opere operantis, cò quòd sit actio bona, tamen ex titulo oblationis Sacrificij non poterit alio modo prodesse, nisi fiat pro ipsomet offerente. Sicut oratio hominis iusti nequit proficua ei esse alio modo, quàm ex opere operantis, & quàm sunt reliquæ eius actiones bonæ, nisi ipse oret pro se. Vt autem oratio quà talis dirigitur ad petendum quidpiam pro aliquo; ita Sacrificium, quà impetratorium, & satisfactorium, ordinatur ad impetrandum, & satisfaciendum pro eo, pro quo fiat Sacrificij ipsius oblatio. Quare, nisi Sacerdos offerat pro se, non impetrabit, neque satisfaciet pro se ex opere operato, sed tantùm ex opere operantis, si existat in statu gratiæ: quemadmodùm iustus, qui orat, non obtinet pro se beneficia, quæ postulat, quando pro se nõ orat; sed tantùm meretur, & satisfacit ex opere operantis per orationem non aliter, ac per quæuis alia bona opera. Sextò, quia oblatio Sacerdotis facta, nõ vt in persona Christi, sed in sua propria, & priuata, non est formaliter sacrificatiua, siquidem nec fit consecratio, neq; consecrando fiat, non enim consecrat, neq; sacrificat Sacerdos, nisi vt loquẽs tanquam Minister publicus, & tanquam sustinens personam Christi; & præterea oblatio vt eo modo facta similis est oblationi, quam facit inseruiens, aut tantùm assistens Missæ; quæ oblatio procul dubiò non est formaliter, neque essentialiter

sentialiter sacrificatiua. Ergo oblationi vt factę eo modo à Sacerdote non respondet fructus ex opere operato, etenim fructus ex opere operato Sacrificij, cum sit ipsius proprius, debet consequẽter esse actionis, & oblationis, quæ sit essentialiter, & formaliter sacrificatio. Septimò, nam alioqui ei, qui dederit stipendium ad Missam, qui assistat, & inseruiat, conferetur triplex fructus ex opere operato, ratione triplicis ad Sacrificium cooperationis, quarũ cuilibet seorsim ab alijs positę suus esset impertiendus fructus; quòd autem in vna, & eadem persona simul conueniant, nõ adimet singulis fructum, quem reportarent, si separatim existerent. Tanta verò multiplicatio fructus ex opere operato absurditatem sapit.

15 Mouentur octauò, quia etsi concederetur (vt videtur concedere Arriaga suprà, num. 9.) respondere Sacerdoti, eiusq; actioni specialissimum fructum ex opere operato Sacrificij, nõ tamen alijs offerentibus, concursuique eorum in Sacrificium, siquidem non aliorum, sed solius Sacerdotis actio sit essentialiter Sacrificium, sicut ea sola est essentialiter consecratio. Quod si actioni, quæ non sit Sacerdotis, & sacrificatiua, possit respõdere portio aliqua satisfactorij effectus ex opere operato Sacrificij, cur non poterit respondere totus ille effectus, ita vt ad omnes coofferentes pertineat applicare fructum etiam specialem, ac medium, & non tãtùm ad Sacerdotem? Nonò, nam fructus ex opere operato Sacrificij in offerente vt tali deberet esse ratione operis boni præstiti ab ipso, vt operante sacrificatiuè, si enim non esset ab eo vt sic operante, sisteret præcisè in fructu operis operantis communi ad quemcumq; subsequutum ex bono opere facto ab homine iusto. Sed præter Sacerdotem nullus alius offerẽs operatur sacrificatiuè. Ergo præter Sacerdotem nullus alius vt offerens comparabit fructum Sacrificij ex opere operato. Si dicatur, solum quidem Sacerdotem operari per se sacrificatiuè, sed tamen alios offerentes operari eo modo per Sacerdotem; ideoque posse participare fructum Sacrificij ex opere operato. Contrà, quia opus Sacerdotis operantis sacrificatiuè non est opus aliorum offerentium, non enim ab eis pendet vt fiat, vel non fiat, neque vt fiat benè, vel malè moraliter. Et licet alij offerentes operẽtur aliquid erga Sacrificium, nihilominus opus ipsorum operantium non est sacrificativum, & proinde fructus non erit ex opere operato Sacrificij; sed solummodò ex opere eorum operantiũ benè in statu gratiæ. Decimò, quia soli suscipienti Sacramenti respondet huius effectus ex opere operato, soliſque suscipientibus communicatur, atque adeò quanuis alij cooperentur ministerio suo, aut consilio ad id, vt quis sacramentaliter communicet, non percipiunt Eucharistiæ effectum ex opere operato; & quanuis assistẽtes Sacro communicent spiritualiter per se ipsos, sacramentaliterque per Sacerdotẽ, participantem de Sacrificio nomine populi non minus, quàm eiusdem nomine sacrificantem, fructus tamen ex opere operato Sacramenti Eucharistici non confertur assistentibus, sed soli Sacerdoti, quando solus ille suscipit Eucharistiam. Ergo similiter Sacrificij ex opere operato effectus respõdebit soli sacrificationi, communicabiturque soli Sacerdoti sacrificanti, & nõ alijs cooperantibus ad Sacrificium. Sed notandum obiter est occasione Antecedenti in hoc argumento assumpti, eos, qui in Missa communicant sacramentaliter, habere non infimum locum inter concurrentes ad Sacrificium. Vnde eorum fit mentio in Canone Missæ, cum dicitur, *Vt quotquot ex hac altaris participatione sacrosanctum filij tui corpus, & sanguinem sumpserimus, omni benedictione cœlesti, & gratia repleamur.* Ex quibus verbis constat, offerri specialiter Sacrificium pro adstantibus, qui communicant sacramentaliter, vt admonet S. Thomas q. 79. art. 7. in Corp. Et hinc intelligitur, cur dixerit Tridentinum Concilium Sess. 26. Cap. 6. vberiorem sanctissimi huius Sacrificij fructum prouenire ad eos, qui in Missa communicãt sacramentaliter, nam non modò percipiunt fructum ex opere operato Sacramenti, sed etiam Sacrificij, quatenus pro eis offertur specialiter. Vndecimò tandem, nam si Sacerdoti vt offerenti in persona propria, & priuata respondet ex Sacrificij opere operato fructus, qui principaliter sit propter ipsum Sacerdotem, & qui non egeat speciali applicatione, vt in ipsius Sacerdotis vtilitatem cedat, & qui iuxta plures patronos

nos affirmatiuę opinionis non posit ab ipso Sacerdote communicari distinctæ alteri personæ: cur eidem Sacerdoti vt offerenti in persona Christi, proindeque nobiliori modo, non respondebit alius fructus conditionis omnino similis, vltrà quem restet & alius applicabilis à Sacerdote siue pro se, siue pro quauis distincta persona? Quòd enim Sacerdos offerat in persona Christi, non facit, vt oblatio in persona Christi non sit opus ipsius Sacerdotis operantis; alioqui ea exhibita in statu vel peccati, vel gratiæ non imputaretur Sacerdoti vel ad culpam, vel ad meritum. Et hæc prosententia negante specialissimum fructum ex opere operato Sacrificij in concurrẽtibus ad illud.

Eligitur à nobis sententia negatiua, respondeturque ad authoritates, & ad argumenta affirmatiuæ.

16 VTRAQVE sententia, tam affirmatiua, quàm negatiua, est probabilis. Sed negatiua arridet magis mihi exinde præcipuè, quòd non est admittendus fructus aliquis satisfactorius ex opere operato Sacrificij, nisi de Christi voluntate, & institutione constet siue ex sacris litteris, siue ex traditione Ecclesiæ, siue ex authoritate Summorum Pontificum, aut Conciliorum, aut Patrum. Atqui ex nullo istorũ capitum constat, Christum sic instituisse Sacrificium Missæ, vt satisfactorium foret ex opere operato pro concurrentibus ad ipsum. Ergo &c. Minoris propositionis veritas eluceſcet ex solutione argumentorum, quibus vtuntur patroni sententiæ affirmantis; præter quã quòd ferè illa omnia petũtur à ratione, quę in præsenti puncto nõ tã deseruit ad probandum quid Christus voluerit, instituerit que; quàm quid potuerit velle, atque instituere.

17 Primus ex Doctoribus, qui opinioni affirmatiuæ authoritatem cõciliabat, eamque magnam, referebatur S. Thomas. Sed respondet P. Vazquez D. 231. C. 3. n. 13. S. Doctorem intelligendum de effectu Sacrificij in offerẽte, & de oblatione satisfactoria offerentibus, nõ quà tales sunt, sed quà pro eis offertur Sacrificium, Dices S. Thomã condistinguere offerentes ab his, pro quibus offertur. Ergo vtrisque intelligitur prodesse Sacrificium ex opere operato, quia eodem modo, & æqualiter de illis loquitur. Si verò offerentes nõ perciperent ex opere operato fructum, nisi quatenus prò illis offertur, non esset opus, illos cõdistinguere, cum vtrique possint esse offerentes generales, & particulares, & possint etiam esse hi, pro quibus generaliter, & particulariter offeratur. Sed contrà, quia etsi pro omni offerente offeratur Sacrificium, non tamen omnis, pro quo offertur, est offerens; & ideo S Thomas benè condistinxit eos, pro quibus offertur, & offerentes. Quare ex authoritate S. Thomæ parum præsidij habet opposita opinio. Eodemque modo interpretanda sunt verba Catechismi Romani, Canonis Missæ, & Concilij Tridentini. Et pro hoc notandum insuper est, haberi in eo sermonem de Sacerdote sumente Sacrificium sub ratione Sacramenti, nam sub ratione Sacrificij non sumitur, sed consumitur. Docet igitur Concilium, Sacrificium prodesse non soli Sacerdoti sumenti illud sub ratione Sacramenti, & consumenti sub ratione Sacrificij, sed etiam prodesse alijs, pro quibus sub secunda ratione offertur. Quare Conciliũ minimè loquitur, de fructu, quem ex opere operato Sacrificij lucretur Sacerdos vt offerens.

18 Nec plus præsidij aduersa sententia habet ex septem rationibus collectis. Ad primam respondeo, oblationẽ Missæ esse ex opere operato fructuosã vt factã in personaXpi, & vt relatã ad eos, pro quibus fit, non autẽ vt factam in persona priuata Sacerdotis, aut cuiusuis alterius offerentis inferioris, neque vt relatam ad eos, à quibus fit, vt affatim probatum manet in superioribus. Neque proderit replicare cum Granado suprà num. 2. Sacrificium cõfert fructum ex opere operato illis, qui sunt participes ipsius; satis autem participes sunt, qui ipsum offerunt. Nam abundè etiam in præcedentibus adstruximus, non sufficere participationem actiuam, seu actionem efficientem Sacrificij, vt quis comparet fructum ex ipsius opere operato. P. Amicus in prima ratione adductus aut deflectit in id, quod nos conabamur evincere vndecimo argumento, aut non loquitur in eodem

dem sensu, quo P. Suarez, & alij sequaces asserentes, oblationi vt factæ à Sacerdote in persona Christi respondere ex opere operato fructū indifferentē, vt applicetur siue ipsi Sacerdoti, siue alijs personis, imò propter alias esse principaliter; cum tamen ex opere operato fructus, quem volunt respondere offerentibus, sit præcipuè propter hos vt offerentes in persona propria, & priuata, & ab his comparabitur sine speciali applicatione. Vocant hunc fructum specialissimum, & de ipso nunc controuertitur; sed illum alium appellant medium, & de eo non disputatur in præsentiarum. Secunda ratio tantùm valet ad probandum, eò esse fructuosiorem Missam ex opere operantis, & impetratoriè, quò à pluribus offeratur, si cætera sint paria. Tertiæ rationis debilitas claret ex nostro tertio, & decimo argumento. Certè in suscipientibus Sacramēta nō datur vlla diuersitas, nisi penes maiorem, aut minorem dispositionem. At in offerentibus datur alia vltra hāc, nam Sacerdos offert physicè, proximè, & immediatè; cæteri verò moraliter, remotè, & mediatè tantùm, & neque in hoc cæteri sunt inter se æquales, vt declaratum iam est in sect. 1. Disp. confinis. Ad quartam respondeo, non fecisse Christum in institutione Sacrificij quidquid potuit, sed quidquid voluit. Et potuit quidem sic instituere Sacrificium, vt quatenus tale conferret per se primam gratiam, vel secundam saltem ex opere operato tam his, pro quibus offertur, quàm his, qui offerrent; nec tamen sic instituit. Ad quintam dico, si vnus audiat Missam, & alter eam nō audiat, sed pro vtroque offeratur ea specialiter à Sacerdote intendente applicare fructum medium, comparabit maiorem fructum, qui audit, tum ex opere operantis, nam deuotio vt duo v. g. audiendo Sacrum fructuosior erit eo modo, quàm deuotio æquè intensa, non audiendo; & quia audiens Sacrum offert pro se ipso illud, quæ oblatio vtilior est ex opere operantis ad impetranda auxilia, præseruandum à periculis, & ad similia alia, quàm oblatio facta à non præsente, sed petente, vt pro se applicetur specialiter Sacrum; sæpeque contingit, vt pro non petente applicetur: tum ex opere operato, quia à Sacerdote non tātùm in generali, sed etiam in particulari offertur Missa pro audiente, quoad fructum saltem impetratorium nomine Ecclesiæ prouenientem. Addo, pro audiente Missam postulari per Sacerdotē, & per ipsummet audientem, vt Deus remittat pœnam temporalem, vt compertum est ex illis verbis Canonis, *Et omnium circumstantium, pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc Sacrificium laudis, pro se, suisque omnibus, pro redemptione animarum suarum*, id est, pro remissione pœnæ debitæ ob peccata, vt explicant Alcuinus, & Gabriel Biel, alijque communiter, & cum eis Ioannes Baptista Scortia L. 4. C. 9. n. 9. Hinc colligitur, eum, qui Missam audit præcisè, quin pro eo offeratur specialiter quoad fructum medium, etsi, vt Granadus cōtrou. 6. Tract. 14. D. 4. sect. 3. num. 18 docet, non referat tantum fructum satisfactorium, quantum ille, pro quo offertur, referre tamen maiorem fructum impetratorium. Ita Cardinalis de Lugo D. 19. sect. 11. n. 234. & Thomas Tāburinus L. & C. 2. de Missa, §. 14. n. 1. & 2. Qua ex illatione venit intelligendum, quod ex quibusdam refert P. Sà V. *Missa*, n. 42. scilicet *Vtilius esse adstare deuotè Missæ, quàm curare pro se offerri.* Venit, inquam, intelligendum de maiori vtilitate quantùm ad fructum impetratorium; sed non quantùm ad satisfactorium. Vnde pro Purgatorij anima, quæ hoc posteriori indiget fructu, curādū magis est, vt Sacerdos applicet specialiter Sacrum, quàm quòd audiatur à fideli aliquo referente impetrationem in præfatæ animæ bonum, vt obseruat idem Tamburinus. Rursus colligitur, adquiri maiorem fructum impetratorium ab audiente Missam Sacerdotis veri, quàm ab audiente Sacerdotis ficti. Et vltrà rationes dictas, oratio audientis veram Missam, oblatioque ab eo facta erit magis impetratoria ob cooperationem ad verum Sacrificium, & ob coniunctionem cum precibus Sacerdotis veri.

19 Ad sextam rationem respondeo, Sacrificium nouæ legis respectu etiam offerentium excedere longè Sacrificia veteris, quanquā non in fructu ex opere operato, sed ex opere operantis, nam res oblata per Sacrificium nouæ legis est sine cōparatione melior, proindeq; eius oblatio erit multò fructuosior ex opere operantis, facta etiam

cum

cum æquali deuotione, atque fieret oblatio Sacrificij legis veteris. Ad septimam dico, offerri quidem Missam pro offerentibus; sed hos, quà tales, non reportare ex opere operato maiorem fructum satisfactorium, imò neque vllum, nam fructus absolutè maior, quem reportãt, non est ob rationẽ offerentiũ, sed personarũ, pro quibus offertur. Demus, Sacerdotẽ ita peragere Sacrificiũ, vt solùm recitet verba consecrationis ex intentione consecrandi, & offerendi Sacrificium pro Petro absente, & nõ petente, neque concurrente vllatenus ad illud; tunc neque Sacerdoti vt offerenti, neque alijs, qui fortè adessent, vt cooffrentibus, responderet fructus satisfactorius conferendus per se ex opere operato Sacrificij, si non daretur obex peccati. Imò etsi Sacerdos proferat verba, in quibus ex Ecclesiæ institutione offertur Sacrificium pro ipso Sacerdote, & pro cæteris offerentibus, si tamen illicitè vellet excludere se, & cæteros offerentes à fructu Sacrificij, censent nonnulli graues Theologi (de quo posteà) fore re ipsa exclusos à fructu proueniente ex parte Ecclesiæ impetrantis, atque offerentis. Et talis videbitur alicui esse fructus respondens nunc offerẽtibus, pro quibus non applicatur fructus specialis, & medius, quandoquidem ille alter fundetur in Ecclesiæ institutione de oblatione facienda à Sacerdote pro se ipso, & pro circumstantibus, & ab his pro se ipsis. Si enim Ecclesia non præscripsisset dicenda ea verba, *Et omnium circumstantium, pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt*, aut illa in hostiæ offertorio, *Et pro omnibus circumstantibus*, aut si quæ sunt alia de circumstantibus, cæteraque spectantia ad oblationem Sacerdotis pro se, deficeret nobis fundamentum ad asserendum, debere Sacerdotem pro se, & pro circumstantib⁹ offerre, nemo namque dixit, modum hunc offerendi necessarium esse ex institutione diuina, neque de ea loquitur S. Paulus, quando in Epist. ad Hebræos C. 5. ait, Sacerdotem *debere pro semetipso offerre*; nam de solo debito decentiæ habet ibi sermonem, vt notat Auersa q. 11. sect. 9. V. *Poteritque*. Vnde offerendi modo prefato fructus, qui respondet, non est constanter apud omnes Theologos ex opere operato; & pertinere potiùs ad impetrationem dicetur, quàm ad satisfactionem, etsi qua parte oblatio fit à Sacerdote, & à circumstantibus pro redemptione animarum suarum, possit quadantenus appellari satisfactorius fructus, qui exinde cõparatur. Sed quid tãdem à nobis censendum sit, aperiet sectio sequens. Insuper quòd oblatio Sacrificij non debeat ex huius natura fieri pro ipsomet offerente, ostenditur nõ incongruo exemplo Sacrificij cruẽti peracti in cruce, & incruenti peracti in cœna à Christo, quin pro se obtulerit; & modò est principalis offerens ministerio Sacerdotis, nec pro se offert. Vbi obserno, non esse efficax quartum argumentum in comprobationem nostræ sententiæ adductũ ex Vazquio, Meratio, Castro Palao, & alijs Authoribus, responderi enim ad ipsum potest, Christum nõ ideo non suscepisse in se fructum Sacrificij cruenti, quia pro se non obtulit illud Patri æterno; alioqui cum specialis applicatio pro se non sit necessaria, vt quis suorum operum bonorum pœnaliũ satisfactionem lucretur, sequeretur, Christũ, etsi non applicauerit pro se bona opera pœnalia, quæ exercuit, pro se tamẽ satisfeciſſe. Quapropter nõ ob illã rationem Christus non suscepit in se fructum Sacrificij cruenti, sed quia non indigebat satisfactione, & quia mors Xpi. sub ratione Sacrificij non erat acceptãda à Patre vt impetratoria, & meritoria respectu ipsiusmet Christi, sed aliorum: nam etsi Christus moriendo meruerit sibi gloriam corporis, & exaltationem nominis sui, potest dici, meruisse per mortem suam sub alia ratione, & titulo, quam Sacrificij. Quo de puncto consulantur Theologi 3. parte, quæst. 22. art. 4.

Discutiuntur dicta aliquorum Authorum.

20 PATER Amicus Disputatione 33. sectione 6. num. 237. consequenter ad suam sententiam de satisfactorio fructu ex opere operato in offerentibus censet, Sacerdotem inchoantem Sacrificium in peccato lethali, si tamen absoluat essentialia illius in statu gratiæ sanctificantis, non amissurum eum fructum, quia actio sacrificatiua non orbatur suo effectu propter peccatum sacrificantis, vtpote quæ fundatam habeat suam efficaciam

in meritis Christi. Si ergo Sacerdos ante finitam actionem sacrificatiuam sit iam per gratiam dispositus ad eum fructum, nullus erit obex impediens adquisitionem. Qui discursus est satis probabilis, quanquam posset quis dicere, talem Sacerdotem non lucraturum tantum fructum, quantum, si exorsus fuisset Sacrificium in statu gratiæ; debetque esse apud omnes in confesso de fructu ex opere operantis. Idem discursus accomodari posset ad casum, in quo Sacerdos applicaret Sacrificium pro se, vel pro alio existente in peccato lethali, quando inchoatur Sacrificium, & restituto ad statum gratiæ, quando Sacrificium quoad essentialia, vel substantialia finitur. Et quidem sicut quoad ea superest tempus applicandi Sacrificium pro aliquo iuxta dicta in Disputatione 3. numero 37. Disputatione 13. nnmero 27. & sequentibus, ita nonnemo cogitare posset, dum modò is, pro quo offertur Sacrificium, compos sit gratiæ tempore, quo illud absoluitur essentialiter, & substantialiter, fore, vt obtineat fructum illius satisfactorium, etsi tempore incæptionis, & prosequutionis extitisset in peccato. Huc deseruire posset exemplum Indulgentiæ, ad quam lucrandam satis est, quod vltimum opus ex præscriptis fiat in statu gratiæ.

21 Idemmet Amicus in numero 238. infert consequenter etiam ad suam sententiam eos, qui offerunt cum concursu aliquo in Sacrificium, non cõsequi huius fructum ex opere operato, nisi quando Sacerdos actu celebrat, huius enim tanquam agentis, & offerentis immediati actio eleuat eorum tanquam agentium, & offerentium mediatorum actiones ad præfatum fructum. Vnde offerentes per exhibitionem, aut promissionem eleemosynæ, verbi gratia, non participabunt eum fructum, quando ante Sacrificium conferant, aut spondeant stipem Sacerdoti, sed quando Sacerdos rem diuinam operetur. Quapropter si posteriori isto tẽpore existant in statu gratiæ, etsi priori illo extiterint in statu peccati, non amittent prædictum fructum; secus erit (vt addit idem Author in numero 239) si vice versa ornentur gratia, quando erogant munus honorarium, & deformentur peccato, quando à Sacerdote offertur Sacrificium, siquidem mediatorum offerentium cooperatio nõ præstet suum effectum ex opere operato, quoad vsque immediatus offerens operetur. Si ergo tunc mediati offerentes habeant obicem peccati, non consequentur fructum suæ cooperationis, etsi hæc ab ipsis facta sit in statu gratiæ. Est & is discursus valde probabilis; potestque transferri ad fructum ex opere operantis admissum à me in offerentibus mediatis. Qui, vt comparetur eo ipso tempore erogationis, aut promissionis eleemosynæ ad Missam, requirit statũ gratiæ, vt enim quis mereatur de cõdigno, & satisfaciat pro se, necessaria prorsus est gratia sanctificans. Quòd si qui eleemosynam præbuit, fuerit tunc in peccato, & postea tempore celebrationis recuperarit gratiam, habeatque explicitè, vel implicitè ratum actum eleemosynæ à se exhibitæ, vel promissæ pro dicenda Missa, extra dubium est, adquisiturum fructum meritorium de condigno, & satisfactorium ex opere operantis, siquidem nullum requisitum desit ad huiusmodi fructum. Sed illud maximè dubitari potest, an si actu omni careat approbante suam erga Sacrificium cooperationem, comparaturus sit eum fructum? Nam ad Missam cooperatio per eleemosynam non procedit ab homine, qui gratus sit Deo, oritur enim à Petro, verbi gratia, pro tempore, quo erat peccator; & quanuis postea sit iustus tempore celebrationis, iam tunc nullum actum, vt supponitur, exercet circa cooperationem per eleemosynam. Simili argumento ducuntur multi, vt asserant, herum, qui tempore mandati de distribuenda eleemosyna nomine suo à famulo, non erat in gratia, non mereri, neque satisfacere per eam eleemosynam, quando à famulo diuiditur in pauperes, si tunc herus, etsi ad gratiam redierit, non habeat aliquem actum circa eleemosynam dispensandam. Ita Suarez Disput. 48. de Pœnitentia sectione 8. ex numero 12. Sed respondet Bardi in Explicatione Bullæ Cruciatæ parte, & Tractatu 4. C. 2. sect. 3. numero 14. vt distributio eleemosynæ sit satisfactoria hero, non desiderandum in eo actum liberum circa illam, nam persona, cui applicatur satisfactio, habet se passiuè, & non actiuè, ideoque non in in ipsa, sed in applicante est necessaria,

seu

seu requisita libertas. Imò & meritum respectu heri conatur saluare Bardi in distributione eleemosynæ, si, cum fit à famulo, cogitet herus de cõmissione, quam illi dedit, & potens reuocare, non reuocet. Impugnat secundam hanc partem Andreas Mendo Tractatu appendice miscellaneo ad Bullam eandem Disputatione 4. C. 9. & quoad primam, cum satisfactio illa sit ex opere operantis, ægrè intelligo, quo pacto stare possit sine actu libero heri, elicitoque in statu gratiæ. Atque hinc in discursu Amici difficile mihi est, vt qui dedit, vel promisit eleemosynam ad Missam, consequatur postea fructum ex opere operato, quando Missa dicitur, si tunc careat omni actu libero circa ipsam dicendam ratione eleemosynę à se datæ, vel promissæ. Fructus, de quo est sermo, ita est ex opere operato, vt fundetur in opere operantis, loquimur enim de fructu offerentis vt talis, & non vt personę, pro qua offeratur Sacrificium; opus autem operantis nequit esse meritorium de condigno, & satisfactorium absque actu libero bono, elicitoque ab homine in statu gratiæ.

22 Imò & quando offerens mediatus iustus tempore celebrationis eliceret aliquem actum liberum bonum circa Missam, contendit latè Meratius Disputatione 37. sect. 5. & 6. ipsam respectu illius non habere vllum effectum ex opere operantis. Attigimus iam rationes Meratij, redigimusque in compendium ad numerum 15. huius sectionis in 9. argumento pro parte negatiua; suntque plausibiles. Nec ideo putandum est, Meratium negare omne meritum, & satisfactionem in offerentibus mediatis per concursum aliquem in Sacrificium, quanuis vellem, vt expressisset, non negari à se; nisi iudicarit sufficere, quæ tradiderat in sect. 3. V. *Exempli causa*. Opinio igitur Meratij est, actionem sacrificatiuam vt talem non esse meritoriam, & satisfactoriam ex opere operantis alijs, quàm Sacerdoti iusto, etsi offerentes alij iusti mereantur, & satisfaciant voluntate bona erogandi, verbi gratia, eleemosynam ad Sacrificium, & ipsa externa erogatione. Et hoc concesso, vt debet certè concedi, quæstio erit de nomine, num talis fructus in offerentibus mediatis dicendus sit, ex opere operantis participari ratione Sactificij, necne? Illud fatearis, necesse est, stipem collatam ex ordine ad Missam esse meritoriam, & satisfactoriam fideli iusto conferenti cum bona omnino voluntate; esseque magis meritoriam, & satisfactoriam per se, quàm aliam in simili quantitate datam ad subueniendum egenti; eiusmodi autem fructum ratione Sacrificij haberi, vel non haberi ex opere operantis, concede, vel renue, provt libuerit. Ego namque in controuersijs de nomine, si res teneatur, nollem temporis dispendium facere. Quare relicto Meratio, redeo ad Amicum.

23 Qui in numero 191. ait, relinquentem in vita eleemosynam, vt pro se post mortem celebrentur Missæ, comparare fructum ex earum opere operato, non solùm quatenus pro ipso offerantur specialiter, sed etiam ad instar offerentis. Etsi enim ob statum extra corpus, vitamque mortalem non possit denominari formaliter offerens, tamen relicta pecunia operatur Sacrificium moraliter per modum instrumenti loco legantis illam, & ideo conuenit, vt potiatur fructu, qui ex opere operato respondet ijs, qui sunt moralis causa Sacrificij. Et alioqui peioris esset conditionis, quàm si Missa, ipso viuẽte, diceretur. Videturq; absurdum, si eius hominis anima non lucretur in Purgatorio maiorem fructum per Missam pro ipsa dictam ex stipendio, quam per dictam absque illo. Cęterùm hic discursus multas, easque non leues patitur difficultates. Et in primis si Purgatorij anima non est re apse formaliter offerens, non adquiret fructum, qui ex Sacrificij opere operato respondere solet offerentibus formaliter. Idque, quod impedit, ne sit formaliter offerens, impediet etiam, ne pecunia relicta habeat sic se in ordine ad Sacrificium, vt huius fructus adquiratur æquè ab anima Purgatorij, ac si ea actu offerret formaliter. Deinde Petrus, verbi gratia, qui viuens legauit testamento pecuniam ad Missas pro se mortuo dicendus, meruit quidem, & satisfecit tunc, cum legauit, si erat in statu gratiæ; at post mortem nec meretur, nec satisfacit, quando ipsę Missę dicuntur. Ergo vltra fructum anteà adquisitũ non

comparat alium, quando eius anima exi stit in Purgatorio, & celebrantur Missæ; alium, inquam, qui proprius sit offerentium, nam huiusmodi fructus, eo ipso quòd proprius sit offerentium, requirit oblationem factam actu ab ipsis, requirit etiam, vt offerentes sint in statu, in quo opus ipsorum operantium benè sit meritorium, & satisfactorium. Si quispiam diceret, animam Petri existentem in Purgatorio perseuerare in priori voluntate, desiderando, vt dicantur Missæ, pro quibus designauit stipendium. Contrà est ex Suario Disput. 48. de Pœnitētia sect. 8. num. 16. tum quia illa volūtas non est iam principium, neque moralis causa Sacrificiorum, tum quia anima Petri non existit iam in statu merendi, & satisfaciendi, siue per illam voluntatem, siue per ipsa Sacrificia. Vnde sicut si Petrus porrexisset Antonio gladium ad homicidium, quod perpetretur ab Antonio post obitum Petri, nō demerebitur, neque subiacebit nouæ pœnæ ob executionem homicidij anima Petri, vbivis existat; ita neq; è cōtra merebitur, neq; satisfaciet actiuè in Purgatorio existens, si Sacerdos faciat Sacra procurata à viuente Petro sub constituto stipendio. Ex his enodata manet ratio motiua P. Amici. Et ad primum absurdum respondetur, non fore peioris conditionis animam Purgatorij, siquidem neque ipsa vnita corpori referat fructum ex opere operato ob munus offrendi mediatè. Si autem referre concederetur, absurdo vacat dicere, maiorem fructum prouenire in eos, pro quibus, dum viuunt, applicantur Missæ, quàm in eos, pro quibus, dum sunt in Purgatorio, offeruntur, si cætera sint paria. Atque ita dicunt Marchinus, & Thomas Tamburinus eum citans Lib. & C. 2. de Missa §. 14. num. 4. quia nimirùm qui viuit, lucratur satisfactionem, & meritum, qui autem in Purgatorio existit, solam illam participat. Ad secundum absurdum respondetur, si ratione maioris deuotionis erga Missam accrescat fructus ex opere operato in persona, pro qua offertur, fore, vt anima eius, qui stipendium erogauit, adquirat cumulatiorem fructum satisfactorium, quàm si eleemosynam non dedisset. Num autem accrescat, siue in viuentibus, siue in defunctis? Examinabitur in Disputatione 18. Quòd si negatiua pars magis arrideat, absurdum minimè est, quod vt tale proponitur ab Amico. Contra quem tandem obseruo, quòd si, vt ipse ait in num. 243. necessaria prorsus est applicatio Sacerdotis, vt Sacrificium Missæ prosit alijs ab ipso Sacerdote, & ab offerentibus cum ipso, quia solius Sacerdotis actio est essentialiter sacrificatiua, debuisse ob eandem rationem tateri, ad solius Sacerdotis actionem sequi fructum ex opere operato Sacrificij, nam ea ratio tam probat hoc secundum, quàm primum illud, vel ad neutrum est neruosa.

24 Hieronymus Columbus Lib. quarto de Angelica, & Humana Hierarchia Cap. 68. num. 10. etsi adhæreat ei sententiæ, quæ fructum ex opere operato agnoscit in offerentibus mediatis, notat tamen, quando cum Episcopo sacrificant noui Presbyteri, alios fideles concurrentes ad Sacrificium non offerre cum his, sed cum illo solo, quia ille solus publicè, & principaliter celebrat; proindeque eis vt offerentibus cum illo solo respondere fructum ex opere operato. Sed adnotatio Columbi mihi non placet, tum quia nihil causæ est, cur fideles non offerant etiam cum Neopresbyteris; quòd enim Episcopus principaliter celebret, offerat, & sacrificet, non facit, ne Neopresbyteri celebrent, offerant, & sacrificent absolutè, & simpliciter. Ergo fidelis adstans, aut inseruiens Sacrificio confecto ab Episcopo, & à Neopresbyteris offeret æquè cum his, ac cum illo, vel si principaliter cum illo, sed absolutè, & simpliciter cum his. Tum quia hi referunt fructum Sacrificij ex opere, siue operantium, siue operato, non secus ac si quilibet ipsorum seorsim litaret, vt docent communiter Theologi, & inter alios Amicus Disputatione 33. sectione 7. num. 257. & 258. Trullench Lib. 3. de Sacramentis C. 8. dub. 7. num. 11. Imò præter Bernalem, Granadum, & Arriagam impugnatos Disputatione 13 ex numero 35. cæteri Theologi affirmant, Sacrificium applicatum à multis Sacerdotibus vnà celebrantibus fore ex opere operato æquè proficuum distinctis personis, pro quibus nominatim offeratur, ac si singuli Sacerdotes celebrantes applicarent

pro

pro ijsdem. Ergo similiter fideles cooperantes Episcopo, & Neopresbyteris in Sacrificio peracto simul ab ipsis reportabunt non minorem fructum ex oblatione cum singulis ipsorum, quàm si cum vnoquoque seorsim offerrent. Dicet quis, incredibile esse, vt si cum Episcopo celebrent nonaginta & nouem nouiter ordinati, & Acolythus ministret Missæ tunc peractæ, comparet is tam ingentem fructum ex opere operato ob titulum offerentis mediati, quàm si inseruiret centum Missis diuersis. Sed contra, quia inde ego resumam vires aduersus Sacrificij fructum ex opere operato in offerentibus mediatis, vtpote ex quo legitimè sequatur incredibile illud. Et independenter à Missa in Ordinatione Sacerdotum, si fidelis assistat simul in templo multis Missis eodem tempore dictis, reciditur in idem inconueniens, præsertim si ab aurora, & paulò antè perseueret in templo vsque ad meridiem, & paulò post audiens Missas, quæ absque interruptione à succedentibus Sacerdotibus in tribus, aut sex altaribus fiant per totum illud tempus. Quo in casu ingentissimus esset fructus, quem ex opere operato lucraretur audiens tot Missas. Certè longè maior esset, quàm medius, & specialis applicabilis à Sacerdote per vnam Missam, quã solam in die potest ordinariè celebrare. Quòd si specialissimus fructus queat ab offerente mediato applicari alijs, videtur melius facturus, qui cupiens pro se, vel pro Purgatorij anima satisfactorium fructum Sacrificij commendaret deuotæ fœminæ, vt toto mane audiret Sacra modo proposito celebrata, quorum fructum applicaret sibi, vel animæ Purgatorij, quàm si quæreret decem Sacerdotes, à quibus pro ipso, vel pro Purgatorij anima offerrentur nominatim totidem Sacra. Hæc autem sequela dissonat, ni fallor.

25 Thomas Hurtado parte priori Resolutionum Moralium, Tractatu 2. Cap. 4. Resolutione 17. num. 175. ait, Sacerdotem celebrantem in peccato mortali posse validè applicare alijs fructum specialissimum, quem ipse vt offerens percepturus esset, si careret obice peccati, quia huiusmodi fructus non est ex opere operantis, sed ex opere operato, in quo non attenditur sanctitas Ministri. Sed procul dubiò confunditur specialissimus fructus cum speciali, & medio; ille respondet Sacerdoti vt offerenti, non in persona Christi, aut nomine Ecclesiæ, sed in priuata persona, & nomine proprio; quare requirit sanctitatem ex parte Sacerdotis, tam vt ipse illum lucretur, quàm vt alijs applicet validè. Vnde sicut si ieiunares in statu peccati mortalis, applicares inualidè alteri satisfactionem obuẽturam tibi ex ieiunio; ita similiter in nostro casu. Quamuis autem fructus ille specialissimus sit ex opere operato, sed fundari debet in operantis opere bono meritorio de condigno, & satisfactorio, vt aduertit Doctor Honcala in Opusculo de valore Missæ art. 7. docentq; post Scotum in Quodlibeto 20. articulo 1. cæteri Theologi patrocinantes fructui illi.

26 Fernandez de Moure in Examine Theologię Moralis parte 3. Cap. 5. §. 2. num. 4. existimat, posse ab offerente mediato communicari alijs fructum specialissimum; & vt probet id, adducit historiam, quam in descriptione de Europa Cap. 21. narrat Æneas Syluius, seu Pius Secundus Pontifex Maximus, his verbis, ✠ Fama est, eaque celebris inter Stirienses, nobilem quempiam fuisse, cui sæpe in animum ceciderit, se ipsum laqueo suspendere. Id ægrè ferentem ex docto quodam viro remedium petiuisse aduersus eam tentationem. Consilium datum, proprium vri Sacerdotem conduceret, qui sibi manenti in arce quadam solitaria singulis diebus rem diuinam faceret; paruisse nobilem, atque annum fermè continuasse, nulla suspendij cogitatione interueniente. Postremò rogatum à Sacerdote, vt Presbytero vicino, qui templi dedicationem in proximo monte habiturus esset, auxilio esse posset, licentiam dedisse, proponentem in animo, paulò post sequi, & Sacris interesse. Steriisse diu posteà nunc vna, nunc altera causa retentum. Denique circa meridiem profectum agresti cuidam in nemore occurrisse, qui rem diuinam in monte peractam esse, & populum omnem abijsse, diceret. Contristatum eo nuncio, ignobilem, & infœlicem se esse dicentem, qui eo die sacrum Christi corpus non vidisset, agrestem consolari cæpisse. Venditurum, si vel-

let nobilis emere præmium, quod interexistendum diuinis meruisset, sagumque nobilis petiuisse pretij nomine. Venditione facta nobilem nihilominus montem ascendisse, atque orasse in templo. Reuersum autem in proxima arbore suspensum agrestem inuenisse; sed postea diris cogitationibus haud quaquam vexatum fuisse. * Huc vsque ex Pio II. Sed hæc historia deseruit vt summùm ad probandum communicationem fructus impetratorij, & satisfactorij ex opere operantis. Vt summùm, inquam, nam post auditam Missam non erat in potestate rustici applicare nobili fructum, quem perceperat. Nec licuit, nisi excusauerit ignorantia, commutare pretio temporali præfatum fructum. Cessauit in nobili tentatio ob deuotionem erga Missam; & rustici suspendio (quod an ab ipso, compote sui, necne, perpetratum sit, an cum peccato lethali, vel sine illo? non exprimitur in narratione superiori) ostendit Deus, quantus sit fructus Missę auditæ, quo se priuare tentauit rusticus ille. Sed hinc nemo inferat, non esse vnquam fas communicare alteri fructū Sacrificij ex operantis satisfactorium. Etsi enim Scotus, & Honcala suprà, necnon Gabriel Lectione 26. in Canonem Missæ significent, non esse licitum, quādo Sacerdos, vel offerens mediatus indiget eo fructu, quia foret contra ordinem charitatis ea applicatio. Attamen hęc ratio nō vrget, siquidem in remissione pœnæ non est contra charitatem propriam cedere iuri suo, & velle benefacere proximo ex pio affectu erga ipsum, imò potiùs est valde laudabile, & vsitatum à viris pobis, vt notat Suarez D. 79. sectione 9. V. *Supereſt*, quia remissio pœnæ non est bonum necessarium ad propriæ animæ salutem, quodque alia via compensari nequeat; & ratione charitatis erga proximum crescit meritum gratiæ, & gloriæ, quarum augmentum maioris est æstimationis, quàm remissio illa pœnæ.

SECTIO II.

Quisnam fructus respōdeat alijs offerentibus absq; concursu in Sacrificium?

27 EX Sectione præcedente infertur, fideles, qui offerunt Sacrificium, quin ad illud concurrant, non referre ex illius opere operato fructum satisfactorium. Si enim non reportant offerentes, qui cooperantur, sequitur à fortiori, non comparaturos, qui non concurrunt, neque vllam erga illud exercent actionem personalem, & quorum respectu Sacrificium non habet aliud, quàm offerri à Sacerdote nomine Christi, & Ecclesiæ. Atque ita docent Authores omnes, quos pro nostra opinione citauimus in Sectione proxima, & ex fauentibus contrariæ vix est, qui discordet, nisi Henriquez L. 9. C. 17. §. 3. C. 18. §. 3. & Fagūdez L. 3. in 1. præceptum Ecclesię C. 6. n. 16. & 17. & 24. vbi notat, non fuisse Henriquez omnino constantem, nam mutauit opinionem C. 20. §. 3. Sed fortè Henriquez in vltimo hoc loco sermonem habuit de offerentibus, non vt talibus, sed vt pro eis offertur; quanquam neque hac via liberetur omnino ab inconstantiæ nota, nam C. 17. §. 2. C. 18. §. 3. C. 21. §. 3. ait, Missam esse fructuosam satisfactoriè ex opere operato omnibus Ecclesiæ membris, pro quibus generaliter offertur. Scripsi, *vix esse, qui discordet*, quia etsi aliqui Authores antiqui allegētur tanquam dissentientes à nobis in hoc corollario, loquuntur valdè obscurè, arduumque est, assequi sinceram ipsorum mentem: etsi item nonnulli Recentiores citentur à Suario D. 79. sect. 8. V. *Secundò de Ecclesia* vt discrepantes à nobis, sed subticetur eorum nomen.

28 Adhuc tamen dicet quis, pertinere ad Sacrificij huius perfectionem, quòd omnibus offerentibus prosit offerri, & nisi prosit, non benè intelligi, quid sit, fideles omnes, ab Ecclesia non precisos, offerentes esse. Etenim offerētes sunt moraliter, & consequenter ita se habētes in ordine ad verum aliquem effectum, ac si personaliter, seu actibus personalibus offerrent, & non tantùm per actum sui capitis Christi, & Sacerdotis vt mediatoris, intercessoris, legatique publici ad Deum. Non potest autem congruenter assignari alius effectus, quàm fructus aliquis, quē ita participent fideles vi Sacrificij, ac si personaliter per huius oblationem colerent diuinam Maiestatem. Respōdeo, Christum potuisse cum ea perfectione instituere Sacrificium, vt prodesset satisfactoriè ex opere operato omnibus fidelibus

libus offerentibus, sed desiderari sufficiens fundamentum ad existimandum, & asserendum, sic instituisse, vt notabã in Sectione superiori de offerentibus etiam cum concursu aliquo; & multò magis de offerentibus sine omni prorsꝰ concursu, merèque denominatiuè extrinsecè ob relationem ad Sacerdotem vt Ministrum Ecclesiæ, cuius ipsi sunt pars.

29 Quanquam verò omnibus fidelibus non prosit satisfactoriè ex opere operato Sacrificium, potest assignari satis conuenienter effectus, in ordine ad quem participandum vi Sacrificij ita se habeant, ac si oblatio Sacerdotis, per quem offerunt, esset propria, personalisque actio singulorum; & ille effectus est fructus impetratorius, nam, vt benè obseruat Cardinalis de Lugo Disp. 19. sect. 11. num. 237. omnes orant per Sacerdotem, & hic orat, & offert ad impetrandum pro omnibus. Ideo autem omnes orant per Sacerdotem, quia hic est Legatus omnium apud Deum; vnde à S. Chrysostomo Lib. 6. de Sacerdotio, vocatur *Legatus, & apud Deum deprecator pro vniuerso terrarum Orbe*; & Rabanus Lib. 1. de Institutione Clericorum C. 32. inquit, Missam *esse legationem inter Deum, & homines, cuius legationis officio Sacerdos fungitur*. Imò Sacerdos potestatiuè repræsentat omnes, sicut pater filium sub patria potestate constitutum; & tutor pupillum. Vnde quemadmodùm sine vlla voluntate, & influxu filij, ac pupilli censetur, ipsos agere, ea, quæ in ipsorum vtilitatem agunt pater, & tutor; ita in casu nostro oratio Sacerdotis, & oblatio ad impetrandum perinde æstimatur, ac si esset omnium fidelium, tametsi nõ omnes voluntate sua, aut influxu cooperẽtur in Sacrificium. Lege sis Suarium D. 79. sect. 8. V. *Secundò de Ecclesia*, Coninch 3. p. q. 83. art. 1. dub. 9. n. 156. & 164. Cardinalem de Lugo suprà, Auersam q. 11. sect. 9. V. *Non videtur*, Amicum D. 33. sect. 6. ex num. 192. vsque ad 290.

30 Sed oppones, si Sacerdos potest ex Ecclesiæ dispositione, quod diximus in ordine ad fructum impetratorium pro omnibus fidelibus; cur etiam non poterit in ordine ad fructum satisfactorium? Quatenus ex eiusdem Ecclesiæ dispositione voluntates omnium fidelium includantur in voluntate Sacerdotis, & hoc offerente, merente, atq; satisfaciente offerant, mereantur, ac satisfaciant omnes illi; sicut ob inclusionem voluntatum posterorum in Adamo factam à Deo ratione dominij in voluntates hominum, peccante Adamo peccarunt posteri. Cum enim Ecclesia habeat dominium in volũtates fideliũ, vt patet ex potestate commutandi, dispensandi, & annullandi ipsorum vota, videtur etiam habitura, vt eorundem voluntates includat in voluntate Sacerdotis quoad offerendum, merendum, & satisfaciendum per Sacrificia ab illo peracta. Oppones rursus, fidelis, qui Missę tantùm assistat, offert per Sacerdotẽ, vt constat ex S. Leone in Epist. 81. C. 2 Ibi: *Necesse est, vt quædam pars populi sua deuotione priuetur, si vnius tantùm Missæ more seruato, Sacrificium offerre non possint, nisi qui prima diei parte conuenerint*. Et offert quidem modo sufficienti ad lucrãdum Sacrificij ex opere operato fructũ satisfactorium, non ob concursum physicum in Sacrificium, sed ob affectum actualem, vel virtualem, quem habet, participandi de eius fructu per oblationem Sacerdotis vt Ministri Ecclesiæ. Atqui fidelis quicumque, etiamsi nõ sit præsens Missę, neque vllatenus physicè cooperetur Sacerdoti sacrificãti, offert per ipsum, quatenus habet voluntatem saltẽ confusam offerendi per omnes Ecclesiæ Sacerdotes, vt concedit Cardinalis de Lugo suprà; quæ voluntas non potest non esse affectus aliquis participandi de fructu Sacrificij. Ergo sicut qui audit Missam, comparat offerentis titulo fructum Sacrificij ex opere operato satisfactorium, ita fidelis quicumque adquiret eiusmodi fructum, tametsi absens sit, nullatenusque cooperetur Sacerdoti.

31 Ad obiectionem hanc secundam nego Maiorem quoad secundã partem, persistens in doctrina præteritę Sectionis. Sed permissa ea secunda parte Maioris, inficior Minorem, nam fidelis non assistens Sacro, neque cooperans aliqua ratione Sacerdoti sacrificãti non elicit erga Sacrificium actum vllum, qui sit meritorius de condigno, & satisfactorius, & in quo fundetur opus operatum Sacrificij vt satisfactorij pro offerentibus, quà talibus. Voluntas verò illa, de qua Cardinalis de Lugo, est

vt

vt summum interpretatiua; quæ non sufficit ad operantis opus meritorium de condigno, & satisfactorium. Vnde patet discrimen ad eum alium fidelem, de quo in Maiori, ille enim per voluntatem assistendi Missæ, & per assistentiam ad eam operatur circa Sacrificium meritoriè de condigno, & satisfactoriè, si existat in statu gratiæ. Ad primam obiectionem dico primò, esse subiectum disputationi inter Theologos modernos, an sicut libertas in Adamo vt capite, in quo voluntates posterorum repositæ sunt, sufficiens fuit ad demeritum horum, ita similis libertas in aliquo, in quo includatur voluntas alterius nō habentis peccatum mortale, vel prædicti gratia sanctificante, satis sit ad istius meritum de congruo, vel de condigno vitæ æternæ? Quam quæstionem discutiunt Ripalda D.74 de Ente supernaturali sect. 7. Ouiedus in 1.2. Tract. 9. Controu. & punct. 2. Si censeatur, non sufficere, non possent fideles iusti per inclusionem suarum voluntatum in voluntate Sacerdotis offerre merendo de condigno, & satisfaciendo ratione oblationis factæ à Sacerdote. Si autem è contra existimetur, satis esse, dico secundò, neque Christum, neque Ecclesiam hactenus inclusisse eo modo volūtates omnium fidelium in voluntate Sacerdotis. Et fortè suprà potestatem à Christo traditam Ecclesiæ est ea inclusio. Sed etsi non esset, tamen de facto deest fundamentum, vt cogitemus, Ecclesiam vti tali potestate. Etsi enim cōmutet, dispenset, & annullet fidelium vota, vt eos ad æternam salutem meliùs dirigat, id longè minus est, & diuersū, quàm includere eorum voluntates in voluntate Sacerdotis, ita vt oblatio ab hoc facta merendo de condigno, & satisfaciendo reputetur facta ab eis, sitque eis meritoria de condigno, & satisfactoria. Et quidem esse longè minus, ac diuersum, patet ex patria potestate ad cōmutanda, dispensanda, & annullanda filiorum vota vsque ad certam ætatem, necnon ex potestate tutoris ad contractus firmandos, vel infirmandos nomine pupilli, quin tamen patris, & tutoris potestas extendatur ad id, vt actiones ipsorum meritoriæ de condigno, vel demeritoriæ apud Deum sint etiam meritoriæ, vel demeritoriæ filio, & pupillo.

32 Oppones vlteriùs, respectu Sacerdotis aliquis est Sacrificij ex operantis opere effectus, quem non compararet, nisi in dignitate Sacerdotali esset constitutus, diuinoque charactere insignitus ad offerendum pro tota Ecclesia, adeòque pro omnibus fidelibus, vt docet Vazquez D.229. C.2. n. 9. Ergo similis etiam effectus sequeretur in tota Ecclesia, & in omnibus fidelibus per oblationem, quam facit Sacerdos nomine ipsorum. P. Meratius D. 37. sect. 2. negat Antecedens, quia eius effectus, qui sit ex opere operantis, debet esse causa bonitas formalis operis moralis exerciti ab operante; at operi Sacerdotis offerentis nulla ineſt, aut inesse potest formalis bonitas ex eo præcisè, quòd ipse sit Sacerdotali dignitate ornatus, alioqui quando offerret in peccato mortali, vel ex prana intentione, foret bona moraliter oblatio ab ipso facta, & ad eam non minus sequeretur effectus ex opere operantis, quàm quādo offert in statu gratiæ. Cæterùm hæc Meratij ratio conuincit quidem, Sacerdotalem præcisè dignitatem non facere, vt, sacrificante Sacerdote, sequatur in ipso ex operantis opere effectus, qui sit meritū de condigno vitę ęternę, & satisfactio pro pœna temporali; de effectu tamen, qui sit impetratio prosę vt operante in persona Ecclesiæ, nullam vim continet; & de huiusmodi effectu loquitur Vazquez, vt constabit legenti eum. Estque litigium de voce, an talis effectus dicendus sit ex opere operātis, vel ex opere operato, vel partim ex vno, partim ex alio? Ego ab hoc iurgio nominali expediui me breuiter in num. 33. Disp. 10. Idem Meratius in sect. 5. & 6. præcitatæ Disp. suæ 37. fusus eidē rationi conatur probare, non sequi vllū Sacrificij effectum ex opere operantis respectu Ecclesiæ illud simul cum Sacerdote offerentis. Sed ex ijs, quæ prę-notaui, liquet, etsi actio sacrificandi nō fiat physicè, nisi à solo Sacerdote, tamē moraliter fieri etiam ab Ecclesia, quandoquidem huius nomine fiat physicè à Sacerdote. Id quod satis est, vt in Ecclesia, seu in omnibus fidelibus sequatur Sacrificij ex operātis opere effectus, qui sit impetratio pro omnibus illis, nam opus Sacerdotis offerentis, & sacrificantis est opus Legati repręsentantis Ecclesiam, & quasi Aduocati allegantis me-

rita

rita illius, & ipsę orationes, quas fundit, sunt quasi verba pronunciata ab Ecclesia per os Sacerdotis, imò isti Ecclesia dedit formulã earum precum. Quare Sacerdos & sibi, & Ecclesiæ impetrat multò faciliùs, & multò plura, quàm si solo suo nomine supplicaret. Respondeo itaque ad obiectionem, cõcedendo Antecedens, & Consequentiam de Sacrificij ex opere operantis effectu, qui sit impetratio plurium beneficiorum tã pro Sacerdote, quàm pro omnibus alijs fidelibus, si aliunde non detur obex ex parte eorum, qui susceperuri essent, aut si concurrant conditiones, quæ requiruntur ad lucranda talia beneficia. Dum dico *Omnibus alijs fidelibus*, subintellige, nisi eorum aliqui sint excluſi à ratione offerendi per Sacerdotem, quo de puncto agemus in D. 17. & nisi etiam aliqui expressè refragarentur oblationi vt faciendæ à Sacerdote vice ipsorum; quo etiam de puncto aliquid attingemus in Disp. 18.

SECTIO III.

An fideles omnes, saltem vt generaliter pro ipsis offertur quoduis Sacrificium, accipiant ex eius opere operato fructum aliquem satisfactorium?

33 PEROPPORTVNE in hoc loco excitatur ista difficultas, etsi differri posset vsque ad Disputationem 17. Sed visum mihi est, cõmodiorem hìc habere sedem.

Fundamenta, & Authores opinionis, quæ negat, & alterius, quæ affirmat.

IGITVR P. Suarez D. 78. sect 2. V. *Sed quæres*, D. 79. sect. 9. V. *Secundò inquiri*, ad propositam difficultatem respondet, non accipere, nisi Sacerdos intendat specialiter, vt distribuatur à Deo inter omnia membra Ecclesiæ; cuius intentionis obligatio nulla est siue ex Christi, siue ex eiusdem Ecclesiæ institutione, nam de præcepto Christi non constat; præceptum autem Ecclesiæ, quod datur offerendi quamcumq; Missam pro omnibus fidelibus viuis, atque defunctis, non indicat aliud, quàm quòd debeat fieri oblatio pro eis omnibus quoad impetrationem. Et quidem si deberet fieri, aut semper fieret quoad satisfactionem, sequeretur primò, animas Purgatorij quam breuissimè liberandas ab illius pœnis, siquidem omnes participes essẽt fructus satisfactorij tot Missarum, quot vbique quotidie celebrantur. Sequeretur secundò, paucorum iustorum animas ad Purgatoriũ deferri, si aliquãdiu ante discessum è corpore perseuerarint in gratia, vix enim poterunt habere aliquem pœnæ reatũ, si per omnes Missas aliquam pœnæ remissionem recipiunt. Sequeretur tertiò, valde diminutum iri fructum satisfactorium in eis personis, pro quibus specialiter ex libito, vel ex obligatione Sacerdotis offeratur Missa. Videturq; esse communis fidelium sensus, atque persuasio, totũ satisfactorium fructum Missæ, quam petunt tradito, aut promisso stipendio, cedere in bonum eius personę, pro qua specialiter applicatur, & non etiam in bonum omnium aliarũ, pro quibus applicatur generaliter ex intentione Ecclesiæ. Quòd si cognoscerent, quamcumque Missam prodesse quoad satisfactionem cunctis fidelibus viuis, atq; defunctis, remitteretur solicitudo procurandi Missas offerendas specialiter pro se, & pro suis. Tandem incertum est, quanta pars satisfactorij fructus applicanda sit singulis fidelibus, an tanta, quanta ei, pro quo specialiter offertur Sacrum, ita vt singulis conferatur remissio pœnæ debitæ ob vnam v. g. culpam venialem, & ei alteri remissio pœnæ debitæ ob duas veniales culpas, vel an alio modo sit facienda distributio satisfactorij fructus? Hactenus ferè ex P. Suario; cuius doctrinæ adhęrent Filliucius Tract. 5. C. 3. num. 77. Cardinalis de Lugo D. 19. sect. 10. à n. 220. Franciscus de Lugo C. 4. q. 6. n. 54. Arriaga D. 53. sect. 2. num. 5. & 6. Auersa q. 11. sect. 10. V. *In primis*, Coninch 3. p. q. 83. art. 1. dub. 9. n. 156. & 169. Caspensis Tract. 23. D. 2. sect. 2. n. 29. Gibalinus, alijque.

34 Sed contraria sententia est valde probabilis, imò & multò cõmunior, nam, fatente Suario in V. illo *Secundò*

cundò inquiri, ✻ Ferè omnes Authores dicunt, omnibus baptizatis habentibus reatum pœnæ, & non ponentibus obicem obuenire partem aliquam huiꝰ fructus satisfactorij ex opere operato ex omnibus Sacrificijs, quæ in Ecclesia fiunt. Vnde orta est illa vulgaris diuisio triplicis fructus huius Sacrificij, provt à Sacerdote applicari potest. Primus dicitur specialissimus, & videtur esse ille, qui dicitur respondere Sacerdoti vt priuatæ personæ. Secundus dicitur specialis, & videtur esse ille, quem Sacerdos applicare debet ei, pro quo specialiter offerre tenetur. Tertius dicitur generalis, vel generalissimus. Et hic est, quem omnia Ecclesiæ membra participant. ✻ Ita ipse Suarez præcipuus patronus alterius opinionis. Et pro cõmuniori hac arguitur primo ex Concilio Tridentino Sess. 22. Cap. 2. nam cum scripsisset, *Cuius quidem oblationis, cruentæ, inquam, fructus per hanc incruentam vberrimè percipiuntur: tantùm abest, vt illi per hanc quouis modo derogetur*, addit, *Quare non solùm pro fidelium viuorum peccatis, pœnis, satisfactionibus, & alijs necessitatibus, sed & pro defunctis in Christo, nõdum ad plenum purgatis, ritè, iuxta Apostolorum traditionem, offertur.* Vbi expendo, oblationem incruenti Sacrificij factam generaliter in Ecclesia pro viuis, ac defunctis esse ex mente Concilij Tridentini ad omnes illius fructus percipiendos, tũ quia de omnibus Sacrificij cruẽti egerat Concilium, dixeratque, omnes illos percipi per oblationẽ incruenti; tum quia de omnibus vt comparandis per generalem oblationem incruenti Sacrificij, videtur loqui Concilium in finalibus verbis. Secundò ex Concilio eodem in eadem Sess. Cap. 6. dicente, quascumque Missas *celebrari pro omnibus fidelibus, qui ad corpus Christi pertinent*; illas etiam, quas Sacerdos pro se celebrat. Quo dicendi modo significat Concilium, celebrationem pro omnibus fidelibus esse satisfactoriè proficuam ipsis, non secus, ac sic proficua est Sacerdoti celebratio pro se. Ad hæc: quandò dicitur absolutè, celebrari pro alijs, intelligitur, applicari eis fructum præcipuum Sacrificij, qui est remissio pœnę.

35 Arguitur tertiò, si pro omnibus fidelibus applicetur Sacrificium ex Intentione speciali, proderit eis omnibus quoad fructum satisfactorium ex opere operato; quantùm est ex parte Sacrificij, nam habentibus obicem peccati peraccidens non proderit. Ergo similiter si offeratur ex generali intentione; quòd enim simul habeatur specialis intentio applicãdi pro aliqua persona determinata, non facit, vt generalis intentio amittat suam vim, tametsi faciat, vt respondeat singulis minor fructus, quàm si pro nulla persona determinata offerretur specialiter Sacrificium. Confirmatur hæc ratio ex Missa celebrata iuxta ritum Missalis Romani pro omnibus fidelibus defunctis, die Commemorationis eorum, nam Missa illa prodest omnibus quoad satisfactionem, eo quòd pro omnibus offeratur. Ergo cum quæuis Missa offeratur etiam pro omnibus, debet idem de quauis existimari, nisi quòd quæuis alia, si offeratur specialiter pro aliqua persona in particulari, erit minus satisfactoriè proficua singulis fidelibus defunctis. Quartò, nã ex sententia, in quam valde propendet Suarius tomo 4. in 3. p. D. 48. sect. 8. num. 8. ✻ Orationes, quæ fiunt nomine totius Ecclesiæ, adeò sunt efficaces, vt immediatè impetrent à Deo remissionem pœnę temporalis, idque infallibiliter, & ex certa promissione propter singularem amorem, & sanctitatem totius Ecclesiæ, vel etiam quia in hac Ecclesia est potestas ad applicandum Christi satisfactionem, vel potiùs ad impetrandum, vt eam Deus applicet, & hoc facere intendit per huiusmodi orationes publicas, & impetrare à Deo, vt sub hac ratione eas acceptet, præsertim quando per modum suffragij eas offert pro defunctis. ✻ Si ergo iuxta istã sententiam habent hanc efficaciam orationes factę nomine totius Ecclesię extra Missæ Sacrificium, habebunt multò potiùs, quæ intra illud fiunt.

36 Arguitur quintò, quia si semel admittitur, Sacrificium Missę offerri pro omnibus fidelibus viuis, atque defunctis, quoad applicandum ipsis fructum impetratorium, necesse erit, vt etiam offeratur quoad applicãdum eisdem fructum satisfactorium, nam ✻ in potestate Sacerdotis non est, vt vnum fructum Sacrificij ab alio separet, & vnum sine alio applicet ei, qui vtriusque capax sit; sicut etiam non est in potestate Ministri situm, vt vnum fructum Sacramenti sine alio applicet. Intentio enim

enim Ministri ad hoc tantùm deseruit, vt huic, aut alteri Sacramentum, aut Sacrificium applicetur: omnis autem operatio, & fructus vtriusque, facta illa applicatione, statim consequitur. * Quę sunt Vazquij, ab Amico infrà num. 227. subscripti, verba sic argumentantis D. 231. Cap. 6. n 36. aduersus Suarium admittentem, Sacrificium Missiæ quoad impetrationem offerri pro fidelibus cunctis viuis, ac defunctis; nam quoad aliquem effectum, aut fructum offerri pro eis omnibus, constat ex Offertorio hostiæ. Ibi: *Sed & pro omnibus fidelibus Christianis viuis, atque defunctis*; item ex verbis illis, *Suscipiat Dominus*, &c. Ibi: *Totiusque Ecclesiæ suæ sanctæ*; necnon ex Canone Missæ. Ibi: *In primis quæ tibi offerimus pro Ecclesia tua sancta Catholica :: Et omnibus Orthodoxis, atque Catholicæ, & Apostolicæ fidei cultoribus*. Rursùs Ibi: *Ipsis, Dne, & omnibus in Christo quiescentibus locum refrigerij, lucis, & pacis, vt indulgeas, deprecamur*. Sextò, nam Sacrificium Missę est commune beneficiũ relictum à Christo pro omnibus fidelibus viuis, & defunctis. Ergo etsi ex speciali applicatione Sacerdotis possit magis prodesse huic fideli, quã alteri, debet tamẽ omnibus esse proficuum quoad aliquam partem suorum fructuũ, nisi per ipsos stet, quominus lucrentur Sacrificij efficaciam ad impetrandum, & satisfaciendum. Ita Scotus, Gabriel, Caietanus, Sotus apud Amicum infrà, Nauarra, Toletus apud Granadum infrà, Bonacina D. 4. q. vltima, puncto 4 num. 9. cum multis, quos recenset, & inter eos Valentiam tomo 4. D. 6. q. 11 puncto 1. §. 25. Ita etiam Azor parte 1. Lib. 10. C. 20. q. 9 C. 21. q. 3. Tannerus D. 5. q. 9. dub. 4. num. 98. Meratius D. 40. sect. 4. V. *Antequàm*, & sequentibus, Ysambertus 3. p. ad q. 83. D. 7. art. 12. Amicus D. 33. sect. 6. ex num. 225. vsque ad 232. Fagundez in 1. Ecclesiæ præceptum Lib. 3. C. 6. n. 23. Henriquez L. 9. C. 17. §. 2. Cap. 18. §. 3. C. 21. §. 3. Dicastillus Tract. 5. Disp. 3. Dub. 6. num. 141. Vazquez iam citatus, Granus tomo 5. Controu. 6. Tractu 14. Disp. 7. sect. 2. num. 7. cui subscribit Diana parte 11. Tractu 6. Res. 9. & alij passim.

Nostrum iudicium, & responsio ad fundamenta opinionis negantis.

37 MIHI videtur, intentionem Ecclesię esse, ac præceptum, vt Sacrificium Missæ offeratur generaliter pro omnibus viuis, defunctisque fidelibus non excommunicatis, ita vt eis prosit tã impetratoriè, quàm satisfactoriè ex opere operato, quantùm est, ex parte Sacrificij, nam Ecclesia præscribens verba à Sacerdote dicenda, in quibus apertè significatur, Sacrificium offerri pro omnibus illis, habet se non aliter, ac fidelis, qui à Sacerdote petit, tradito, aut promisso stipendio, vt pro ipso offerat Sacrificium; vnde sicut animus fidelis id postulantis est, vt sibi specialiter applicetur Sacrificium quoad impetrationem, & satisfactionem, ita etiam intentum Ecclesiæ videtur esse, vt quoad vnum, & alterũ fructum applicetur generaliter omnib⁹ suis membris. Cum autem Sacerdotes sacrificãtes debeant intentionem suam cõformare intentioni, ac præcepto Ecclesiæ, significationique verborũ, quæ inter celebrandum recitant ex eiusdem Ecclesię institutione, consequens est, vt etiam debeant facere applicationẽ iuxta id, quod Ecclesia intendit; & ita fẽper faciunt, quoties expressè non volũt discordare; si tamen illicitè velint discordare, & applicare fructum impetratorium, non autem satisfactorium, tunc Sacrificium minimè proderit ex opere operato quoad posteriorem fructum fidelibus omnibus viuis, ac defunctis, nã dispensatio huiusmodi fructus vt prouenientis ex opere operato Sacrificij commissa est ex Christi institutione intentioni Sacerdotis applicantis eum. Ast quoad priorem fructum proderit Sacrificium, siquidem benè saluetur, vt Sacerdos proferat verba significantia applicationem Sacrificij pro fidelibus omnibus viuis, ac defunctis quoad fructum vtrumque, sed ex animo sacrilego restringente significationem ad fructum tantùm impetratorium fundatum in Ecclesiæ intercessione. Noster discurrendi modus probatur casu, quo Sacerdos ex intentione applicandi Sacrificium pro Petro v. g. pronunciaret solummodò verba consecrationis super panem,

panem, & vinum, consumeretque species panis, & vini, omissis cæteris verbis, ritibus, ac cæremonijs Liturgiæ; tunc enim Sacrificium soli Petro prodesset ex institutione Christi, & ex opere operato satisfactorio. Si ergo non soli Petro sic prodest, quãdo Sacerdos intendens offerre specialiter pro eo, peragit integram Missam, recitatque omnia, quę ab Ecclesia extant ordinata, sed vtile etiam euadit cunctis fidelibus viuis, atque defunctis, ideo est proculdubiò, quia Sacerdos ipsis simul applicat fructum satisfactorium, vt conformet se intentioni, & præcepto Ecclesiæ, significationique verborum, cum tamen non applicare posset absolutè, quanquã illicitè.

38 Hęc, quę dixi, confirmantur authoritatibus, & rationibus adductis num. 34. 35. & 36. si excipiatur illa, quam quinto loco ex Vazquio retulimus; & ad quam respondemus, negãdo, non esse in potestate Sacerdotis, applicare vnum fructũ, & non alium, quãdo subiectũ etiam est capax vtriusque; sunt enim fructus distincti, & non connexi inter se. Vnde potest Sacerdos offerre Missam ad impetrandam Titio salutem corporalem, & simul ad liberandam è Purgatorio animam Caij, pro qua sola applicet fructũ satisfactorium, etsi Titius sit capax satisfactionis, & anima Caij sit capax impetrationis. Sanè si Sacerdos potest inter Titium, & animam Caij diuidere ex æquo satisfactionem, & impetrationem, vt contingeret, quãdo pro vtroque nominatim applicaret Missam, & eodem modo pro vno, ac pro alio; quidni poterit velle vni totam satisfactionem, & alij totam impetrationem? Vtrobique datur diuisio fructuum; & difficiliùs videtur, portionẽ eiusdem fructus satisfactorij, aut impetratorij conferre diuersis personis, quã tribuere vni personę totum fructum satisfactorium, & alij totum impetratorium. Nec obest exemplum Sacramẽti, quod applicatum alicui à Ministro operatur effectus omnes, quos potest, iuxta capacitatem subiecti. Nam in primis si exemplum esset efficax ad intentum, sequeretur, sicut non potest Minister Sacramenti vnius diuidere effectum vllum eius inter duos, ita nec posset Sacerdos diuidere eiusdem Sacrificij impetratorium, satisfactoriumvè fructum inter plures; quæ sequela est falsissima. Deinde disparitas est manifesta, quia Sacrificij fructus tum in eo, quòd communicetur alteri, tum in eo, quòd talis, vel tantus sit, dependet ab intentione Sacerdotis applicantis Sacrificium, quin satis sit intentio conficiendi illud. At effectus Sacramenti dependet precisè ab intentione, quam habeat Minister de illo conficiendo. Vnde non expectata Ministri intentione circa effectum, neque vllatenus ad eum requisita sequitur necessariò huiusmodi effectus eo ipso, quòd Sacramentum sit confectum, & receptum in subiecto capaci.

39 Superest, vt occurramus argumentis Patris Suarij pro sua sentẽtia. Fatemur itaque, Sacrificium Missæ ex præcepto, institutioneq; Christi non debere offerri pro omnibus fidelibꝰ viuis, atque defunctis nondum ad plenum purgatis; secus tamen ex præcepto, institutioneque Ecclesiæ, sed excipientis excommunicatos maiori excõmunicatione. An autem tam non toleratos, quàm toleratos? Dicetur in D. 17. Interpretamur autem conuenienter, debere fieri oblationem, non solùm quoad impetrationem, sed etiam quoad satisfactionem, ob Indicia suprà proposita; sicut è contrà ex eo, quòd Ecclesia præceperit, institueritque, ne oblatio fiat pro excommunicatis vitandis, interpretantur Theologi omnes, debere non fieri nõ modò quoad satisfactionem, verùm etiam neque quoad impetrationem nomine Christi, & Ecclesiæ. Ad primum, & secundum absurdum dicimus, esse occultum secretum, quanta portio satisfactorij fructus respondeat singulis fidelibus ratione Missę applicatæ generaliter pro omnibus; sicut etiam occultum est, quanta respondeat ei, pro quo in particulari offertur Missa; occultum rursus est, quantæ intensionis, & durationis sit pœna, cui homo fit obnoxius ob vnum peccatum mortale, vel veniale; & in venialia septies in die cadit iustus; denique occulta est quantitas gratiæ habitualis, & deuotionis actualis existens in persona, pro qua in generali, vel particulari applicatur Missa; crescit autem, vel decrescit pœnæ remissio ex opere etiam operato Sacrificij, iuxta maiorem, vel minorem dispositionem tam gratiæ habitualis, quã deuotionis

deuotionis actualis in persona, pro qua fit oblatio Missæ, vt probabimus in Disputatione 18. Ad tertium absurdum cõcedimus, minorem fructum ex opere operato satisfactorium conferri ei, pro quo specialiter offertur Sacrificium, quã si simul generaliter non offerretur idem Sacrificium quoad fructũ ex opere operato etiã satisfactorium pro omnibus fidelib⁹; sed tamen eum, pro quo specialiter offertur, non habere ius ad maiorem fructum, etiãsi ex stipendij obligatione dicatur pro eo Missa, nã eius ius debet esse conforme intentioni, & præcepto Ecclesiæ volentis, vt fructus satisfactorius ex opere operato Missæ distribuatur inter omnes fideles à Sacerdote publico sui Ministro; & quia ęquũ est, vt priuati ius non vergat in detrimẽtum communitatis Ecclesiæ, cuius ipse est membrum, & pars. Præterquã quòd quantum fructus detrahitur in vna Missa, tantum compensatur, imò & multò plus per tot Missas, quæ pro alijs celebrantur quotidie vbivis terrarum, quãdoquidem de omnium illarum fructu participet quisq; fidelis, si aliàs, vt suppono, habeat capacitatem, & indigentiam, reliquasque conditiones requisitas.

40 Quod additur de persuasione, sensuq; fidelium, non est verum, nisi quatenus fideles existiment, respondere ex se maiorem portionem fructus ex opere operato satisfactorij personæ illi, pro qua quoad satisfactionem applicatur specialiter Missa. Si nõnulli persuasum sibi habeant, totum etiam fructum respondere; vel idiotæ sunt, & insipientes, de quibus non oportet curare; vel si docti, & sapientes, opinantur quidem probabiliter, præoccupato iudicio per priuatam suam sentẽtiam. Quod rursus adijcitur de remittenda alioqui pia, sanctaq; solicitudine procurandi speciales pro se applicationes Missarũ, neutiquã vrget, nã fideles, quorum animis ea cura ineſt, contẽti non sunt generalissimo fructu satisfactorio, sed vlteriùs desiderant applicari sibi specialem. Si verò non polleant gratia apud Sacerdotes, vt ab eis obtineant applicandas pro se specialiter Missas, aut careant facultate ad tribuendum stipendium cum onere specialis pro se applicationis, poterit ipsis non leui solatio esse nostra opinio. Quod deniq; additur de incertitudine quantitatis fructus satisfactorij partiendi inter omnes fideles, nihil me mouet, nam si Sacerdos conformet suam intentionem intentioni Ecclesiæ, Deus diuidet fructum iuxta portionem sibi notam, tribuetque illi personæ, pro qua Sacrificium specialiter offertur, tum partem competentem illi, vt componit communitatem Reipublicæ Ecclesiasticæ, tum aliam partem debitã ipsi, vt est persona, pro qua Sacerdos offert specialiter Missam.

SECTIO IV.

Illationes nonnullæ ex doctrina superiori?

41 EX dictis infero primò, quamcumq; Missam celebratã iuxta ritum Missalis Romani, & applicatam à Sacerdote cõuenienter ad intentionem, præceptumque Romanæ Ecclesiæ esse proficuam satisfactoriè ex opere operato eis fidelibus, quorum fit peculiaris mentio in oblatione Sacrificij, nimirùm summo Põtifici, Antistiti, Regi, Sacerdoti, ministrantibus, circũstantibus, cæterisque offerentibus per concursum aliquem in Sacrificium.

42 Infero secundò, Sacerdotem, obligatum offerre specialiter Missam pro aliquo fideli, non satisfacere, si applicet ei fructum generalissimum, Sacerdos enim, ex suppositione quòd celebret, tenetur non excludere quempiam à participatione huius generalissimi fructus, & ideo obligatio ad offerendum pro aliquo specialiter Missam, extenditur ad id, vt applicet illi fructũ specialem.

43 Infero tertiò, si Sacerdos illicitè vellet applicare Petro totum fructum generalissimum, ita vt intenderet defraudare illo reliquos fideles, non satisfacturum tũc obligationi celebrandi pro Petro, à quo accepisset stipendium, atq; adeò nõ sine iniustitia posset applicare pro alio fructum specialem. Ratio est, quia obligatio offerendi specialiter pro aliquo non adimpletur, nisi applicando ipsi fructum specialem; & qui stipendium dant, petunt hunc fructum, neque pro se cupiunt applicationem illicitam totius alius fructus generalissimi. Imò sunt plures, qui velint, eã fore inualidã, vt & exclusionẽ, quã à fructu

neralissimo faceret Sacerdos respectu alicuius fidelis non excluſi ab Ecclesia. Ita Suarez Disputatione 78. sectione 2. V. *Sed quæri.* Thomas Tamburinus Libro, & Cap. 2. de Missa §. 13. num. 13. Layman Lib. & Tract. 5. Cap. 2. num. 16. Franciscus de Lugo Lib. 5. Cap. 4. quæst. 6. numero 52. cum Bonacina, Coninchus 3. parte quæst. 83. artic. 1. dub. 9. numero 170. Auersa quæst. 11. sect. 10. V. *In primis*, Montesinus in Manuscriptis apud Leandrum Tract. 8. Disputatione 2. quæst. 5. etsi autem is dicat, se respondere probabiliùs, quàm Suarez; sed tamen respondet eodem modo, ac Granadus, cuius verbis insistit; ast Granadus concordat omnino cum Suarez. Ita etiam Henriquez Lib. 9. Cap. 17. §. 3. Cap. 20. §. 1. lit. H. in textu, & in Glossa, Cap. 21. §. 3. cum Corduba, Granadus tomo 5. Controuersia 14. Disputatione sexta, numero primo, Disputatione 8. num. 6. Tannerus tomo 4. Disputatione 5. quæst. 9. dub. 4. num. 86. Ylambertus 3. parte quæst. 83. Disputatione 7. artic. 5. & 12. Martinus de Ledesma 2. 4. quæst. 16. num. 14. fol. 192. cum Scoto, Antonius Honcala de Valore Missæ artic. 7. Hieronimus Columbus Libro 4. de Angelica, & Humana Hierarchia C. 68 n. 4. Et probant primò, nam Sacrificium Missæ est generale, & proprium totius Ecclesiæ. Ergo huic relicta est à Christo potestas, vt independenter à voluntate Sacerdotis applicet ipsa sibi, proindeque fidelibus omnibus fructum generalissimum. Secundò, quia eo ipso quòd Sacerdos oret per preces institutas ab Ecclesia, offeratque eius nomine, orat etiam Ecclesia, & offert, disponiturque ad participandum Sacrificij effectum. Ergo ex Sacerdotis intentione non poterit priuari tali effectu; sicuti qui assistit, aut ministrat Missæ, nequit eo orbari ex illa Sacerdotis intentione, quia ratione assistentiæ, aut ministerij offert cum Sacerdote. Tertiò, nam cum Ecclesia annexuerit meritum suorum bonorum operum vt participādum ab omnibus fidelibus per Sacrificium, & sola ea habeat dominium in talem fructum, non poterit validè Sacerdos, si semel sacrificet, excludere aliquem fidelem à participatione talis fructus. Quartò, quia cum Sacerdos sit solummodo dispensator eius partis fructus, quæ respondet merito Ecclesiæ, in cuius persona offert Sacrificium, nō poterit validè dispensare eam partem, nisi iuxta dispositionem eiusdem Ecclesiæ de distributione in omnia, & singula sui membra.

44 Nihilominus infero quartò, si Sacerdos applicet alicui fideli totum fructum generalissimum, vel si excludat aliquem ab eius participatione, fore validam talem applicationem, aut exclusionem. Sic existimant Cardinalis de Lugo Disputatione 19. sect. 10. numero 224. Arriaga D. 53. sect. 2. n. 6. Gibalinus de Censuris Disq. 7. q. 2. notatione 5. n. 15. Martinonus D. 39. S. 4. n. 34. Illationis ratio multiplex est. Prima, casu quo Sacerdos contra præceptum Ecclesiæ applicet alicui fructum specialem satisfactorium, quem deberet alteri applicare, vel illicitè excludat aliquem à tali fructu, non est irrita applicatio, vel exclusio, vt fatentur plerique ex Authoribus aduersis. Ergo similiter in casu illationis, præsertim iuxta sententiam in sectione præcedēti à nobis approbatam de fructu generalissimo, qui sit satisfactorius ex opere operato. Vnde si eius esse conditionis cē suisset Suarez, forsan authoritate sua nostram illationem nobilitasset, nam in loco prędicto ait, *Illud autem prius* (scilicet, quòd teneret factum, si Sacerdos excluderet aliquem fidelem) *procedit de fructu, qui prouenire posset absolutè ex opere operato.* Ita ille. Probatur Consequentia, quia non apparet discrimen inter propositos casus. Sicut enim Sacerdos est Minister Ecclesiæ ad dispensandum vnam partem fructus satisfactorij pro eo, pro quo offert specialiter, ita etiam ad dispensandum pro ijs, pro quibus offert generaliter. Ergo quemadmodùm valida est dispensatio fructus specialis satisfactorij, etsi non sit cōformis iussui Ecclesiæ, ita etiam valida erit ea alia fructus generalissimi satisfactorij, tametsi discordet ab Ecclesiæ mandato. Huc faciunt, quæ in Disputatione 13. S. 1. diximus latè de applicatione Sacrificij per intentionem Sacerdotis, vt illud prosit alijs satisfactoriè ex opere operato. Secunda ratio, Ecclesia offert per Sacerdotē tanquam inferior per superiorem, vt aduertimus in n. 1. Disput. 12. docentque præter ibi citatos Meratius Disput. 37. sect. 5.

5. Ver. *Vbi notandum*, Auersa quæst. 11. sectione 8. V. *Dicitur demum*, Amicus Disput. 33. sect. 4. n. 102. Ergo si Sacerdos offerēdo excludat aliquem à fructu generalissimo, aut alicui eum totum applicet contra voluntatem Ecclesiæ, tenebit factum, nam voluntas inferioris nequit reddere cassam voluntatem superioris. Dices, neque posse reddere illicitam. Quare argumentum hoc secundum peccabit ab excessu, sequeretur enim ex eo, neque fore illicitum factum illud ob prohibitionem Ecclesiæ. Sed cōtra, quia Ecclesia per potestatem datam à Christo, respectu cuius inferior est Sacerdos, prohibet huic factum illud; at dedisse Christum potestatem eidem Ecclesiæ, vt reddat etiam irritum facti illius conatum, asseritur sine conuincenti authoritate, aut ratione. Dices rursus, si ipsa Ecclesia excludat aliquem à fructu generalissimo, erit non solùm illicitus, sed etiam inualidus conatus Sacerdotis in oppositum, vt constabit ex Disputatione 17. Ergo similiter illicitus, & inualidus erit conatus Sacerdotis ad excludendum à fructu generalissimo aliquem, quem Ecclesia velit, & præcipiat fieri eius participem. Sed contra, nam fructus generalissimus non potest validè applicari à Sacerdote contra intentionem Ecclesiæ, cuius nomine est applicabilis abipso, nemo enim, qui agat nomine alterius, agit validè contra eius intentionem. Cæterùm Sacerdos, qui excludat Petrum, verbi gratia, à fructu generalissimo contra intentionem Ecclesiæ, cum non agat quoad id nomine Ecclesiæ, nihil obest, quominus exclusio sit valida, quanuis illicita. Dices iterùm, saltem si Sacerdos excludens Petrum à fructu generalissimo applicet Paulo partem, quam Petro adimit, non applicabit validè, siquidem non aget nomine Ecclesiæ. Fateor, pro Paulo applicationem partis ademptæ Petro non fore nomine Ecclesiæ; sed diffiteor, nō fore validam, fieret enim Christi nomine; id quod sufficit ad eius valorem. Christus enim reliquit notas sibi partes fructus applicabiles per quouis Sacrificium ex intentione Sacerdotis; ex ijs voluit, & imperauit Ecclesia Sacerdoti, vt applicaret aliquas Petro, & Paulo, v.g. Si igitur Sacerdos applicet Paulo partem, quam Petro tenebatur applicare iuxta Ecclesiæ statutum, aget quidem nomine Christi, qui vniuersim contulit potestatem applicandi fructum Sacrificij fidelibus viuis, atque defunctis, & proinde aget validè, tametsi non operetur nomine Ecclesiæ, neque conformās se præcepto, intentionique eius.

45 Tertia illationis ratio est, Sacerdos non offert immediate, neque applicat immediatè fructum Sacrificij pro eo fideli viuo, aut defuncto, quem excludat. Ergo pro tali excluso neque offeret, neque applicabit tunc mediatè Ecclesia. Patet Consequentia, quia causa mediata non agit mediatè, nisi quod causa immediata agit immediatè. Si autem neque Sacerdos, neque Ecclesia offerunt, & applicant pro excluso, videtur inferri manifestè, hunc non participare fructum, quem ipsi denegare intendit Sacerdos. Quarta ratio, etsi Sacerdos proferat externè verba, per quæ ex institutione Ecclesiæ offertur Sacrificium, & oratur ad Deum pro Petro, verbi gratia, quatenus est vnus è fidelibus viuis, aut defunctis, tamen si Sacerdos in ordine ad offerendum, & orandum pro Petro velit non agere nomine Eccleſię, neque in eius persona, idque Deo sit notum, vt certè debet esse, inefficax erit apud Deum oblatio, & oratio, etiamsi verbis exprimatur Petrus, vel etiamsi verba, quæ generaliter exprimuntur, comprehendant etiam Petrum. Sic si ego, deputatus iurare nomine alterius ad firmandum contractum aliquem, declarem adstantibus, me quidem prolaturum verba iuratoria, quæ nomine alieno solent dare robur contractibus, sed non pronunciaturum nomine, & in persona alterius, neque iuxta eius intentionem, tunc talia verba iuratoria nullius efficaciæ erunt, nullamque firmitatem addent contractui. Sic etiamsi Legatus dicat verba dictata à Rege, vt apud alium Regem petat libertatem vasallorum captorum in prælio, ii Legatus ipse palàm, vel secreto protestetur coram Rege, ad quem missus est, se non velle intercedere nomine, & in persona sui Regis pro Alexandro, qui sit vnus è captis, quanuis verba non minus extēdātur ad ipsū, quā ad alios; tūc verba illa nulli[a] erunt vigoris respectu

Alexandri, seu vt ei libertatē obtineāt. Sed inquies, verum id fore, si ex intentione solius Legati, nam eo ipso quòd alter Rex audiat ea verba comprehendentia Alexandrum ex intentione mittentis, mouebitur sufficienter ad concedendam ei libertatem, non obstante Legati protestatione prædicta. Concedo, posse absolutè, & simpliciter moueri, sed non vt ex verbis Legati, cui Rex mittens commiserit, vt in suo nomine; & persona loquatur, & intercedat pro captis, nam eo ipso quòd demandarit ipsi repræsentationem suæ personæ ea in loquutione, & intercessione, non debet Rex alter attendere ad remotam intentionem Regis mittentis, sed ad loquutionem, & intercessionem vt factam à Legato ex repræsentatione Regis mittentis, & iuxta intentionem declaratam ab eodemmet Legato. Sic etsi Christus vellit vtcumque, vt quoties Sacerdos agens sui personam consecrat panem, consecret etiam vinum præsens, si tamen Sacerdos post prolata verba consecrationis super panem exuat repręsentationem personæ Christi in dicendis verbis consecrationis super vinum, pronuncietque ea sine intentione consecrandi, & cum animo non agendi personam Christi, non debet tunc Deus respicere ad illam Christi intentionem, neque moueri ex illa, vt transubstantiet vinum in sanguinem Christi. Quo exemplo videor mihi illustrare non leuiter totam illationis doctrinam. Sed adhuc inquies, eo ipso quòd Sacerdos vt deputatus ab Ecclesia offerat, & oret per verba, quæ sunt instituta ab ea, & quibus Petrus, verbi gratia, fidelis comprehenditur, offert, & orat iuxta intentionem Ecclesię pro Petro. Ergo nequit intelligi, quòd hunc excludat à generalissimo Sacrificij fructu. Contra tamen, quia cum voluntate offerendi, & orandi per verba Ecclesiæ stat Sacerdotis voluntas non proferendi illa in sensu, siue ex toto, siue ex parte, quem intendit Ecclesia. Præterquàm quòd etsi Sacerdos habeat aliquam implicitam voluntatem offerendi, & orandi per verba iuxta intentionem Ecclesiæ, potest esse huiusmodi voluntate efficacior alia, qua positiuè excludat Petrum, vt obseruant Cardinalis de Lugo, & Gibalinus suprà.

46 Ex dictis procliue est, respondere ad argumenta proposita in numero 43. ex Granado præcipuè, & Ysamberto. Ad primum, esse quidem Sacrificium Missæ generale, & proprium totius Ecclesiæ, quatenus institutum est à Christo, vt pro tota Ecclesia possit offerri; sed vt interuenientе Sacerdote tanquam principaliori offerente, & tanquam immediatè sacrificante, ita etiam dependenter ab eius intentione, & applicatione quantùm ad id, quòd actu validè offeratur, necne, pro tota Ecclesia. Potuit velle Ecclesia, & actu voluit sine dependentia à voluntate Sacerdotis, vt Sacrificij conuenienter oblati fructus distribueretur in omnes fideles; sed ipsa actualis partitio debet prorsus subiecta esse voluntati Sacerdotis quoad sui valorem, & efficaciam. Ad secundum, non offerre, neque orare in Sacrificio Ecclesiam pro eo fideli, quem Sacerdos excludit; vel offerre, & orare externo tantùm verborum sono. Num Ecclesia agit in Sacrificio per Sacerdotem, qui si non offert, neque orat pro aliquo fideli; vel si offert, & orat verbaliter, sed cum voluntate excludente positiuè fidelem aliquem, nequit Ecclesia aliter agere. Exemplum, quod ad Consequentiæ munimen affertur, enerue est, nam Sacerdos potest vtique validè priuare assistentem, aut ministrantem Missæ illo fructu, qui dependet ex applicatione ipsius Sacerdotis, etsi non possit orbare illo altero, qui prouenit tantùm ex opere operantis per assistentiam, aut ministerium. Fructus autem generalissimus dependet etiam ab applicatione Sacerdotis, vt nostris rationibus euincere procurauimus. Ad tertium, supponi quod probandum erat, scilicet solam Ecclesiam habere dominium in fructum generalissimum. Habet illud Ecclesia, quatenus imperare potest, vt Sacrificium offeratur in bonum omnium fidelium; sed quòd actu offeratur validè in bonum omnium, vel in bonum horum, & non aliorum, est actio solùm è potestate Sacerdotis. Ad quartum, posse eū, qui est dispēsator bonorum alteri⁹, excludere re ipsa aliquem à participatione eorū, etsi dominus voluerit, ne excluderetur.

tur. Sic famulus, qui ab hero acceperit pecunias elargiendas Titio, & Caio, potest re ipsa non tribuere Caio partem designatam ab hero. At inquies, non poterit validè retinere sibi, aut dare Titio partem, quam herus voluit conferri Caio. Ergo similiter Sacerdos inualidè applicabit sibi, aut Titio fideli eam generalissimi fructus partem, quã Ecclesia iubeat applicari Caio. Respondeo, Sacerdotem respectiuè ad Ecclesiam non esse merum dispensatorem fructus generalissimi, sicut bonorum domini est famulus. Nam fructus præfatus eatenus solùm est, Ecclesiæ, quatenus ipsa iubet, Sacrificium Missæ offerri pro omnibus fidelibus, vt omnes participent de vtilitate Sacrificij. Si autem Sacerdos applicet alicui fideli maiorem partem, quàm quæ debita est ex præcepto Ecclesiæ, non dispensabit benè; sed nihil causæ est, quominus validè. Inquies iterùm, fructus generalissimus oritur ex meritis Ecclesiæ, quæ voluit, vt suorum bonorum merita applicarentur à Sacerdote per Missam omnibus fidelibus viuis, & defunctis. Talia autem merita nequeunt applicari validè à Sacerdote contra intentionem Ecclesiæ. Sed dico primò, fructum generalissimum oriri potiùs ex Passione Christi Domini, & ex hostia Sacrificij Missæ, est enim satisfactorius ex opere operato, vt defensaui in sectione antecedenti. Deinde dico, etsi proueniret ex Ecclesiæ meritis, essetque tantùm impetratorius ex ipsius operantis opere, non constare, an applicatio à Sacerdote facta contra ipsius intentionem foret non modò illicita, sed etiam irrita? Potuit enim Ecclesia intendere, vt merita sua applicarentur per Sacrificium à Sacerdote omnibus fidelibus viuis, & defunctis; si tamen vni applicaretur pars, quam alteri vellet applicatam Ecclesia, ageret malè Sacerdos, sed non incassum. Quoad exclusionem verò alicuius fidelis à fructu generalissimo, quin pars ei adempta applicetur alteri, censeo maiori cum firmitate, fore prorsus validam, etsi fructus ille generalissimus non esset, nisi impetratorius ex opere operantis Ecclesiæ, seu etsi non esset nisi fundatus in ipsius meritis. Atque ideſt, quod in terminis asserit Cardinalis de Lugo cum alijs laudatis in n. 44.

47 Infero quintò intelligentiam ad Missæ applicationem, quæ a nonnullis Theologis dicitur de intentione in primo, aut secundo gradu. Præsupponereque oportet, primum, (quem ego sciam) Subtilem Doctorem Scotum Quodlibeto 20. vsum fuisse eis terminis in hac materia. Igitur Scotus ibi articulo 2. inquit, * Isti verò, quorum orationes, & oblationes sunt determinatę cæteris (seu potiùs certis) personis, non possunt, eas pro libitu alijs applicare, quia facerent iniustitiam, subtrahendo debitum illis, quibus iam sunt obligati. Et intelligo, si applicarent alijs ita specialiter, sicut ipsis, & hoc alijs, quibus non æquè obligantur. Siquidem illa applicatio medio modo potest habere multos gradus. Exempli gratia, ponantur tres, & semper ipsa plus valet ei, cui fit in priori gradu, putà, si quis sic intendat, quòd quantùm potest oblatio valere alicui alij ab offerente, tantùm valeat ipsi A: & tunc post ipsum A, quantùm valere potest alicui alteri, valeat ipsi B. & post B ipsi C. Et hoc siue per A intelligatur vna persona, siue multæ, pro quibus vult in eodem gradu orare. Esto igitur quòd ex ordine Ecclesiæ, vel ex Beneficio recepto teneatur quis offerre medio modo: & hoc in primo gradu pro vno, non præiudicat tamen illis, si medio modo in secundo gradu offerat, vel applicet virtutem oblationis alij, & in tertio gradu tertio, & sic de quibus cumque gradibus; quia nunquam applicatio facta in gradu posteriori subtrahit aliquid illi, cui facta est in gradu priori. * Sic Scotus, loquens de fructu Missę applicabili specialiter pro aliquo, vel aliquibus nominatim, sentiensque, si in gradu equali offeratur Missa pro eo, cui ex iustitia obligatus est Sacerdos, & pro alio, cui non est sic obligatus, fieri iniustitiam priori illi, quia minorem fructum percipiet ex Sacrificio; non tamen fieri iniustitiam, si in primo gradu offeratur pro priori, & in secundo pro posteriori. Videtur autē effari Scotus de fructu Sacrificij, vt oblati in persona Ecclesiæ. Et ita intelligitur à Suario D. 79. sect. 9. V. *Secundò inquiri*, & V. *Secundum scilicet*. Attamen sicut multi Theologi posteriores diuisionem fructus Missæ in generalissimum, seu generalem, in specialem,

seu medium, & specialissimum, cum tradita fuisset a Subtili Doctore de fructu Sacrificij vt oblati in persona Ecclesię, transtulerunt ad fructum illius, vt oblati etiam in persona Christi, provt notant Suarez suprà, & Vazquez Disp. 231. C. 6. num. 39. ita applicationem in primo, & secundo gradu extenderunt etiam ad eam, quæ versatur circa fructum Sacrificij vt oblati in persona Christi. Iam verò Theologi, qui, vt Pater Vazquez, censent, Sacrificium applicatum pluribus prodesse non minus eis quoad istum fructum, quàm si pro vno solo eorum offerretur, consequenter affirmant, applicationem in primo gradu non facere melioris conditionis, neque deterioris applicationem in secundo gradu personas, pro quibus nominatim offertur Sacrificium à Sacerdote. Sic diserte exprimit Vazquez numero illo 39. & 40. Cæterùm qui in Antecedenti discordant ab illis Theologis, asserunt consectariè, personas, pro quibus nominatim siue in eodem, siue in diuersis gradibus offertur Sacrificium penes præfatum fructum, non participare tam plenè de ipso, quàm si pro qualibet earũ sola offerretur. Quare applicationem de intentione in primo, aut secundo gradu exponunt modis iam per nos iam propositis in D. 8. n. 37.

48 Sed certè facile non est explicare Scotum, Gabrielem Bielem Lect. 26. in Canonem Missæ ex Litera G. vsque ad finem, Gaufridum Boussardum parte 2. de Sacrificio diuinissimo Missę C. 7. Antoniam Honcalam de Valore Missæ, art. 14. Martinum de Frias in Tract. de eodem Valore §. 14. *Ad secundam quæstiunculam*, & §. *Sed pro maiori*; qui omnes insistunt vestigijs Scoti in verbis exaratis; & aliqui ex eis clariùs, quàm Scotus, declarant, respondere Sacrificio Missæ alium fructum præter eum, qui est ex merito offerentis, siue Ecclesiæ, siue Sacerdotis: cum autem aliunde latè tradant, eò minorem vniuersim fructum communicari personis, pro quibus specialiter offertur, quò plures illæ sint; hę si sępe in aqua anceps valde, & dubius circa eorum Authorum intelligentiam, & interpretationem, dum aiunt, non sequi dispendium, seu decrementum fructus, si applicatio fiat in diuersis gradibus, seu vni de prima intentione, alteri de secunda, &c. Sed post repetitam eorum Authorum lectionem persuadeo mihi, sermonem ipsis fuisse de fructu generalissimo, quatenus possit pluribus prodesse absque singulorum detrimento; sed ita, vt in primo gradu debeat illi, aut illis applicari, quibus Sacerdos ex iustitia, aliunde ve obligatur ad specialem applicationem, tum quia hæc distinctior sic erit, tum quia erit significatio voluntatis Sacerdoris, vt illi, aut illis conferat Deus satisfactorium fructum, qui ex Sacrificio obuenire solet personæ, aut personis, pro quibus specialiter, nominatimque offertur. Et quanuis si pro alijs offeratur in secundo gradu, sit probabile iuxta dicta in S. 3. eam personam, pro qua in primo gradu offertur, minorem absolutè referre fructum, sed ad quo maiorem non habeat ius; probabile etiam est, & ex mente præfatorum Authorum, conferendum ei maiorem, quia scilicet fructus responsurus ob specialem in primo gradu applicationem Missæ sit vt centum, v. g. ita vt si pro duabus personis fiat specialis applicatio, respondeat singulis fructus vt quinquaginta; at fructus generalissimus, responsuruque ob applicationem distinctam ab speciali, constitutãque in secundo gradu, relictus sit à Deo, vt Sacerdos conferat illum personis, quibus debeatur ex Ecclesiæ præscripto, & quibus ipse velit magis benefacere habens earum maiorem rationẽ inter orandum secretò, siue mentaliter, siue verbaliter. Hactenus pro interpretanda mente Theologorum illorum antiquorum.

49 Qui in locis præcitatis tractant de ordine, quem seruare conueniat in applicatione faciẽda, etiamsi Sacerdos sit obligatus offerre specialiter pro vna, à qua acceperit stipendium. Nam, vt ait Gerson in Opusculo de Solicitudine Ecclesiasticorum, particula 34. Conclusione 9. ✻ Solicitudo pia conferentis temporalia, procurando sibi Missam:: non defraudatur, si Presbyter recipiens adiunxerit alios in orationibus suis publicis, aut secretis, vt *Memento*, aut si offerentes, vt solet, post Euangelium recipit. Et posteà in particula 35. ✻ Quæramus à conferente temporalia quæstiones aliquas, vt ex sua responsione veritas magis emineat. Et primò, vis, ò frater, vt in Missa, quam pro te dici cõstituis, nulla dicatur

locis

locis suis alia penit⁹ oratio, quã pro te? Puto, respondebit, sicut respondere debebit, quàm hæc fieri non prohibet. Vis rursus, ò frater, quòd in *Memento* tam pro viuis, quàm pro defunctis, nullus commendatus habeatur, nisi tu, & tui? Respondeat, oportet, quòd hoc non intendat, quoniam institutioni Ecclesiæ iam ipse repugnaret. Vis præterea, quòd volentes ad Offertorium venire, quaten⁹ ipsi Missę participes sint, repellantur? Certè nec hoc dicet, si ritum Ecclesiasticum plenè cognouerit. Quid vis igitur, tibi, frater, fieri pro peculiari Missa tua? Si respondeat, volo, tota mea sit, tota cedat in spiritualem vtilitatem meam, tota valeat ad remissionem peccatorum meorum, & satisfactionis debitę, vel iniunctę redemptionem. Sed an hoc ita vis, frater, quòd Sacerdos nihil sibi mereatur, nihil se ipsum iuvet, nihil pro se ipso satisfaciat, nihil demum rependat obsequij parentibus, nihil benefactorib⁹, nihil commendatis? Similiter & tu conferas nihil Ecclesiæ toti militanti. Nolo, dicet, & iure dicet. Quid superest igitur, nisi referre quantitatem suffragij Deo, quæ, & qualis tibi data debita est? Nolito murmurare; sciet profectò, sciet ille, qui montes ponderat in statera, tua similiter dona mẽsurare. ✻ Sic doctus, & pius Cancellarius Parisiensis.

50 Iam verò circa ordinem mouet dubium Scotus, an Curatus debeat priori gradu applicare Missam pro suo Parochiano, quàm pro patre, vel matre? Proponitq; pro vtraque parte rationes, nec resoluit. Rursus si non sit Curatus, nec sit obligatus ratione Capellaniæ, aut Præbendæ, dicit, debere se conformare beneplacito Summi Sacerdotis Christi, provt illud noscere possit circa tenendum à se ordinem. Et addit, ✻ Probabiliùs autem applicatio concipitur magis in communi, puta, parentibus, benefactoribus, principibus, & prælatis :: pro mortuis etiam. ✻ Sed quia adhuc sistendo in communi, aliqui magis indigent fructu Missæ, vt peccatores in hac vita, & vt iusti existẽtes in Purgatorio; aliquibus autem magis vtilis est ille fructus, vt iustis viatoribus; & respectu horum censeri posset magis obligatus Sacerdos, quàm respectu viatorum peccatorum, ideo concludit Scotus, ✻ Tutiùs videtur, applicationem facere generalem talem, (Digneris, Domine, oblationem istam specialiter acceptare pro illis, pro quibus nosti, me teneri specialiter offerre, & in illo gradu, in quo nosti, me teneri pro eis) Et si in speciali determinetur ad aliquẽ, vel aliquos, tutiùs est, quòd fiat sic sub conditione (Si tibi placet.) ✻ Huc vsq; ex discursu Scoti, quem trãscribunt Gabriel, & alij suprà memorati. Ait autem Honcala, ✻ Ego cæteris memet præfero, quia proximus mihi sum. Deinde subiungo eum, pro quo peculiariter offertur Sacrificium. Deinde parentibus tertio loco illius fructum applico. Quarto gradu fratribus. Quinto benefactoribus. Sexto eos, quibus alicunde teneor, pro eis apud Deũ, vel precando, vel offerẽdo negotiari. ✻ Ita Honcala. Sed hæc de ordine applicationis sunt parùm necessaria, siue ad speculationem, siue ad praxim, dũmodò enim Sacerdos intendat applicare fructum medium Missæ pro illa, aut illis personis, pro quibus specialiter celebrare tenetur, non video, quid referat ordo in eis mente reuoluendis, vel exprimendis ore; neque item video, quid interfit ordo quoad alias personas, quando in Liturgię precibus non est præfixus ab Ecclesia.

✻ ✻ ✻

DIS-

DISPVTATIO XVI.

DE DEO, VT CVI OFFERTVR Sacrificium Missæ.

1

*VXTA S. AVGVSTINVM Lib. 4. de Trinitate Cap. 14. & iuxta Authorem Commẽtariorum in Epistolam ad Hebræos sub nomine Sancti Ambrosii, ad Cap. 8. * In omni Sacrificio quatuor considerantur, cui offeratur, à quo offeratur, quid offeratur, pro quibus offeratur. * Oportet igitur, vt nos in Sacrificio Missæ consideremus id, quod primo loco proponitur à S. Augustino, nam de alijs partim iam egimus in Disputationibus superioribus, partim agemus in subsequentibus.*

SECTIO VNICA.

Sacrificium Missæ offertur Deo vni, & trino, eique soli.

SACRIFICIVM Missę ex communi ratione Sacrificij offerri posse, & debere Deo, eique soli, constat ex Disputatione 1. notaturque à prælaudato Authore sub nomine S. Ambrosij, & à Venerabili Perro Abbate Cluniacensi in Epist. seu Tract. aduersus Petrobrusianos, C. contra id, quod dicunt, Missam nihil esse, nec celebrari debere, vbi eleganter fatur hunc in modum, *Sacrificia ad illum tantummodò referuntur, cui soli absq; alio comparticipe exhibentur. Hæc enim Sacrificiorum seruitus, hic soli Deitati deferendus honor, hic diuino tantùm nomini exhibendus cultus omnem pro Creatore respuit creaturam, quia sicut incommunicabilis est maiestas, cui offertur, sic omnem respuit cõmunionem, etiam quod offertur. Signatur hac seruitutis proprietate soli Deo subdit⁹ homo:: Id circo nulli creaturæ, non dico inanimatæ, non dico insensibili, non dico irrationali, sed nec ipsi rationali, & beatæ, sacrificijs honorari concessum est. Non Angelo, non homini, nec ipsi altissimo ordini Seraphin hoc datum est, quia signum, quod inter mortales Conditorem à conditis secernit, meritò semper incommunicatum permansit.* Huc vsque Petrus Venerabilis: qui ibidem adducit exemplum Pauli, & Barnabæ, de quib⁹ Cap. 14. Act. dicitur, conscidisse tunicas suas ex indignatione, horrore, & dolore propter Lystrensium sacrilegium, atque blasphemiam ipsos appellantium Deos, & volentiũ ipsis sacrificare. Paulus verò, & Barnabas efficaci hoc argumento cohibuerunt Lystrensium conatum, *Quid hæc facitis? Et nos mortales sumus similes vobis homines.*

2 Non modò autem ex ratione communi, sed ex speciali etiam talis Sacrificij patet eadem veritas, ait enim Dei nomine Malachias Cap. 1. *Ab ortu*

Solis

Solis vsque ad Occasum magnum est nomen meum in Gentibus, & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum est nomen meum in Gentibus. Quæ verba intelliguntur de Sacrificio Missæ à Concilio Tridentino Sess. 22. Cap. 1. & à Patribus concorditer apud Paulum Sherlogum tomo 2. in Cantica Vestigatione 14. sect. 2. Accedit Concilium Tridentinum Sess. eadem 22. C. 3. inquiens ex S. Augustino Lib. 8. de Ciuitate Dei C. 27. & L. 22. C. 10. L. etiam 20. contra Faustum Capite 21. ✻ Quanuis in honorem, & memoriam Sanctorum nonnullas interdum Missas Ecclesia celebrare consueuerit; non tamen illis Sacrificium offerri docet, sed Deo soli, qui illos coronauit; vnde nec Sacerdos dicere solet, Offero tibi Sacrificium, Petre, vel Paule; sed Deo, de illorum victorijs gratias agens, eorum patrocinia implorat; vt ipsi pro nobis intercedere dignentur in Cœlis, quorũ memoriam facimus in terris. ✻ Sic Tridentina Synodus. Et sanè cum Christus sit hostia, & victima in hoc Sacrificio, sitque principalis offerens, & Sacerdos, apparet manifestè, nõ posse alij, quàm Deo, offerri huiusmodi hostiam, nec alij, quàm Deo talem Sacerdotem sacrificare.

3 Ita autem Sacrificium hoc offertur Deo, vt non tantùm Patri, sed etiam Filio, atque Spiritui sancto offeratur, vt docet S. Marcellinus Papa in Epist. Decretali 1. ad Salomonem Episcopum, cum enim meminisset quorundam, qui *Errore decepti dicebant, ideo Patrem maiorem Filio esse, quia illi soli Sacrificium immolatur*, subiungit, *Quibus competẽs, & congruum reddatur responsum, quia sicut Patri, ita etiam Filio non solùm Christianis temporibus, verùm etiam priscis temporibus à Sacerdotibus, variis, multisque modis probamus, Sacrificium fuisse oblatum.* Et post probationes concludit, *Sacrificium itaque, quod à Christianis, sacris admouetur altaribus, non solùm Deo Patri, sed etiam Filio communi deuotione offertur: quoniam nec Patri sine Filio potest offerri, neque Filio sacrari.* Habet eadem ferè verba Idacius Clarus in Lib. aduersus Varimadum Arianum pag. 631. tom. 4. Bibliothecæ VV. PP. ex editione Coloniæ Agrippinę anno 1618. Confirmat idem ipsum S. Fulgentius Lib. 2. ad Monimum, affertque C. 3. & 4. testimonia ex veteri Testamento, vt constet, sacrificatũ olim fuisse toti Trinitati; & pro præsenti tempore inquit Cap. 5. *Siquì verò Catholici fideles huius Sacramenti nunc vsq; videbantur ignari, deinceps scire debent, omne cuiuslibet honorificentiæ, & Sacrificij salutaris obsequium & Patri, & Filio, & Spiritui sancto, hoc est, sanctæ Trinitati, ab Ecclesia Catholica pariter exhiberi, in cuius vtique vno nomine manifestum est, sanctum quoque Baptismum celebrari. Neque enim præiudicium Filio, vel sancto Spiritui comparatur, dum ad Patris personam precatio ab offerente dirigitur, cuius consũmatio dum Filij, & Spiritus sancti complectitur nomen, ostendit, nullum esse in Trinitate discrimen. Quia dum ad solius Patris personam honoris sermo dirigitur, benè credentis fide tota Trinitas honoratur, & cum ad Patrem litantis destinatur intentio, Sacrificij munus omni Trinitati vno, eodemque offertur litantis officio.* Sic S. Fulgentius. Videantur Sanctus Augustinus L. 10. de Ciuitate Dei C. 20. S. Cyrillus Alexandrinus in Defensione 10. Anathematismi, & post ipsos Ioannes Baptista Scortia L. 2. C. 1. de Sacrificio Missæ, Sausayus in Appendice 1. ad Panopliam Sacerdotalem. Sed vt meliùs intelligantur verba illa S. Fulgentij de offerentium precatione ad Patrem per Filium, scire oportet, fuisse ordinatum in Concilio Carthaginensi III. vel anteà potiùs in Hipponẽsi, Can. 23. *Vt cum altari assistitur, semper ad Patrem oratio dirigatur.* Vnde S. Optatus Africanus Lib. 3. aduersus Parmenianum dixit, *Paganum vocas eum, qui Deum Patrem per Filium eius ante aram rogauerit?* Quia autem in oblatione Sacrificij oratio dirigebatur ad Patrem per Filium iuxta Concilia, & morem Africanæ Ecclesiæ, inde illi, contra quos disputat S. Fulgentius, inferebant, soli Patri Sacrificium offerri. Nunc interdũ oratio dirigitur ad Filium, sed fortasse ex vsu non valde antiquo, vt notat Bellarminus Lib. 2. de Missa C. 16. §. *De Collecta*, & cum ipso Gauantus in Rubricas Missalis parte 1. tit. 9. num. 17. Legesis vtrumque, & Durantum L. 2. de Eccclesiæ Catholicæ ritibus Cap. 31. num. 8.

4 Ratio Theologica oblati Sacrificij toti Trinitati facilis est, quia scilicet tres personæ diuinæ sunt vnus Deus, ideoque Sacrificium Deo oblatũ non potest non offerri realiter singulis illarum,

illarum, nec potest non esse cultus, & latria singularum. Quomodò autem stet, vt idem Christus Deus, & homo sit offerens, hostia oblata, & is, cui offertur, explicandum erit, seruata proportione, non secus ac in Tractatu de Incarnatione declarari solet, eundē Christum satisfacientem satisfeciſſe sibi ipsi pro peccatis generis humani. Nunc satis sit, dicere breuiter, Christum esse offerentem, & hostiam non secundùm naturam diuinam, sed secundùm humanam, proindeq; non vt Deum, sed vt hominem; quāquam possit concedi cum Vazquio 3. p. D. 83. C. 3. num. 21. Tannero tomo 4. D. 1. q. 7. dub. 3. n. 46. Cardinali de Lugo D. 29. de Incarnatione S. 1 num. 7. Amico D. 30. de Incarnatione sect. 2. n. 45. aliisque contra Bernalem D. 60. sect. 10. §. 2. num. 12. Aldretū D. 57. sect. 1. num. 12. Prudentium tomo 2. Tract. vltimo. D. dub. & sect. 2. num. 253. Christum esse offerentem vt Deum hominem, seu vt hominem Deū, quatenus scilicet vis, & valor huius Sacrificij ortum habeat ex infinita dignitate diuinę personę offerentis principaliter, siue proximè, & immediatè, siue remotè, & mediatè, afficientisque prętereà rem oblatam, & dignificantis eā. Vnde cum Christus secundùm humanā naturam sit offerens, & hostia, stat benè, vt se offerat Patri, Spirituique sancto, imò & sibi ipsi vt Deo, ac secundùm hypostasim diuinam. Quæ tota doctrina, cū certa sit de Christo vt offerente se, & vt hostia in Sacrificio cruento crucis, tradaturq; à S. Augustino tum in loco prę-citato, tum Lib. 4. de Trinitate C. 14. debet esse non minus certa respectu Sacrificij incruenti Eucharistici. Et neq; in vno, neque in alio ingeret difficultatem nisi fortè tyroni Theologo, quo pacto offerens, & hostia possint esse quid realiter indistinctum vnum ab alio. Nihilominus vltra distinctionem formalē, & rationis non esse necessariam aliam, veteranus quiuis Theologus facilè nouit.

5 Dicet quis, si Christo homini, cum ipse verus Deus simul sit, offeratur Sacrificium, videtur etiam posse, & debere offerri eius humanitati, sicut quia Christo homini exhibetur adoratio latriæ, potest etiam, & debet exhiberi eius humanitati. Quare vti hanc cum diuino Verbo, cui est vnita, prosequimur eadem latriæ adoratione, ita similiter eidem simul cum diuino Verbo sacrificabimus. Respondent Vazquius in 3. p. Disp. 96. Cap. 8. num. 61. & Castrus Palaus in Tract. 8. Disp. 1. puncto, & num. 2. non benè argui ex adoratione ad Sacrificium: alioqui quia imago Christi colitur adoratione latriæ, posset eidem imagini offerri Sacrificium. Quæ sequela est absurda, loquendo de imagine etiam cum exemplari, vt videre est in Suario tomo 1. in 3. p. D. 54. sect. 4. V. *Sed obijcies*, in ipso Vazquio 3. p. D. 109. C. 4. ex num. 23. Cardinali de Lugo D. 36. de Incarnatione sect. 5. n. 78. Quare Vazquius respondet vt & Castrus Palaus, atque Meratius D. 53. de Incarnatione sect. 2. V. *Secunda obiectio*, disparem esse rationem inter adorationem, & Sacrificium, nam illa non tantùm fit personæ, sed omnibus eius partibus, imò & ijs, quæ licet extrinsecè, sed repræsentatiuè ad illam se habent. Vnde nihilmirū, si adoratio latrię exhibita Christo ratione diuini Verbi extendatur etiam ad humanitatem vnitam ipsi Verbo; si item respectiua adoratione latrię colatur imago Christi. Ast Sacrificium est diuinæ potestatis, & dominij protestatio, qua colit creatura Deum vt vitæ, & mortis authorem, & ideo non potest respicere, nisi quod diuinum in se sit, & à quo vt à primo principio, & supremo Dño vitæ, & mortis habeat creatura dependentiā. Humanitas autem Christi nec quid diuinum est, nec est primum principium, nec pollet supremo illo dominio. Et hinc dixit S. Augustinus Lib. 10. de Ciuitate Dei C. 20. *Verus ille mediator, in quantum formam serui accipiens, mediator effectus est Dei, & hominum homo Christus Iesus, cum in forma Dei Sacrificium cum Patre sumat, cum quo & vnus Deus est, tamen in forma serui Sacrificium maluit esse, quàm sumere, ne vel hac occasione quisquam existimaret, cuilibet sacrificandum esse creaturæ.* Ita S. Augustin⁹. Et si verò S. Athanasius Lib. de Incarnatione Verbi dicat de Christi carne, *Et quia increati corpus factum est, ideo eius corpus dicitur, cuius factum est. Ac proinde illi sacra offertis, adhibetisque vestram adorationem, eaque de causa, ritè, legitimaque ratione adoratur, & diuina adoratione colitur.* Per Tò *Sacra offertis* non sacrificia, sed signa alia religionis, & cultus intelligēda sunt.

Non

6 Non acquiesco responsioni huic; dicoque proinde in primis cum Suario D. 53. S. 2. V. *Neque contra hanc*, Cardinali de Lugo D. 34. sect. 2. n. 45. Auersa q. 25. de Incarnatione sect. 1. V. *Non dò demum*, & sequenti, Martinono D. 16. sect. 3. num. 24. & 25. Amico D. 32. sect. 2. num. 28. Arriaga D. 52. sect. 2. ex num. 22. Bernalio D. 69. S. 1 §. 3. ex num. 31. potuisse humanitati Christi simul cum diuino Verbo offerri Sacrificium aliquod. Si enim humanitati Christi exhibetur adoratio latriæ propter excellentiam diuini Verbi, cui vnita est; cur non posset offerri Sacrificium aliquod propter eiusdem Verbi dominium in vitam, & mortem? Rursus si toti Christo vt Deo, & homini defertur cultus adorationis latriæ, ita vt coadoretur humanitas propter excellentiam, quam Christus habet, quatenus Deus, & nō quatenᵘ homo; quidni posset toti Christo vt Deo, & homini offerri Sacrificium, ita vt humanitas sit id, cui coofferatur propter dominium vitæ, & mortis competens Christo vt Deo, & non vt homini? Confirmatur, à simili relationum diuinarum, quibus formaliter offertur Sacrificium, etsi ipsæ non sint principium vitæ, & mortis, sed sola natura diuina; quia tamen realem cum hac identitatem habent, Sacrificium huic oblatum, propter formalem eam rationē principij, coofferetur formaliter illis etiam. Igitur cum humanitas Christi sit Deo vnita realiter, posset Sacrificium oblatum Deo, propter illam eandem rationem formalem principij, coofferri etiam humanitati. Atque hinc infirmata manet disparitas inter adorationem latriæ, & Sacrificium excogitata à Vazquio. Instantia autem ex imagine Christi, quam adoratione latriæ colere possumus, non tamen Sacrificio, parui est momenti, nā quòd non possimus posteriùs, ideo est, quia imago non est pars intrinseca (vti est humanitas) personæ intellectualis, in qua residet potestas, dominiumque vitæ, ac mortis; neque Sacrificij cultus præstari potest, nisi supposito intellectuali, sicut nō nisi illud exorari potest. Et hinc exoritur alia cōfirmatio doctrinæ à nobis traditæ. Sicut enim quando oramus ad Christum, oratio terminatur non modò ad eius animam, sed etiam ad carnem, etsi non hæc, sed illa sit principium formale exaudiendi preces, & cōcedendi postulata; ita etiam Sacrificij cultus posset tangere partialiter humanitatem, tametsi non ipsa, sed Verbum diuinum, cui est vnita, habeat dominiū, sitque principium vitæ, ac mortis.

7 Deinde dico, humanitati Christi neque olim oblatum fuisse, neque nunc offerri vllum Sacrificium, neque offerendum in posterum. Nam si aliquod, vel Sacrificium cruentum crucis, vel incruentum Eucharistiæ; præter quæ nullum aliud fuit, est, aut erit in lege gratiæ. Ast in crucis cruento Christus vt homo, seu secundùm humanitatem fuit principalis offerens proximus, & immediatus, necnon in Eucharistiæ incruento, quod ante mortem celebrauit; in eo etiam, quod nunc ministerio Sacerdotum peragitur, quodque fiet vsque ad finem mundi, est principalis offerens, siue proximus, & immediatus, siue remotus, & mediatus. Ergo neque cruentum oblatum fuit, aut offertur, aut offeretur Christo vt homini, seu secundùm humanitatem. Patet Consequentia, quia formaliter offerens Sacrificij debet esse distinctus ab eo, cui formaliter offertur, tum ex eo, quòd oblatio Sacrificij, cum sit actus religionis, quę est pars potestatiua iustitię, debet esse ad alium; tum quia offerre, & acceptare Sacrificium, requirit distinctas omnino voluntates; tum ab exemplo adorationis, quam Christus vt homo non potuit sibi ipsi vt homini exhibere: adoratio autem, & Sacrificium sunt actᵘ latriæ iuxta S. Thomam 2. 2. q. 84. & 85. quare vtriusque eadem debet esse ratio, ne possit Christus vt homo neutrum pręstare sibi vt homini: tum exindè quòd offerens Sacrificij protestatur suam inferioritatem, submissionem, & subiectionem ei, cui offert; repugnat verò, quòd Christus vt homo faciat talē protestationem respectu suimet vt hominis, siquidē inferioritas, submissio, & subiectio non possit esse eiusdem ad se ipsum. Sed inquies, etsi Christus non possit vt homo sacrificare sibi ipsi vt homini, nos tamē poterimus; sicut eum vt hominē possumus adorare, licet ipse vt homo non possit. Contra tamen primò, nam id, quod sacrificatur, debet esse inferius, & imperfectius eo, cui sacrificatur; nec intelligitur, quo pacto hostia, & is, cui illa offertur, queat esse vnum, &

& idem. Ergo neutiquam poterunt Sacerdotes sacrificare Christum vt hominem eidemmet Christo vt homini. Secundò, quia Sacerdotes nequeunt consecrare, neque sacrificare, nisi vt gerẽtes personam Christi, & vt loquentes in eius nomine, quippe si agant personã priuatam, & particularem, proferantq; verba proprio in nomine, non consecrabunt, neq; sacrificabunt. Atquì eo ipso quòd Christi personam gerant, loquanturq; in eius nomine, Christus est principalis offerens, & sacrificans. Quare redit argumentũ superius. Et ex vtraq; impugnatione patet debilitas paritatis desumptæ ex adoratione, quam nos valemus præstare Christo vt homini, tametsi ipse vt homo non possit sibi ipsi vt homini exhibere. P. Arriaga discordat à nostro secundo dicto; sed enodatum iam est quicquid pro se affert. P. Suarez non omnino declarat, an Sacrificium nunc offeratur Christo vt homini, siue humanitati Christi simul cum Deo, an tantùm verum sit, quòd huic homini Christo offerri dicatur, loquendo per communicationem idiomatum? Quo in posteriori sensu credo intelligenda verba S. Ambrosij, quæ Feria V. pro præparatione Sacerdotis ad Missam habentur in Missali Romano, *Accedo, vt offerã tibi Sacrificium, quod tu instituisti, & in tui commemorationem facere præcepisti.* S. Augustini verba allegata à Vazquio prose optimam explicationem nanciscuntur iuxta nostrum primum, & secundum dictum. Indicat enim S. Doctor, Christo vt homini potuisse Sacrificium offerri, si aliud institueretur, in quo ipse neque esset principalis offerens, neque hostia oblata. Commendat enim Augustinus humilitatem Christi vt hominis exinde, quòd maluit esse hostia, quã sumere Sacrificium. Si autem sumere, esset absolutè, & simpliciter impossibile, quænam, rogo, esset commendatio? Præterea si maluit, ergo potuit absolutè, & simpliciter eligere, vt sibi offerretur Sacrificium. Vlteriùs non ideò maluit, quia repugnaret oppositum, sed ob vitandum incommodum illud, nescilicet *Quisquam existimaret, cuilibet sacrificandum esse creaturæ.* Quod incommodum est certè extrinsecum. Inquies, fore, vt illud sequeretur in Sacrificio, quod de possibili offerretur humanitati. Sed contrà, quia imprudenter tunc quisquã existimaret, offerendum esse Sacrificiũ cuilibet alteri creaturæ; sicut si nunc ex eo, quòd humanitas Christi coadoretur cultu latriæ, putaret quis, quauis aliam creaturam posse absolutè, & per se tali cultu honorari. Vt autem in humanitate Christi excellentia infinita diuini Verbi, cui est vnita specialem, singularemque titulum fundat præ alijs creaturis ad latriæ adorationem; ita etiam in eadem dominium eiusdem Verbi supra vitam, & mortem mouere posset ad sacrificandum vtrique, nempe Deitati, & humanitati Christi, quin ideo prudenter mouendi essent homines ad offerenda Sacrificia creaturis alijs non vnitis cum Deitate.

Nec plura de hac Disputatione, quæ longiorem operã non exposcit.

DIS-

DISPVTATIO XVII.

DE

IIS, PRO QVIBVS OFFERRI POTEST Sacrificium Missæ.

1

VPLICI SENSV POTEST dici, Sacrificium pro aliquo offerri. Primo, eius vice, & nomine. Secundo, in eius commodum, & vtilitatem. Disputatio hæc procedit in secundo; & proinde comprehendit Sacrificium tum vt impetratiuum, tum vt propitiatorium, non autem vt honorarium, neque vt actiuum gratiarum, & laudis, sub solis enim rationibus impetratorij, & propitiatorij refertur in bonum eorum, pro quibus à Sacerdote applicatur, vt expendit diffusiùs Pater Suarez Disput. 78. Sect. 1. V. Vt tollatur.

SECTIO I.

Apparatus ad Disputationem præmissis nonnullis, quæ certa sunt.

PRIMO certum esse debet, nō posse Christum Dominum in secundo sensu offerre pro se ipso. Vt enim ait Apostolus ad Hebræos 7. V. 26. ac 27. *Talis decebat, vt nobis esset Pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus á peccatoribus, & excelsior Cœlis factus, qui non habet necessitatem quotidie, quemadmodùm Sacerdotes, priùs pro suis delictis hostias offerre; deinde pro populi.* Et in Concilio Ephesino, ac Calchedonensi adducto à S. Thoma 3. par. quæst. 22. artic. 4. pronunciatur anathema in eum, qui dicat, *Christum pro se obtulisse oblationem, & non magis pro nobis solùm, non enim indiguit Sacrificio, qui peccatum nescit*: quæ verba desumpta sunt ex Concilij Alexandrini ad Nestorium Epistola, decima in ordine apud S. Cyrillum. Et licet in vtraque authoritate sermo sit de Sacrificio cruēto crucis, tamen eadem est ratio de incruento Eucharistiæ. Licet item vtraque authoritas non excludat expressè nisi Sacrificij vt propitiatorij oblationem à Christo pro se factā, disputeturq; à Theologis, an Christus pro se obtulerit crucis Sacrificium cruentum, vt impetratorium gloriæ corporis, & exaltationis nominis sui, & vt actiuum gratiarum ob beneficia à Deo accepta? Tamē compertum cuiuis est, Sacrificium Missæ ministerio Sacerdotum nunc celebratum non offerri à Christo, neq; à Sacerdotibus, vt ex Deo impetretur aliquod beneficium ipsi Christo in statu glorioso; neque inueni Theologum, cui in mētem venerit, offerri nunc à Christo in gratiarum actionem pro donis concessis suæ humanitati, neq; Ecclesia in hunc finem agendi gratias Deo pro beneficijs collatis eidem humanitati direxit vnquam Sacrificium Missæ.

2 Secundò certum è contra esse debet, posse cæteros Sacerdotes offerre in eo sensu pro se ipsis, vt pote qui indigeant impetratione, aut propitia-

tione. Et ita adnotatur ab Apostolo in verbis exaratis; necnon in his alijs C. 5. V. 1. *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in ijs, quæ sunt ad Deum, vt offerat dona, & Sacrificia pro peccatis: qui condolere possit ijs, qui ignorant, & errant: quoniam & ipse circumdatus est infirmitate: & propterea debet quemadmodùm pro populo, ita etiam & pro semetipso offerre pro peccatis.* Quod idem ipsum dicendum est de alijs cum Sacerdote offerentibus, inferioribus dignitate, egẽtibusq; fructu Sacrificij. Sed dicet quis, Sacerdos, agẽs vt Sacerdos, agere debet vt medius inter Deum, apud quẽ intercedat, & populum, pro quo intercedat. Ergo Sacerdos vt talis non potest pro se offerre. Respondet Cardinalis de Lugo D. 29. de Incarn. sect. 2. n. 27. Sacerdotẽ, miserijs obnoxium, agere personam publicam, simulq; priuatam, & sub ratione publicę personę offerre pro se sub ratione priuatæ. Ego tamẽ non intelligo, cur Sacerdos, circũdatus infirmitate, nõ possit offerre pro se sub ratione personæ publicę. Imò posse, videtur (ni fallor) dicere S. Paulus in verbis trãscriptis. Et alioqui neque vnus Sacerdos posset offerre pro alio Sacerdote vt persona publica. Quod omnino falsum est, cum quotidie offeramus pro Papa, & pro Antistite. Quare obiectioni occurro inquiens, Sacerdotem agentem pro se ad Deum non debere agere vt mediũ inter Deũ, & se ipsum; secus vt agentem pro populo ad Deum. Restatq; probandũ Cardinali de Lugo, non posse Sacerdotem vllo modo agere apud Deum, nisi habeat se vt medius inter Deum, & eum, pro quo agit, pro quo offert, vel orat. Anne, quãdo vt publica persona ageret pro se vt priuata persona, esset rigorosè, & propriè medius inter Deum, & se ipsum? Quòd enim consideretur vt priuata persona nõ facit, vt distinguatur realiter à se ipso tanquam persona publica.

3 Tertiò certum esse debet, posse Sacerdotem offerre pro alijs à se distinctis, cum sint & alij indigentes propitiatione, aut impetratione. Quare Lucæ 22. Marci 14. Matth. 26. dixit Christus, repetitq; Ecclesia in celebratione Sacrificij, *Hic est calix sanguinis mei, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum*; pro vobis, scilicet sumentibus; pro multis, scilicet alijs, pro quibus offertur, vti interpretatur Sanctus Thomas quæstione 79. articulo 7. in Corp. Sanctus Paulus in verbis transcriptis ex C. 5. & 7. Epist. ad Hebræos satis apertè comprobat hãc veritatem; quàm Ecclesia profitetur in Canone Missæ inquiens, *Memẽto, Domine, famulorum, famularumq; tuarum:: pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc Sacrificium laudis, pro se, suisq; omnibus &c.* Rursus, *Memento etiam, Domine, famulorũ, famularũq; tuarum, qui nos præcesserunt cum signo fidei, & dormiũt in somno pacis.* Passimq; in Missa dirigũntur Sacerdotis preces ad impetrandũ, & satisfaciendũ pro alijs. Quod etiam præstãt aliæ Liturgiæ SS. Iacobi, Basilij, ac Chrysostomi; reliquæ itẽ omnes antiquitate venerabiles. Nec est, cur Sacerdos non possit pro alijs orare, referreq; Sacrificium, vt eis impetret, applicetq; satisfactionis fructum ex Sacrificio prouenientem. Imò hoc est intrinsecè annexũ Sacerdotali muneri, vt docet Apostolus suprà; petitq; hoc essentia Sacrificij: quod ea de causa debet esse institutum per authoritatem publicã, & à Ministro publico mandari exequutioni, vt diximus in D. 1. docentq; Bernal D. 60. de Incarn. S. 1. Martinonus D. 15. sect. 2. n. 19. Aldrete D. 57. sect. 1. ex n. 10. ea, inquã, de causa præcipuè, vt possit pro alijs de populo offerri. Hinc in lege naturali, & in scripta legimus oblata esse Sacrificia pro alijs, lobi C. 1. & 42. Leuitici C. 4. 5. & 6. Machabæorum L. 2. C. 3. Esdræ L. 2. C. 6. Hinc in Ordinatione Sacerdotis ait Episcopus, *Accipe potestatem offerendi Sacrificia Deo, Missasq; celebrandi tam pro viuis, quàm pro defunctis in nomine Domini. Amen.* Quam formã Sacerdotij refert Eugenius IV. in Concilio Florentino. Hinc tandem Plato L. 8. de Legibus scripsit, pertinere ad Sacerdotes, vt sacrificent pro Ciuitate, pro se ipsis, pro rebꝰ suis. Ex quibus omnibꝰ liquet, quanto iure contra Lutherũ L. de Captiuitate Babylonica efformatꝰ sit in Cõcilio Trid. Sess. 22. is Canõ 3. *Si quis dixerit, Missæ sacrificium tãtùm esse laudis, & gratiarũ actionis, aut nudã commemorationem Sacrificij in cruce peracti, non autem propitiatorium; vel soli prodesse sumẽti; neq; pro viuis, & defunctis, pro peccatis, pœnis, satisfactionibus, & alijs necessitatibus offerri debere; anathema sit.* Sic ibi. Legantur Salmeron tom. 9. in Euan. Tract. 33. à pag. 328. vsque ad 330. Bellarminus Lib. 2. de Missa à Cap. 1. vsque ad 7. inclusiuè,

Sua-

Suarez suprà tota sect. 1. Scortia Lib. & Cap. 2.

4 Quartò certum esse debet, cæteros cum Sacerdote offerentes posse offerre pro alijs eo modo, quo ipsis cōpetit functio offerēdi, nihil enim obest, quominus valeant applicare alijs Sacrificium quoad fructum impetrationis, ac satisfactionis ex opere saltem operātium. Supponitque Ecclesia, quòd actu ab eis applicetur, dum inquit, *Memento, Domine, famulorum, famularumque tuarum, & omnium circumstantium, quorum tibi fides cognita est, & nota deuotio, pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc Sacrificium laudis pro se, suisque omnibus, &c.* Cum itaque hæc certa debeant esse, vocamus ad disputationem, quinam sint illi alij, pro quibus offerri potest Sacrificium Missæ?

SECTIO II.

De viuentibus, pro quibus offerri potest.

5 DOCTRINAM huius Sectionis tribuo in varias Conclusiones.

CONCLVSIO I.

Sacrificium Missæ offerri potest, & debet generali intentione pro omnibus baptizatis viuis non præcisis ab Ecclesia.

NAM de ijs, qui per maiorem excommunicationem sint ab Ecclesia seiuncti, dicetur posteà, loquēdo tam de præcisis non toleratis, quàm de toleratis. Habetur hæc Conclusio ex Concilio Tridentino Sess. 22. C. 2. Ibi: *Quare non solùm pro fidelium viuorum peccatis, pœnis, satisfactionibus, & alijs necessitatibus, sed & pro defunctis in Christo, nondum ad plenum purgatis, ritè iuxta Apostolorum traditionem offertur.* Consonat Canon III. eiusdem Sessionis in verbis suprà adductis. Continetur eadem Conclusio in Can. *Visum* 72. de Consecratione Dist. 1. vbi Concilium Cabilonense 2. anno 813. C. 39. inquit, *Visum præterea nobis est, vt in omnibus Missarum solemnitatibus pro spiritibus defunctorum loco competenti in Ecclesia ad Dominum deprecetur. Sicut enim nulla dies excipitur, qua non pro viuentibus, & pro quibuslibet necessitatibus Dominus deprecetur, ita nimirùm nulla dies excipi debet, quin pro animabus fidelium preces Domino in Missarum solemnibus fundantur.* Habetur item eadem Conclusio ex Canone Missæ, cuius hæc sunt verba, *In primis quæ tibi offerimus pro Ecclesia tua sancta Catholica:: vna cum famulo tuo Papa nostro, & Antistite nostro, & Rege nostro, & omnibus Orthodoxis, atque Catholicæ, & Apostolicæ fidei cultoribus.* Cum hæc itaque verba præscripserit Ecclesia in sacrificandi ritu, quem Sacerdos obseruare tenetur, constat, inesse Sacerdoti obligationem in Cōclusione propositam. Ideo autem sic præscripsit Ecclesia, quia Sacerdos est mediator, & intercessor apud Deum pro vniuersa Ecclesia, & quia Missę Sacrificiū est bonum commue totius Ecclesiæ, sufficiētissimumq; vt offeratur generali intentione pro omnibus baptizatis viuis ab Ecclesia nō præcisis. Vnde peccabit graiter Sacerdos, si publicè, vel secretò excludat aliquem à generali oblatione; si publicè, ob scandalum; si publicè, vel secretò, tum ob violatam in re graui institutionē, & intentionem Ecclesiæ, cuius personam agit, estq; Minister, & Legatus Sacerdos; & quæ ex affectu erga sua mēbra voluit, vt bonum commune Sacrificij Missæ dispensetur, & communicetur illis: tum ob violatam in re etiā graui charitatem; quæ dictat, ne à communi beneficio tanti momenti excludatur proximus. Vnde quemadmodū delinqueret grauiter Procurator Reipublicæ, si Ciuem aliquē ex libito suo, vel ex priuato odio repelleret à participatione bonorum communium Ciuitatis; ita similiter in nostro casu.

CONCLVSIO II.

Sacrificium Missæ offerri potest pro fidelibus iustis.

6 TVM quia sunt præcipua membra Ecclesię militātis, pro qua ex intentione generali debet offerri Missa: tū quia ratione gratiæ sanctificantis sunt maximè dispositi ad fructus Sacrificij percipiendos, scilicet ad auxilia diuina contra Dęmonis tētationes, ad expiationē reatus pœnarū temporaliū, quibus sint obnoxij ob peccata præterita, ad remissionē reatus culparū venialium, siue immediatam, siue mediatam, & ad cęteros Sacrificij effectus,

excepta remissione peccatorum lethalium, quibus carent: tum quia si fideles iniusti non sunt incapaces, vt pro eis offeratur Missa, provt stabiliam in Conclusione sequenti, multò minus incapaces erũt fideles iusti. Addo, Sacerdotem videri offerre ex generali intentione pro fidelibus iustis, quando in Canone Missæ inquit, *Quorum tibi fides cognita est, & nota deuotio.*

CONCLVSIO III.

Sacrificium Missæ offerri potest pro fidelibus peccatoribus, seu iniustis.

7 PROBATVR primò ex Paulo ad Hebræos Cap. 5. & 7. in verbis suprà relatis. Secundò ex Canone Missæ, vbi hæc dicitur offerri *pro omnibus Orthodoxis, atque Catholicæ, & Apostolicæ fidei cultoribus*; quales quidem sunt fideles etiam peccatores; & præterea sunt membra Ecclesiæ, pro qua vniuersa offertur Sacrificium Missæ ex generali intentione. Et sanè Ecclesia communiter offert Sacrificium pro fidelibus peccatoribus, instituitque orationes speciales ad deprecandam in Missa remissionem delictorum. Tertiò ex Concilio Tridentino Sessione 22. Cap. 2. necnon Can. 3. Cuius Canonis verba dedimus suprà; & in Cap. 2. hæc extant, *Docet sancta Synodus, Sacrificium illud verè propitiatorium esse, per ipsumque fieri, vt si cum vero corde, & recta fide, cum metu, & reuerentia contriti, ac pœnitentes ad Deum accedamus, misericordiam consequamur, & gratiam inueniamus in auxilio opportuno. Huius quippè oblatione placatus Dominus, gratiam, & donum pœnitentiæ concedens, crimina, & peccata etiam ingentia dimittit.* Et postmodùm adduntur à Concilio ea alia verba, quæ in Conclusione prima recitauimus. Quartò, quia fideles peccatores apti sunt, vt percipiant vberes fructus ex Sacrificio applicato pro ipsis. Vnde & quondam in lege veteri fiebant Sacrificia pro peccatis.

CONCLVSIO IV.

Sacrificium Missæ offerri potest pro Energumenis fidelibus.

8 NIHIL enim obest à ratione in contrarium; tametsi ab authoritate obstare videatur Concilium Iliberritanum Cap. 29. decernens, *Energumenum, qui ab erratico spiritu exagitatur, huius nomen neque ad altare cum oblatione esse recitandum, neque permittendum, vt sua manu in Ecclesia ministret.* Sed respondetur primò, haberi sermonem in hoc Canone de Energumenis, quos propter publica scelera excõmunicarat Ecclesia, tradideratque *Satanæ in interitum carnis, vt spiritus saluus esset in die Domini*, iuxta verba Pauli ad Cor. 1. C. & V. 5. Quæ interpretantur communiter Patres, quatenus in primitiua Ecclesia excommunicatio traheret secum traditionem Dæmoni, vt ab eo etiam corporaliter diuexarentur, & quasi possiderentur excommunicati; quod multis authoritatibus, & exemplis confirmat Cornelius ad ea verba Pauli, proficiens ex Delrio, Serario, & Thyræo; diffusiùsque Theophilus Raynaudus de Monitorijs Ecclesiasticis p. 2. Cap. 8. ex num. 8. vsque ad 13. post creditos S. Ambrosium, & S. Ansemum, post Theodoretum, S. Thomã, Abulensem, Lindanum, & Henricũ Henriquez. Conducunt q; ad id Canon *Audi deniq*; C. *Omnis Christianus* 11. q. 3. Respondetur secundò, non prohiberi oblationem qualemcumque pro Energumenis, sed eam tantùm, quę fieret cum publica nominis eorum recitatione, & ministrantibus ipsis altari; nisi per *ministrare sua manu* intelligatur, prohiberi, ne vel Ecclesias verrerent; quod seruitium permissum eis posteà fuit in Concilio 4. Carthaginensi Can. 91. Manere nimirùm solebant diu, & noctu intra Ecclesias, vt constat ex Can. sequenti, ad defensionẽ, & præsidium contra Dæmones. Tertiò, agi ibi de Energumenis non baptizatis; de quibus in Capite 37. ait idem Concilium, *Eos, qui à spiritibus immundis vexantur, si in fine mortis fuerint constituti, baptizari placet.* Et adijcit Concilium, *Si verò fideles fuerint, dandam eis esse communionẽ.* Ex quo infertur, Energume-

gumenos, de quibus in C. 29. non fuisse baptizatos, nam baptizatis non negaretur oblatio Sacrificij applicanda pro ipsis, vti non negatur communio ministranda ipsis. Quartò, eum Canonem non esse iam in vsu, neque fuisse insertum Iuri communi, neque emanasse à Concilio Generali, sed à Prouinciali nondum confirmato ab Ecclesia. Quintò, Energumenos, tempore saltem Sancti Chrysostomi, vt liquet ex eius Homilia 3. & 4. contra Anomæos de incomprehensibili Dei natura, adductos fuisse ad Ecclesiam à Diacono immediatè, proximeque post corporis, & sanguinis Christi consecrationem, *Vt populo, vniuersaque Ciuitate præsente communes pro eis fierent supplicationes; vt omnes iugi cõcordia Dominum communem orarent pro illis, & quòd misereretur, magno clamore contenderent.* Tempore etiam S. Clementis Papæ, vt monstrant verba, quæ paulò post exarabimus, fiebat pro Energumenis obsecratio, consecratione iam peracta. Et hęc satis ad Canonem illum Illiberitani Concilij. Consulantur Mendoza, Albaspinæus, & Binius in notis ad eundem Canonem.

CONCLVSIO V.

Sacrificium Missæ offerri potest pro infantibus baptizatis.

9 QVIA ex oblatione participare queunt fructum impetrationis: & quia S. Clemens Papa L. 8. Apostolicarum Cõstitutionum C. 10. testatur, fuisse olim pro eis fusas preces in Missa, *Vt eos Dominus perfectos in timore suo redderet, & ad mensuram ætatis perduceret.*

CONCLVSIO VI.

Sacrificium Missæ offerri potest pro Catechumenis fidem iam habentibus, sed nondum baptizatis.

10 PRIMA probatio desumitur ex L. 8. Apostolicarum Constitutionum C. 5. 6. 7. & 8. vbi referuntur obsecrationes, quæ fiebant pro Catechumenis in Missa ante consecrationem; & C. 12. refertur obsecratio, quæ fiebat post consecrationem, his verbis, *Adhuc obsecramus te pro Catechumenis Ecclesiæ, & pro ijs, qui vexantur ab alieno spiritu, & pro ijs, qui sunt in pœnitentia; vt Catechumenos in fide perficias, Energumenos, expulso actu mali Dæmonis, repurges; pœnitentes recipias, & delicta tum eijs, tum nobis nostra remittas.*

11 Secunda ex Ordine Romano, in Cap. cui titulus, *Incipit Ordo, vel denunciatio scrutinij ad electos, quod tertia hebdomada in Quadragesima, secunda feria, nunciatur*, sub quo Cap. leguntur tres, vel plures Missæ, quæ offerebantur pro Catechumenis. Et in Liturgia S. Ioannis Chrysostomi continetur longa deprecatio pro eisdem. Extatque in eiusdem S. Chrysostomi Homilia 2. in posteriorem Epist. ad Corinthios suasio longa, & declaratio orationis, quæ ad Missam Catechumenorum fundebatur pro ipsis. Ipseque S. Chrysostomus Homilia de Adam, & Eua inquit, *Cum sanctæ plebis Sacerdotes per mãdata sibimet data legatione funguntur apud diuinam clementiam, humani generis causam, totamque secum Ecclesiam aggregantes, atque congemiscentes postulant, & precantur, vt infidelibus donetur fides, vt ab idololatria, & impijs erroribus liberentur, vt Iudæis, ablato cordis velamine, lux veritatis appareat, vt hæretici Catholicæ fidei perceptione resipiscant, vt schismatici spiritum redintegræ charitatis accipiant, vt lapsis pœnitentiæ remedia conferantur, Catechumenis ad regenerationis Sacramenta perductis cœlestis misericordiæ aula referetur. Hæc non inaniter à Domino peti rerum ipsarũ mõstrat effectus, quãdoquidem ex omni errorum genere plurimos dignatur Deus attrahere, quos erutos de potestate tenebrarum transfert in regnum filij charitatis suæ, & ex vasis iræ facit vasa misericordiæ: quod adeò totum diuini operis esse sentitur, vt hæc efficienti Deo gratiarum semper actio, laudisque confessio pro talium correctione referatur.* Sic Os aureum, cuius verba imitantur Gennadius Cap. 30. de Ecclesiasticis Dogmatibus, Cœlestinus Papa I. in Epistola prima ad Episcopos Galliæ. Et concordi sensu ait Sanctus Augustinus Epistola 107. ad Vitalem, *Exerce contra orationes Ecclesiæ disputationes tuas, & quando audis Sacerdotem Dei ad altare exhortantem populum Dei, orare pro incredulis, vt eos Deus conuertat ad fidem, & pro Catechumenis, vt eis desiderium regenerationis inspiret, & pro fidelibus, vt in eo, quod cæperunt,*

eius munere perseuerent, subsanna pias voces, & dic, te non facere quod hortatur, ideſt, Deum pro infidelibus, vt eos fideles faciat, non rogare, eoquòd non sint istâ diuina miserationis beneficia, sed humanæ officia voluntatis.

12 Tertia ex Canone Missæ, in quo oratur pro omnibus fidelis; & ex Concilio Tridentino Sess. 22. C. 6. in quo dicitur, *Missas à publico Ecclesiæ Ministro non pro se tantùm, sed pro omnibus fidelibus, qui ad corpus Christi pertinent, celebrari.* At Catechumeni sunt fideles vniti inuisibiliter Ecclesiæ per fidem, pertinentque ad Christi corpus, *Et per fidem Sacramenti* Baptismi *sunt effecti proculdubiò membra Christi*, vt dicitur in C. *Veniẽs de Presbytero non baptizato*, cum tamen putasset fuisse: eademque valet ratio in Catechumenis, vt inter Christi membra numerentur, licet non sint vniti visibiliter Ecclesiæ, nec visibiliter incorporati Christo per Baptismum. Ergo pro eis potest offerri Missa. Et quidem Catechumeni sunt vniti Ecclesiæ, pertinentque ad Christi corpus, quasi interiùs concepti, sed non vt exteriùs nati per Baptismum, qui est spiritualis regeneratio. Et in priori sensu ait S. Augustinus Tract. 4. in Ioannem, Catechumenos esse intra Ecclesiam. Ibi: *Futuri erant aliqui in Ecclesia excelsioris gratiæ Catechumeni*: & Lib. 2. de Symbolo C. 1. *Nondum quidem adhuc per sacrum Baptisma renati estis; sed per crucis signum in vtero sanctæ matris Ecclesiæ iam cõcepti estis.* Vnde quia sunt in priori sensu intrà Ecclesiam Christianam, possunt saluari, nam si extrà prorsus essent, non possent, quippe, docente Concilio Lateranensi sub Innocentio III. C. 1. *Vna est fidelium vniuersalis Ecclesia, extra quam nullus omnino saluatur*: refertur in C. *Firmiter* de Summa Trinit. & fide Cathol. Consonantque S. Cyprianus de Vnitate Ecclesiæ, S. Hieronymus de tribus Hypostasibus, S. Augustinus L. 5. de Baptismo, C. vltimo, quos Patres citat Suarez D. 9. de fide, sect. 1. num. 18. vbi cum Castro Lib. 1. de iusta hæreticorum punitione C. 8. probat, Catechumenos esse mẽbra Ecclesiæ iuxta priorem sensum. Sed in posteriori altero intelligendi sunt Patres, qui apud Turrecrematam L. 1. C. 8. in Summa de Ecclesia, Bellarminum Lib. 3. de Ecclesia C. 3. Gasparem Hurtadum D. 11. de Fide Diff. 2. Arriagam D. 7. de Fide sect. 1. num. 4. Tannerum tomo 3. D. 1. quæst. 3. dub. 2. num. 54. dicit tant, non esse de Ecclesia, nec de Christi corpore Catechumenos. Et ideo sicut carnaliter concepti, antequàm exteriùs nascantur, non pertinent simpliciter ad Rempublicam, sed secundùm quid, vt patet ex L. *Qui in vtero ff. de statu hominũ*; ita Catechumeni non spectant simpliciter ad Ecclesiam, quia non sunt in ea exteriùs nati per Baptismum in re susceptum; ast spectant secundùm quid ad ipsam, quatenus in ea sunt interiùs concepti. Quod satis est, vt quoàd priuilegia, & fauorabilia censeantur de Ecclesia, tametsi non quoad pœnalia, & odiosa, provt solet dici de his, qui carnaliter sunt concepti, sed nondum nati, sicut habetur ex *L. Qui in vtero*, ex *L. penultima ff. de statu hominũ*. Et idem est de Nouitijs in Religione, qui in ordine ad pœnalia non veniunt sub nomine Religiosorum, secus in ordine ad fauorabilia; & illis communicantur omnia Religionis priuilegia in fauorem desiderij, quod habent ingrediendi Religionem per professionem. Catechumeni autem sunt velut Nouitij desiderãtes per professionem Baptismi ingredi Christianam Religionem.

13 Quarta ex C. *Apostolicam 2. de Presbytero non baptizato*, qui scilicet, *sine vnda Baptismatis extremum diem clausit; sed in sanctæ matris Ecclesiæ fide, & Christi nominis confessione perseuerauit*, nam in fine eius Capitis concludit Innocentius III. alloquens Episcopum Cremonensem, *Sopitis igitur quæstionibus, Doctorum,* (vel dictorum) *Patrum sententiam teneas, & in Ecclesia tua iuges preces, hostiasq; Deo offerri iubeas pro Presbytero memorato*, de quo constabat, non fuisse baptizatum, vt monstrant priora verba. Et in posteriorib⁹ nomine precũ, & hostiarũ, quas Põtifex in Ecclesia offerri suadet, significãtur iuxta propriũ modũ loquendi Sacrificia Missarum: & cum sit sermo de oblatione simpliciter, & absolutè, & non aliter, ac cum agitur de alijs defunctis, significatur oblatio non solùm penes fructum impetratorium, sed etiam penes satisfactorium. Igitur Sacrificia Missarum offerri possunt pro defunctis fidelibus non baptizatis citra grauem ipsorum culpam. Ergo & pro viuis. Confirmatur ex Sancto Ambrosio in O-

ratio-

ratione de Obitu Valētiniani Imperatoris, cui absq; culpa defuit in re Baptismo, sed nō in voto. *Date*, inquit S. Ambrosio, *manibus sancta mysteria. Pio requiem eius poscamus affectu. Date Sacramenta cœlestia mysteria. Animam piam nostris oblationibus prosequamur. Extollite populi mecum manus in sancta, vt eo saltem munere vicem eius meritis rependamus.* Et circa finem, *Beati ambo* (nempe Valentinianus, & Gratianus fratres defuncti) *si quid meæ orationes valebunt. Nulla dies vos silentio præteribit. Nulla inhonoratos vos mea transibit oratio. Nulla nox non donatos aliqua precum mearū contextione transcurret. Omnibus vos oblationibus frequentabo.* Rursus confirmatur ex Concilio Tridentino Sess. 22. Cap. 2. dicente, Missę Sacrificium, *pro defunctis in Christo, nondum ad plenum purgatis, ritè offerri iuxta Apostolorum traditionem:* item ex S. Chrysostomo Homilia 41. in priorem ad Corinthios scribente, *Neque absre is, qui adstat altari, dum veneranda peraguntur mysteria, clamat, Pro omnibus, qui in Christo dormierunt.* Sed Catechumeni, qui decesserunt in statu gratiæ, sunt verè, ac propriè defuncti in Christo, dormieruntque in eo. Ergo pro illis ritè offertur Missa. In cuius Canone notandum est, quòd dicatur, *Memento etiam, Domine, famulorum, famularumque tuarum, qui nos præcesserunt cum signo fidei, & dormiunt in somno pacis.* Posteàque, *Ipsis, Domine, & omnibus in Christo quiescentibus.* Præfati verò Catechumeni dormiunt in somno pacis, & quiescunt in Christo. Neque opponas, quòdilli non præcesserint cum signo fidei, id est, *cum charactere Christianitatis, quo fideles ab infidelibus discernūtur,* vt explicant Innocentius III. Papa L. 5. de sacro altaris Mysterio Cap. 7. Florus Magister, Remigius, Alcuinus, cōmuniterque Expositores alij Liturgiæ. Nō opponas, inquam, tum quia per signum fidei potest accipi charitas, per quam fides operatur, vt interpretatur S. Bonauentura in Expositione Missę: tum quia etsi per signum fidei accipiatur character, sensus potest esse hunc in modum, *Memento etiam, Domine, famulorum, famularumque tuarum*, siue *qui nos præcesserunt* cum charactere, siue *qui dormiunt in somno pacis*, quanuis non præcesserint cum eo charactere, sed tantùm cum fide, & charitate. Accedit alia confirmatio ex Concilio Tridentino Sess. 25. in Decreto de Purgatorio. Docet enim Concilium, *Animas in Purgatorio detentas, fidelium suffragijs, potissimùm verò acceptabili altaris Sacrificio, iuvari.* Ergo cum præfatorum Catechumenorum animæ, si non sint ad plenum purgatæ, detineantur in Purgatorio, poterunt leuari Sacrificio Missæ, eoque potissimùm, & proinde non tantū ex opere operātis Sacerdotis, aliorumq; fidelium coofferentium, neque tantùm impetratoriè, sed etiam ex opere operato, & satisfactoriè, nam primo, & secundo modo possunt fideles opem eis ferre per alia suffragia. Et creditu durum est, aliquas animas in Purgatorio existere, quibus per Missas penes omnem suam vim tam impetratoriam, quàm satisfactoriam non possis nedum licitè, sed neque validè impēdere iuvamen. Vt enim generaliter affirmatur in C. *Animæ* 13. q. 2. *Animæ defunctorum quatuor modis soluuntur, aut oblationibus Sacerdotum, aut precibus Sanctorum, aut charorum eleemosynis, aut ieiunio cognatorum.*

14 Quinta ex S. Thoma 3. p. q. 79. art. 7. ad 2. quo loci inquit, *Sicut Passio Christi prodest quidem omnibus, quātùm ad sufficientiam, & ad remissionem culpæ, & adeptionem gratiæ, & gloriæ; sed effectum non habet nisi in illis, qui Passioni Christi coniunguntur per fidem, & charitatē: ita & hoc Sacrificium, quod est memoriale Dominicæ Passionis, non habet effectum nisi in illis, qui coniunguntur huic Sacramento per fidem, & charitatem.* Quibus in verbis Angelicus Doctor ad effectum satisfactionis comparandum ex Sacrificio Missæ docet sufficere vnionem cum Christo per fidem, & charitatem. Sed Catechumeni plures siue viui, siue defuncti, existentesque in Purgatorio habent eā vnionem. Ergo & quod sufficit, vt Sacrificium pro eisdem oblatum operetur in ipsis effectum satisfactionis. Quam ob rationem probabile etiam est cum multis apud Dianam parte 5. Tract. 12. Res. 9. parte 9. Tract. 2. Resol. 27. & apud Bardi in Explicatione Bullæ Cruciatæ parte 1. Tract. 2. C. 4. sect. 1. §. 2. num. 17. parte, & Tract. 4. Cap. 3. sect. 5. num. 32. Indulgentias Ecclesiasticas eis posse Catechumenis applicare, & prodesse per modum suffragij, & adiutorij, quanquam non per modum absolutionis, ac remissionis. Ob eandemque rationem probabile à fortiori est, quin imò ferè certum, vt ex pluriū Theologorū authoritate ostendit Barci

di posteriori loco precitato, posse pro Catechumenis prefatis applicari ab hominibus baptizatis iustis suffragia priuata satisfactionis. Negat de communibus Ecclesiæ P. Suarez tomo 4. in 3. p. D. 48. sect. 6. num. 9. loquendo regulariter, quia cum Ecclesia sit quoddã corpus mysticum visibile, orat tantùm, & offert suffragia, communi suo nomine facta, pro membris suis, per visibile Sacramentum sibi coniunctis. Sed aliquando, vt in Feria sexta hebdomadæ Maioris, quo die non sacrificat, fundit preces pro Catechumenis. Cæterùm ratio Suarij patitur instantiam in priuatis suffragijs fidelium viuentium pro Catechumenis. Si enim fideles viuentes, etsi sint membra corporis mystici visibilis, quod est Ecclesia, orare queũt, & offerre suffragia pro Catechumenis nõ coniunctis sibi per visibile Sacramẽtum, quidni poterit Ecclesia? Ob eandem denique rationem Catechumenos sepeliri posse in Ecclesia, docet cum Hugolino, & Alterio Augustinus Barbosa parte 2. de Officio, & potestate Episcopi, Allegatione 28. num. 53. Bardi suprà in priori loco num. 6. cum Persico, & Rodriguez. Sepultura autem Ecclesiastica annexam affert communicationem in Sacrificijs, & orationib⁹, vt ex C. *Sacris de Sepulturis*, notum est.

15 Sexta deriuata ex proximè dictis, nam fatentibus Suario suprà, & Vazquio D. 227. C. 4. num. 33. Missæ Sacrificium offerri potest pro Catechumenis quoad fructum impetrationis, & satisfactionis ratione meriti tam Sacerdotis, quàm cæterorum cum ipso offerentium, nõ secus ac possunt offerri alia opera bona, & pia, vt orationes, eleemosynæ, ieiunia. Qui modus offerendi Sacrificium Missæ est à Sacerdote vt à priuata persona. Cur igitur nequibit idem Sacrificium offerri pro prædictis Catechumenis quoad vtrumque illum fructum impetrationis, ac satisfactionis ratione dignitatis Christi, & Ecclesiæ. Qui modus offerendi sit à Sacerdote nomine Christi, & Ecclesiæ? Videtur prę-seferre absurditatem, quòd Missa ob Sacerdotis, & aliorum coofferèntium meritum debeat habere maiorem extensionem in cõmunicando sui fructu, quã ob dignitatẽ Christi, & Ecclesiæ. Prętereà si iuxta Vazquium suprà, Cap. 3. n. 18. potest Ecclesia per Ministros suos fundere preces, quæ nomine eiusdem Ecclesiæ sint vtiles, fructuosæque Catechumenis; quidnam causæ est, ne oblatio Sacrificij nomine Christi, & in ipsius persona queat esse proficua illis impetratoriè, & satisfactoriè? Quidnam item causę est, vt merita Christi possint minus applicari, & prodesse Catechumenis per oblationem Missæ factam vice ipsius, quàm per factam vice Ecclesiæ? Producemus in sequentibus probationes alias pro sexta hac Conclusione.

16 Pro qua referri solent multi Authores. Et in primis Bellarminus Lib. 2. de Missa C. 6. V. *Deinde certum est*, videtur fauere, concludit enim eum Versiculum his verbis, ✻ Non igitur dubitari potest, quin absolutè liceat Sacrificium offerre pro ijs, qui sunt extra Ecclesiam, ✻ inter quos recensuerat Catechumenos, adduxeratque probationem quoad hos ex S. Chrysostomo Homilia de Adam, & Eva, necnon ex Ordine Romano. Etsi autem Bellarminus in eo Versiculo loquatur, salua prohibitione Ecclesiæ, vt initio præmiserat, notans, se loqui ✻ Ex natura rei, si nulla sit prohibitio Ecclesiæ. ✻ Ast restrictionem illam addit propter Hereticos, pro quibus expressè, ac directè Sacrificiũ offerri prohibuit Ecclesia: atq; ita declarat ipse Bellarminus in V. *Sed quamuis*. Nihilominus Eminentissimus Cardinalis Lib. 2. de Purgatorio C. 18. ad 3. videtur refragari Conclusioni nostræ, respondens enim ad hæc S. Chrysostomi verba Homilia 3. in Epistolam ad Philippenses, ✻ Luge eos, qui nihil ab infidelibus differunt, qui sine illuminatione, sine signaculo decesserũt. Hi verè lamentis digni, hi lachrymis. Extra Regiam sunt. Vnà cum his, qui pœnæ sunt obnoxij, vnà cum damnatis. Amen dico vobis, Nisi quis natus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non introibit in regnum Cælorum. (Et paulò post) Non frustrà hæc ab Apostolis sunt legibus constituta, vt in venerandis, inquã, atque horrificis mysterijs memoria eorum fiat, qui decesserunt. Nouerant hinc multùm ad illos lucri accedere, multùm vtilitatis. Eo enim tempore, quo vniuersus populus stat manib⁹ passis, ac cœtus Sacerdotalis, & illud horrorem, venerationis plenum, incutiens Sacrificium; quomodò Deum non placabimus

cabimus pro istis orantes? Atque id quidem de ijs, qui in fide decesserunt. Catechumeni verò neque hac dignantur consolatione; sed omni auxilio sunt destituti, vno quodam excepto. Quale verò hoc? Licet pauperibus pro ipsis dare, atque hinc aliquid percipiunt refrigerationis. Vult enim Deus, nos nobis mutuum auxilium afferamus. ✻ Ad hæc, inquam, Cardinalis Bellarminus respondens scribit sic, ✻ Chrysostomꝰ solùm videtur negare, orandum esse publicè, vel sacrificandum pro Catechumenis. ✻

17 Sed in primis Bellarminus non exprimit in hoc loco suum sensum, nec aliud agit, quàm vt interpretetur mentem S. Chrysostomi. Deinde etsi cum S. Chrysostomo sentiat, non esse orandum publicè, neque sacrificandum pro Catechumenis defunctis damnatis, non ideo à nostra Conclusione discederet. Nos enim minimè asserimus, offerri posse Sacrificium pro talibus Catechumenis. Et quidem alicui videbitur S. Chrysostomus tum loco citato, tum Homilia 69. ad Antiochenum populũ, vbi repetit eadem ferè verba, fuisse in ea existimatione, vt Catechumeni obeuntes incurrerent damnationem æternam ob defectum Baptismi in re susceptι, cum aliunde supponatur, non finijsse Martyrio vitam. Pro eadem persuasione referri possunt S. Augustinus Lib. 4. de Baptismo contra Donatistas Cap. 21. S. Fulgentius Lib. de Fide ad Petrum C. 3. Gennadius C. 74. de Ecclesiasticis dogmatibus, cuius verba leguntur etiam in C. *Catechumenum* 35. de Consecratione Dist. 4. Eademque tribuntur S. Anselmo ab Hugone Victorino in Sũma Sententiarum Eruditionis Theologicæ Tract. & Cap. 5. Et abs dubio fuit opinatio cuiusdam innominati impugnati latè à S. Bernardo in Epist. 77. Petri item Abaelardi [nisi is sit innominatus ille] in Epist. 7. de Origine Sanctimonialium, vbi ait, S. Ambrosium ob consolandas sorores Valentiniani Imperatoris adstruxisse eius fine Baptismo defuncti salutem æternam contra recta fidei principia, & cõtra suimet doctrinã in L. de ijs, qui mysterijs initiãtur C. 4. Etsi verò S. Chrysostomꝰ loquatur de Catechumenis, qui eleemosynis iuuari possint, neutiquam inde inferri, habere sermonem de ijs, qui in Purgatorio existant, affirmabit nonnemo, eo quòd S. Chrysostomus censuerit, damnatos Catechumenos experiri posse aliquod in pœnis Inferni leuamen ob eleemosynarum suffragia præstita à viuis, non secus ac de alijs damnatis dixerunt nonnulli antiqui [quorum mentio fiet in Disputationibus decursu] posse per suffragia eleemosynarum, aliorumque operum exhibitorum à viuentibus accipere aliquam refrigerationem in suis tormentis. Quæ mitigatio pœnarum in damnatis siue Catechumenis, siue baptizatis displicere prorsus debet. Sed non quòd Catechumeni adulti damnentur, si culpa sua moriantur sine Baptismo. Et de sic morientibus posset ab aliquo intelligi S. Chrysostomus; nec pro eis licebit offerre Sacrificium Missæ, imò neque quoduis aliud suffragium, quippe sint incapaces cuiuscumque satisfactionis, & impetrationis. Si S. Chrysostomus putauit, Catechumenos omnes sine Baptismo obeuntes abire in Orcũ, non desunt alij Patres collecti à me in Exercit. 23. de Cœlo Empyreo S. V. qui indicent, pergere saltem in locum medium, expertem tam gloriæ, quàm pœnæ, siue non baptizentur propter inopinatum aliquem casum, siue etiam baptizentur, sed in extremo vitæ periculo. Et de sic baptizatis, quã parùm secura sit eorum salus æterna, agit Sanctꝰ Chrysostomus adductus à Gratiano in C. *Quando quis* 128. de Consecratione Dist. 4. Cæterùm si Catechumeni decedant citra culpã suam sine Baptismo, non ideo præcisè putandum est, amittere salutem æternam, vt constat ex Cap. *Apostolicam* 2. de Presbytero non baptizato, ex Concilio Tridentino Sess. 6. C. 4. ex S. Augustino Lib. 4. de Baptismo contra Donatistas C. 22. multisque alijs authoritatibus, & rationibus, quæ non sunt huius loci: vti neque est, probare, posse contingere, vt Catechumenus aqua lustrali adspersus in fine vitæ consequatur æternam salutem, etiamsi anteà multis fuerit peccatis infectus, dũmodò cũ debita dispositione suscipiat Baptismum. Probationis sedes erit in Tractatu de Pœnitentia. Ad authoritates S. Augustini, S. Ambrosij, S. Fulgentij, Gennadij Presbyteri Massilienſis respõdet copiosè Suarez tomo 3. in 3. p. D. 27. sect. 2. trahens eas in sensum conuenientem; & in particulari ad authoritatem

tem Gennadij S. Thomas 3. p. q. 68. articulo 2. ad 2. Hugo Victorinus suprà, adscribens tamen eam S. Anselmo. Sed Bellarminus Lib. & C. 3. de Ecclesia, Lib. etiam de Baptismo C. 6. non veretur fateri, fuisse in ea sententia, quam præseferunt verba. Nec de Gennadio multùm curandum est, neque operam facessiuisset antiquis Theologis, nisi librum de Ecclesiasticis dogmatibus habuissent pro legitimo fœtu S. Augustini, cum tamen re vera non fuerit nisi Gennadij, cuius recta fides non est omnino explorata, vt obseruat idem Bellarminus in Lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis. Redeo ad S. Chrysostomum, quem explicat Sixtus Senensis Lib. 6. Bibliothecæ sanctæ, annotatione 311. quatenus antiquitus ablata fuit publica diuini Sacrificij oblatio, & Ecclesiastici funeris honor, non tamen secretæ, & priuatę orationes, Catechumenis, quorum manifesta excusatio non suscepti Baptismi deesset; vt cæteri hoc ignominiæ, ac detrimenti metu dererriti nō procrastinarēt Baptismum, differrent q; vsque ad mortis periculum, multi namque eo vsque recusabant baptizari. Addiderimq; ego, S. Chrysostomum forsā deflexisse in extremum exaggerandæ damnationis Catechumenorum omniū, vt ab alio extremo, proximè declarato, avocaret Catechumenos superstites: istiusmodique hyperboles nec in Sancto Chrysostomo, nec in alijs Patribus sunt Inusitatæ, provt notat P. Sherlogus p. 2 Responsionum ad expostulationes contra Scientiam Mediam S. V. num. 22.

18 Solet etiam pro eadem sexta nostra Conclusione allegari Henricus Henriquez L. 9. C. 15. §. 5. Sed, si benè considerentur eius verba, negat, posse viuis Catechumenis etiam Cōpetentibus prodesse Missam quoad fructum ex opere operato tam satisfactionis, quā impetrationis, seu quà offertur Missa nomine siue Ecclesiæ, siue Christi; & tantū concedit, posse eis prodesse quoad impetrationis, & satisfactionis fructum ex opere operantis, seu quà Missa offertur à Sacerdote vt à priuata persona, & quà valorem habet ob Sacerdotis bonitatem. Hæc autem est ipsissima sēntia P. Gabrielis Vazquez, Granadi, Meratij, Castri Palai, Gasparis Hurtadi, & aliorum, qui eos sequuntur, & qui citant Henriquezium, vt extremè oppositum sibimetipsis. Non diffitēbor, Henriquezium discordare ab eis quoad vnum, quod posteà addit dicens, ❧ Pro Competentibus, si casu absque Baptismo decedant, licebit offerre Missas, & videtur prodesse ex opere operato istorum animabus, quia extra viam positæ nihil minus habent, quàm animę baptizatorum, præter characterem; & pro omnibus fidelibus defunctis Ecclesia, & Concilia æquè concedunt offerri Missas. ❧ In quibus verbis fructum impetrationis, & satisfactionis ex opere operato Missæ, denegatum ab ipso Catechumenis omnibus viuis, videmus cōcessum Catechumenis emortuis existētibus in Purgatorio. Et quoad hanc partem adhærent Henriquezio Scortia L. & C. 2. num. 5. Franciscus de Lugo L. 5. C. 4. q. 6. n. 59. & 60. Fagundez in 1. præceptum Ecclesiæ Libro 5. Cap. 4. quæstione 6. numero 29. & 30. (licet in loco posteà citando retrocedat) Gabriel Albaspinæus L. 1. de Veteribus Ecclesiæ ritibus, Obseruatione 10. Si requirat quis discrimen inter posteriores, & priores Catechumenos, vt posterioribꝰ prosit Sacrificium ex opere operato, nō autem prioribus. Dici poterit, non obstare in posterioribus, quòd non sint de corpore Christi, & Ecclesiæ per characterem Baptismi, ne prosit ipsis ex opere operato Sacrificium, quemadmodùm neque ad id obstat in animabus baptizatorum commorantibus in Purgatorio, quòd iam non sint de Ecclesia militāte. Ast in prioribus Catechumenis, nempe in viuentibus, ad Sacrificij fructum ex opere operato obstat, quòd per Baptismum non sint membra corporis Christi, & Ecclesiæ.

19 P. Suarez D. 78. sect. 2. V. *Dico secundò*, refertur absolutè pro nostra sexta Conclusione. Sed ille, etsi doceat, offerri posse pro Catechumenis siue viuis, siue mortuis Missam quoad fructum impetrationis prouenientem ratione siue Sacerdotis vt priuatæ personæ, siue Christi, & Ecclesiæ, in quorū nomine Sacerdos operatur; ast quoad fructum satisfactionis ex opere operato inficiatur tum ibi, tum D. 79. sect. 10. V. *Primò igitur*, & V. *Nihilominus*, Imò quia satisfactionis ex opere operato fructus est principalis respectu Missę, & qui oblationi, atq; applicationi principaliter respondet, talisque fructus nō

ex-

extẽditur ad Catechumenos defunctos existentes in Purgatorio, ideo tomo 4. in 3. p. D. 48. sect. 6. num. 9. D. 53. S. 4. n. 8. addit, pronunciatque absolutè, non posse pro illis Missam offerri. Amplectuntur Suarij sine additione hac sententiam Gibalinus de Censuris Disquisitione 7. q. 2. Propositione 1. Cõsectario 4. num. 25. Arriaga D. 52. sect. 2. & 3. Villalobus tomo 1. Tract. 8. Diff. 9. num. 1. Fagundez in 1. Ecclesiæ ptæceptum Lib. 4. C. 1. num. 16. & 17. Bauny parte 1. Theologiæ Moralis Tract. & q. 6. V. *Dico tertiò*, Trullench Lib. 3. de Sacramentis C. 8. Dub. 4. n. 5. Tannerus tomo 4. D. 5. q. 8. dub. 4. num. 87. Lesius 3. p. q. 83. art. 1. dubio 9. num. 51. Amicus D. 33. sect. 5. num. 117. & sequentibus vsque ad 121 Auersa q. 11. sect. 10. V. *Dicendum tamen*, Coninch 3. p. q. 83. art. 1. dub. 9. num. 160. Præpositus ibidem, dub. 12. Concluſ. 2. & 5. Bardi in Explicatione Bullæ Cruciatæ parte, & Tract. 4. C. 3. sect. 2. &. 3. Mendo in eiusdem Bullę Elucidatione D. 4. C. 2. Hieronymus Garcia de Excellentijs Sacerdotij Tractatu 3. Diff. 1. dub. 6. puncto 3. n. 23. & 27. Layman Lib. & Tract. 5. C. 2. n. 8. Filliucius Tract. 5. C. 2. num. 45. & 46, C. 3. num. 81. & alij. Sed semper difficile est, explicare, cur Missa vt oblata à Sacerdote nomine Christi, & Ecclesiæ possit Catechumenis prodesse quoad fructũ impetrationis, non verò quoad fructum satisfactionis, si Catechumeni sint in statu gratiæ.

20 Cardinalis de Lugo D. 19. sect. 10. putatur, & dicitur patrocinari sextæ nostræ Conclusioni. Sed Eminẽtissimus Cardinalis à num. 166. vsque ad 173. consentit cum Suario, quatenꝰ Catechumenis non posse communicari fructum satisfactionis ex opere operato Missæ, asserat, & probet diffusè; aitq; in illo num. 166. hanc esse concordem Theologorum sententiam. Nihilominus tanti viri pace non desunt Theologi, qui affirmẽt, Catechumenos in Purgatorio existentes posse ex Missa pro ipsis applicata reportare fructum satisfactionis ex opere operato; & de Catechumenis viuentibus iustis id ipsum iudicatur à Fagundez, & à Francisco de Lugo esse probabile; asseriturque de vtrisque à Thoma Tamburino Lib. 2. de Missa C. 2. §. & num. 3. cum Lezana V. *Missa* num. 7. à Nuño Cabezudo 3. p. q. 83. art. 1. pag. 945. Gamachęo 3. p. Tract. de Sacrificio Missæ Cap. 10. Assertione 2. Martinono D. 39. sect. 3. num. 19. Petro de Ledesma in Summa, C. 17. Concluſ. 18. Corollario 3. Ioanne à Cruce de Sacrificio Missæ dubio, & Concluſ. 5. Bartholomæo à S. Fausto L. 2. de Indulgentijs sacris q. 80. Idemque ferè affirmatur ab Ysamberto 3. p. q. 83 Disp. 7. art. 3. ait enim, prodesse Catechumenis vtrisque Sacrificium Missæ quoad omnem fructum, etsi nõ alio modo, quàm indirectè liceat eis applicare illud.

21 Concordat etiam cum Suario Cardinalis de Lugo num. 173. & 179. quatenus asseuerat, Missam quoad vim impetrationis, quam ex opere operato habet nomine Christi, posse offerri pro defuncto, vel etiam viuente Catechumeno, & huic proficuam esse. Discordare autem videtur num. 166. & 173. quatenus indicat, non posse offerri, nec fructuosam esse quoad vim impetrationis, quam ex opere operato habet nomine Ecclesiæ. Et ita intelligitur à Dicastillo Tract. 5. D. 2. Dub. 3. n. 58. (agnoscente ibi, & in num. 111. probabilitatem magnam nostræ sententiæ) ratioque, qua Eminentissimus probat primam partem, in qua conuenire cum Suario diximus, non est minus efficax ad hanc postremam. Ingerit difficultatem in doctrina Purpurati Patris, cur quoad vim satisfactionis, quam ex opere operato habet Missa nomine Christi, nequeat applicari pro Catechumenis viuentibus iustis, & pro defunctis detentis in Purgatorio, si potest pro eisdem applicari quoad impetrationis vim ex opere operato, quã habet nomine Christi.

22 Non vacat, nec lubet ferre iudicium de alijs Authoribus, qui sine debito examine apud Dianam parte 10. Tract. 12. Resolutione 21. Marchinum Tract. 3. de Ordine parte 2. C. 7. n. 3. & apud Leandrum Tract. 8. D. 2. q. 6. & 7. allegantur pro sexta nostra Conclusione; vti etiam sine illo plures citantur contra eam. Nobis in ea animus fuit; posse validè, & licitè offerri Missam nomine Christi, & Ecclesiæ, proficuamque esse Catechumenis ex opere operato tam quoad impetrationis, quã quoad satisfactionis vim, si Catechume

ni

ni non sint aliunde incapaces satisfactionis, quia non existant in gratiæ statu; si item non sint incapaces etiam impetrationis, quia existant in Inferno.

23 Sed contra sextam nostram Conclusionem hoc sensu conceptam, & declaratam obijcitur primò Cap. 17. Concilij Bracarensis I. vbi dicitur, *Item placuit, vt Catechumenis, sine redemptione Baptismi defunctis, simili modo neque oblationis sanctæ commemoratio, ne psallendi impendatur officium. Nam & hoc per ignorantiam vsurpatum est.* Respondeo, Canonē hunc intelligendum de Catechumenis, qui non absque noxa mortali, vel non absque negligentia grauiter culpabili sunt defuncti sine Baptismo, atque adeò amiserunt æternam salutem. Id quod indicatur in illis verbis *Sine redemptione Baptismi*, quæ supponunt peccatum lethale, cuius redemptio cōparanda fuisset per Baptismum. Sic in C. antecedēti decreuit idem Concilium relatum C. *Placuit*, 23. q. 5. *Vt qui aut per ferrum, aut per præcipitium, aut suspendium, aut quolibet modo violentam sibi ipsis inferunt mortē, nulla pro illis in oblatione cōmemoratio fiat, neque cum Psalmis ad sepulturam eorum cadauera deducantur.* Subditque, *Similiter & de ijs placuit fieri, qui pro suis sceleribus puniuntur.* Quam additionem interpretor de morte punitis propter scelera, quorum nō pœnituerit eos in fine vitæ. Et ita conciliatur hæc additio cum decreto Concilij Aurelianensis II. C. 14. vbi dicitur, *Oblationem defunctorum, qui in aliquo crimine fuerint interempti, recipi debere censemus.* Nimirùm in illo Concilio sermo est, si criminosos peremptos pœniteat ante obitum. Vnde vitatur contrarietas, de qua perplexus mansit Loaysa in notis ad Synodum illam Bracarensem. Non est tam facilis explicatu Canon Concilio Triburiensi tributus tā à Gratiano, quàm à Burchardo, & Ivone, etsi ego non inueniam in eo Concilio: cuius verba sunt, *Quicumque Clericus aut in bello, aut in rixa, aut in Gentilium ludis mortuus fuerit, neque in oblatione, neque in oratione pro eo postuletur, sed in manus incidat iudicis: sepultura tamen non priuetur.* Sic apud Gratianum 23. q. 8. Cæterùm si ob decessum in statu illo peccati inhibetur oblatio, & oratio pro Clerico, quanam ratione conceditur Ecclesiastica sepultura? Dices, non concedi nisi caninam, vt habet Glossa ibi, & ex illa Bartholomæi Sybilla in Speculo peregrinarum quæstionum C. 3. Decadis 1. q. 3. quæstiuncula 13. paulò ante responsionem ad argumenta, nonnullique alij antiqui Interpretes ad Decretum. Sed certè nomine sepulturæ concessæ, aut negatæ non intelligitur in sacris Canonibus, nisi quę Ecclesiastica sit, aut in loco sacro, benedictovè; nec de canina, aut asinina iuxta C. 22. Hieremiæ V. 19 curaret Concilium illud, præsertim cū in mentem venire prudenter non posset Conciliaribus Patribus, relictum iri inhumatum cadauer Clerici præfati: id quod an liceat in pœnam atrocium delictorum irrogatam à Republica benè instituta, & potissimùm imbuta religione Christiana? Tractat sapienter Couarruvias L. 2. Variarum C. 1. num. 11. Ideo respōderi potest, permissam fuisse à Patribus sepulturam in loco sacro, ob honorem Clericatus, quanquam sine apparatu Ecclesiastico Sacrificiorum, & orationum; sicut in C. *Super eo de Raptoribus*, permissa sepultura in loco sacro ei, qui rapuerit bona Ecclesiæ, iubetur tamen, *Vt nullus Clericorum sepulturæ illius interfit, nec eius eleemosynam præsumat accipere*, si tantū in fine pœnituerit impotens iam factus restituēdi, cum in ante acta vita potens fuisset. Quòd si penes C. 1. & 2. *de Torneamentis*, qui in his ceciderit, priuatur sepultura Ecclesiastica, quauis non viatico, & absolutione, nihil mirum si è contra aliquando indulgeatur tumulatio in loco sacro, etsi negentur suffragia Sacrificiorum, & orationum. Alia mihi solutio occurrit, scilicet non concedi per fauorem Clerico illi sepulturam in loco sacro, sed aduerti à Patribus, ne, quia oblationum, & orationum subsidia prohibuerant, iudicaretur fore, vt deberet corpus remanere inhumatum, ita vt nec in loco prophano sepeliretur, id enim nimis inhumanum esset: ac si dicerent, etsi talem Clericum mulctamus pœna priuationis omnium suffragiorum Ecclesiæ, non ideo persuasum alicui sit, eius corpus relinquēdum esse intumulatum, vt à feris, & canibus deuoretur. Prior interpretatio ad textum admodùm intricatum arridet magis mihi post consultū sapientissimum, & amicissimum Doctorē D. Emmanuelem Gonzalez Vesperarium Canonum in Salmanticensi Academia Professorem, qui eam probauit,

vir, & laudauit magnopere ; nisi autem pro sua erga me beneuolentia excesserit, non potest non viri in peritia Canonum eximij censura commendationem, & authoritatem adscisere ei interpretationi.

24 Obijcitur secundò S. Augustinus L. 3. de anima, & eius origine ad Vincentium Cap. 12. inquiens, *Noli credere, nec dicere, nec docere, Sacrificium Christianorum pro ijs, qui non baptizati de corpore exierint, offerendum, si vis esse Catholicus.* Respondeo, Sanctum Augustinum loqui de infantibus non baptizatis, quos censebat ille Vincentius, posse, mediante hoc Sacrificio, consequi regnum Cœlorum. Sed replicabis ex Lib. 1. ad Renatum C. 11. vbi scribit Sanctus Augustinus, *Salua fide Catholica, & Ecclesiastica regula, nulla ratione conceditur, vt pro non baptizatis cuiuslibet ætatis hominibus offeratur Sacrificium corporis, & sanguinis Christi, tanquam per huiusmodi pietatem suorum ad regnum Cœlorum, quò perueniant, adiuuentur.* Quæ Sancti Augustini sententia complectitur omnes non baptizatos, tam infantes, quàm adultos. Fateor, comprehendere adultos non baptizatos, sed quibus defuerit votum Baptismi, aut, etsi qualecumque habuerint, procrastinarint negligenter susceptionem Baptismi, obierintque sine eo. Replicabis rursus ex C. 9. eiusdem Libri, ait enim S. Doctor, *Sed vtcumque sentiens Vincentius quid mali dixerit, sine vlla Christi gratia animas redimi paruulorum in æternam vitam, regnumque Cœlorum, & in eis posse solui originale peccatum, sine Baptismo Christi, in quo fit remissio peccatorum. Videns ergo, in quam se profunditatem naufragosi gurgitis eiecerit: sanè, inquit, pro eis oblationes assiduas, & offerenda iugiter Sanctorum censeo Sacrificia Sacerdotum. Ecce aliud, vnde nunquam exiturus est, nisi eum dixisse pœniteat. Quis enim offerat corpus Christi, nisi pro eis, qui membra sunt Christi? Ex quo autem ab illo dictum est, Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest intrare in regnum Dei. Et alio loco, Qui perdiderit animam suam propter me, inueniet eam: nemo fit membrum Christi, nisi aut Baptismate in Christo, aut morte pro Christo.* Respondeo, Catechumenos Competentes, id est, per quos non stat, quòd non baptizentur, esse membra Christi per fidem aliquo modo, foreque perfectiori per charitatem, si simul hac præcellant. Et quidem vltima Sancti Augustini verba non sunt accipienda de Baptismate aquæ tantùm in re, alioqui Baptismus flaminis in necessitate non sufficeret ad salutem æternã ; quod procul dubiò esset contrà ipsum S. Augustinum multis in locis, & potissimùm in L. 4. de Baptismo C. 22. relato C. *Baptismi vicem* 34. de Consecratione Dist. 4. & anteà C. 21. relato C. *Non dubito* 149. ibidem, necnon L. 8. de Ciuitate Dei, provt citatur in C. *Apostolicam* 2. de Presbytero non baptizato, tametsi ego in eo L. 8. non inueniam. Interpretatio adhibita suadetur, nam S. Thomas 3. p. q. 79. art. 7. ad 2. cũ dixisset, Missæ Sacrificiũ non habere satisfactionis effectũ ex opere operato, *nisi in illis, qui coniũguntur huic Sacramento per fidem, & charitatem*, addit, *Vnde & Augustinus dicit ad Renatum, Quis offerat corpus Christi, nisi pro his, qui sunt membra Christi?* Igitur iuxta S. Thomam loquitur S. Augustinus de his, qui per fidem, & charitatem sufficienter fiunt membra Christi. Imò iuxta S. Thomam in 4. Dist. 12. q. & art. 2. necnon quæstiuncula 2. ad 4 S. Augustinus loquitur etiam de his, qui per solã fidem sint Christi membra in potentia; offerrique potest pro eis Missa quoad effectum impetrationis, vt fiant Christi membra in actu. Verba Sancti Thomæ sunt, *Eucharistia non solùm est Sacramentum, sed etiam est Sacrificium ; in quantum autem est Sacramentum, habet effectum in omni viuente, in quo requirit, vitam præexistere; sed in quantum est Sacrificium, habet effectum etiam in alijs, pro quibus offertur, in quibus non præexigit vitam spiritualem in actu, sed in potentia tantùm : & ideo si eos dispositos inueniat, eis gratiam obtinet virtute illius veri Sacrificij, à quo omnis gratia in nos influxit, & per consequens peccata mortalia in eis delet, non sicut causa proxima, sed in quantum gratiam contritionis eis impetrat. Et quod in contrarium dicitur, quòd non offertur, nisi pro membris Christi, intelligendum est pro membris Christi offerri, quando offertur pro aliquibus, vt sint membra.* Hæc Sanctus Thomas. Sed vrgebit quis, nam Sanctus Doctor Angelicus vtrobique supponere putandus est, quòd aliunde adsit character Baptismalis in eo, pro quo offeratur Missa; subiungit enim post verba transcripta ex 3. par. quæst. 79. artic. 7. ad 2. *Vnde*

& in Canone Missæ non oratur pro ijs, qui sunt extra Ecclesiam. Respondeo, Catechumenos ratione voti, aut desiderij Baptismi esse aliquo modo intra Ecclesiam.

25 Obijcitur tertiò antiqua consuetudo eijciendi Catechumenos extrà templum, ante Offertorium; vnde *Liturgiæ* pars, quæ præcedebat illud, vocabatur *Missa Catechumenorum*, vt constat ex Concilio Carthaginensi 4. C. 84. relato Cap. *Episcopus* 67. de Consecratione Dist. 1. Herdensi C. 4. relato C. *De his, qui incesti* 35. q. 2. & 3. Inone Carnotensi Epist. 75. ad Paschalem Papam, Iacobo Diacono in vita S. Pelagij, quos duos Authores antiquos ideo nomino (omissis per multis alijs) quia reliquam partem Liturgiæ vocant *Missam fidelium*, & *fidelem*, vt & Sanctus Augustinus in Epistola 38. *Sacramenta fidelium*, eoquòd soli fideles baptizati interesient ei. Et hinc intelligitur, quid sit apud Cassianum L. 11. de Institutis Cœnobiorum C. 15. *Celebrare velut Diaconum Catechumenis Missam*, scilicet est, recitare Epistolam, Euangelium, aliaque pertinentia ad institutionem Catechumenorum, vel ante Offertorium dimittere eos cum solemni aliqua exhortatione, vt declarat ibi Gazæus. Hoc enim munus pertinebat ad Diaconum, qui alta voce intimabat Catechumenis discessum è templo, provt testantur passim Patres: quorum aliquos recensent Iosephus Vicecomes L. 2. de antiquis Baptismi ritibus C. 10. Durantus L. 2. de Ecclesiæ Catholicæ ritibus C. 1. n. 2. & 3. Si autem Ecclesia sentiret, pro eis etiam offerri Sacrificium, prodesseque ipsis quoad impetrationem, & satisfactionem nomine Christi, & eiusdemmet Ecclesiæ, vt quid prohiberet, adesse Offertorio, consecrationi, & sumptioni? Quapropter Amalarius Fortunatus L. 3. de Ecclesiasticis Officijs C. 36. ait, *Sacrificio omnino interesse non possunt, nisi renati, quia neque pro eis rogatur à Sacerdote in consecratione corporis Domini, neque confectum illis porrigitur. Sic orat Sacerdos pro circumstantibus, Memento, Domine, famulorum, famularumque tuarum, & omnium adstantium, quorum tibi fides cognita est, & nota deuotio. Nondum renati infideles vocantur, non fideles. Igitur non possumus, animaduertere pro illis constitutam esse orationem in Officio cõfectionis corporis Christi. Quapropter meritò eo tempore recedunt, quo Sacrificium celebratur.* Sic Episcopus Treuerensis. Ex quibus habetur, Missam, quæ olim vocabatur fidelium, & quæ incipiebat ab Offertorio, non fuisse oblatam pro Catechumenis, sed pro solis baptizatis, indicatis in illis verbis Canonis, *Pro Ecclesia tua sancta Catholica :: omnibus Orthodoxis, atque Catholicæ, & Apostolicæ fidei cultoribus :: Omnium circumstantium, quorum tibi fides cognita est, & nota deuotio :: Hanc igitur oblationem seruitutis nostræ, sed & cunctæ familiæ tuæ, quam tibi offerimus* (vt dicitur à Paschæ Vigilia vsque ad Sabbathum in Albis inclusiuè, & à Pentecostes Vigilia vsque ad sequens Sabbathum inclusiuè) *pro his quoq; quos regenerare dignatus es ex aqua, & Spiritu sancto :: Memento etiam, Domine, famulorum, famularumque tuarum, qui nos præcesserunt cum signo fidei, & dormiunt in somno pacis.* Cum quo tamen stat, vt In Missa vocata Catechumenorum tunderẽtur multę precationes publicæ pro ipsis. Respondeo primò per instantiam in baptizatis Energumenis, & pœnitentibus, qui etiam iubebantur exire ante Offertorium, vt constat ex S. Dionysio Areopagita C. 3. de Ecclesiastica Hierarchia p. 3. §. 6. S. Clemente L. 2. C. 43. Constitutionum Apostolicarum, L. 8. C. 7. ac 9. S. Chrysostomo Homilia 61. ad Antiochenum populum, Homilia 18 in 2. ad Corinthios, Homilia 24. in Matthæum, obseruantque Vazquez D. 212 C. 4. n. 28. Franciscus Turrianus ad C. 12. Libri 8. earum Constitutionum Apostolicarum, & Iosephus Vicecomes Volumine 3. Obseruationum Ecclesiasticarum L. 2. de antiquis Missæ ritibus C. 2. Balthasar Corderius in annotationibus ad locum præcitatum S. Dionysij; poterat tamen offerri Missa pro baptizatis Energumenis, ac pœnitentibus, prodesseque illis non minus, quàm alijs quibusuis. Sic etiam in Concilio Arausicano primo C. 19. iussum, ne Catechumeni admitterentur à Christianis inter domesticas orationes (provt à pluribus legitur, & intelligitur ille Canon) nec ideo inferre est, orationes priuatas, fusas à Christiano pro Catechumenis, non fore his fructuosas. Respondeo secundò, consuetudinẽ illanõ aliud probari, quàm quòd Ecclesia noluerit committere spectanda, audiẽdave sacra mysteria nisi hominibus baptizatis.

tizatis. Simile quid fuit apud Gentiles, nam non initiatos sacris excludebant à religionis suæ arcanis, & Sacrificijs. Vnde cum duo iuuenes Arcananes, non initiati, ingressi fuissent Athenis Sacrarium Cereris, vt Sacrificijs interessent, interempti sunt ab Athenienſibus; eaque fuit causa belli inter hos, & Philippum Regem Macedoniæ, vt produnt memoriæ Liuius Decadis 4. Libro 1. Florus in Epitome. Idcirco dixit Tertullianus Cap. 7. Apologetici, *Cumsem per etiam impiæ initiationes arceant prophanos, & arbitros caueant.* Et apud Maronem Sybillain Sacris Proserpinæ Lib. 6. V. 258.

---procul ò, procul este prophani.

Quem in versum legendus est Cerda noster. Virgilium imitatus est Prudentius, cum in Apotheosi cecinit nomine Gentilium repellentium Christianum quemque à suis Sacrificijs,

----lotus procul absit, & vnctus.

26 Ad Amalarium fateor, esse admodùm probabile, quòd Ecclesia in Missa fidelium non orat pro Catechumenis nominatim. Sed id non obest, quominus Sacerdos, vt gerit personam Christi Domini, imò & Ecclesiæ; possit secretò orare pro eis, offerreque pro ipsis Sacrificium, quia ex Ecclesiæ silentio non infertur, quòd detur prohibitio lata à Christo, aut ab Ecclesia, ne Sacerdos præstet, quod dixi. Hinc non recusabo admittere, non fieri in verbis Canonis vllam de Catechumenis mentionem; tametsi de Competētibus ita loquatur S. Isidorus L. 2. de Ecclesiasticis Officijs C. 21. & ex illo Rabanus Lib. 1. de Institutione Clericorum Cap. 26. vt satis conuenienter sub nomine fidelium intelligi queant in verbis Canonis. Audiatur Sanctus Isidorus, *Post Catechumenos secundus Competentium gradus est. Competentes autem sunt, qui iam post doctrinam fidei, post continentiam vitæ ad gratiam Christi percipiendam festinant; ideòque appellantur Competentes, ideſt, gratiam Christi petentes. Nam Catechumeni tantùm audiunt, necdum petunt, sunt enim quasi hospites, & vicini fidelium, deforis audiunt mysteria, audiunt gratiam, sed adhuc non appellantur fideles. Competentes autem iam petunt, iam accipiunt, iam catechizantur, ideſt, imbuuntur instructione fidei, & Sacramentorum. Istis enim saluta-re symbolum traditur quasi commonitorium fidei, & sanctæ confessionis indicium, quo instructi agnoscant, quales iam ad gratiam Christi exhibere se debeant.* Sic S. Isidorus insistēs vestigijs S. Augustini Serm. 116 de Tempore, & L. Homiliarum 50. in 49. ex qua desumptum est Cap. *Audite* in 34. Dist. Et de Competentibus legantur Bellarminus L. de Baptismo C. 25. Franciscus Turrianus ad Cap. 8 Libri 8. Apostolicarum Constitutionum, Henriquez Lib. 9. C. 15. lit. H. in Glossa. Cerda ad Librum Tertulliani de Pœnitentian. 73. Ioannes Vicecomes Lib. 3. de antiquis Baptismi ritibus C. 1.

27 Obijcitur quartò, Indulgentiæ Ecclesiasticæ non prosunt Catechumenis ad remissionem pœnæ temporalis ex opere operato. Ergo nec Sacrificium Missæ. Respondeo primò, argui à minori ad maius, & proinde inefficaciter; imò argui, agendo gyrum, nam ex eo, quòd Sacrificium Missæ non communicet Catechumenis fructum satisfactorium ex opere operato, probare solent Doctores; tanquam à maiori ad minus, neque Indulgentias communicare. Ita Suarez tomo 4. in 3. p. D. 73. sect. 4. num. 8. Bardi, Mendo, alijque passim. Quare nos possumus siue concedere, siue permittere Antecedens, & negare Consequentiam. Dicimus secundò ex abundanti, Indulgentiarum formulam solere esse pro fidelibus Christi, siue viuis, siue defunctis; nomine autem *fidelium Christi* intelliguntur, qui sunt baptizati, vt patet ex Concilio Tridentino Sess. 14. Cap. 5. & Can. 8. necnon ex C. *Omnis vtriusque sexus fidelis de Pœnitentijs, & remissionibus*, vbi nomen *fidelis* comprehendit solos baptizatos. Cæterùm quia Catechumeni Competētes non possunt ore pleno vocari infideles, sed potiùs possunt, & debent vocari fideles in aliquo proprio sensu; quia itē Indulgentiarum formula admittit tam latam explicationem, quàm ipsorum verborum patitur sensus proprius, quippè beneficium Principis latè sit interpretandum, & quantùm verba patiantur sine præiudicio tertij iuxta Leg. *vltimā de Const. Princip.* atque ita in terminis Indulgentiarum existimat P. Dicastillus Tract. 9. D. 2. dub. 19. n. 259. cum alijs, quos laudat n. 256. ideo solutioni huic non admodùm fidimus.

28 Quare tertiò dicimus, Indulgentias pro mortuis posse prodesse Catechumenorum animabus existentibus in Purgatorio, vt concessas, & applicatas per modum suffragij, & solutionis, quia ad id non est opus iurisdictione spirituali Ecclesiæ erga illas: qua certè iurisdictione erga defunctos quoscumque caret Ecclesia militans, vt compertum est ex Capite *De Communione, ex Capite Legatur, ex Capite Nec quisquam 24. quæstione 2.* Vnde concessio Indulgentiarum, respectu etiam mortuorum baptizatorum, non est ex potestate iurisdictionis, sed tantùm ex dispensatiua thesauri satisfactionum Christi, & Sanctorum. Licet autem defuncti baptizati subditi Ecclesiæ fuerint in vitâ, non verò Catechumeni; quia tamen tempore lucrifaciendæ Indulgentiæ in Purgatorio non est necessaria subiectio, videtur neutiquã obstaturum, quòd tempore antecedenti non præcesserit; videturque suppponi gratis, non posse Summum Pontificem concedere Indulgentiam per modum suffragij pro ea Purgatorij anima, pro qua per modum absolutionis non valuit, dum erat vnita corpori; scribiturque minus benè à quodam Moderno, concessionem Indulgentiæ, cum sit actus proprius clauium Ecclesiæ, non posse fieri erga non subditos, proindeque erga non baptizatos Purgatorij. Etenim ibi subditi iam non sunt, qui Baptismum susceperunt; & nihilominus ille actus clauium præstari potest per modum suffragij erga eos ab Ecclesia, sumpto actu clauium non pro exercitio potestatis iurisdictionis, sed authoritatis dispensatiuæ thesauri Ecclesiastici. Et hęc dicta sint, quatenus de possibili queat Summus Pontifex Indulgentias dare pro defunctis Catechumenis. Id quod exinde confirmamus, quia si potest priuatus quisque offerre pro eis suas satisfactiones, cur supra facultatem supremi Principis Ecclesiæ erit, applicare ijdẽ satisfactiones Christi, & Sanctorum? præsertim cum ad huiusmodi applicationem per modum suffragij non sit necessaria potestas iurisdictionis. Num verò de facto Summus Pontifex concedat pro defunctis Indulgentias, quæ extendantur expressè ad Catechumenos? Pater Suarez suprà ait, nunquam id fuisse in vsu. Num rursus, quæ pro fidelibus defunctis conceduntur generaliter, & absolutè, queant per interpretationem censeri extendi ad Catechumenos? Riciullus apud Bardi suprà in posteriori loco numero 33. inquit, Indulgentias de facto non concedi nisi ijs fidelibus, qui cum Baptismo defuncti sunt. Eademque videtur esse complurium Doctorum persuasio; sed pro contraria stant multi alij, quæ magis pia apparet; an sit verior, aut probabilior? relinquimus Lectori diiudicandum.

29 Iamque quartò dicimus, Catechumenos viuos posse de possibili lucrari fructum Indulgentiarum, quæ concedantur à Summo Pontifice per modum solius suffragij, & solutionis: quo modo pro viuis concedi ab eo posse, licet de facto non ita contingat, docet Bellarminus Libro 1. de Indulgentijs Capite 5. propos. 2. & cum illo Martinonus Disputatione 63. de Indulgentijs sectione 6. numero 68. Contra hanc solutionem nihil opponetur, quod non sit iam in tertia præoccupatum, nisi fortè quis addat ex Dicastillo suprà, dubio 9. numero 146. & ex Arriaga Disputatione 29. de Pœnitentia sectione 5. numero 23. neminem carentem Baptismali charactere capacem videri remissionis pœnæ ex opere operato per Indulgentias, sicut nemo illius characteris expers capax est remissionis culpæ ex opere operato. Sed certè per Martyrium potest inbaptizatus consequi ex opere operato remissionem tam culpæ, quàm pœnæ totius temporalis, vt ipsemet Dicastillus, & Arriaga sentiunt. Præterea ideò qui non est Martyr, aut qui non est baptizatus, aut qui non baptizatur, non est capax remissionis culpæ lethalis ex opere operato, quia præter Martyriũ, & Sacramenta nihil aliud est, quod conferat remissionem culpæ lethalis ex opere operato; & ad cętera Sacramenta, eiulque effectus est ianua Baptismus. Cæterùm præter Martyrium, & Sacramenta extat aliquid aliud, quod ex opere operato causare valeat remissionem pœnæ temporalis in homine iusto: quẽ, vt hunc effectum lucretur, debere esse baptizatum, restat probandum Dicastillo, atq; Arriagę.

Di-

30 Dicimus quintò ad obiectionem principalem, defectum iurisdictionis spiritualis in Ecclesia erga Catechumenos viuos in causa esse, ne per modum absolutionis, & remissionis concedat ipsis, concedereve possit directè Indulgentias, nam ad eas hoc modo dandas requiritur præfata iurisdictio iuxta C. *Quod autem consuluisti de Pœnitentijs, & remissionibus*, ipsaque vox absolutionis id ostendit, nec proferri potest imperatiuè nisi ab habente iudiciariam potestatem. In præsentiarum autem Summi Pontifices non solent, nisi hoc modo elargiri viuis Indulgentias, nec alio possunt Episcopi inferiores secundùm potestatem, quam à Papa acceptam habent, vt colligitur ex Capite proximè allegato, notatque Martinonus suprà. Ex hac solutione non adigimur annuere Consequentiæ obiectionis quoad Catechumenos viuos, tum quia à minori ad maius non valet Consequentia, vt in prima solutione respondimus; tum quia vt Sacrificium Missæ offeratur pro aliquo, fructuosumque ei sit, non requiritur iurisdictio Ecclesiæ erga ipsum. Cardinalis de Lugo Disputatione 27. de Pœnitentia sectione 5. numero 77. admittit, posse Summum Pontificem ex potestate iurisdictionis concedere Indulgentias pro Catechumeno viuo, quatenus concedat Christiano exercenti in statu gratiæ aliquod bonum opus, vt possit in alium transferre pœnæ temporalis ex opere operato remissionem, ad quã Pontifex, dispensando thesaurum Ecclesiæ, eleuet tale pium opus vltrà remissionem conuenientem suapte natura eidem operi respectu facientis illud: ea autem translatio non magis poterit fieri in vtilitatem Christiani, quàm Catechumeni; satisque est, vt sit Christianus, & subditus Summo Pontifici homo ille, cui directè, & immediatè fit fauor. Et licet Pontifex non soleat dare Indulgentias transferendas ab vno Christiano viuo in alterius viui commodum; non superat eius facultatem is modus concessionis, seruatque eum, & non alium in Indulgentijs, quas confert pro defunctis. Postremum hoc est nobis valde difficile; & reliqua discursus petebant prolixam discussionem, timemusque, ne in tam longa ad argumentum quartum responsione videamur abuti patientia Lectoris.

31 Obijcitur quintò, Catechumeni, etiamsi sint in gratia, non possunt esse offerentes respectu Sacrificij Missæ, quanuis peterent à Sacerdote illud, conferrentque stipendium, vel alio modo cooperarentur. Ergo neque potest hoc Sacrificium offerri pro eisdem Catechumenis. Eadem enim est vtriusque ratio. Assentior Antecedenti, quia tam Sacerdos, quàm offerentes alij inferiores debent esse Ministri Ecclesiæ visibilis; à quo munere valde alieni sunt Catechumeni, proindeque & ab officio offerentium cum Sacerdote. Vnde in Canone Missæ dicitur, *Hanc igitur oblationem seruitutis nostræ, sed & cunctæ familiæ tuæ, &c.* vbi nomine familiæ videtur significari cætus Ecclesiæ visibilis. Ibidem dicitur, *Vnde & memores, Domine, nos serui tui, sed & plebs tua sancta :: offerimus, &c.* vbi per plebem sanctam significatur populus Christianus Baptismi charactere insignitus. Sunt, qui Catechumenos nõ posse esse offerẽtes, exindè inferant, quòd arcebantur, ne assisterent oblationi, partibusque subsequentibus Missæ. Sed illatio non est solida, nam ad offerendum vtcumque cum Sacerdote, seu potiùs per Sacerdotem non obesset absentia corporalis, vt patet in baptizatis, qui, si præstent stipendium, vt Sacerdos sacrificet, vel alio modo procurent, à Sacerdote celebrari, dicuntur, & sunt coofferentes, tametsi corpore absint, quando Sacerdos operatur diuinis. Concessi obiectionis Antecedens. Et iam inficior Consequentiam. Nam desideratur conuincens authoritas, aut ratio, ob quam personæ, pro quibus sit offerendum Sacrificium Missæ, debeant esse baptizatæ. Cardinalis de Lugo D. 19. sect. 10. num. 167. Etsi admittat Antecedens præsentis obiectionis, ait tamen inn. 168 fore. ✻ Vt offerret affectiuè Catechumenus, si stipem daret Sacerdoti, vel alias cooperaretur Sacrificio; atque ideo si esset in gratia, mereretur per illud bonũ opus, sicut per alia pia opera; nõ tamẽ offerret effectiuè. ✻ Ait etiam. ✻ Posse Catechumenum vtiliter dare stipem Sacerdoti, vt Sacerdos applicaret Missam ad impetrandum pro ipso. ✻ Quod vtrumque dictum dignum est adnotatione.

32 Obijcitur sextò, Cathecumeni nequeunt excommunicari ab Ecclesia, vt potè quæ iuxta Paulum 1. ad Corint. 5. V. 12. & iuxta C. *Gaudemus de Diuortijs* non iudicet de ijs, qui foris sunt. Ergo nec communicare queunt eius Sacrificium, seu fructū exinde prouenientem. Respondeo, disparem esse rationem, ne Catechumeni queant excommunicari ab Ecclesia, vt colligitur ex dictis in tertia probatione. Et addo, iurisdictionis in Ecclesia erga Catechumenos defectum, ex quo prouenit, vt eos excommunicare non valeat, haud quaquam obstare, quominus pro ipsis offerri possit Missa, & hęc illis fructuosa esse. Restant dissoluendæ aliæ obiectiones; quibus commodus locus erit post septimam Conclusionem, quam iā propono.

33 Sit ergo

CONCLVSIO VII.

Directè, & per se Sacrificium Missæ offerri potest pro infidelibus nòn baptizatis, vt illis quoad impetrationem conuersionis, bonorumq; temporalium ad hāc conducentium prosit, quatenus oblatum à Sacerdote pro-vt gerente personam Christi, & Ecclesiæ.

SCRIPSI, *Directè, & per se*, nam de indirecta oblatione pro conuersione infidelium non potest esse dubium, vt cum directa fit pro augmento fidei, pro pace, & vnitate Ecclesiæ, pro ijs, qui occupantur in prædicando Euāgelio Gentilibus, tunc enim indirecta oblatio est pro infidelium conuersione, sine qua nō obtinetur, aut non tam perfectè finis cuiuslibet ex illis oblationibus directis. Præterea in Canone Missę dicitur, *Quæ tibi offerimus pro Ecclesia tua sancta Catholica; quam pacificare, custodire, adunare, & regere digneris toto Orbe terrarum.* Et in oblatione calicis dicitur, *Offerimus tibi, Domine, calicem salutaris, tuam deprecantes clementiam, vt in cōspectu diuinæ Maiestatis tuæ pro nostra, & totius mundi salute cum odore suauitatis ascendat.* Et in verbis consecrationis sanguinis, *Qui pro vobis, & pro multis effundetur*, id est, pro vobis fidelibus, & pro alijs omnibus hominibus, nomine enim multorum intelliguntur omnes alij iuxta communem expositionem Sanctorū Patrum. Rursus scripsi, *Quoad impetrationem*, quia quoad satisfactionem pœnæ pro peccatis debitę non potest Missa prodesse infidelibus, quo saltem tempore in sua impietate persistunt. Vlteriùs scripsi, *Bonorumque temporalium ad conuersionem conducentium*, tum quia bona temporalia non sunt ex communi sententia effectus Sacrificij huius, etiam vt oblati pro fidelibus, nisi qua deseruire possunt ad spiritualia: tū quia Ecclesia potiùs contra Paganos instituit in Missa preces, in quibus orat diuinam Maiestatem, vt dexterę ipsius potentia conterantur, vt sic conuertantur ad fidem, vel minus noceant Christianis. Constat quidem ex Tertulliano ad Scapulā C. 2. & in Apologetico C. 36. 39. & 40. oratum olim fuisse, & sacrificatum in Ecclesia ad impetranda Gentilibus bona temporalia, quorum consequutio ob Christianorum preces reddebat illos mitiores, minusque infensos religioni Christi. Etsi vero S. Romanus Martyr iussus à Præside orare pro salute Imperatoris Ethnici respondérit apud Prudentium,

-----nunquam pro salute, & maximis,
Fortissimisque Principis cohortibus
Aliter precabor, quàm fidele vt militent,
Christique lymphis vt renascantur Patri,
Capiant & ipsum cœlitùs Paracletum.

Mens S. Romani fuit, se non deprecaturum pro eis bonis temporalibus, nisi quà conferrent ad æternam fœlicitatē. Tandem scripsi, *Quatenus oblatum à Sacerdote prout gerente personas Christi, & Ecclesiæ*, nam Sacerdos vt priuata persona, & nomine suo indubitāter potest offerre Deo pro impetranda conuersione infidelium honestum suum, religiosum, & meritorium opus sacrificādi, non secus ac potest offerre quodcumque aliud opus bonum. Quibus præsuppositis.

34 Primum conclusionis septimæ fundamentum est, quia Sacrificium Missę *successit*, equiualetque, imò prę-

ua-

ualet *Omnibus illis Sacrificijs veteris Testamenti, quæ immolabantur in vmbra futuri*, vt ait S. Augustinus Lib. 17. de Ciuitate Dei C. 20. & vt Concilium Tridentinum Sess. 22. C. 1. inquit, *Hæc est illa oblatio, quæ per varias Sacrificiorum naturæ, & legis tempore similitudines figurabatur; vtpote quæ bona omnia per illa significata, velut illorum omnium consummatio, & perfectio complectitur.* Sed Sacrificia veteris Testamenti offerebantur aliquando pro infidelibus, vt constat ex Lib. 1. Esdræ C. 6. ex L. 1. Machabæorum C. 7. & 12. ex L. 2. C. 3. ex C. 1. Baruch V. 10. ex C. 29. Ieremiæ V. 7. necnon ex Iosepho Lib. 2. de Bello Iudaico C. 17. Ergo Sacrificium Missæ offerri etiã potest pro eisdem.

35 Secundum fundamentum, in hoc Sacrificio repræsentatur Christi Domini Passio, quæ pro omnibus oblata est, & quæ *prodest quidem omnibus quantùm ad sufficientiam, & ad remissionem culpæ, & adeptionem gratiæ, & gloriæ, sed effectum non habet nisi in illis, qui Passioni Christi coniunguntur per fidem, & charitatẽ*, vt inquit S. Thomas 3. p. q. 79. art. 7. ad 2. loquens de effectu satisfactionis. Ergo similiter discurri potest, ac debet de Missæ Sacrificio, quantùm est ex institutione Christi Domini, & propria natura ipsius Sacrificij. Quod addo ea de causa, quam patefaciet Sectionis decursus. Confirmatur hoc fundamentum ex Apostolo ad Timotheum 1. C. 2. V. 1. & sequentibus. Cum enim C. præcedenti dixisset, Christum venisse, vt omnes peccatores faceret saluos, & in hac re Timotheum Episcopum debere Christo cooperari, & militare bonam militiam, infert inde, interprete Cornelio à Lapide, ✲ Obsecro igitur, primùm omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus: pro Regibus, & omnibus, qui in sublimitate sũt, vt quietam, & tranquillam vitam agamus in omni pietate, & castitate: hoc enim bonum est, & acceptum corã Saluatore nostro Deo, qui omnes homines vult saluos facere, & ad agnitionem veritatis venire. Vnus enim Deus, vnus & mediator Dei, & hominum homo Christus Iesus, qui dedit redemptionẽ semetipsum pro omnibus, &c. ✲ En Apostolus conficit idem argumentum, ac nos. Et agit quidem de Missæ oblatione facienda pro Regibus, & Principibus, qui tunc Gentiles erant, vt exponunt communiter Patres, præcipuè S. Chrysostomus Homilia 6. in Epistolam ad Timotheum, & S. Augustinus Epistola 59. ad Paulinum in solutione quæstionis 5. Præsentò verba S. Chrysostomi, *Quid autem sibi vult, quòd ait, Primùm omnium? In obsequio scilicet quotidiano, perpetuoque diuinæ religionis ritu. Atque id nouerunt fideles, quomodò diebus singulis, manè, & vesperè orationes fundantur ad Dominum, quomodò pro omni mundo, & Regibus, & omnibus, qui in sublimitate sunt positi, obsecrationes ab Ecclesia fiant. Sed fortè quis dixerit, pro omnibus quod ait, tantùm fideles intelligi voluisse. At id verũ non esse, quæ sequuntur, ostendunt. Denique, ait, pro Regibus: neque enim tunc Reges Deũ colebant; verùm multis posteà temporibus in infidelitate, quam per seriem successionis accceperant, perstiterunt.* Hæc S. Chrysostomus. Post quem audiatur S. Augustinus, *Eligo in his verbis hoc intelligere, quod omnis, vel penè omnis frequentat Ecclesia, vt precationes accipiamus dictas, quas facimus in celebratione Sacramentorum, antequàm illud, quod est in Domini mensa, incipiat benedici; orationes, cum benedicitur, & sanctificatur, & ad distribuendum cõminuuntur; quam totam petitionem ferè omnis Ecclesia Dominica oratione concludit.* Et posteà, *Hæc autem causa præcipua fuit ista dicendi, vt his breuiter perstrictis, atque significatis, non putaretur negligendũ esse, quod sequitur: Pro omnibus hominibus, pro Regibus, & his, qui in sublimitate sunt, &c. Ne quisquam, sicut se habet humanæ cogitationis infirmitas, existimaret, non esse ista facienda pro his, à quibus persecutionem patiebatur Ecclesia, cum membra Christi ex omni essent hominum genere colligenda. Vnde adiungit, & dicit, Hoc enim bonum, & acceptum est coram Saluatore nostro Deo, &c.* Cum Sancto Augustino consonat S. Prosper, eius discipulus, Lib. 1. de Vocatione Gentium C. 4. scribens, ✲ Præcepit itaq; Apostolus, imò per Apostolum Dominus, qui loquebatur in Apostolo, fieri obsecrationes, & postulationes, gratiarum actiones pro omnib⁹ hominib⁹, pro Regibus ac pro ijs, qui in sublimitate sunt. Quam legem supplicationis ita omnium Sacerdotum, & omnium fidelium deuotio concorditer tenet, vt nulla pars mundi sit, in qua huiusmodi orationes non celebrentur à populis Christia-

stianis. Supplicat ergo vbique Ecclesia Deo non solùm pro Sãctis, & in Christo iam regeneratis, sed etiam pro omnibus infidelibus, & inimicis crucis Christi, pro omnibus idolorum cultoribus, pro omnibus, qui Christum in membris ipsius persequuntur, pro Iudęis, quorum cæcitati lumen Euangelij non refulget, pro Hæreticis, & Schismaticis, qui ab vnitate fidei, & charitatis alieni sunt. Quid autem pro istis petit, nisi, vt relictis erroribus suis, cõuertantur ad Deũ, accipiant fidem, accipiant charitatem, & de ignorantiæ tenebris liberati in agnitionem veniant veritatis? ✻ Sic S. Prosper. Omitto complures alios Patres, qui testantur de antiquo Ecclesiæ vsu offerendi Sacrificium Missę pro Gẽtilibus, infidelibusque cæteris non baptizatis. Videantur apud Bellarminum Lib. 2. de Missa C. 6. Henriquezium Lib. 9. C. 15. §. 6. in Glossa, littera K. Suarium D. 78. sect. 2. V. *Dico tertiò*, Laymanum L. & Tract. 5. C. 2. num 6 & 9. Scortiam Lib. & C. 2. num. 6. Redanum in Lib. 1. Machabæorum C. 7. V. 26. Georgium Ambianatem in Librum Tertulliani ad Scapulam Cap. 2. Obseruatione 3. §. 2. Cornelium à Lapide in præcitatum locũ ad Timotheũ. Qui Doctores, & multi alij calculum album addunt pro septima nostra Conclusione; vt & Societas Iesu, quando in Catalogo Missarum, & orationum Nostris præscriptarum iubet, fieri ab vnoquoque Sacerdote singulis mensibus vnum Sacrum pro Indijs, & Gentium cõuersione: quem in finem Apostolus Indorum S. Franciscus Xaverius ante Sacrificij consumptionem recitabat orationem devotissimam à se compositã, de qua recurret sermo posteà.

36 Mihi quidem vltrà fundamenta allata illud magni momenti est, quòd neque de Christi, neq; de Ecclesiæ prohibitione offerendi directè Sacrificij pro infidelibus non baptizatis vsquam constet; & aliunde altiùs, digniùsque cogitetur de Sacrificio, si, quãtùm de se est, possit directè offerri, & proficuum esse omnibus hominibus viuentibus, sic enim magis perfectè referet Dominicam Passionem, & Sacrificium cruentum crucis; cuius est memoriale perpetuum.

37 Sed contra septimam nostrã Conclusionem argumentaberis primò, excõmunicatis, eo quòd sint ab Ecclesia pręcisi, non prodest Sacrificium Missæ. Ergo multò min⁹ proderit non baptizatis, cum sint magis ab Ecclesia separati. Secundò, hoc Sacrificium est beneficium commune totius Ecclesiæ, atque, vt ait Tridentinum Sess. 22. Cap. 1. *Est à Christo relictum dilectæ sponsæ suæ Ecclesiæ visibile hoc, sicut hominum natura exigit, Sacrificium, quo cruentum illud, semel in cruce peragendum, repræsentaretur; eiusq; memoria in finem vsque sæculi permaneret.* Sed communitatis alicuius beneficia non sunt distribuenda his, qui non sunt de illa communitate; *Neque est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus*, vt dicitur Mathæi C. 15. V. 26. Ergo hoc Sacrificium non potest applicari, & fructuosum esse extraneis ab Ecclesia. Tertiò, Baptismus est ianua Sacramentorum, ita vt nihil prosint, nisi baptizatis conferantur, vt patet ex Cap. 1. de Presbytero non baptizato, necnon ex C. 2. & 3. in eodem titulo, ex alijsque textibus Ergo Baptismus erit etiam ianua huius Sacrificij instituti à Christo, ita vt, quatenus habet virtutem ex Christi institutione, nihil prosit ijs, qui baptizati non fuerint. Confirmabis ex Vazquio D. 227. C. 3. num. 17. & 18. Eucharistia in ratione Sacramenti non est instituta à Christo, nisi pro baptizatis, nec nisi his communicat ex opere operato suos effectus. Ergo idem putandum est de Eucharistia in ratione Sacrificij. Quartò, quia S. Augustinus L. 1. de Anima, & eius origine C. 9. ait, *Quis offerat corpus Christi nisi pro eis, qui sũt membra Christi? Nemo autem membrum fit Christi nisi aut Baptismate in Christo, aut morte pro Christo*, vt paulò post declarat S. Doctor. Ergo cum infideles non sint Christi membra per Baptismum in re, vel in voto, neq; per mortem pro Christo, non poterit in Sacrificio Missæ offerri pro eis siue viuis, siue defunctis corpus Christi. *Vnde*, notante S. Thoma 3. part. q. 79. art. 7. ad 2. *In Canone Missæ non oratur pro his, qui sunt extra Ecclesiam.* Et hæc verba subijciuntur immediatè à S. Thoma post ea alia, quæ ex S. Augustino retulimus. Hinc, iudice sapientissimo Theologo Dominico Soto Lib. 9. de Iustitia, & Iure q. 2. articulo 2. V. *Atquia* circa finem. ✻ Error esset, Capellaniam instituere, aut Missas pro infidelibus. ✻

Ad

38 Ad primum argumentum, discussione Antecedētis remissa in Cōclusiones sequentes, nego Consequentiam, quia infidelis est de se habilis ad percipiendum aliquem Sacrificij fructum, quin sit factus inhabilis per Ecclesiasticam censuram; vti supponitur factus fidelis, aut hæreticus excommunicatus. Ad secundum respondeo, Sacrificium Missę non esse beneficium tributum soli Ecclesiæ pro se ipsa, sed etiam pro alijs; quanquam exerceri non possit nisi per solos Ecclesiæ Ministros. Ad tertium dico, etsi Baptismus sit ianua cæterorum Sacramentorum siue ad ea conficienda, siue ad validè, & fructuosè suscipienda, nō tamen esse necessariam ianuam ad participandum fructum Eucharistię, quà Sacrificium est offeribile, seu applicabile pro alijs. Et ratio potissima discriminis descēdit ex institutione Christi. Adest etiā duplex congruentia, quòd scilicet sicut aliquod Sacramentum, quale est Baptismus, prodest hominibus non anteà baptizatis, ita aliquod Sacrificium, quale nunc vnicè est Eucharisticum, possit prodesse etiam non baptizatis; quòd item Sacrificium Eucharisticum habet virtutem per modum orationis, & impetrationis; oratio verò, & impetratio extenditur ad omnes personas, quę sunt capaces impetrādorum effectuum; & ideo Sacrificium Eucharisticum potest esse non baptizatis fructuosum. Ast Sacramenta instituta sunt vt distinctiua Cōmunitatis Ecclesię, & Reipublicę Christianæ ab alijs hominibus; idq; circo debent non prodesse nisi existentibus iam in Republica Christiana, vel introducendis per ipsa in eandem Rempublicam; deseruit Baptismus ad hoc posterius; & ad illud priꝰ reliqua Sacramenta. Confirmatio (cuius Antecedens negatum fuit à Marsilio in 4. q. 6. art. 2. & in controuersiam fuit deuolutum ab aliquibus, teste Innocentio III. Papa in C. *Veniens 3. de Presbytero non baptizato*) instatur sic à nobis: Eucharistia in ratione Sacramenti non est instituta à Christo nisi pro sumentibus, nec nisi his communicat ex opere operato suos effectus, tam quòd attinet ad remissionem culpę, quàm pœnę. Ergo idem putandum est de Eucharistia in ratione Sacrificij. Consequentiam hāc diffiteri debet, & recusat Vazquez, concesso Antecedēte ex doctrina Sancti Thomæ 3. p. q. 79. art. 7 in Corp. (vbi defenditur à Cornejo) & Lectione 6. in Ioannem C. 6. Nihil ergo mirùm, si & nos Antecedente confirmationis approbato, quod innuitur 1. ad Cor. 10. V. 17. & ad Heb. 13. V. 10. negemus Cōsequentiam ob similem rationem, ob quam Vazquez, & Catholicus quisque inficiatur Consequentiam in istātia deductam, alioqui Eucharistia vt Sacrificium non esset proficua animabus Purgatorij, quibus vt Sacramentum ab eisdemmet sumptū prodesse nequit. Vnde cum Etherius, & Beatus Lib. 1. aduersus Elipandum aiunt, *Non potest hoc Sacrificium, quod offertur, á quibuscumque comedi, & bibi, nisi tantùm ab ijs, pro quibus offertur*: intelligendi sunt, non quatenus comedi, & bibi queat ab omnibus, sed ab aliquibꝰ ex numero eorum, pro quibus offertur; seu potiùs oportebit adire S. Augustinum Lib. 4. de Trinitate C. 14. cuius verba voluerunt imitari duo illi Patres Hispani. Loquens igitur Sanctus Augustinus vniuersim de Sacrificio inquit, *Non intelligunt, neque id posse ritè offerri, nisi per Sacerdotem sanctum, & iustū, nec nisi ab eis accipiatur, quod offertur, pro quibus offertur; atque id sine vitio sit, vt pro vitiosis mundandis possit offerri. Hoc certè omnes cupiunt, qui pro se offerri Sacrificium Deo volunt.* Indeque infert, *Quis ergo tā iustus, & sanctus Sacerdos, quàm vnicus Filius Dei? :: Et quid tam congruenter ab hominibus sumeretur, quod pro eis offerretur, quàm humana caro?* In his autem verbis S. Augustinus solummodò significat tū morem, qui vigebat inter Gentiles, vt ederent de hostia oblata illi, pro quibus offerebatur; tum victimam Sacrificij nouæ legis aptissimam esse, vt sumatur à Christianis sub speciebus panis, & vini. Sed vt ad instantiam regrediar, sanè sicut Eucharistia in ratione Sacrificij prodest ex opere operato alijs, quàm sumentibus, quia non solùm pro his, sed etiam pro alijs offertur; quæ est ratio S. Thomæ in eo articulo 7. ita per modū Sacrificij poterit fructuosa esse alijs, quàm baptizatis, quia pro alijs etiam potest offerri. Id quod illustratur à nobis exemplo Sacrificiorum veteris legis, de quorum victima etsi edere non licebat nisi fidelibus circumcisis, nihilominus ipsa offerri poterat Deo pro nō circumcisis, & pro Gentilibus ad impetrandum eis bona aliqua. Quare dum nō osten-

ostendatur, Eucharistiam in ratione Sacrificij offerri pro inbaptizatis nō posse vel ex se se, vel ex prohibitione Ecclesiæ, arguetur inefficaciter ex Eucharistia in ratione Sacramenti ad eandem-met in ratione Sacrificij. Necesse igitur erit, vt Vazquez, eiusque sequaces afferant argumentum, quo probent, non posse Missam offerri pro non baptizatis.

39 Ad quartum dico, Sanctum Augustinum loqui de defunctis solis, qui non sunt membra Christi, eo quòd nec fluminis, nec flaminis Baptismum habuerint in vita, neque hanc pro Christo amiserint. Si velis, S. Augustinum loqui etiam de viuis, dico, intelligendum esse S. Doctorem, quatenus viuis, qui non sunt membra Christi per fidem, & charitatem, vt explicat S. Thomas in eo articulo 7. nequeat Missa ex opere operato prodesse quoad satisfactionem, atque ideo pro eis nequeat tota Missa offerri, vt includit etiam fructum satisfactorium. Multi interpretantur S. Augustinum, vt non excludat viuos, qui si non actu, saltem potentia ad fidem, & charitatem sint membra Christi, quales quidem sunt infideles. Et pro hac interpretatione adducunt S. Thomam in 4. Dist. 12. q. art. & quęstiūcula 2. ad 4. Sed certè S. Augustinus intendebat excludere aliquos à Sacrificij oblatione, ita vt nō fieret pro eis; nescio autem, quos excluderet iuxta hanc expositionem, nullus enim est homo viuus, qui non sit membrum Christi in potentia ad fidem, & charitatem, & qui absolutè non possit fieri membrum Christi in actu. Sanctꝰ Thomas non intelligit S. Augustinum de membris Christi in potentia ad fidē, & charitatem; sed de membris in actu fidei, & in potentia ad charitatem, vt perspicuum erit expendenti totum cōtextum quæstiunculæ secundæ, in qua agit de remissiua peccati mortalis vi per Eucharistiam, & respondet ad rationem, quam in argumento *Sed contra* sic proposuerat, *Sed contrà. Augustinus ad Renatum, Quis offerat corpus Christi, nisi pro his, qui sunt membra Christi? Sed illi, qui sūt membra Christi, non habent peccatum mortale. Ergo virtute huius Sacramenti non delentur mortalia.* Sic in argumento *Sed contrà* Angelicus Doctor. Qui quando in articulo 7. ait, *Vnde in Canone Missæ non oratur pro his, qui sunt extra Ecclesiam*, respicit eò, vt personis non baptizatis Missā quoad satisfactionem non prodesse significet, nisi coniungantur Christo per fidem, & charitatem, vti possunt coniungi Catechumeni aliqui. Sed incidenter S. Thomas apertè docet, non orari in Canone Missæ pro infidelibus. Quod accipio de oratione directa, non autem de indirecta, iuxta declarationem præmissam fundamentis septimæ nostræ Conclusionis. Obserue hìc, Ecclesiam Lugdunensem circa annum 850. in libello de tenenda immobiliter veritate sanctæ Scripturæ tomo 9. Bibliothecæ VV. PP. parte 1. pag. 1095. & 1096. ex editione Coloniæ Agrippinæ videri indicasse non posse offerri Sacrificiū Missę pro infidelibus, imò neque pro fidelibꝰ Catechumenis siue viuis, siue defunctis, probareque id authoritate S. Augustini in verbis superioribus. Sed Andreas Duvallius interpretatur de publica, & solemni oblatione, nam priuatim nihil obstat, quominꝰ Sacrificium quoad fructum impetrationis offeratur pro non baptizatis, qui non abierint iam in Infernum.

40 Censura Dominici Soti, quòd ✲ esset error, Capellaniam instituere, aut Missas pro infidelibus, ✲ neutiquàm nos lædit, quanquam aduersus nostram sententiam citetur Sotus à Patre Vazquez, Theologo aliàs diligentissimo in examinanda Authorum mente. Prodeant Soti verba, ✲ Verumtamen (inquit ille) quanuis eadem Ecclesiæ generalitate scelesti quoque, & criminosi Christiani contineantur, nulli tamen charitate carentes participes eiusdem Sacrificij fiunt, quatenus satisfactorium est, nam satisfactio remissionem præexigit culpæ. Vnde ad Renatū Augustinꝰ, &c. Vbi certè de viuis mēbris loquitur. Nihil tamen obstat, quominus pro illis, qui hæretici non sunt, nec legitimè excommunicati, orationes inibi fiant. Ea propter error esset Capellaniam instituere, aut Missas pro infidelibus. Qui quidem casus ad me, de quo responderem, allatus est. Nam instituere Missam, est instituere vt Sacrificium pro illis offeratur; atq; adeò eius applicetur eis satisfactio, quod nefas esset. Nihil tamen vetat instituere, vt oratio in Missa pro eorū conuersione fundarur. ✲ Sic ibi. Et in 4. Dist. 11. q. 2. art. 7. in 2. argumento ait, ✲ Secundò, quòd sequeretur, nunquam licere

cere offerre Missam pro infidelibus, aut hæreticis : & tamen reperi nonnullos sic esse affectos ad infidelium cõuersionem, vt Missas faciant pro illis offerri:: Ad secundum conceditur illatum, scilicet non posse authoritate publica Ecclesiæ, qua vtitur in Sacris Sacerdos, offerri Sacrificium altaris pro infidelibus, quia non sunt eius fructus capaces; atque adeò nec pro hæreticis, quia fide carent. Imò neque pro excommunicatis, quia Ecclesia prohibet. Nisi in die Parasceue, quãdo speciali gratia Ecclesia omnes in horam absoluit, vt possit pro eorum conuersione orari. Orationibus tamen priuatis, atque alijs diuersis oblationibus cuiuis licet pro huiusmodi infideliũ conuersione preces Deo fundere. * Hactenus Sotus, qui in primo loco manifestè habet sermonem de institutione, & oblatione Missæ pro infidelibus, non vt impetratoriæ, sed vt satisfactoriæ, quo posteriori modo applicari posse pro illis, negat, & non priori. Eundem sensum seruat in secundo loco. Et quanuis non tam clarè exprimat, ac in primo loco; nihilominus ex præcedentibus, præsertim ex V. *Sed per contraris*, clarescit omnino Soti sensus conformis cum doctrina primi loci. Fateor, Sotum procedere scrupulosè nimis in eo, quòd dicat, non posse sine errore institui Capellaniam, aut Missas pro infidelibus. Enimverò si sic instituantur, vt offerendæ sint pro infidelibus, non quatenus satisfactoriæ, sed quatenus impetratoriæ, nullus erit error in institutione, sicut neque in ea, quæ fieret, vt dicerentur Missæ pro fidelibus peccatoribus vt impetratoriæ, & non vt satisfactoriæ.

41 Argumentaberis quartò, quia in Canone Missæ, & in Concilio Tridentino non obscurè indicatur, Missam offerri pro solis fidelibus. Dicitur enim in Can. *Quæ tibi offerimus pro Ecclesia tua sancta Catholica: & omnib⁹ Orthodoxis, atque Catholicæ, & Apostolicæ fidei cultoribus*, &c. In Tridentino etiam dicitur Sess. 22. C. 2. *Non solùm pro fidelium viuorũ peccatis :: sed & pro defunctis in Christo, nondum ad plenum purgatis, ritè iuxta Apostolorum traditionem offertur.* C. 6. *A publico Ecclesiæ Ministro, non pro se tantùm, sed pro omnibus fidelibus, qui ad corpus Christi pertinent, celebrantur Missæ*, &c. Ad hæc: in Ecclesiasticis codicibus Missarũ ordinem, & formulam continentibus non extat aliqua Missa instituta pro infidelium conuersione; neq; potest afferri quidpiam, vnde innotescat, Ecclesiã nunc offerre Sacrificium pro illis. Ergo nec poterit nunc Sacerdos offerre pro illis, nomine saltem Ecclesiæ, & vt eius Minister. Ita P. Azor tomo 1. Lib. 10. C. 22. q. 1. Confirmabis ex eodem, & ex Vazquio, nam Ecclesia in solo die Parasceues orat expressè pro infidelibus, & in alijs diebus potiùs petit, vt conterantur. Quo significat, se nole, sed potiùs prohibere, quòd fiant orationes publicæ pro infidelibus, & à fortiori quòd pro illis offeratur Sacrificiũ Missæ. Respondeo, verum quidem esse, totam Liturgiam, quæ nunc est in vsu Latinę Ecclesię, referri directè ad fideles; sed tamen licebit, per intentionem Sacerdotis applicare Sacrificiũ pro conuersione infidelium, modò in precibus recitandis non addatur priuata authoritate quidpiam ad Missam. Hoc eodem modo respondet Bellarminus Lib. 2. de Missa C. 6. in fine; & proximè anteà dixerat, esse licitum, offerre expressè pro Rege Pagano, siue Ethnico in locis, vbi dominatur. Docet id ipsum Suarez D. 78. sect. 2. Vers. *Est autem.* Sed addit, * Erit tamen consultius, & consuetudini Ecclesiæ magis consentaneum, nũquàm expressè nominare aliquam personam infidelem, ita vt ab alijs audiri possit, ne fortasse scandalum aliquod, aut admirationem ingerat. * Quę Suarij additio mihi placet. Ideò autẽ nunc licet, quod diximus, quia non constat de Ecclesiæ prohibitione; neque hæc sufficienter colligitur ex eo, quòd Ecclesia in precibus, & orationibus Liturgiæ nunc vsitatæ non faciat expressam de infidelibus mentionem. Atque vt Sacerdos in priori *Memento* applicet secretò Missam pro infideli viuo, vt Minister Ecclesiæ, & eius nomine, non est opus, quòd in precibus, & orationibus Liturgiæ faciat Ecclesia expressam mẽtionem de eo, siquidem communiter offeramus Sacra pro singularibus personis, de quibus prorsus silet Ecclesia. Ad confirmationem concedo, esse ab Ecclesia prohibitas in Officijs diuinis orationes publicas pro infidelibus, excepto Officio Feriæ sextæ in Parasceue, nam eo ipso quòd Ecclesia tales orationes non tradiderit, & approbauerit, non licet

cet Sacerdotibus, priuata authoritate componere, vt recitent in Missa; sed hinc minimè infertur, non licere ipsis, orare secretò pro infidelibus, & applicare pro eisdem Missam, nam particularis applicatio relicta est arbitrio, & voluntati Sacerdotum, quin constet de exceptione facta ab Ecclesia quoad applicationem pro infidelibus. S. Franciscus Xauerius paulò ante consumptionem adhibebat pro eis quandam precationē ab se compositam, quam in ipsius vita referunt Horatius Tursellinus L. 4. C. 7. Lucena L. & C. 5. Petrus de Guzmā Lib. 6. C. 5. Thomasque Tamburinus Lib. 2. de Missa C. 5. §. & num. 3. cui difficilis fuit additio illius orationis, & alicui difficilior exinde videbitur, quòd pro Gentilibus. Sed respondet Tamburinus, fecisse vel ex diuina inspiratione, vel tanquam Legatum Summi Pontificis, vel ab hoc obtenta expressa facultate; quod vltimum traditur asseueranter ab Antonio de Herrera in Origine, & progressu rituum Missæ Lib. 1. C. 13. num. 1. sed vnde acceperit, ignoro. Si tamen ita sit, cessat omnis difficultas. Sunt, qui putant superari dicendo, S. Franciscum Xauerium fecisse id ante prohibitionē, quæ habetur in Cōcilio Tridentino Sess. 22. in Decreto de Obseruādis, & evitandis in celebratione Missæ, & in Bulla Pij V. præfixa Missali. Cæterùm extant antiquiores aliæ prohibitiones, de quibus in D. 28. quāquàm forsan receptæ non erant cum tāto rigore, ac nunc temporis. Prætereà adiectio orationis, quæ pro infidelibus recitaretur in Missa, tunc etiam temporis singulare quid fuit.

42 Argumentaberis quintò, nō est data potestas visibili Ecclesiæ nisi ad pascendos illos, qui sunt eius membra per Baptismum. Sed vnum ex medijs, quibus Ecclesia potest pascere homines, est Sacrificium Missæ, applicando immediatè eis fructum ipsius. Ergo non potest per ipsum pascere homines non baptizatos, & infideles. Hoc argumento vtitur Cardinalis de Lugo D. 19 sect. 10. num. 166. vt probet, non cōmunicari præfatis hominibus fructum satisfactionis ex opere operato Sacrificij Missæ. Sed quāquam ego consentiā cum Cardinali de Lugo quantùm ad id, vt satisfactionis fructus ex opere operato non prosit infidelibus, neque Catechumenis fide præditis, sed gratia habituali carentibus, proposui in hoc loco istud argumentum, quia videtur tendere æquè contra fructum impetrationis ex opere operato, seu contra fructum impetrationis comparabilem ex Sacrificio prout applicabili per Sacerdotem, tam nomine Christi, quàm Ecclesiæ; qui fructus est independens à bonitate, & meritis Sacerdotis offerentis, & hac ratione vocatur ex opere operato; tametsi non sit independens à bonitate, & meritis tam Christi, quàm Ecclesiæ, & ratione dependentiæ à bonitate, meritisque Ecclesiæ, & ob carentiam infallibilis promissionis Christi Domini de consequendo semper, & omne, quod petatur à Sacerdote vt Ministro etiam ipsius Christi, non vocatur ore pleno ex opere operato, prout peritè declarat idem Purpuratus Doctor sect. 9. à num. 122. vsque ad 133. Et in num. 126. aduertit, impediri præfatum fructum impetrationis nomine Ecclesiæ, quoties Sacerdos, qui celebrat, est excommunicatus, quia Ecclesia non vult, per illum Ministrum offerre, neque orare, & proinde neque impetrare; atque adeò præfatus fructus continetur intra potestatē Ecclesiæ. Quapropter ad argumentum nego, solos illos, qui sunt Ecclesiæ visibilis membra per Baptismum, posse latè, & amplè pasci ab eadem Ecclesia per Missę Sacrificium quoad fructum satisfactionis, & impetrationis ex opere operato; possunt enim per vtrumq; fructum pasci non baptizati, si sint in statu gratiæ; si autem non sint, possunt pasci per fructum impetrationis; & vt Eminentissimus Lugus fatetur id posterius, tenetur fateri & illud prius, aut saltem suo argumento non conuincit falsitatis illud prius; estque argumentum eius conditionis, vt debeat respōdere ad ipsummet, si efformetur (vt pari iure potest) contra fructum impetrationis ex opere operato. Scripsi suprà, alios, præter quàm baptizatos, posse latè, & amplè pasci ab Ecclesia per Missæ Sacrificium, quia applicatio huius Sacrificij non est propriè, & in rigore actio pascēdi, vt docet idemmet Cardinalis n. 172. alioquin non posset fieri nisi à Prælato, vel Pastore illius, cui fit applicatio, indeque sequeretur, non posse ab Ecclesia applicari fructum Missæ pro anima existente in Purgatorio. Quæ sequela heterodoxa est.

Sed

43 Sed videamus, quibus rationibus tueatur ille in numero 179. Sacrificium Missæ quoad vim impetrationis, quam habet nomine Christi, posse offerri pro non baptizato, siue viuo, siue defuncto existente in Purgatorio. Affert geminam rationem, alteram à posteriori, alteram à priori. Quæ à posteriori est, hunc in modum se habet: Sacrificium Missæ, vt impetratorium, offerri potest pro quacumque re à Deo iustè obtinenda, vt pro pluuia, profructibus, pro pecoribus, vt constat ex Concilio Tridentino Sessione 22. Can. tertio. Mirum autem esset, quòd posset offerri ad impetrandam sanitatem boui, aut equo; non tamen ad impetrandam salutem spiritualem filio, vel amico non baptizato. Cæterùm etsi ego teneam eandem sententiam, non fiderem multùm in hac ratione, non enim ex ea probatur, posse Missam quoad fructum impetrationis offerri directè pro infidelibus; sed indirectè, quatenus salus spiritualis eorum cedat in bonum patris, vel amici fidelis, pro quo directè offeratur Missa. Nec quando dicitur hæc offerri ad impetrandam sanitatem boni, aut equo, offertur alio modo, quàm quia sanitas bouis, aut equi est vtilis domino, pro quo directè applicatur Missa. Ratio à priori Cardinalis de Lugo est istiusmodi, ✻ Impetratio non respicit immediatè personam, cui confertur beneficium, sed illam, quæ postulat; vnde qui petit sanitatem equi, non dicitur offerre pro equo, sed pro se, vt impetret sibi immediatè illud beneficium. Cum ergo non sit minus beneficium offerentis salus spiritualis filij, vel amici non baptizati, quàm sanitas equi, potest etiam offerre ad illam impetrandam. Quanuis ergo immediatè non posset offerri Missa pro non baptizato, quia ipse capax non est fructus huius Sacrificij, poterit offerri pro baptizato, qui postulat, tanquam beneficium proprium illud, quod non baptizato confertur. ✻ Sed certè hæc ratio non probat, posse directè offerri Missam pro non baptizato, quoad fructum impetrationis; & deberet quidem adduci ratio, quæ id probaret; nam quòd possit indirectè offerri Missa pro non baptizato, non negatur à Vazquio, neque ab vllo alio, contrà quem agat Eminentissimus. Dicet quis, quæstionem de re esse, an per Missam possit ex opere operato impetrari infideli aliquod bonum spirituale, vel temporale, quouis modo ordinetur illud ad vtilitatem Sacerdotis, aut aliorum cooperantium Missam. Fateor, circa hoc punctum verti cardinem quæstionis. Ast ratio Cardinalis de Lugo abstrahit ab hoc puncto, vt patet ex illis verbis, ✻ Quanuis ergo &c. Et hæc satis de Conclusione septima.

CONCLVSIO VIII.

Nec nomine Christi, neque Ecclesiæ offerre directè licet Sacrificium Missæ pro excommunicato vitando, ita vt pro illo in particulari fiat oblatio.

44 CONVENIVNT omnes Doctores in hac Conclusione, quę probatur tum ex C. *Anobis* 28. C. *Sacris* 38. *de sententia excommunicationis*; ex variisque aliis Capitibus Causa 11. quæstione 3. tum ex eo, quòd excommunicatio maior est priuatio communium orationum, ac suffragiorum Ecclesiæ, inter quæ principem locum tenet Sacrificij Missæ oblatio pro aliquo: nec cum excommunicato non tolerato innouauit quidpiam Synodus Constantiensis. Dixi in Conclusione, *ita vt pro illo in particulari fiat oblatio*, in quibus verbis respexi ad opinionem quorundam, qui affirmarunt, licitum esse offerre Missam pro excommunicatis vitandis, dummodò oblatio fiat generaliter, quin aliquis nominetur in particulari; dummodò item fiat tantùm ob impetrandam eis reductionem ad obedientiam Ecclesiæ. Pro hac opinione citat Henriquez Lib. 9. Cap. 21. §. 6. in Glossa, littera K. Hostiensem, Summam Confessorum, Syluestrum, Tabienam, Armillam. Refert eosdem Dicastillus Tract. 5. D. 2. dub. 3. num. 69. & similiter Stephanus de Abila Tractatu de Censuris parte 2. C. 6. Disputatione 9. dubio 3. additque alios, imò & Sanctum Thomam in 4. Distinctione 18. quæstione 2. artic. 1. quæstiuncula 1. nam cũ proposuisset S. Doctor primo loco istud argumentũ, *Videtur, quòd incõ-*

petens sit hæc diffinitio excommunicationis à quibusdam posita, Excommunicatio est separatio à communione Ecclesiæ, quoad fructum, & suffragia generalia. Suffragia enim Ecclesiæ valent eis, pro quibus fiunt. Sed Ecclesia orat pro eis, qui extra Ecclesiam sunt, sicut pro hæreticis, & paganis. Ergo & pro excommunicatis, qui extra Ecclesiam sunt; & sic eis suffragia Ecclesiæ valent. Respondet Sanctus Doctor, *Pro infidelibus oratur; sed ipsi fructum orationis non percipiunt, nisi ad fidem conuertantur. Similiter & pro excommunicatis orari potest, quauis non inter orationes, quæ pro membris Ecclesiæ fiunt; & tamen fructum non participant, quandiu in excommunicatione manent; sed oratur, vt detur eis spiritus pœnitentiæ, vt ab excommunicatione soluantur.* Hæc Sanctus Thomas; quibus expensis, ait Abila, ✲ Licet à nonnullis Thomistis explicetur, quòd Sanctus Thomas loquitur de oratione priuata, sed ex contextu constat apertè, eũ loqui de generalibus suffragijs Ecclesiæ. ✲ Sic Abila. Sed tamen S. Thomã, & præcitatos alios Authores explicat, & sequitur Suarez tomo 5. in 3. p. D. 9. sect. 5. n. 4. insensu conuenienti, de quo nos posteà. Nunc dicimus, videri improbabilem illam opinionem in sensu, in quo refertur, tam quoad Catholicos, quàm quoad Hæreticos excommunicatos non toleratos. Nam excommunicatio maior debet esse orationum, & suffragiorum omnium communium priuatio tam respectu plurium in communi, si plures innodentur excommunicatione, quàm respectu vnius solius, si contingeret, vnum solum ea ligari. Præterea in C. *Si quis Episcopus* 3. 11. q. 3. dicitur, *Si quis Episcopus, aut Abbas Presbytero, aut Monacho suo iusserit, Missas pro hæreticis cantare, non licet; non enim expedit obedire eis.* Ita ibi.

45 Rogabis, quodnam sit peccatum offerre Missam pro excommunicato vitando, non secus ac pro quouis alio fideli? Respondeo contra Martinum Ledesmium 2. parte 4. q. 23. art. 1. fol. 333. allegantem pro se, sed immeritò, S. Thomam, esse mortale, quia si aliqua in diuinis communicatio cum excommunicato est illicita grauiter (vti re vera est) maximè hęc; & quia prohibitio Ecclesiastica non offerendi Missam pro excommunicato est de re graui ex genere suo.

46 Rogabis rursus, an si excommunicatus existat iam in statu gratiæ, quanquam citra culpam suam non fuerit absolutus, liceat pro eo Missam offerre? Respondeo, non magis licere, quàm si excommunicatus permaneret impœnitens, & contumax, nam cum excommunicatio maior non cesset, neutiquam desinet communium orationum, & suffragiorum priuatio, quæ eius est quasi primarius effectus. Si dicatur, esse satis, quòd perseuerent alij effectus exteriores, vt priuatio Sacramentorum, & sepulturæ. Contrà, quoniam defuncti excommunicati absoluuntur adhuc post sepulturam ab Ecclesia, prout constat ex suprà citato Capite *A nobis*; & tamen non absoluuntur nisi in ordine ad hoc, vt participent suffragia Ecclesiç, non enim iam possunt suscipere Sacramenta. Ergo signum est, priuatos per excommunicationem fuisse suffragijs illis, quandiu post mortem etiam durabit excommunicatio, tametsi supponatur, obijsse in statu gratiæ, aliàs non absoluerentur ab Ecclesia post mortem; ipseque textus clarè dicit, obijsse in gratia excommunicatum, de quo ibi est sermo. En verba textus, *A nobis est sæpe quæsitum, vtrùm si aliquis excommunicatus, in quo indicia fuerint pœnitentiæ manifesta, nec per eum steterit, quominus reconciliaretur Ecclesiasticæ vnitati, non suscepto beneficio absolutionis decesserit, pro absoluto ab Ecclesia sit habendus; & vtrùm pro tali recipienda sit eleemosyna, & à fidelibus sit orandum?* &c. Similiter in Capite *Sacris* de excommunicato quodam absoluendo post mortem dicitur, *Si de ipsius viuentis pœnitentia per euidentia signa constiterit.* Certè, si ante absolutionem gaudebant communibus Ecclesiæ suffragijs, & priuatis cuiuscumque fidelis (nam his secundis nunquam priuat excommunicatio præcisè) impenderetur frustrà beneficium absolutionis. Confirmo resolutionem datam, tum quia Ecclesia primò, & per se non priuat per excommunicationem nisi illis bonis, quę ab ipsa dispensantur primò, & per se: talia autem sunt suffragia communia; & in respectu ad horum tantùm priuationem sufficienter saluaretur ex multorum iudicio essentia excommunicationis, circumscripto quouis alio: tum quia alioqui fas foret excõmunicato contrito celebrare occultè, seclu-

seclusoque scandalo ; fas etiam foret recipere Sacramenta ex præsumpta intentione Ecclesiæ, nam excommunicatio non magis affert priuationem horum effectuum, quàm illius alterius, de quo disputamus, magisque interest excommunicati contriti non carere celebratione (si Sacerdos sit) & receptione Sacramentorum, quàm non priuari communibus orationibus, atque suffragijs. Fas similiter foret ei, qui ob delictum contraxit irregularitatem, gerere se, ac si non esset irregularis, quando de delicto haberet posteà contritionem. Insuper si rectè expendantur CC. *A nobis*, & *Sacris*, vix videbitur relictus dubitationi locus, quandoquidem in posteriori Capite decernatur de quodam excommunicato, vt si occumbat in bello, *Non sint absolutiones, vel oblationes recipiendæ pro eo, vel orationes Domino porrigendæ, nisi cum de ipsius viuentis pœnitentia per euidentia signa constiterit.* Vides, vt ad absolutionem primo loco memoratam requirantur huiusmodi signa ; quo innuitur, non esse transeundum ad oblationes, & orationes, nisi post absolutionem. In priori Capite rogatus fuit Pontifex de duobus circa excommunicatum, qui decessit cum manifestis pœnitentiæ indicijs, quin per ipsum steterit, quominus reconciliaretur Ecclesiasticæ vnitati; vnum erat, *an habendus esset pro absoluto ab Ecclesia* ? Alterum, *an pro tali recipienda, esset eleemosyna, & à fidelibus esset orandum* ? Respondit autem Pontifex, debere absolui ab Ecclesia, vt qui anteà non esset absolutus ; significauitque eo ipso, non esse recipiendam eleemosynam, neque orandum pro homine illo, nisi post præstitam ab Ecclesia absolutionem ; alioqui curtum, & diminutum fuisset responsum Pontificium. Omitto aliud, quod habetur in Capite *Cum desideres* sub eodem titulo, vbi dicitur, nec Episcopum, nec alium debere communicare ei, de quo constiterit fuisse excommunicatum, nisi absoluatur secundùm formam Ecclesiæ. Omitto, inquam, nam quæ expendi, sunt meo iudicio peremptoria : & procedunt, etam si excommunicatus non fuerit vnquam in mora, quominus absolueretur. Nec obstat, quòd homo excommunicatus iam resipiscens, & contritus membrum sit Christi per charitatem, & obediens Ecclesiæ filius. Vt enim satis est ad excommunicationis perseuerantiam præcedens peccatum cum contumacia coniunctum, licet iam ad pœnæ priuationis communium orationum, ac suffragiorum. Addo, continuari hanc pœnam ab Ecclesia, vt terrori sit alijs, & ne vigor Ecclesiasticæ disciplinæ eneruetur. Nostram resolutionem approbant Suarez Disputatione 9. de Censuris, tota sectione 3. Gibalinus Disquisit. 7. de Censuris, quæst. 2. propos. 1. numero 19. cum Soto, Alano, Conincho, Gaspare Hurtado, Laymano, Alterio ; estque communis inter Theologos ; ideoque supersedeo à recensendis alijs ; quanuis non desint, qui reclament ex prætextu pietatis Ecclesiæ.

47 Rogabis iterùm, an pro iniustè excommunicato possit offerri Sacrificium Missæ? Respodeo cum distinctione, si sit validè excommunicatus, offerri pro eo licitè non poterit Sacrificium Missæ, secus si sit inualidè excommunicatus. Prioris partis eadem ratio est, quæ præstita à nobis fuit ad interrogationem proximam, nam ex accidentali defectu iniustitia, quæ non tollat validitatem excommunicationis, neutiquam tollet eius effectum primarium, qui est priuatio communium suffragiorum, & orationum Ecclesiæ. Posterioris partis ratio est, quia vbi causa non subsistit, debet non subsistere eius primarius effectus. Neque credibile est, Ecclesiam velle, vt in speciem excommunicatus priuetur fructu Sacrificij, si offeratur pro illo ; quanquam fatendum est, velle, ne fiat publicè, si immineat scandalum. Nec opponat quis, si collatio beneficij facta sic excommunicato declaretur irrita, priuatur illo non secus, ac si esset validè excommunicatus. Ergo stare potest aliquis effectus excommunicationis, quãdo hæc tantùm est penes existimationem. Nam prestò est solutio, quippe priuatio beneficij non inducatur tunc vi excommunicationis, sed ob commune bonum Ecclesiæ, ne ad alium transeat inualidè. Ast nullum sequitur detrimentum communis boni Ecclesiæ, si cum substantiali defectu excommunicatus participet fructum

Sacrificij oblati pro ipso. Posterior hæc pars tam recepta est apud Theologos, vt me tæderet, numerare pro ea aliquos in particulari. Circa priorem consulantur Gibalinus suprà numero 20. Raynaudus parte 2. de Monitorijs Cap. 2. numero 35. Cap. 20. ex numero 1. vsque ad 9. Neque contra eam dicas, fieri posse ab Ecclesia, vt, salua persistentia censuræ, impediantur plures eius effectus, imò & omnes, siquidem tam censura, quàm effectus ipsius ortum habeant ex institutione iuris humani Ecclesiastici, etsi potestas ferendi censuram nascatur ex diuino Iure Christi. Cur ergo non putabimus suspensam priuationem communium suffragiorum, & orationum, quando quis iniustè, tametsi validè, excommunicatur? Etenim ideo non sic iudicamus, quia non habemus argumentum, quo moueamur ad id, imò è contra habemus multa, eaque valde efficacia, vt visum est in solutione disquisitionis antecedentis, ad persuadendum nobis, Ecclesiam de facto velle oppositum.

CONCLVSIO IX.

Sacrificium Missæ offerri licitè potest pro excommunicato non vitando.

48 ID est, pro omni excommunicato, qui nec sit nominatim denunciatus, nec notorius Clerici percussor. Ita multi, grauesque Authores apud Dianam parte 5. Tractatu 9. Resolutione 74. apud Leandrum 2. parte Tractatu 8. Disputatione 2. quæstione 10. parte 4. Tractatu 2. D. 3. quæst. 12. & apud Cardinalem de Lugo Disputatione 19. sectione 10. numero 187. quibus ipse subscribit, vt & Gibalinus suprà numero 22. Garcia de Excellentijs Sacerdotij Tractatu 3. Diff. 1. dubio 6. puncto 3. numero 36. Thomas Tamburinus Lib. & Cap. 2. de Missa, §. 4. numero 8. Castro Palao parte 6. Disputatione 2. puncto 6. numero 10. Martinonus Disputatione 59. de Censuris sect. 4. numero 43. Sed Cardinalis de Lugo malè citat Abilam parte 2. Cap. 6. Disputatione 9. dub. 6. Couarruuiam in Cap. *Alma mater* parte 1. §. 4. nam Abila potiùs ibi in §. *Neque obstat primò*, ab absurdo argumentatur, quòd liceret offerre Sacrificium Missæ pro excommunicatis toleratis, si fas esset orare publicè pro eis; & in Disputatione 4. dub. 1. Concl. 2. satis expresserat suam mentem contrariam nostræ. Couarruuias autem in §. illo 4. non habet vllum verbum fauens; quin imò §. 6. numero 4. renuere videtur Conclusioni nostræ, allegaturq; ibi contra eam ab Abila. Probatio Conclusionis pendet ex Iure nouo Concilij Constantiensis, quod *Ad euitanda scandala, & multa pericula, subueniendumque conscientijs timoratis, statuit, quòd nemo deinceps à communione alicuius in Sacramentorum administratione, vel receptione, aut alijs quibuscumque diuinis, vel extrà, prætextu cuiuscumque sententiæ, aut censuræ Ecclesiasticæ, seu suspensionis, aut prohibitionis ab homine, vel à iure generaliter promulgatæ teneatur abstinere, vel aliquem vitare, aut interdictum Ecclesiasticum obseruare, nisi sententia, prohibitio, suspensio, vel censura huiusmodi fuerit in, vel contra personam, Collegium, Vniuersitatem, Ecclesiam, aut locum certum, aut certam à iudice publicata, vel denunciata specialiter, & expressè. Saluo, si quem prosatrilega manuum iniectione in Clericum sententiam latam á Canone adeò notoriè constiterit incidisse, quòd factum non possit aliqua tergiuersatione celari, neque aliquo suffragio excusari. Nam à communione illius, licet denunciatus non fuerit, volumus abstineri iuxta Canonicas sanctiones. Per hoc tamen huiusmodi excommunicatos, suspensos, interdictos, seu prohibitos non intendimus in aliquo releuare, nec eis quomodolibet suffragari*. Hactenus Extrauagans Concilij Constantiensis recepta ab vniuersali Ecclesia, & vsu probata, atque à Martino Quinto Pontifice Maximo edita, aut confirmata: iuxta quam nemo iam tenetur abstinere à communione in quibuscumque diuinis cum excommunicato, neque eum vitare, nisi excommunicatus sit nominatim denunciatus, vel notorius Clerici percussor. Tunc sic: offerre Missam pro aliquo, est communicare cum illo in diuinis. Sed iam fas est communicare in diuinis cum excommunicato tolerato, vt patet ex transcripta Extrauaganti. Ergo fas etiam erit, offerre Missam pro excommunicato tolerato. Maior sola desiderat

derat probationem; hæc autem habetur ex C. *A nobis*, in quo publica oratio, & oblatio Sacrificij pro aliquo vocatur communicatio cum illo. Vnde Doctores antiqui in Tractatu de Excommunicatione exponentes vulgatum versum continentem illa, in quibus vitare debemus excommunicatum, nempe,

Os, orare, vale, communio, mensa negatur,

agebant circa particulam *orare*, num liceret orare publicè, & offerre Missam pro excommunicato? Sicque indicabant, non solam orationem publicam, & oblationem Sacrificij, cum, aut coram aliquo, sed etiam pro aliquo, esse communicationem, Ecclesiastico sensu, cum illo. Quam obseruationem debeo Abilę suprà D. 9. dubio 4. Præterea in Concilio Arelatensi 2. Can. 12. dicitur, *De his, qui in pœnitentia positi vitam excesserunt, placuit, nullum communione vacuum debere dimitti, sed pro eo, quòd honorauit pœnitentiam, oblatio eius recipiatur.* Vbi communionis nomine vocatur admissio panis, & vini, quę offerebantur à cognatis pœnitentis defuncti, vt Sacrificium pro eo offerretur. Legatur Albaspinęus L. 1. Obseruationum de Veteribus Ecclesiæ ritibus in Obseru. 1. in qua probat communionis, & communicandi nomine societatem in rebus sacris significari ex antiquo Ecclesiæ vsu. Quid? quod publica oratio, & oblatio Sacrificij pro aliquo pertinet ad communionē Sanctorum. Nihil ergo mirum, si communicationis nomenclatura ei tribuatur. Et mirum esset, non tribui, siquidem sepultura in loco sacro communi ad fidelium cadauera nuncupetur communicatio in Cap. *Sacris* 12. de Sepulturis, vbi dicitur, *Sacris est Canonibus institutum, vt quibus nō communicamus viuis, non communicemus defunctis: vt careant Ecclesiastica sepultura, qui priùs ab vnitate Ecclesiastica præcisi, nec in articulo mortis Ecclesiæ reconciliati fuerint.* Sic ibi. Iam verò si in sensu proprio communio cum aliquo comprehendit oblationem Sacrificij pro illo, cur fauor Concilij Constantiensis, permittentis communionem in diuinis & indiuinis quibuscumq; non extendetur ad oblationē Sacrificij, præsertim cum fauores sint ampliandi, quantùm verborum proprietas patiatur sine tertij præiudicio? Sed vt resumamus exemplū sepulturæ, præbet ea nobis non contemnendum argumentum, nam post Concilium Constantiense non denegatur sepultura Ecclesiastica excommunicato tolerato, vt fatentur Suarez tomo 5. in 3. par. D. 12. sect. 4. n. 5. & alij, qui nostræ Conclusioni aduersantur. Sed eo ipso, quòd permittatur Ecclesiastica sepultura, intelliguntur concessæ orationes, & oblationes Missarum pro sepulto in loco sacro, * Nam ob hanc præcipuè causam fideles in locis sacris sepeliuntur, vt participes fiant suffragiorum, & orationū fidelium, quæ in illis locis fiunt, * vt ait Suarez suprà num. 2. Ergo &c.

49 Dices, facultatem ad sepulturam neutiquam esse fauorem erga excommunicatum mortuum, non enim potest sepelire se ipsum; sed erga alios fideles. Ast facultas ad orationes, & Sacrificia Missarum pro excommunicato est fauor omnino erga hunc; cum tamen Concilium Constantiense non intenderit in aliquo releuare excommunicatum, neque ei quomodolibet suffragari. Sed contrà primò, quia sicut sepultura in loco sacro est communicatio corporis mortui cum fidelibus, quatenus eandem personam semper repræsentat, & ad eandem animam refertur corpus mortuum, supponitque in viuente ius ad tale genus sepulturæ; ita etiam est fauor corporis mortui, quanquam non directè, sed indirectè. Contrà secundò, quia facultas ad exorandum, & offerendum pro excommunicatis non potest non esse directè fauor erga eos, quibus conceditur, tametsi indirectè sit fauor respectu illorum, pro quibus oretur, & offeratur; sicut respectu eorundem est etiam indirectè fauor, quòd liceat alijs conuersari cum eis, & petere ab eis Sacramenta. Contra tertiò, quia Concilium Constantiense solummodò intendit, non suffragari quomodolibet excommunicato, neque releuare in aliquo, quod ipsi tantùm excommunicato esset fauor, vel quod ipsi esset fauor directè, vel quod fieret in ipsius gratiam. Moderatio autem Iuris antiqui, vt liceat pro excommunicato orare, & offerre, non est fauor tantùm respectu excommunicati, imò non nisi indirectè est fauor respectu illius, neque est facta in eius gratiam, sed in aliorum fidelium; quippè voluit Concilium, vt sic

possent se in diuinis, & humanis gerere cum excommunicato non denunciato nominatim, nec notorio Clerici percussore, ac si non foret excommunicatus. Et is quidem videtur fuisse animus Concilij. Vt verò sic possint se gerere, opus est, ne perseueret prohibitio orandi, & offerendi pro excommunicato. Nec alio modo euitabuntur facilè scandala, ac pericula, subuentumq; erit conscientijs timoratis. Quid enim faciet Sacerdos, si eius Missæ assistat (vt potest euenire) excõmunicatus toleratus? Omittet, necne, orationes, in quibus oratur pro præsentibus, verbaque illa Canonis, *Et omnium circumstantium:: pro quibus tibi offerimus hoc Sacrificium*; vel si non omissurus sit, debebit, necne, pronunciare, restringendo mentaliter sensum ad fideles præsentes non excommunicatos? Cæterùm cum Ecclesia non iubeat, ne tunc dicantur, neque admoneat, qua restrictione mentali sint dicenda, videtur potiùs velle, vt dicantur, eodemque sensu, quo in alijs occasionibus, proindeque quatenus significant oblationem pro circumstantibus, etiamsi contingat, aliquem ex illis esse excommunicatum toleratum. Insuper si post Concilium Constantiense fas est, orare coram, & cum excommunicato tolerato, quidni & pro illo? Est enim ex se maior communicatio orare coram, & cum aliquo, quàm pro aliquo, præsertim si ille, pro quo oratur, sit absens. Multæque orationes publicæ institutæ ab Ecclesia, vt dicantur coram, & cum alijs, sunt etiam pro eis alijs, qui assistunt cum principali orante, & orant cũ illo, videturque incredibile, Ecclesiam dispensantem in dicendis eis orationibus non dispensare eo ipso in cæteris, quæ eis sunt annexa. Demum si Sacerdoti non liceret offerre Missam pro excommunicato tolerato, non posset licitè assumere illum, vt inseruiret sibi in ea, quando etiam deesset alius, qui ministraret, nam pro adiuuante offertur Missa à Sacerdote; neque item posset licitè paciscì cum illo de stipendio; sicuti non potest cum non tolerato: quare Concilium Constantiense non omnino fauisset Sacerdoti excommunicationis immuni, siquidem huic non liceret cum tolerato communicatio, accedendo ex se ad promittendam Missam, si eam ille velit; neque permissum esset pactum stipendij. Quæ ratio mihi probat, fas esse Sacerdoti acceptare stipendium, non modò quando ipse inuitauit sponte sua toleratum, qui citrà culpam consentire potuit; sed etiam quando inuitatus fuit ab eodem ingerente se per simplicem petitionem ad communicationem in humanis vetitam sibi sub culpa veniali, Sacerdos enim acceptans stipendium vtitur iure suo, nec cooperatur præfaræ culpæ tolerati, vt minutim, & oculatè perscrutatur Noster Tamburinus L. 2. de Missa C. 2. §. 4. De quo puncto exprimam magis meam mentem in D. sequenti.

50 Oppones, primus, vel saltem principalis effectus excommunicationis maioris est priuatio communium orationum, & suffragiorum Ecclesiæ. Ergo perseuerãte excommunicatione, vt re vera contingit in tolerato, persistet dictus effectus. Respondeo, eum permanere ex parte, quatenus excommunicato tolerato non licet ingerere se ad communes orationes, & suffragia Ecclesiæ: qui dimidiatus effectus (vt taceam de alijs) sufficit, vt à posteriori non colligatur desitio excommunicationis, neque enim hæc connectitur essentialiter cum toto illo effectu. Si priuatio generalium orationum, & suffragiorum esset potiùs essentia excommunicationis, dicerem similiter, non consistere hanc in tota ea priuatione. Si dignitas ad præfatam priuationem tam effectus illius, quam aliorum excommunicationis sit huius essentia, clariùs apparet, permanere posse excommunicationem non solùm absque illo effectu, sed etiam absque alijs. Verumtamen non egemus huiusmodi subtilitatibus Metaphysicis, cum satis sit dicere, Ecclesiam, cuius in potestate est impedire ex parte, imò & omnino effectus excõmunicationis, voluisse suspendere partialiter effectum illum respectu tolerati, vti & quosdã alios effectus, sicut probauimus ex repetita Extrauaganti.

51 Rursus oppones cum Francisco de Lugo L. 5. C. 4. quæst. 6. n. 62. Extrauagans Concilij Constantiensis attendit solùm ad fauorem fidelium, qui possint sine periculo peccandi communicare cum toleratis, quando sibi fuerit opus. Ergo respicere videtur non tam internam, quàm externam communicationem, videlicet quoad auditionem

Missæ,

Missæ, receptionem Sacramentorum, recitationem Officij diuini, & similia; cum quibus quia sæpe miscentur preces communes, extendetur concessio ad orandum, & impetrandum pro toleratis, sed nō ad applicandam ipsis satisfactionem Missæ nomine Christi, vel Ecclesiæ, id enim fit mente sola, fieriquo posset longè distante ipso excommunicato; neque est necesse ad vitanda scandala, & pericula, neque item ad subueniendum conscientijs timoratis fidelium. Respondere quis posset, eo ipso quòd pro excommunicato tolerato oblatio Missæ vt impetratoriæ liceat, fore etiā licitam oblationem eiusdem Missæ vt satisfactoriæ, profuturamque ad satisfactionem illi, si existat in statu gratiæ, nam baptizato homini iusto, cui impetratoria virtus Missæ sit fructuosa, non posset nō esse vtilis virtus satisfactoria, casu quo ipse indigeret satisfactione, & pro ipso applicaretur vis impetratoria, à qua est indistincta vis satisfactoria. Nō placet mihi hęc responsio, si eius scopus sit, non posse vni applicari fructum impetratorium Missæ, quin eidem applicetur fructus satisfactorius, & quin istū comparet, si existat in statu gratiæ. Id enim iam impugnaui in num. 38. D. 15. Præterquàm quòd modò non agitur, an si pro baptizato iusto applicetur à Sacerdote fructus satisfactorius, lucretur hunc ille? Sed num liceat applicare in persona Christi, & Ecclesię pro excommunicato tolerato? Quicquid sit, an casu quo existeret in statu gratiæ, comparet eum vt applicatum in persona Christi? Ideo respondeo, licentiam ad oblationem pro excommunicato tolerato, qui præsens sit Missæ, vel hanc promisso, vel tradito stipendio, aliove modo procurauerit, limitari sine causa ad oblationem penes fructum impetratoriū, siquidem ea licentia concedatur absolutè ab Ecclesia, & sine distinctione fructuum, in ordine ad quos sit faciēda oblatio; quare excommunicatus tolerat⁹ participabit solummodò fructū impetratorium, vel satisfactorium etiam, provt fuerit in se dispositus, si applicetur absolutè, & sine fructuum distinctione Missa pro ipso iuxta licentiā datam ab Ecclesia. Quòd si restrictio illa habet locum, confingam ego aliam, nempe quòd proferantur verba significantia oblationem, sed cum animo, vt non comprehendant excommunicatum toleratum, quatenus velit Sacerdos, vt nec impetratorij fructus sit ille particeps, id enim mente sola peragi posset.

52 Notare hic oportet primò cum Martinono suprà, prospiciendum esse, ne sequatur scandalum, si pro excommunicato tolerato offeratur publicè Sacrificium, vel quia ipsemet excōmunicatus superbiet, aut in sua contumacia obdurabitur, vidēs haberi adhuc rationem sui in sacro ministerio. Obseruare secundò conuenit ex Gaspare Hurtado D. 3. de Excommunicatione, Difficultate 4. n. 12. Antonino Diana parte 5. Tractatu 9. Resolutione 74. Christophoro à S. Iosepho tomo 1. receptarum opinionum moralium dub. 2. de Excommunicatione num. 3. Missam oblatam ex generali intentione pro fidelibus non prodesse excommunicato tolerato, etiam si iustus sit, quia Sacerdos tanquam Minister Ecclesię offerens indefinitè pro fidelibus vult cōformare se Ecclesiæ nō includenti excommunicatum in fructu Missæ, vt vltrà textus suprà adductos constat ex S. Gregorio Lib. 2. Dialogorum Cap. 23. Si tamen Sacerdos vtatur indulgentia eiusdem Ecclesiæ offerens specialiter pro excōmunicato tolerato, tunc huic erit Missa proficua. In medio relinquo considerandum à doctis Theologis, an præsentia excommunicati tolerati ad Sacrum, satis sit, vt Sacerdos censeatur offerre specialiter pro illo, proindeque vt ille fructum reportet? Rimula ad eam censuram esse potest, quòd in Canone dicatur, *Et omnium circumstantium:: pro quibus tibi offerimus.* Videantque, num hęretico obstent verba, quæ interponuntur, *Quorum fides tibi cognita est, & nota deuotio?*

53 Infertur primò ex dictis in hac Conclusione, licitum modò esse offerre Missam pro occulto excommunicato, qui iam existat in statu gratiæ, quanquam citrà culpam suam non fuerit absolutus, quia cum non sit denunciatus, non est exclusus à communicatione fidelium ex parte ipsorum, vt inquit Suarez tomo 5. in 3. p. D. 7. sect. 1. num. 7. & cum eo, atque Præposito Antoninus Diana parte 5. Tract. 9. Resol. 75. alijque apud Leandrum p. 4. Tract. 2. D. 3. q. 11.

54 Ex eadem Conclusione inferre

ferre secundò aliquis posset declarationem regulæ Societatis Nostræ, in qua iniungitur Sacerdotibus, vt *singulis mẽsibus vnum Sacrum faciant pro regionibus Septentrionalibus, & hæreticorum reductione.* Quasi sensus sit, vt offeratur Missa pro solis hæreticis toleratis, cum id iam liceat, etsi anteà prohibitum fuisset vniuersim quoad omnes hæreticos iuxta Cap. 91. *Si quis Episcopus* 11. q. 3. Sed certè Societas videtur velle comprehendere omnes hæreticos siue toleratos, siue vitandos; non secus ac Ecclesia in Parasceue ob imitandum Christũ, cuius mortẽm pro vniuersò mortalium genere perpessam eo recolit die, respicit illos omnes in oratione publica, quã directè facit pro hæreticis, dispensans in lege, quam reliquis diebus constanter seruat, non precandi solemniter pro illis directè. S. Bernardus in Tract. de gradibus humilitatis ad finem ait, *Videriut* (excommunicati) *in quanto periculo sint, pro quibus Ecclesia palàm orare non audeat, quæ fidenter etiam pro Iudæis, pro hæreticis, pro Gentilibus orat. Cum enim in Parasceue nominatim oretur pro quibuslibet malis, nulla tamen mentio fit de excommunicatis.* Quæ verba difficilia sunt primo adspectu, quippe hæretici sint excommunicati, & pro hæreticis in Parasceue oret publicè Ecclesia. Sed interpretanda sunt, quatenus hæretici non sint omnino excõmunicati eo tempore, quo pro eis publicas preces fundit Ecclesia, etenim hæc suspendit priuationem cõmunicationis suorum suffragiorum pro illo tempore, relinquens tamen in cæteris excommunicatos, vt anteà. Fortè Sanctus Bernardus intendit solùm ponderare silentium Ecclesiæ de excommunicatorum nomine. Iam conuenientior declaratio regulæ Societatis est, vt Missa offeratur indirectè pro hæreticis, & directè pro fidei Catholicæ Romanæ augmento in regionibus Septentrionalibus Infectis hæresi. Atque ita anno 1584. ad Castellę Prouinciam respondit consultus R. admodùm P. Generalis Claudius Aquaviua bonæ memoriæ, vt legi in Methymnensis Collegij libro continente responsa Præpositorum Generalium. Concordãt Amicus D. 33. sect. 5. num. 115. Cardinalis de Lugo D. 19. S. 10. num. 187, & Pellizarius in Manuali Regularium Tract. 5. C. 9. sect. 3. num. 86. Solet explicari non dissimili ratione intentio Ecclesiæ in Missa, quã instituit dici pro tollendo schismate. Potest etiam cogitari, scopum regulæ esse, vt directè Sacrificium applicetur pro Euangelicis Ministris versantibus in hæreticorum conuersione. Addunt aliqui, intẽdi à Societate, vt vnusquisque ex ea Sacerdos nomine suo priuatim offerat directè Missã pro reductione hæreticorum, nusquam enim ab Ecclesia prohibetur hic modus offerendi. Sed non placent, quia regula non alio modo præscribit hanc Missam, quã quo cæteras dicendas, & offerendas pro fundatoribus Domorum, aut Collegiorum, pro defunctis, & sic de alijs. Nequit autem dubitari, cæteras iniungi vt dicendas, & offerendas à Sacerdote tanquam à publico Christi, & Ecclesiæ Ministro, proindeque quoad fructum ipsarum ex opere operato. Et iste modus offerendi intenditur à Superiore, quoties absolutè præcipit celebrari Missam, quin aliud exprimat, aut ex circumstantijs colligatur; sicut etiam qui dat stipem pro Missa celebranda, intendit modum istũ. Dicastillus Tract. 5. D. 2. Dub. 3. n. 73 notat, posse à Sacerdote v. g. Societatis offerri Sacrificij satisfactionem ex opere operato pro eo, pro quo voluerit, quando pro reductione hæreticorum facit Sacrum iussum in Societate, applicatq; illud vel tanquam priuata persona, vel tanquam publica, sed directè pro fidei propagatione in Prouincijs Septẽrrionalibus, & indirectè pro hæreticis earum Prouinciarum, nam tunc deest subiectum capax, in quod refundatur satisfactionis fructus ex Missa vt imperata à Societate. Præiuit in hac annotatione Henriquez Lib. 9. Cap. 21. §. 6. vbi doctè aduertit, * Si Prælatus pro ijs, qui satisfactionis Missæ sunt incapaces, de quibus suprà C. 18. §. 7. vt pro infidelibus conuertendis, iubet offerre Missam, liceret subdito, eius Missæ satisfactionem applicare sibi, aut alteri. Si tamen iubet pro salute Regni, pace publica, aut pro vitanda peste offerre, non licet sibi vsurpare satisfactionem, quia Prælatus intendit, vt toto Sacrificij fructu placatus Deus, & suscipiens eam satisfactionem pro pœnis peccatorum Reipublicæ concedat benignius pacem, aut expulsionem pestis, quasi iuxta Naum Cap. 1. puniturus non sit bis idem peccatum. Si iubet pro salute Regni

ni hæreticis infecti, vt Germaniæ, aut Angliç, offerre Missam; intelligitur, vt velit, offerri nõ directè pro illis, qui excommunicati sunt; sed pro eius Regni fidelibus; & vt his, & Prædicatoribus Catholicis Deus virtutem concedat, qua vincant hæreticos, & ad gremium Ecclesiç reducant vi sermonis, & disputationis, & bonç vitç exemplo. * Hactenus Henriquez; cui & Dicastillo omnino assentirer quoad liberam applicationem fructus satisfactorij ex opere operato Missarum, quæ in Societate dicuntur pro Indijs, & Gentium conuersione, pro regionibus Septentrionalibus, & hereticorum reductione, si cõstaret, animum Societatis esse, vt offerantur vno ex modis dictis inter referẽdam Dicastilli annotationem. Sed fortè intentum Societatis est, vt offerantur pro Euangelicis Ministris, & pro Catholicis versantibus apud Prouincias infidelium, & hæreticorum. Quod si ita sit, vt magis placet Abilæ parte 2. de Censuris C. 6. D. 9. dub. 3. Concluſ. 2. V. *Quartò probatur*, indicantque Gaspar Hurtadus D. 3. de Excom. Diff. 2. n. 6. & Meratius D. 37. de Euch. sect. 2. V. *Confirmatur*, tenebitur Sacerdos Societatis applicare satisfactionis fructum ex opere operato præfatis Prędicatoribus, & Catholicis. Atque ita supponit Dicastillus in loco citato. Nihilominus ob probabilitatem de Societatis mente, vt offerantur Missæ illæ posteriori modo proposito à Dicastillo, probabiliter se geret Sacerdos Societatis applicans sibi, vel cui voluerit, fructum satisfactoriũ ex opere operato illarũ Missarum. Vbi obseruo, Sacerdotem Societatis debere non applicare nisi eidem Societati fructum ex opere operato Missarum, quas ex regula tenetur singulis annis, & mẽsibus celebrare pro eadẽ Societate. Ratio desumitur ex doctrina P. Henriquez loquentis suprà de Missa, quam Prælatus iuberet dici pro salute Regni, &c.

55 Infertur tertiò, Indulgentias prodesse excommunicatis toleratis, si contriti sint. Sed id intelligi debet de Indulgentijs, quas alij fideles applicẽt pro ipsis, si ita sint cõcessæ, vt queat vnus applicare pro alio. Cæterùm non debet intelligi de Indulgentijs, quç cõcedantur, vt quis pro se applicet, & lucretur. Prima pars est perspicua ex dictis in hac Conclusione de data post Extragantem *Ad euitanda* facultate, vt possimus excõmunicatos toleratos facere participes subsidiorum spiritualiũ communium Ecclesiç, inter quç numerantur Indulgentiç. Secunda pars est nõ minus manifesta ex secunda annotatione in n. 52. Nam Ecclesia in concessione suorum suffragiorũ non intendit distributionem, quæ fiat erga excommunicatos. Dices, permittere tamen respectu tolerati, vt vocetur in partem eorũ suffragiorum. Vnde si ipse contritus præstet opera iniuncta pro lucranda Indulgentia, comparabit huius fructum; crediq; piè potest, id esse è Summi Põtificis elargientis Indulgentiam animo. Sed contrà, quia cum ipsi excommunicato nullus fiat directè fauor per Extrauagantem illam, neque ipsi detur libera facultas, vt dispensetbona communia Ecclesiæ, salua manet veritas secundæ partis contentæ in nostra illatione. Ita cum multis Gibalinus Disq. 7. de Censuris q. 2. propos. 2. n. 27. contra paucos alios, quibus subscribit Leander p. 4. Tract. 2. Disp. 3. q. 17. Illud autem quod de pietate dicitur, moueret nos, si putaremus, esse simul è scientia, quanquàm non negemus, esse probabile ex authoritate extrinseca.

CONCLVSIO X.

Fas est Sacerdoti in Memento orare mentaliter, aut secretè nomine proprio, & vt priuata persona pro excommunicato etiam vitando.

56 SIC cõtra Canum, Sotum, Martin. Ledesmam, & Medinam Dominicanos cæteri Authores, inter quos copiosiùs Eximius Doctor P. Suarez tomo 5. in 3. p. D. 9. sect. 5. n. 4. attigeratq; breuiter tomo 3. in eandem 3. partem Disp. 78. sect. 2. V. *Dico quartò*. Ratio est, quia hic modus orandi pro excommunicato quocumque (quanquam oretur inter sacrificandũ) nusquam est prohibitus ab Ecclesia. Vnde licebit nõ tolerato optare eum à Sacerdote; sed tamen, si petat, peccabit venialiter ob communicationem in humanis

manis per petitionem, & loquutionē vltrò attentatam. Est quidem vtrumq; subintelligendum de tolerato; & primū potiori de causa. Confirmatur Conclusio authoritate S. Bernardi in Tract. de gradibus humilitatis ad finem, vbi de excommunicatis (qui omnes suo tempore erant vitandi) scribit, *Absit à nobis, vt etiam pro talibus, etsi palàm nō præsumimus, vel in cordibus nostris orare cessemus: Etsi enim à cōmunibus orationibus ipsi se excludunt, sed ab affectibus omnino nō possunt.*

57 Si obijcias, Sacerdos, etiam in *Memento*, orat vt persona publica, & nomine Ecclesiæ, tum quia *Memento* est pars Missę; quęlibet autem Missæ pars celebratur à Sacerdote tanquam à persona publica, & nomine Ecclesiæ: tum quia in *Memento* Sacerdos offert intentione speciali Sacrum pro eo, pro quo celebrat; quæ applicatio Sacri fit à Sacerdote vt à Ministro publico Ecclesiæ: tum quia antecedentia, & subsequentia proximè ad *Memento* ostendunt, fieri nō minus nomine Ecclesiæ orationem mētalem, aut secretam ipsius *Memento*, quàm fiat oratio vocalis antecedentiū, & subsequentium verborum. Respondeo, totum id esse verum; sed tamen tectum, sartumque stare, quòd possit Sacerdos tanquam persona priuata orare in *Memento*, vel successiuis morulis, vel simul diuersa intentione, vt ait Suarez; quæ diuersa intentio sit specialis alia præter illam, quàm vult Ecclesia. Vnde cum Noster Stephanus de Abila parte 2. de Censuris C. 6. D. 9. Dub 5. §. *Hæc opinio* fateatur, posse à Sacerdote haberi in *Memento* hanc specialem intentionem, non prætermissa altera orandi instar personæ publicæ, ne desit intentioni Ecclesiæ, haud quaquam capio, quo sensu in fine illius §. dicat Stephanus, tenendam esse, absolutè loquēdo, opinionem negatiuam eorum, quorum ipse, & ego memini. Præterquàm quòd P. Stephanus dixerat initio §. illius, placere sibi sententiam quorundā Recentiorum affirmantium idem ipsū, quod ego asserui. Fortè sic intellexit opinionem illorum Dominicanorū, vt non liceret Sacerdoti orare priuatim in *Memento* pro excommunicato non tolerato, nisi Sacerdos vt persona particularis haberet aliam intentionem specialem præter illam, quam vt persona publica debet etiam habere. Et in hoc sensu amplector ego perlibenter ipsorū iudicium. Diana parte 5. Tract. 9. Resolutione 77. & Leander de Censuris Tract. 2. D. 3. q. 16. allegant Abilam contra nostram Conclusionem, & cum fundamento quidem satis apparenti, vt constat ex dictis, nec cum minus apparenti citatur pro nostra à Bonacina apud eundem Leandrum.

58 Obijcies rursus, si licet Sacerdoti, dum mentaliter, aut secretè orat in *Memento*, habere duplicem intentionem, ex quarum vna oret vt publica persona pro fidelibus non præcisis ab Ecclesia, & ex altera oret vt priuata persona pro fidelibus præcisis; licebit etiam, dum publicè orat in cęteris partibus Missæ, habere duplicem intentionem eiusdē rationis, & assumere vtrūque munus personæ publicę, atque priuatæ; proindeq; fas erit, adhibere eandem orationem publicam tum pro non excommunicatis, tum pro excommunicatis, ita vt eadē oratio publica proferatur exteriùs ex duplici intentione, & quasi in duplici sensu. Concedo cum Suario num. 6. & alijs multis Authoribus totum id; dummodò exteriùs nulla fiat de excommunicatis mentio. Hunc in sensum possunt benevolè trahi Doctores, de quibus loquutus sum initio, Conclusionis octauæ. Nisi alicui magis placeat interpretari eos, quatenus permissum, licitumve sit Sacerdoti, offerre pro excommunicatis etiam vitandis totum pium opus dicendi Missam, quoad impetrationem, & satisfactionem ex opere operantis Sacerdotis vt priuatæ personæ, nam huiusmodi oblatio, & applicatio Missæ pro excommunicatis etiam nō toleratis non cadit de facto saltem, quicquid sit, an posset? sub Ecclesiæ prohibitione, vt neq; similis oblatio, & applicatio cuiusuis alterius operis pij, quemadmodùm contra Latomum sentiūt communiter Doctores, quanquam Philippus Faber in 4. Dist. 25. D. & Cap. 4. num. 151. conatus sit adsciscere probabilitatem opinioni Latomianæ.

59 Ex hac Conclusione colligitur, orationem contentam in versibus illis, de quibus Glosia ad C. *Statuimus de Sententia excommunicationis in* 6. Verb. *Alijs*, & qui circumferuntur in omnium Canonistarum, & Theologorum linguis, nempe

si

Si pro delictis anathema quis efficiatur, Os, orare, vale, communio, mensa negatur.

accipi tantùm debere, quatenus prohibitum sit orare publicè cum excommunicatis vitandis, siue pro ipsis, siue pro alijs. Vnde signanter in C. *Cum excommunicato* 11. q. 3. dicitur, *Cum excommunicato neque orare, neque loqui:: neque vesci liceat*. Et si autem orare publicè pro excommunicatis vitandis sit etiam vetitum, si tamen oretur, non incurretur excommunicatio minor, non enim est communicatio, quæ secum trahat pœnam censuræ, vt cum alijs docet Abila parte 2. C. 6. D. 9. dub. 4. sicuti neque eam affert oratio secreta, & priuata. Quare quanquam vtraque sit cõmunicatio in diuinis, sed secunda magis propriè est quędam eleemosyna spiritualis erogata ex bonis proprijs; prima autem est quidem communicatio rigorosa spiritualium bonorum cõmunium, & prohibita grauiter, citra censuram tamen, quicquid dicant aliqui apud Leandrum parte 5. Tract. 2. D. 3. quæst. 18. & Gibalinus Disquisitione 7. quæstione 2. propositione 1. num. 22. Colligitur secundò ex eadem Conclusione, licitum fore priuatim, & extra Missæ Officium orare pro hæreticis, schismaticis, Iudæis, & Paganis eisdem precibus, quibus Ecclesia vtitur in Feria sexta hebdomadæ sanctæ, si enim licet orare verbis, quæ quisque iuxta suam deuotionem componat, multò potiùs illis alijs. Cauendum tamen est, ne, præterquàm in Officio Feriæ præfatę, recitentur solemniter, aut dicantur illę orationes à Sacerdote operante Sacris. Quæ cautio est Suarij D. 9. de Censuris, sect. 1. num. 5. Olim Sanctus Leo Papa cum in Serm. 4. de Epiphania loquutus fuisset de Manichæis hæreticis, sic est alloquutus populum, *Ecclesiasticum sanè, atque diuinitus institutum, non solùm non inhibemus, sed etiam excitamus affectum, vt etiam pro talibus nobiscum Domino supplicetis*. Nimirùm vel tunc non vigebat prohibitio orandi publicè pro hæreticis, vel suspensam, tunc voluit S. Leo Papa, vel excitauit ad orationem, quam quisque priuatim faceret pro illis.

CONCLVSIO XI.

Sacerdos sub vna consideratione offeret illicitè, sed validè, & sub alia tam illicitè, quam invalidè Sacrificij Missæ fructum pro excommunicato vitando.

60 NAM si Sacerdos vt Christi Minister offerat Sacrificium Missæ ex directa intentione pro excommunicato vitando, offeret illicitè, vt potè contra voluntatem Ecclesiæ, sed tamen validè, quatenus excõmunicato proderit Sacrificium quoad fructum nomine Christi prouenientem, nempe quoad impetrationem ex opere operato, quoad satisfactionem etiam, nisi vltra excommunicationem detur aliud impedimentum, aut incapacitas aliunde nata. Cæterùm si Sacerdos vt Ecclesiæ Minister offerat illicitè Sacrificium Missę pro excommunicato vitando, offeret invalidè quoad fructũ, quatenus excommunicato nõ proderit vlla ratione Sacrificium. Vnde in priori casu offeret illicitè, sed validè; in posteriori autem illicitè, & inualidè simul quantùm ad fructum. Ita Suarez D. 9. tomi 5. in 3. p. sect. 4. Abila 2. p. de Censuris C. 6. D. 4. dub. 1. & dub. 4. Coninch in 3. p. q. 83. art. 1. dubio 9. Concluſ. 2. n. 159. Disp. 14. de Censuris dub. 6. num. 38. Layman L. & Tractatu 5. C. 2. Assertione 3. num. 7. Castro Palao Tract. 22. D. vnica, puncto 5 n. 2. Cardinalis de Lugo D. 19. sect. 10. n. 185. Franciscus de Lugo Lib. 5. C. 4. q. 6. n. 62. Filliucius tomo 1. Tract. 12 & 2. de Censuris in particulari C. 2. q. 7. n. 48. & 49. Bonacina D. 2. de Censuris q. 2. puncto 1. §. 3. Sotum, & Reginaldum allegans, illum in 4. Dist. 22. q. 1. art. 4. hunc L. 32. Praxis fori Pœnit. C. 3. num. 13. Sed Sotus à Diana p. 5. Tract. 9. Res 76. citatur pro contraria sententia in art. 3. cum tamen Sotus in art. 4. nec verbum habeat, quod faueat Bonacinæ, & nobis; neque in 3. quod non faueat. Sed vltra relatos stant pro nobis Henriquez Lib. 9. C. 15. §. 3 in Glossa lit. *P*. Dicastillus Tract. 5. D. 2. dub. 3. à num. 64. Caspensis Tract. 23.

23. D. 1. sect. 4. num. 51. Garcia de Excellentijs Sacerdotij Tract. 3. Diffic. 1. dub. 6. puncto 3. num. 33. Auersa q. 11 de Euch. sect. 10. V. *Decimò tamen*, Gaspar Hurtadus D. 3. de Excommunicatione Diff. 3. num. 7. Gibalinus Disq. 7 de Censuris q. 2. propos. 1. Consectario 2. n. 23 Martinonus D. 59. de Censurisect. 4. num. 47. & 48. Amicus D. 33. sect. 5. num. 114. Petrus Cornejus tomo 2. in 3. p. Tract. 5. D. 10. §. 3. dub. 2. ex V. *Quæres secundò*, Iacobus Gordon⁹ tomo priori Theologiæ Moralis L. 7. q. 8. C. 1. §. 4. num. 16. Arriaga Disp. 52. sect. 4. num. 12. & 13. Trullench. Lib. 3. de Sacramentis C. 8. dub. 4. num. 7. alijque non sine fastidio recensendi.

61 Probatur posterior Conclusionis pars, quæ minorem continet difficultatem. Probatur, inquam, primò, quia fructus Sacrificij oblati à Sacerdote vt Ministro Ecclesiæ pendet ab huius intentione, & applicatione, quin possit extendi vltra Ecclesiæ voluntatem. Ast Ecclesia nō solùm non habet voluntatē, vt suo nomine offeratur Sacrificiū pro excommunicato vitando, fructuosumque illi sit; sed potiùs habet voluntatē contrariam expressam. Ergo, &c. Cōfirmatur exemplo æconomi, qui, si dispenset bona domini contra voluntatem ipsius, & ijs, quos dominus excluſit; distributio erit invalida, & bonorum dominium non adquirent excluſi. Secundò, quia oblatio Sacrificij facta ex fallacia, & deceptione à Sacerdote vt Ecclesiæ Ministro, & eius nomine non potest habere vllam vim apud Deum, qua moueatur ad conferendum Sacrificij fructum excommunicato non tolerato. Tertiò, quia Sacrificium oblatum à Sacerdote excommunicato vitādo nihil prodest quoad fructum prouenientem ex parte Ecclesiæ ijs, pro quibus offertur. Ergo similiter nihil proderit quoad illum fructum, si offeratur pro excommunicato vitando, vt enim Ecclesia prohibet, offerri ab excommunicato vitādo, sic etiam prohibet offerri pro eo.

62 Iam verò prior Conclusionis pars suadetur primò ex eadem paritate, nam Sacrificium oblatum à Sacerdote excommunicato vitando prodest, quantùm ad fructum prouenientem ex parte Christi, ijs, pro quibus offertur. Ergo similiter proderit quantùm ad illū fructum, si offeratur pro excommunicato vitando. Secundò, quia Sacerdotis actio offerendi Sacrificium nomine Christi, consequenterque fructus respondens ipsi Sacrificio oblato à Sacerdote vt Ministro Christi, non pendet à voluntate Ecclesiæ, sed solius Sacerdotis, cuius Ordini est annexa ex institutione Christi potestas consecrandi, & offerendi. Tertiò, nam sicut ob independentiam, quam à voluntate Ecclesiæ habent suffragia priuata vnius hominis pro alio, & fructus Sacrificij vt oblati à Sacerdote tanquam à priuata persona pro aliquo, nequit iuxta receptam sententiam Theologorum reddi per Ecclesiæ legem irrita applicatio, quam suffragij priuati faciat fidelis, neque itē ea, quam Sacerdos faciat fructus Sacrificij vt oblati nomine proprio, atque adeò valida ea erit pro quocumque, qui capax ex se sit, fiat; ita ob non minorem ab Ecclesiæ voluntate independentiam fructus Sacrificij vt oblati à Sacerdote in persona Christi dici debet, validam fore talis fructus applicationem, & subiecto capaci fore vtilem, non obstante quauis prohibitione Ecclesiæ. Quartò, quia validè, & fructuosè quoad effectū gratiæ administratur Sacramentum excommunicato, si hic cum iusta excusatione illud recipiat. Ergo validè, ac fructuosè offertur Sacrificium nomine Christi, & in eius persona pro excōmunicato vitando, quin obstet prohibitio Ecclesiæ. Sicut enim confectio Sacramenti est à Sacerdote, vel à Ministro alio vt gerente personam Christi, sic etiā oblatio Sacrificij; & sicut effectus Sacramenti est infallibilis in subiecto per peccatum non ponente obicem gratiæ, ità etiam fructus Sacrificij vt oblati in persona Christi pro subiecto non habente incapacitatem, aut impedimentum aliunde, quàm ab excommunicatione.

63 Huius rationis vis non enerabitur, respondendo, non prohiberi ab Ecclesia administrationem Sacramenti, quando cum iusta excusatione recipitur ab excommunicato; ideoque mirum non esse, si tunc Sacramentum quoad effectum gratiæ sit fructuosum excommunicato; etsi Sacrificium oblatum pro excommunicato vitando non sit ei fructuosum, quia Ecclesia prohibet talem oblationem. Non, inquam, enervabi-

tur

tur sic respondendo, nam iusta excusatio ex parte excommunicati recipientis Sacramentum non deseruit aliter ad lucrandum effectum illius, quàm quia facit, vt receptio non sit peccatum lethale, obexque gratiæ, suppositò quòd aliunde non detur obex ratione alterius lethalis peccati; habetque se peraccidens ad præfatum effectum adquirendum, quòd administratio non sit peccaminosa, & prohibita, quandoquidem malitia Ministri non fraudet suo effectu Sacramentum dispensatum homini non ponēti ex parte sua obicem peccati mortalis.

64 Erit, qui replicet, sicut peccatum lethale impedit, quominus suscipiens Sacramentum comparet huius effectum, ita excommunicatio hominis vitandi impediet, quominus ipse homo adquirat Sacrificij fructum. Sed dico, disparem esse rationem, quia peccatum lethale est incompossibile cum effectu Sacramenti, nempe cum gratia sanctificante, non sic cum Sacrificij fructu excommunicatio hominis vitandi. Et quidem Ecclesiæ prohibitio offerendi Sacrificium pro excommunicato vitando non est quid tenens se ex parte huius, sed est quædam lex Ecclesiastica potens illicitam reddere, sed non irritam, & cassam Sacerdotis voluntatem, qua vt Minister Christi velit offerre Missam pro excommunicato vitando, applicareque ei fructum respondentem Missæ ex Christi institutione. Atqui eo ipso non est è potestate Ecclesiæ, vt neque è potestate ipsius Sacerdotis, cohibere, seu impedire eiusmodi fructum. Quare solùm poterit impediri obice aliquo tenente se ex parte excommunicati vitandi, vt si is existeret in statu peccati lethalis, nam tunc satisfactionis fructum non obtinebit; aut si existeret in statu damnationis æternę, nam tunc neque satisfactionis, neque impetrationis fructum adquiret.

65 Pater Abila suprà in dubio 4. ait, Sacrificium oblatum pro excommunicato non tolerato fore illi fructuosum quoad impetrationem, licet Sacerdos peccet offerendo, & excommunicatus peccet petendo, quòd offeratur, quia Sacrificium habet ex sua natura, & institutione Christi, vt quantùm ad impetrationem possit prodesse quibuscumque peccatoribus. Ergo licet Ecclesia per suam prohibitionem efficiat, ne licitè offeratur pro tali excommunicato, non tamen efficere potest, quòd, si oblatio fiat, non sit fructuosa. Diceret id ipsum Abila ob rationis identitatem, casu quo Sacerdos excommunicatus offerret Sacrificium pro se ipso. Sed meliùs negant Suarez suprà numero 8. Dicastillus suprà numero 68. Negat Suarez, loquens de Sacerdote excommunicato offerente pro se ipso, quia ponit obicem, ne fructum ex Sacrificio capere possit. Quæ ratio non est efficax quoad fructum impetrationis, quia respectu huius non est obex peccatum, vt aiebat Abila. Negat Dicastillus loquens de Sacerdote offerente pro persona distincta excommunicata nō tolerata, quia oblatio, vt se etiam tenens ex parte istius personę, est peccaminosa, & quia non est prudenter censendum, quòd voluerit Christus, vt in dicto casu Sacrificium sit fructuosum quoad impetrationem eidem ipsi personæ, quæ peccat petendo, vt offeratur pro se. Addo ego, sicut oratio non est proficua illi, respectu cuius est peccaminosa, ita neque oblatio Missæ; quanquam oratio, & oblatio peccaminosæ possint esse vtiles, commodæque alijs, quorum respectu peccaminosæ non sunt.

66 Sed insurgit hic pulchrum dubium, scilicet an si Sacerdos excommunicatus, sed tamen contritus, celebret ex causa, necessitateve mortis, aut grauissimi scandali, aut infamiæ vitandæ, participabit tam integrè fructum Sacrificij, quod pro se offerat, quàm si non innodatus excommunicatione celebraret? Agit de hoc dubio Eximius Doctor Pater Suarez in numero illo octauo. Aitque, fore, vt lucraretur tam integrè fructum respondentem Sacrificio vt oblato in persona tū Christi, tum in priuata ipsius Sacerdotis, si adsit excusatio ad oblationem faciendam pro se; vt si Sacerdos habeat inuincibilem ignorantiam prohibitionis offerendi pro se, seu si bona fide putet, fas esse pro se offerre, eo ipso quòd semel liceat sacrificare. Quanquam re ipsa ex vno ad aliud non benè argueret, siquidem possit occurri necessitati illi per Sacrificium offeren-

dum pro alijs, & non pro se. Vnde nisi bona fides excusaret ipsum, peccato non careret oblatio pro se, ideòque non esset ipsi fructuosa. Et neque in casu bonæ fidei proficeret ei ex parte Ecclesiæ, sicut neque exinde vtilis est excommunicato distincto à Sacerdote oblatio, quam hic pro eo facit. Sed addit Suarez, ✻ Posse alicui verisimile videri, non esse intentionem Ecclesiæ, cum tanto rigore prohibere non offerre pro excommunicato, vt prohibuerit etiam non offerre pro se ipso, etiamsi aliàs licitè offerat Sacrificium. Præsertim quia in tãtum est prohibitum offerre pro excommunicato, in quantum est prohibitum communicare cum illo; at nemo est prohibitus communicare secum, sed cum alio. Ergo non est prohibitus offerre pro se specialiter, sed solũ, quatenus est prohibitus offerre. Ergo si quis alia ratione excusetur ab illa prohibitione, potest ex ignorantia, vel certè ex probabili dictamine excusari etiã à culpa in offerendo pro se. Quod maximè locum habebit, si vrgens necessitas hoc etiam postulare videatur, vt si quis sit in vrgente periculo mortis. ✻ Tantùm Suarez. Et quia ratio hæc proposita ab ipso vt similis vero, placuit Gibalino, censet is in loco prȩcitato, Consectario 3. num. 24. Sacerdotem in casu proposito comparaturum tantum fructum titulo tam Christi, quàm Ecclesiȩ, & sui, quantum si liber ab excommunicatione, & in statu gratiȩ sacrificaret, & offerret pro se. Probabilissima etiam mihi videtur eadem ratio; quam confirmo, quia eo ipso quòd Sacerdos celebraret, & licitè (vt supponitur) proindeque quin contraueniret vlli prohibitioni, siue Christi, siue Ecclesiæ, proferret licitè, vt Minister Christi, & Ecclesiȩ, verba, in quibus ex institutione eiusdẽmet Ecclesiæ, quisquis Sacris operatur, offert pro se ipso; nec video, cur non posset pronunciare ea in sensu, quem communiter præseferunt, & in quo solent recitari. Si autem Sacerdos ille posset pro se offerre eo modo, cur non etiam omni alio, quo pro fideli petente Missam? Præterea si Sacerdos ille excommunicatus toleratus offerret in persona Ecclesiæ, vt deducitur ex dictis à me in n. 23. D. 12. & offerret licitè. Ergo reportaret fructum respondentem ex parte Ecclesiȩ. Si neges, quia vt pro se nõ offerret licitè. Contra, nam iuxta doctrinam Conclus. 9. Sacerdos in persona Ecclesiæ offert licitè pro excõmunicato tolerato post Extrauagantem *Ad euitanda*. Vt taceam, intelligi ægrè, quòd Sacerdos offerat in persona Ecclesiæ, & quòd ei, pro quo fit oblatio, non communicetur fructus, respondurus aliàs ratione eiusdemmet Ecclesiæ. Rursus etsi Sacerdos ille esset nõ toleratus, sicut in persona Ecclesiæ offerret pro alio, qui non esset excommunicatus vitandus, ita etiam pro se, etenim quoad functionem offerendi cessaret in illo casu excommunicatio. Reuisat Lector numer. 25. D. 12. Si autem in Gibalinũ inciderit, notet, ipsum immeritè attribuere Suario rationem, quam magnus hic Doctor dixit, posse alicui videri verisimilem. Vnde Gibalinus inquit, se ex ea colligere duo omnino contraria fini intento à Suario. Quod quia in huius notã de minus benè seruato tenore discursus cedere apud quempiam posset, ideo aduertere volui pro mea erga tantum Theologiæ Principem obseruantia.

67 Priori parti Conclusionis huius vndecimæ refragari dicuntur à Diana p. 5. Tract. 9. Resol. 76. & à Leãdro p. 2. Tract. 8. D. 2. q. 9. p. 4. Tract. 2. D. 3. q. 15. graues nonnulli Authores, nempè Sotus in 4. Dist. 22. q. 1. art. 1. vel 3. vel 4. Vazquez D. 227. C. 3. n. 26 Tract. de Excommunicatione Dub. & n. 2. item D. 11. à n. 11. Luisius Turrianus L. 2. de Censuris D. 8. dub. 2. V. *Sed contrariam*, & nescio qui alij. Sed in Soto, & Vazquio non reperio quidpiam, quod manifestè contradicat ei parti priori; quin potiùs vel fauent posteriori, vel in eo occupãtur, vt probent, non sufficere ad lucrandum fructum respondentem ex parte Ecclesiæ, quòd excommunicatus siue non vitandus, siue vitandus existat in statu gratiæ, quia nimirùm Ecclesia non permittit offerre pro illo, nec in persona eius fiet oblatio attentata à Sacerdote pro illo, quandiu excommunicatio non tollatur per absolutionẽ. Solus Turrianus aliquid innuit, nam post relatam Suarij sententiam, quæ est ipsissima nostra 11. Conclusio bipartita, ait se, abire in contrariam; & argumentatur sic, ✻ Censura fuit iusta, & non est ablata per solam internam iustificationem. Ergo si habet Ecclesia veram potestatem excommunicandi, constituit homi-

hominem incapacem eius effectus. Aliàs sequeretur, posse Sacerdotem Sacrificium applicare pro excommunicato peccatore, qui non conuertatur. * Cæterùm hæc argumentatio facillimè dissoluitur, concedendo Antecedens, & distinguendo Consequens: constituit hominem incapacem eius effectus, qui aliàs proueniret ex Sacrificio, vt oblato in persona Ecclesiæ, ita quidem est; quando homo est excommunicatus vitandus: eius effectus, qui respondea eidem Sacrificio, vt oblato in persona Christi, non ita est. Et ad sequelam dicitur, si de potestate offerēdi in persona Christi pro excommuicato peccatore sit sermo, nihil absurdi continere, quatenus exerceatur validè, & vtiliter quoad fructum impetrationis respondentem ex parte personæ Christi, nisi ipse excommunicatus peccator habeat aliunde impedimentum ad lucrandum eum fructum. Sed replicabis, prohibitum Sacerdoti est ab Ecclesia, ne pro excommunicato vitando offerat nomine tam eiusdem Ecclesiæ, quàm Christi, prohibitumque est ex legitima potestate dimanata à Christo. Ergo Sacerdos non obtemperans ei prohibitioni offeret prorsus inualidè quoad fructum respōsurum ex parte tam Christi, quam Ecclesiæ. Replica patitur manifestam instantiam in Sacerdote excommunicato, vel solùm peccatore, cui etiam vetat Ecclesia, ne nomine tam ipsius Ecclesiæ, quàm Christi sacrificet, si tamen proferat consecrationis verba supra aptam materiam cum intentione consecrandi, proculdubiò sacrificabit validè, imò, si sit solùm peccator, offeret fructuosè in persona Christi, & Ecclesiæ, pro persona distincta, pro qua faciat applicationem Missæ; idemque erit, etiamsi ipse sit excommunicatus toleratus. Quare concesso Antecedenti replicæ, nego quoad fructum ex parte Christi Consequentiam; cuius inficiandæ patet satis ratio ex probationibus nostræ vndecimæ Conclusionis quantùm ad primum membrum. Vrgebis adhuc dicens, si iussio Ecclesiæ est, eaque iusta, ne excommunicato vitando applicetur vllus Sacrificij fructus ex opere operato tam Christi, quàm ipsiusmet Ecclesiæ, cur non existimabimus, Christum velle id ipsum? Si item Sacrificij effectus ex opere operato Christi, vt principalis offerentis, est præcipuus fructus, quem fideles ab Ecclesia non præcisi, & iusti reportant ex oblatione pro eis facta à Sacerdote, cur eiusmodi fructum putabimus diffundi in illos etiam, quos Ecclesia separault à se, tradidit Satanæ, denunciatque habendos tanquam Ethnicos, & publicanos? His interrogationibus si breuiter respondeamus, erit satisfactum omnibus argumentis Philiberti Marchini Tract. 3. de Ordine, parte 2. C. 8. qui inter Modernos expressiùs est nobis contrarius. Dicimus igitur ad vnam, & alteram, sicut etsi Ecclesia etiam iubeat, ne excommunicatus potiatur Sacramentorum passiua participatione, quæ certè magnum bonum est respectu fidelium non præciforum, tamen ex Christi voluntate susceptio Sacramenti Ordinis, v. g. ab excommunicato non est inualida, ita similiter in præsenti casu. Et ratio à priori claret ex probationibus nostris. Neq; hinc sequi dicas, voluntates Christi, & Ecclesiæ esse contrarias. Nā quod Christus vult, est, vt Sacerdote offerente in ipsius nomine, conferatur fructus, qui est ex Sacrificij vt sic oblati opere operato, ei personæ, pro qua offerat, si ea capax ex parte sua sit illius fructus: quod verò vult Ecclesia, est, vt, si pro excōmunicato vitando offeratur Sacrificiū contra voluntatem eiusdemmet Ecclesiæ, & quin ipsius nomine fiat oblatio, non communicetur tali excommunicato fructus fundatus in meritis ipsius Ecclesiæ. Voluntates autem huiusmodi nullam inter se se contrarietatē habēt. Manifestiora hæc sunt, quàm vt egeant fusiori declaratione. Et nisi Aduersarij adducant argumentum, quo nobis ostēdant, è potestate Ecclesiæ esse, irritare applicationem factam à Sacerdote nomine Christi, permanebimꝰ firmi in nostra opinione. Neque vnquam erunt asserendo (absit verbo inuidia) siquidem inferior nequeat reddere casum id, quod fiat nomine, & authoritate Superioris: qualis est Christus respectu Ecclesiæ; licet hæc queat legitimè imperare Sacerdoti, ne in persona etiam illi⁹ offerat pro aliquo, & proinde possit ex prohibitione Ecclesiæ esse illicita oblatio, quæ nomine etiam Christi exhibeatur pro excluso.

68 Quanquam fatear, subesse in ista prohibitione non leuem

difficultatem. Etenim dummodò Sacerdos externè non offerat pro excommunicato vitando, videtur non posse inhiberi ab Ecclesia, quominus internè offerat, & applicet Sacrificium in persona Christi pro eo, quandoquidem Ecclesia tam non possit vetare internum actum, quàm non poterit iuxta vulgatissimam sententiam, condecoratam nouiter suffragio Illustrissimi Archiepiscopi Hispalensis Petri de Tapia in Catena Morali Lib. 4. quæstione 6. articulo 4. & 5. præcipere illum, si actus internus, vel eius carentia non requiratur ad esse physicum, vel saltem ad esse morale, seu quasi artificiale actus externi. Iam verò carentia oblationis, applicationisve internæ Sacrificij pro excommunicato vitando non est necessaria ad esse siue physicum, siue morale Sacrificij. Et confirmatur, quia hoc innixus principio Meratius in Tractatu de Legibus Disputatione 9. sectione 8. Vers. *Ex qua Suarij* ait, quando Summus Pontifex præciperet, vt efferrentur Sacrificia pro auertendis, vel comprimendis calamitatibus, quę imminerent Ecclesię, vel iam eam molestarent, fore, vt præceptum illud per se, & immediatè non obligaret ad intentionem internam conficrandi, & sacrificandi, neque ad applicationem internam pro impetranda Ecclesię incolumitate. Huc faciunt etiam, quæ ex Authoribus non infimæ aciei retulimus in numero 10. Disputationis 13. Tantum pondus sensit in hac difficultate Pater Arriaga Disputatione 52. de Eucharistia sectione 4. n. 12. & 13. vt ei succubuerit, vel saltem dixerit, esse probabilius, quòd Ecclesia non possit obligare, ne à Sacerdote nomine Christi offeratur internè Sacrificium pro excommunicato vitando. Pertrahere conatur Cardinalem Bellarminum in hanc mentem, eo quòd Lib. 2. de Missa C. 6. scriptum reliquerit, ✻ Existimo, licere id (scilicet offerre Sacrificium pro hæreticorum, siue infidelium aliorum conuersione) modò nihil addatur ad Missam, sed solùm per intentionem Sacerdotis applicetur Sacrificium conuersioni infidelium, siue hæreticorum, id enim multi faciunt viri pij, & docti, quos reprehendere non possumus. ✻ Sed certè Cardinalis Bellarminus loquitur de oblatione mentali, quæ non sit prohibita ab Ecclesia, posset tamen prohiberi; addit namque immediatè, ✻ Neque extat expressa Ecclesiæ prohibitio. ✻ Ergo saltem non fauet, quatenus Ecclesia non posset validè vetare oblationem mentalem. Et quidem Bellarminus loquitur de oblatione mentali directa pro solis hæreticis toleratis, eo quòd iudicet, permitti ab Ecclesia; vel si etiam comprehendat non toleratos, eo quòd putet, iuberi quidem ab Ecclesia, ne publicè oretur siue intrà Sacrificium (quod, ipsomet adnotante paulò antea, semper est publicū, nēpe semper est in se publica oratio) siue extrà pro hæreticis, & excommunicatis quibusuis, non tamen præcipit, ne mentaliter offeratur Sacrificium directè pro eis, etiam si sint non tolerati: vtrouis modò loquatur, constat ex verbis adductis, ipsum negare, quòd actu detur prohibitio Ecclesiastica, minimè verò, quòd posset dari, neque quod, si daretur, obligaret. Addo postremum id, quia Arriaga videtur dicere, dari actu eam prohibitionem de oblatione interna Sacrificij nomine Christi pro excommunicatis vitandis, sed non inducere obligationem. Verba eius sunt ✻ Si consideretur item hoc Sacrificium, vt à Christo oblatum, Ecclesia quidem prohibet, ne applicetur excommunicatis. ✻ Et posteà, ✻ Sola ergo prohibetur interior oblatio Sacrificij nomine Christi. ✻ Sed vel ego non intelligo Sapientissimi Theologi sensum; vel patentissimè absurdum est, vt Ecclesia prohibeat quidpiam, quod sit suprà eius potestatem, & ad quod proinde euitandum non resultet obligatio in Sacerdote. Etenim Ecclesia non potest vetare quidpiam, excedēdo limites potestatis suæ, & quin seruet conditiones, quæ necessarię sunt, & sufficientes, vt eius lex obliget. Vnde in Capite *Nulli*, Distinctione 19. dicitur, *Nulli fas est, vel velle, vel posse transgredi Apostolicæ Sedis præcepta.* Præterea Pater Arriaga supponit, Ecclesiam actu prohibere oblationem internam Sacrificij nomine ipsiusmet Ecclesię pro excommunicatis vitandis, ideòque peccaturum Sacerdotem, si attentet offerre sic, imò nihil obtenturum eis, quia re ipsa inualidè offeret nomine Ecclesiæ. Qua ex suppositione arguo ad hominem contra Arriagam. Ergo Ecclesia potestatem

non

non excedit, prohibere eo modo oblationem internam Sacrificij in persona sua, vt si Sacerdos non obtemperet, peccent. Quo semel admisso, cur non concederetur, è potestate etiam Ecclesiæ esse, vetare obligatoriè, ne Sacerdos applicet internè Sacrificium in persona Christi pro excommunicatis vitandis?

69 Quapropter latiùs erit, dicere cum eodem Arriaga, Ecclesiam, è cuius iure est, dare, vel negare licentiam sacrificandi, non concedere eam, nisi sub conditione, quòd Sacrificium non sit offerendum nomine siue Christi, siue suo pro excommunicatis vitandis. Vnde si Sacerdos in Sacrificio offerat vno, vel altero nomine, vel vtroque pro illis, peccabit ob non seruatam conditionem illam. Quanuis verò Arriaga addat, se dubitare vehementer de sic præstita per Ecclesiam licentia celebrandi, tamen hic modus soluendi difficultatem videtur mihi valde similis verò. Alium inueni casu in Gaspare Hurtado Disputatione tertia de Excommunicatione Difficultate 2. numero 5. vbi ait, Ecclesiam potestate non ordinaria, & generali Superioris humani, sed speciali, & extraordinaria prohibere applicationem internam Sacrificij, & cæterorum communium suffragiorum in bonum excommunicati vitandi, vti simili potestate dispensat in voto purè interno, & quotannis obligat ad confessionem peccatorum etiam merè internorum. Modus is est probabilis, tametsi ex Tractatu de Legibus iuxta varias sententias circa materiam Canonicarum, seu Ecclesiasticarum possit notari de suis nævis. Occurrunt mihi tres alij. Primus est, Ecclesiam eatenus prohibere applicationem internam Sacrificij nomine tam Christi, quàm suo pro excommunicato vitando, quatenus directè vult, vt hic sit priuatus communibus fidelium suffragijs; eo autem ipso quòd velit id, & iustè, consurgit obligatio in Sacerdote non applicandi pro illo Sacrificium, quia si applicet nomine Christi, frustrabitur intentio Ecclesiæ, casu quo excommunicatus existat in statu capaci fructus Sacrificij; si autem applicet nomine Ecclesia, attentabit aliquid illusorium, siquidem ipsa Ecclesia velit, vt non assumat suam personam in ordine ad applicationem pro illo, & vt ob sua merita nihil boni conferatur illi à Deo. Indirecta huiusmodi prohibitio actuum internorum negari à nullo potest. Sit in exemplum voluntas interna non audiendi Sacrum in die festo, quę certè vetita est indirectè eo ipso, quod ab Ecclesia prohibeatur omissio externa audiendi Sacrum, seu eo ipso, quod iubeatur auditio externa Sacri die illo. Secundus modus sit, quia cum Ecclesia prohibeat, ne suo nomine offerat etiam internè Sacerdos pro excommunicato vitando, vetat consequenter, ne offerat internè nomine Christi. Etenim in Sacerdote sacrificante, & offerente decet, imò debet non separari id, quod est agere in persona Christi ab eo, quod est agere in persona Ecclesiæ, quandoquidem Sacerdos sit Minister publicus vtriusque; atque adeo Sacerdos offerens in persona Christi pro excommunicato vitando reus culpæ esset ob separationem illam, vti ob eandem peccaret Sacerdos, qui, cum foret excommunicatus vitandus, celebraret extrà casus, de quibus in numero 25. Disputationis 12. quia nimirùm tunc repræsentaret personam Christi, quin simul repræsentaret personam Ecclesiæ. Tertius est, Sacerdotem iure naturali obligari ad non applicandum internum Sacrificium nomine Christi pro excommunicato vitando, ex hypothesi quòd Ecclesia vult hunc priuare, quantùm possit, communibus subsidijs spiritualibus, ius namque naturale exposcit, vt qui Minister est Ecclesiæ, & tam præcipuum eius membrum, conformetur suo capiti. Non absimili ratione Meratius in loco præcitato ait, iubente Ecclesia, vt sacrificetur ad impetrandum à Deo remedium alicuius calamitatis publicæ, teneri Sacerdotem ex iure naturali, vel diuino ad internam intentionem sacrificandi, necnon ad applicationem pro consequenda à Deo auerruncatione mali illius. Vnde obiter respondimus confirmationi, omittentes multa, quæ circa illam possent dici, vt & circa quæstionem, an lex humana, siue Ciuilis, siue Ecclesiastica, imperare, vetare vè possit actus internos? Quæ verò hic diximus, ostendunt sufficienter, posse ex Superioris Ecclesiastici præcepto deriuari, saltem indirectè, obligationē ad applicationem internam Sacrificij

pro certa, cèrtisve personis. Ast definire, quando deriuetur, non est huius loci, & temporis. Oportuit, monuisse Lectorem de præfata potestate Superioris Ecclesiastici, vt liberaremus fidem datam in n. 10. D. 13.

70 Contra secundam partem Conclusionis vndecimę videbuntur prima facie stare aliqui Authores apud Dianam parte 5. Tractatu 9. Resolut. 76. & apud Leandrum parte 4. Tract. 2. D. 3. quæst. 14. Sed si attentè legantur, comperietur loqui de excommunicatis vitandis, qui in statu amicitiæ Dei existant, atque ideo piè præsumatur ab illis Authoribus, quòd Ecclesia nolit priuare eos interna participatione suffragiorum suorum communium. Sed pars secunda Conclusionis nostræ procedit primariò de excommunicatis vitandis expertibus sanctitatis, & secũdariò extenditur ad præditos gratia habituali, si non sit vera pręsumptio illa, cuius memini; vti ego iudicio, non esse. Quare aduersus secundam partem in sensu principaliter per me intento, vix, & ne vix quidem inuenio Authorem, qui expresè contradicat. Solus Ledesmius secunda 4. q. 23. art. 1. fol. 333. ait, * Probabile est, quòd valet excommunicato prædictum Sacrificium, quia fortè Ecclesia non vult, nisi quòd nullus offerat Sacrificium pro excommunicato; non tamen, quòd non valeat, si fiat. Primum tamẽ dictum videtur mihi probabilius, scilicet quòd Sacrificium oblatum pro excommunicato nihil valeat apud Deũ, quantùm ad illum valorem ad minus, qui ex Ecclesia poterat prouenire. * Quæ omnia sunt verba Ledesmij. Sed ego tacens de probabilitate extrinseca ab authoritate siue ipsius Ledesmij, siue aliorum (si qui sint) non capio, quì possit esse probabile ab intrinseco illud, quod primò proponitur in verbis transcriptis, nam si Ecclesia vult priuare efficaciter Sacrificij fructu ex suis meritis proueniente excommunicatum vitandum, & hac de causa prohibet Sacrificij oblationem pro illo, non enim aliter potest priuare efficaciter tali fructu, in intelligibile prorsus est, vt, si fiat à Sacerdote applicatio prædicti fructus, valida, operatiuaque sit. Et alioqui Ecclesia priuans excommunicatum vitandum illo fructu, conciperet sic expoliationis sententiam: volo, excommunicatum carere fructu Sacrificij fundato in meis meritis, si Sacerdos aliud non velit, quanuis illicitè. Opponet quis, si Sacerdos applicet vni fideli partem fructus impetratorij generalissimi, quam alteri vellet applicatam Ecclesia, non erit irrita ea applicatio, vt concessimus in n. 46. D. 15. Ergo similiter in præsenti casu. Respondeo, constare in hoc casu nobis de voluntate Ecclesiæ priuandi efficaciter excommunicatum fructu respondente meritis ipsius Ecclesiæ; ast in eo alio non constat de Ecclesiæ voluntate, vt si fructus impetratorius generalissimus, applicandus Petro, referatur à Sacerdote in bonum Pauli, non sit huic vtilis.

71 Colligitur tandem ex dictis de excommunicato vitando, debere similiter discurri quod alios, pro quibus posset ex natura rei offerri Sacrificium Missæ, sed Ecclesia censeatur prohibuisse, ne offeratur. Quare qui in ea sint sententia, vt, quantùm est ex institutione Christi, potuisset Sacrificium offerri pro Catechumenis, & pro infidelibus, Ecclesia tamen iusserit, ne actu offeratur, videntur debere conuenire nobiscum, quatenus amplient ad eos Conclusionem, quam nos proposuimus, & illustrauimus quoad excommunicatos vitandos. Sed erit, qui dicat, si hi sunt habendi tanquam Ethnici iuxta C. 18. Matthæi V. 17. & pro excommunicatis vitandis non licet offerre Sacrificium, neque item licebit pro Ethnicis. Quod est contra nostram septimam Conclusionem. Sed respondeo, excommunicatos reputãdos esse ea ratione sicut Etnichos, vt fidelibus non liceat cũ eis plus commercij, quàm olim haberent Iudęi cum Ethnicis, provt optimè explicat Raynaudus parte 2. de Monitorijs C. 8. n. 23. Iudæi autem, etsi Ethnicos valde sint abominati, & refugerint studiosissimè commercium, conuictumque humanum, & politicum cũ eis, tamen non recusabant sacrificare pro eis, vt visum est in n. 34. Certè verba Christi eò tantùm respiciunt, vt qui Ecclesiam non audierit, censendus sit impius, sicut à Iudæis habebantur Ethnici, & Publicani.

SECTIO III.

De defunctis, pro quibus offerri potest.

CONCLVSIO XII.

Sacrificium, Missæ offerri potest licitè, imò & debet ex generali saltem intentione, pro animabus in Purgatorio existentibus, potestque illis prodesse tam quoad impetrationem, quàm quoad satisfactionem.

72 HÆC Conclusio est de fide Catholica; & omissis probationibus ex Concilijs, ac Patribus, confirmo eam breuiter primò ex veteris legis Sacrificijs pro peccatis mortuorum, vt traditur Lib. 2. Machabæorum C. 12. quibus Sacrificijs cedere non debet, sed potiùs anteire in extensione, & efficacia Sacrificium nouæ legis. Secundò, S. Paulus 1. ad Cor. 15 V. 29. ait, *Quid facient, qui baptizantur pro mortuis, si omnino mortui non resurgunt? Vt quid & baptizantur pro illis?* In quib⁹ verbis sensus Sancti Pauli est, probatus à multis Interpretibus, & à nullo (quem sciam) reiectus vt improbabilis, quid faciunt, qui præcedentibus ablutionib⁹ sacrificant pro defunctis, si isti non resurgent? Solebant enim Iudęi ante preces, Sacrificia, omnemque rem diuinã adhibere quasdam ablutiones, vt constat ex Cap. 7. Marci Ver. 8. ex Cap. 9. Hebræorum Ver. 10. alijsque ex locis. Legantur Cornelius ad ea verba Pauli, & Martinonus D. 64. de Purgatorio S. 3. num. 17. Tertiò, Sacrificium cruẽtum crucis oblatum est pro animabus etiam Purgatorij; & non applicatur eis, nisi per incruentum hoc, ac per alia Ecclesiæ, fideliumq; suffragia. Quarto, existentes in Purgatorio *non separantur ab Ecclesia, quæ est regnum Christi*, vt inquit S. Augustin⁹ L. 20. de Ciu. Dei, C. 9; sunt vniti Christo per gratiam, imò & in ea sunt confirmati; sunt præterea aliquo modo viatores, cum ambulent per fidẽ, & adhuc non peruenerint ad vltimum gloriæ terminum; tandem sunt capaces remissionis pœnarum, quas patiuntur. Ergo illis potest prodesse Sacrificium Missę quoad suum principalem effectũ, si pro illis offeratur. Et ad id quidem Sacerdos in sui Ordinatione accipit potestatem per illa verba, *Accipe potestatem offerendi Sacrificia Deo, Missasque celebrandi tam pro viuis, quàm pro defunctis*, &c. Quia verò Sacerdos debet in celebrando seruare ritum Liturgiæ; & in hac ex generali intentione offertur Missa *pro omnibus fidelibus Christianis viuis, atq; defunctis*, fitque commemoratio *famulorum, famularumque* Dei, *qui nos præcesserũt cum signo fidei, & dormiunt in somno pacis*, petiturque, vt *omnibus in Christo quiescẽtibus locum refrigerij, lucis, & pacis indulgeat Deus*; ideo in Conclusione dixim⁹, debere offerri ex generali intentione Missam pro animabus Purgatorij. Et ita iubetur C. *Visum* 72. de Consecratione Dist. 1.

73 Modò expediendæ sunt perstrictim difficultates aliquę, ex quarum decisione Conclusio proxima pleniorem lucem accipiet. Prima difficultas, an ex certa, & infallibili lege, vel tantùm ex misericordia acceptetur à Deo Sacrificiũ Missæ oblatum pro animabus Purgatorij ad remissionem pœnæ temporalis? Melchior Canus L. 12 de locis C. 13. in responsione ad 9. argumentum §. *Qui verò* ait, ✻ Sacrificij vim forsan non habere nisi orationis, & suffragij locum respectu defunctorũ. At viuis per viam redemptionis, & pretij prodesse, quod lege iustitiæ acceptandum est, perinde vt si quanta pecunia debetur, tanta etiam exolvatur. ✻ Dominicus Sotus in 4. Dist. 13. q. 2. art. 1. scribit de Sacerdote, alijsq; cooffer entibus Missam. ✻ Tertiò, assequuntur & alios effectus per modum impetrationis, & suffragij; nempe defunctis releuationem tormentorũ Purgatorij, aut prorsus liberationem, quæ non fit ex rigore iustitiæ per modũ meriti de condigno, sed per modum precationis, si Deus acceptauerit, & per modum applicationis Sacrificij ad satisfaciendum pro ipsis. ✻ Citatur etiam Sotus in 4. Dist. 19. q. 2. art. 4. ad finẽ. Sed ibi solùm docet, satisfactiones viuorum pro defunctis nõ esse de iustitia, & certa lege, nec loquitur de satisfactione per Sacrificium Missæ. Rursus in Dist. 21. q. 2. art. 3. V. *Est tamen dubium*

bium, repetit dubitationem, * Vtrũ satisfactiones viuorum valeant defunctis de condigno, hoc est, de iustitia, & lege certa? * Et cum proposuisset argumenta pro parte affirmatiua, & pro negatiua, addit, * Certè res est dubia; & quanuis clementiùs sit, credere, quòd valeant de condigno, non tamen res vsque adeò est certa. Eadem forsan ratione quis posset dicere de Indulgentijs, quę conferuntur defunctis per modum suffragij, videlicet quòd non tam infallibili certitudine prosint defunctis, quàm viuis. Magis autem pium est, oppositum sentire: nam parem authoritatem Deus Ecclesiæ tribuit applicandi thesaurum per modum suffragij defunctis, & per modum absolutionis viuis, sicuti & Sacrificia offerre pro viuis, & defunctis. * Quibus postremis verbis videtur tetractasse, vel non omnino cõstans fuisse in eo, quod scripserat Dist. 13. q. 2. art. 1. Docuit illud ipsum Antonius Cordubensis Libro 1. quæst. 3. Opinione 4.

74 Sed sine cunctatione recedendum est ab his Authoribus, duce S. Thoma in 4. Dist. 45. q. 2. art. 1. 2. & 3. & in hoc postremo, quæstiuncula 1. ad 3. vbi inquit, *Eucharistiam*, in ratione Sacrificij, *esse signum Ecclesiasticæ vnionis, & ideo ex ipso opere operato eius efficaciam in alterum*, qui sit defunctus, *transire posse; quod non contingit de alijs Sacramentis*. Cum S. Thoma sentiunt Suarez D. 79. sect. 10. V. *Nihilominus*, Vazquez D. 228. C. 4. ex num. 29. Theologique alij cõmuniter. Et meritò, quia iuxta Concilium Tridentinum Sess. 22. C. 2. Sacrificium hoc *non solùm pro fidelium viuorum peccatis, pœnis, satisfactionibus, & alijs necessitatibus, sed & pro defunctis in Christo, nondum ad plenum purgatis, ritè, iuxta Apostolorum traditionem, offertur*. Atqui ex Christi institutione ordinatur hoc Sacrificium ad satisfaciendum pro pœnis viuorum infallibiliter, certa lege, atq; ex opere operato vt visum est in sect. 2. D. 10. Ergo & ad satisfaciendũ pro pœnis defunctorum. Idem Concilium ibidem ait, *Oblationis cruentæ fructus per hãc incruentam vberrimè percipi*: & Sess. 25. in Decreto de Purgatorio addit, *Animas in Purgatorio detentas, fidelium suffragijs, potissimùm verò acceptabili altaris Sacrificio iuvari*. Atqui animæ existentes in Purgatorio iuvantur fidelium viuorum pijs operibus vt satisfactorijs per modũ petij, ac solutionis. Ergo multò potiùs acceptabili altaris Sacrificio. Si autem ipso eis subueniretur tantùm per modum impetrationis, & suffragij, vt aiebant tres illi Doctores memorati, sequeretur, iuvari multò minus, & non percipi adeò vbertim ab ipsis fructus Passionis Christi per Sacrificium Missę, quàm per pia opera fidelium viuentiũ. Quæ sequelæ sunt contra Concilium Tridentinum. Video, ex paucorum, imò ex eorundem Authorum, quos impugnamus, sententia negari posse Minorem. Sed tunc arguam: Ergo magis succurretur fidelibus viuentib⁹ per aliorum fidelium opera satisfactoria, quàm per Sacrificium Missæ defunctis, nam illis per talia opera suppetias itur certò, & infallibiliter, si adsint conditiones requisitæ ex parte applicantium, & ex parte eorum, pro quibus applicantur. Hęc autẽ sequela durissima est. Nõ me latet, posse ex pauciorum opinione negari suppositum. Sed tunc arguam: Ergo si quoad fideles viuentes Sacrificium Missæ habet id speciale præ suffragijs alijs, vt prosit satisfactoriè infallibiliter, excogitari idem debet quoad fideles emortuos.

75 Oppones primò, Indulgentiæ non prosunt infallibiliter defunctis ad remissionem pœnæ temporalis. Ergo nec Sacrificium Missæ. Secundò, animę in Purgatorio detentę nõ sunt in statu satisfaciẽdi, sed satispatiẽdi. Ergo Sacrificium Missæ vt satisfactorium nõ eis prodest ex certa lege, ac promissione. Tertiò, præfatæ animæ non sunt iam membra Ecclesiæ visibilis. Ergo non eis prodest ex opere operato Sacrificium visibile, sicut ob eandem rationẽ non eis prosunt Sacramenta visibilia. Si autem præfatis animabus non prodest ex opere operato Sacrificium ad remissionem pœnæ temporalis, sequitur, quòd non prosit infallibiliter. Ad primũ nego Antecedens; &, eo concesso ex abundanti, inficior Consequentiam ob manifestam disparitatis rationem, nam Christus, cuius authoritate applicatur Sacrificium pro defunctis, habet potestatem, & iurisdictionem erga hos; quare potuit instituere sic illud, vt infallibiliter prodesset ipsis; quicquid sit, an ob iurisdictionis erga defunctos defectũ in Ecclesia, cuius authoritate applicantur

tur pro eis Indulgentiæ, negari de his debeat, quòd certa lege prosint. Vnde ego habenti modicam pecuniam consulerem potiùs, vt traderet Sacerdoti (de cuius fidelitate, iustitiave non dubitet) imponeretque onus vnius Missæ applicandę pro defuncto, vel duarum; quàm vt eam pecuniam insumeret in Bulla Cruciatæ pro Indulgentia plenaria erga defunctum; tametsi Noster Tamburin⁹ Lib. &. Cap. 2. de Missa §. 15. num. 2. dicat, consultum à se iri secundum potiùs, quàm primum, quia Missa applicata non semper sufficit ad remissionem totius pœnæ; Indulgentia verò plenaria sufficit; & quę per Bullam conceditur, est certa. Fateor quidem, esse certam, id est, datam à Summo Pontifice ex legitima potestate, atque ex pia, honestaque causa, & proportionata concessioni; sed tamen eiusmodi Indulgẽtiæ effectus in anima purgante non est infallibilis iuxta probabilem multorum Theologorum opinionem, quam non reprobat Bellarminus, sed potiùs appellat valde rationabilem, & quam defensant Bonacina D. 6. q. 1. puncto 6. n. 15 Layman L. 5. Tract. 7. C. 7. num. 3. & Amicus tomo 8. D. 20. sect. 8. à num. 176. Ast quòd Missæ effectus non sit infallibilis in anima purgante, nullã, aut vix vllam probabilitatem habet. Cum ergo Missa vna sit remedium infallibile, etsi non semper pro tota pœna, deberet potiùs suaderi in illo casu. Addo, sub controuersia esse, an applicans Indulgẽtiam pro defuncto debeat existere in statu gratiæ, vt ea prosit illi? & non deesse Theologos graues, qui affirment, vt videre est apud Franciscũ Bardi in Explicatione Bullæ Cruciatæ parte 4. Tract. 3. Cap. 2. sect. 3. num. 22. cum tamen certum sit, Sacrificium Missæ proficuũ satisfactoriè esse defuncto, etsi offeratur à Sacerdote peccatore, & procuretur ab alijs fidelibus expertibus sanctitatis.

76 Ad secundam obiectionem dico, animas Purgatorij existere quidẽ in statu, in quo non possunt satisfacere per se ipsas; sed non in statu, in quo nequeant infallibiliter frui satisfactionibus Christi, & iustorum, si satisfactio Christi applicetur ipsis medio Sacrificio Missæ, & satisfactiones iustorum medijs pijs operibus. Ad tertium dico, animas Purgatorij fuisse in hac mortali vita membra visibilis Ecclesiæ, & vnita Christo per gratiam, modoque esse sic vnita, quin accesserint ad vltimum terminum patriæ; sufficereque id, vt eis queat Sacrificium Missæ prodesse ex opere operato. Diuersa est ratio de Sacramentis, quæ non nisi suscipientibus fructuosa sunt ex opere operato, nec nisi per aliquam actionem circa corpus applicantur, vt sint vtilia animę, nec nisi ad primò conferendam, vel ad augendam sanctificantem gratiam ordinantur principaliter; animæ autem Purgatorij eam gratiam habent, & in ea non crescunt. Ad hæc: animis purgantibus, cũ iam sint extra statum crescendi in gratia (cuius augmentum respicitur præcipuè ab Eucharistia vt Sacramento) & cum etiam sint extra vitam mortalem, (pro qua institutio Sacramentorum est facta) applicari non potest Eucharistia vt Sacramentum. Vnde meritò scripsit Aureolus in 4. Dist. 9. q. 2. art. vnico, *Si quando appareret sacrificanti pater, & mater defuncti, petentes Sacramentum, sicut quandoque factum est, non debet Sacerdos eis Sacramentum ministrare.* Sed illud, quod dicit, quandoque factum esse, vel fuit illusio Sacerdotis, vel fallacia Dæmonis, nec enim animę purgantes tale quid postularent: vel nomine Sacramentorum, quæ petierint, significabant celebrationem Sacrificij Missæ pro ipsis, nã hoc appellari *Sacramenta*, in vsu fuit olim, vt obseruant Iosephus Vicecomes Volumine 2. de Missæ ritibus Libro 1. C. 7. & Raynaudus in Tract. de Errore populari de Communione pro mortuis num. 50. Atque ex his reijciendus est Nicolaus Cabasilas, qui in Expositione Liturgiæ C. 42. & tribus sequentibus ait, prodesse mortuis Sacrificium Missę, quatenus spiritualiter communicẽt. Contra quam ineptiam agit prælaudat⁹ Raynaudus n. 46. Innuit Simeon Thessalonicensis circa finem libri de Templo quidpiam de communione intelligibili animarum. Sed si eius authoritas tanta esset, quanta antiquitas, facile fòret, parare interpretationem eius verbis.

77 Secunda difficultas, Vtrum Sacrificium Missæ prosit cuivis animæ Purgatorij, pro qua offeratur? Caietanus tomo 1. Opusculorum Tract. 16. de Indulgentijs q. 5. existimat, neque communibus, neque specialibus suffragijs

gijs iuvari animas Purgatorij, quæ cum viuerent in corpore, dederunt obliuioni defunctos, & non attulerunt eis opē, exhibendo suffragia pro ipsis. Probat ex S. Augustino in Enchiridio C. 109. dicente, *Neque negandum est, defunctorum animas pietate suorum viuentium releuari, cum pro illis Sacrificium Mediatoris offertur, vel eleemosynæ in Ecclesia fiunt. Sed hæc eis prosunt, qui, cum viuerent, vt hæc sibi postea prodesse possent, meruerunt.* Sed S. Augustinus in hoc loco, & in similibus alijs ex Lib. de de Cura pro mortuis C. 18. referunturque C. *Tempus*, & C. *Non æstimemus* 13. q. 2. necnon in Serm. 34. de Verbis Apostoli, vt & S. Gregorius L. 4. Dialogorum C. 57. imitatus eundē S. Doctorem, docent, non omnes defunctorum animas relevari Sacrificio, vel eleemosynis, nā neq; quæ ad Cœlū, neque quæ ad Infernum vadunt, releuantur, sed quæ ad Purgatorium. Et hunc esse S. Augustini sensum, non autē illum, quem Caietanus cogitauit, constat ex eius verbis, ait namq; , *Est enim quidam viuendi modus, nec tam bonus, vt non requirat ista post mortem; nec tam malus, vt ei ista post mortem non prosint. Est verò talis in bono, vt hæc non requirat: & est rursus talis in malo, vt nec his valeat, cum hæc vita transierit, adiuvari. Quo circa omne hìc meritum comparatur, quo possit post vitam relevari quispiam, vel gravari.* Ita in Cap. 110. Enchiridij S. Augustinus. Et quia Caietanus vnicè motus est authoritate S. Doctoris in eam opinionem, vidimusq; , diuersam longè esse S. Augustini mentem, asserimus cum communi Theologorum, proficere cuivis animæ Sacrificium pro ipsa applicatum, etsi de mortuis non habuerit particularem curam in statu coniunctionis ad corpus, Ratio est, nam fundamentum sufficiens ad iuvamen per Sacrificia est status gratiæ competens cuivis animæ Purgatorij, comparatusque per bona opera facta in corpore. Vnde Venerabilis Petrus Cluniacensis in Epist. contra Petrobrusianos, titulo contra id, quod dicunt, viuorum beneficia nihil prodesse defunctis, scripsit, *Etsi aliena videntur viuentium opera, vt tamen mortuis prodessent, mortuorum, dum viuerent, sunt meritis cōparata.* Sic ille. Et ego Caietano concedam, animas, quæ in hoc sæculo diligētiores fuerunt in subueniendo fidelibus defunctis, habere meliorem dispositionem, vt eis plus pœnæ condonetur, quā alijs negligentioribus, si, cęteris paribus, æquale suffragium applicetur pro his, & illis. Admittam etiam, spectare ad prouidentiam Dei, vt excitet viuorum pietatem ad succurrendum per maiora suffragia defunctis, qui, cum mortalem vitam agerent, liberales fuerunt erga Purgatorij animas,

Quique sui memores alios fecere merendo.

Vt enim ait Christus, *Date, & dabitur vobis, & qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis.* Addam, eos, qui in vita mortali deuotiores sunt erga Sacrificiū Missæ, conanturque ad illud pro viribus cooperari, posteà in Purgatorio experiri vnum, & alterum, quod proximè dixi. Imò Didacus de Tapia q. 7. de Eucharistia art. 4. §. *Pro defunctis* existimat, solis illis, qui aliquid contulerunt ad oblationē Sacrificij Missæ, esse istud vtile ex opere operato, & cæteris tantùm per modum impetrationis, atque suffragij. Sed Tapia refellendus est ex dictis in hac difficultate, & in præcedenti.

78 Tertia difficultas, num Sacrificium Missæ, applicatum specialiter pro vna Purgatorij anima, prosit æquè omnibus alijs vt satisfactorium? Prodesse non nihil, citra dubium est, siquidem ex generali intentione offeratur Missa pro omnibus. Sed æquè non prodesse, sentiendum est cum S. Thoma in 4. Dist. 45. q. 2. art. 4. quæstiuncula 1. contra Præpositiuum Presbyterū Leodiensem. Subscribit Angelico Doctori Schola Theologica, quia applicatio Sacrificij pendet ex intentione applicantis, & applicatio illius vt satisfactorij comparatur solutioni pecuniæ, quam quispiam singulariter pro aliquo amico facit, & non pro alijs, vt benè considerant Sotus in 4. Dist. 45. q. 2. art. 4. in 1. Conclusione, Bellarminus Lib. 2. de Purgatorio C. 18. in fine. Et hic est cōmunis fidelium sensus. Pro quo stant S. Hieronymus, & S. Augustinus, quorum primus in C. 11. Prouerbiorum scribit, *Notandum autem, quòd etsi impijs post mortem spes veniæ non est; sunt tamen, qui de leuioribus peccatis, cum quibus obligati defuncti sunt, post mortem possunt absolui; vel pœnis videlicet castigati, vel suorum precibus, & eleemosynis, Missarumque celebrationibus: sed hæc quibuscumque fiunt, & ante Iudicium,*

dicium, & de leuioribus fiunt erratis. Secundi verba L. de Cura pro mortuis C. 4. transcribuntur in Canone *Visum* Cõcilij Cabilonensis, suntque huius tenoris, *Non sunt prætermittendæ supplicationes pro spiritibus mortuorum: quas faciendas pro omnibus in Christiana, & Catholica societate defunctis, etiam tacitis nominibus quorumque, sub generali cõmemoratione suscepit Ecclesia, vt quibus ad ista desunt parentes, aut filij, aut quicumque cognati, vel amici, ab vna eis exhibeantur pia matre communi.*

79 Quarta difficultas, an Sacrificium Missæ, oblatum pro multis Purgatorij animabus in communi, valeat tantundem ad satisfactionem singulis, ac si pro vna quaque offerretur in particulari? Valere aliquantulùm, non potest ambigi, si attendatur ad dicta in solutionibus difficultatum præcedentiũ; si item animadũertatur, nullam esse rationem, vt aliquibus, & non omnibus prosit. Sed non prodesse æquè singulis, perinde ac si offerretur in particulari pro vnaquaque, respondendum est cũ S. Tho. suprà, quęstiũcula. 2. in Corp. *Nã si consideretur valor suffragiorum, in quantũ sunt satisfactiones quædam per intentionem facientis translatæ in mortuos, tunc magis valet suffragium alicui, quod pro eo singulariter fit, quàm quod pro eo communiter fit, & multis alijs. Sic enim effectus suffragij diuiditur ex diuina iustitia inter eos, pro quibus suffragia fiunt.* Quæ sunt S. Thomæ verba; & ex contextu patet, nomine suffragiorum cõprehendere etiam Missam. Iuvat ad hanc doctrinam exemplum solutionis pecuniæ, instar cuius applicatur Sacrificium Missæ vt satisfactoriũ. Si eadem pecuniæ quantitas soluatur pro multorum debitis, minus liberantur ære alieno singuli, quàm si pro vno in singulari, eoq; solo solueretur. Præterea, vt benè ponderant Ludovic' Lopez parte 2. Directorij Conscientiæ C. 78. pag. 283. Hieronymus Garcia de Excellentijs Sacerdotij Tract. 3. Diff. 1. Dub. 8. puncto 2. num. 25. iuvat Ecclesiæ consuetudo, & fidelium cura in celebrandis specialiter Missis pro aliquibus, frustrà namq; & minus rectè sic fieret, si celebratę pro omnibus in communi, vel pro centum ex omnium numero, non valerent minus singulis, quã celebratę pro quolibet in particulari, & specialiter, seorsimque ab alijs: *Non enim decet, esse difficile beneficiũ, quod largitate non paritur detrimentum*, vt ait Cassiodorus Lib. 1. Variarum in Epist. 14. Sed de hoc puncto satis in præsentiarũ egimus namq; de eo per integram Disputationem VIII. Infertur ex dictis cũ S. Thoma in quæstiuncula 3. suffragia communia Missarum non tantùm valere illis defunctis, pro quibus specialia non fiunt, quantũ valent illis, pro quibus fiunt specialia, & communia, quãdoquidem ad priores non refundatur fructus satisfactorius ex specialium suffragiorum valore.

80 Quinta difficultas, vtrùm Missę de *Requiem* prosint plus defunctis, quàm aliæ Missę? Respondeo ex Sancto Thoma suprà q. 2. art. 3. quæstiuncula 1. ad 5. *In Officio Missæ non solùm est Sacrificium; sed etiam sunt ibi orationes:: Ex parte igitur Sacrificij oblati Missa æqualiter prodest defuncto, de quocumque dicatur; & hoc est præcipuum, quod fit in Missa; sed ex parte orationum magis prodest illa, in qua sũt orationes ad hoc determinatæ. Sed tamen iste defectus recompensari potest per maiorem deuotionem vel eius, qui dicit Missam, vel eius, qui facit dici, vel iterùm per intercessionem Sancti, cuius suffragium in Missa imploratur.* Sic Sanctus Doctor, & nos cum ipso. Concordantque vno ore omnes Theologi.

81 Sexta difficultas, num in Purgatorio sint aliquæ animæ, quibus non possit licitè Missa applicari? Respondeo affirmatiuè propter animas nõdum plenè purgatas eorum, qui vinculo excommunicationis maioris ligati decesserint in gratia ante obtentam absolutionem citra ipsorum culpam; & suppono, fuisse excommunicatos non toleratos. Probatio huius responsionis petenda est ex Conclusione 8. in Sectione præcedenti. Cæterùm si absoluãtur, poterunt pro eis offerri Missæ. De Catechumenorum animabus in Purgatorio existentibus quid à nobis asserendũ sit, constat ex Conclusione 6. etsi prętter alios ibi memoratos dissentiat Trullench in Expositione Bullæ Cruciatæ Lib. 4. Dub. 6. num. 7. & ex antiquis Simeõ Thessalonicensis de Templo diuino, vbi explicans Missam fideliũ ait, *Ecclesia clamans, Catechumenos exire, fideles tantùm remanere præcipit. Vnde etiam perspicere licet, quantùm sibi fideles cauere debeant, ne communicent cum ijs, quibuscum*

nulla

nulla potest esse communio; ac præsertim Sacerdotes. Si enim nefas est, communicare in precibus, quantò magis in Sacrificio. Nisi intelligendus sit, quatenus non liceret sacrificantibus, accipere oblationes Catechumenorum, nam statim in eodem sensu addit, *Qui etiam palàm peccantium fidelium oblationes propter Sacrificium non debent temerè admittere, sed pœnitentiam priùs requirere. Communio enim fit pro oblata parte, & Sacrificio indignos eo participare nefas.* Omittimus plures alias difficultates, ne huc transferamus Tractatus de Purgatorio, Indulgentijs, & suffragijs. Sed non silebimus, inter suffragia pro defunctis relata C. *Animæ* 13. q. 2. (cuius Canonis verba priora desumpta sunt ex S. Augustino Serm. 34. de Verbis Apostoli, nisi quòd S. Augustinus expressè non meminit ieiunij) Sacrificium Missę tenere principem locum, & ideo à S. Augustino ante alia nominatur, vt & à Concilio Florentino in litteris vnionis, vbi dicitur, animabus Purgatorij *prodesse fidelium viuorum suffragia, Missarum scilicet Sacrificia, orationes, & eleemosynas, & alia pietatis officia, quæ à fidelibus pro alijs fidelibus fieri consueuerunt, secundùm Ecclesiæ instituta.* S. etiam Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi 5. Mystagogica proponit credendum firmissimè, *maximum animarum iuvamen esse obsecrationem sancti illius, & tremendi, quod in altari positum est, Sacrificij.* In Epist. 71. inter alias S. Bonifacij dicitur, *Missam esse maximum bonum animabus egredientibus de corpore.* Legantur Gabriel Lect. 57. in Canonem Missę ex littera C. Petrus Thyræus de Locis infestis parte 3. C. 82. Henriquez Lib. 9. C. 16. Ioannes Garetius in Assertione, quòd mortui viuorum precibus adiuventur.

CONCLVSIO XIII.

Sacrificium Missæ offerri non potest licitè, nec validè pro animabus infantium, qui obierunt sine Baptismo.

82 HANC esse Theologorum constantem opinionem in 4. Dist. 45. testatur Azor tomo 1. Lib. 10. q. 7. Capitis 22. eo quòd cum Originali peccato hac vita functi excluſi sint in æternum à Regno Cœlesti. Vnde eadem est de ipsis, ac de damnatis adultis ratio, nisi quòd non patiũtur pœnam sensus, nec tristantur de exclusione illa. Id autem potiùs fauet Cõclusioni, nam carent pœna, quæ per Sacrificia Missarum minuatur siue quoad intensionem, siue quoad extensionem, diuturnitatemve temporis, & solummodò habent visionis beatę carentiam, eamq; ex diuina ordinatione inamissibilem. Potest hæc Conclusio pertinens (vt iudico) ad fidem Catholicam illustrari authoritate S. Augustini adducti, & expensi in decursu sextæ Conclusionis. Legantur etiam Sanctus Thomas in 4. Dist. 45. q. & art. 2. quæstiuncula 3. Bartholomęus Sybilla in Speculo peregrinarum quæstionum Decade 1. C. 3. quæstione 5. quæstionis 5. principalis, Henriquez Lib. 9. C. 16. § 2. & Authores, quos citat in Glossa littera *L.* Martinus Carrillus in Explicatione Bullæ defunctorum, parte 2. C. 8. ànum. 4 C. 13. num. 6. Dicastillus Tract. 5. D. 2. Dub. 4. num. 113. Amicus D. 33. S. 5. num. 105.

CONCLVSIO XIV.

Sacrificium Missæ offerri non potest licitè, nec validè pro animabus paruulorum, qui iam Baptismo susceptо abierunt è viuis.

83 HÆC Conclusio accipienda est in eodem sensu, quem declarabimus circa sequentem Cõclusionem, quę erit de Beatis adultis: & eadem est vtriusque ratio, nam præfati paruuli sunt iam beati, vt fide Catholica credimus. Sed notat S. Thomas in 4. Dist. 12. q. 2. art. 1. quæstiuncula 2. ad 2. *Pro pueris baptizatis Missarum solemnia celebrari, non quia eis iuventur quãtùm ad remissionem alicuius culpæ, vel quãtùm ad augmentum gloriæ; sed propter alias rationes, tum propter solatium viuorum, tũ ad ostendendum, paruulos ad vnitatem corporis mystici pertinere, dum idem modus exequiarum seruatur in ipsis, & in alijs: tum ad commendandum redemptionis mysterium, quod in hoc Sacramento commemoratur, per*

quod

quòd paruuli sine proprio merito salutem consequuntur æternam. In quibus verbis celebratio pro his paruulis intelligenda non est ad sensum rigorosum. Et dum S. Thomas ait, eundem modum exequiarum seruari in his paruulis, fortè id dixit, quia suo tempore non tam cautè procedebatur in ordine eos sepeliendi, & in Missis, quæ celebrabantur die obitus. Nunc ordo sepeliendi diuersus est, & vel absoluitur absque Missa, vel si cum ea, non quidem de *Requiem*, sed de Tempore, aut votiua de Angelis, Sãctove aliquo. Azor suprà q. 9. videtur concedere, posse dici de *Requiem*; sed ita vt pro eis paruulis non offeratur, nec precationes vllæ pro eis fundantur. Parochi erit, scire, & seruare consuetudinem, quę in Diœcesi vigeat. Conclusionẽ hanc meritò extendit Nauarrus Miscellaneo 53. de Oratione n. 3. ad adultos baptizatos, qui fuerunt semper amentes, & iudicij ad peccandum sufficientis expertes, nam & istorum animæ recta via pergunt ad Cœlum, quin habeant quidpiam in Purgatorio expiãdũ.

CONCLVSIO XV.

Sacrificium Missæ non potest licitè, nec validè offerri propriè pro animabus beatis existentibus in Cœlo.

84 ET in primis vt satisfactorium non potest offerri, quia Beatis nequit prodesse ad culpæ, vel pœnę remissionem, sunt enim immunes ab omni culpa, & pœna. Deinde nõ potest offerri vt impetratorium augmenti gratię, vel gloriæ essentialis, nequeunt enim in his proficere, cum non sint iam ampliùs in via. Vlteriùs nõ potest propriè offerri vt impetratoriũ gloriæ accidentalis intrinsecæ in ipsis Beatis, consistentisque in accidentalibus gaudijs redundantibus in ipsos ex nostris actibus, quia, vt optimè obseruauit Suarius D. 78. sect. 3. V. *Respondetur*, ✻ Hæc vicissitudo gloriæ accidentalis semper creditur oriri ex his, quæ in Ecclesia militante fiunt, ideoque solùm vsque ad diem Iudicij duratura; vel certè si aliunde etiam oriri potest, habet in singulis Beatis suam certam legem, stabilem, & independentem ab orationibꝰ nostris; & ideo ad nos nõ pertinet pro eis orare, quantùm ad augmẽtum huius glorię. ✻ Sic Eximius Doctor. Vnde cum gloria accidentalis intrinseca Beatorum non pendeat directè à nobis, licet aliqua redundet ex nostris actibus in illos, non poterimus offerre propriè Sacrificium, & orationes nostras vt impetratorias eius gloriæ. Insuper nec poterimus propriè offerre Sacrificium vt impetratorium glorię accidẽtalis extrinsecę consistẽtis in honore, quo illos veneretur, & colat populus Christianus, quia hic modus offerẽdi non est propriè pro Beatis, sed pro nobis, proximisque nostris; petimus namque, aut intendimus, vt magis, ac magis à fidelibus glorificentur in terris: quod nostra est vtilitas, & commoditas, quauis in Beatorũ gloriam redundet, vt docet Suarez vbi suprà. Colligiturque ex illis verbis Sacerdotis in Liturgia post ablutionem mãnuum, *Vt illis*, nempe Beatis, *proficiat ad honorem, nobis autem ad salutem.* Et alioqui, si talis modus offerẽdi esset propriè pro Beatis sequeretur, offerrię tiã propriè pro Deo, quando ipsius gloriam extrinsecam postulamus per Sacrificium. Tandem Sacrificium Missæ non potest propriè offerri pro Beatis, vt Eucharisticum, seu actionis gratiarum, & laudis ob beneficia, à Deo in ipsos collata, quia vt sic non applicatur Beatis fructus Sacrificij, neque vt sic petitur à Deo aliquid in eorum bonum, & vtilitatem, sed reddũtur Deo à nobis gratiæ, & laus loco illorum, *implorãturque eorum patrocinia, vt ipsi pro nobis intercedere dignentur in Cœlis, quorum memoriam facimus in terris*, vt inquit Concilium Trident. Sess. 22. C. 3.

85 Ex his intelligenda veniũt Innocentij III. Pontificis Maximi verba in C. *Cum Marthæ* 6. de Celebratione Missarum, quæsitus enim, *Quare fuerit mutatum, quod in Secreta B. Leonis secundùm antiquiores codices continetur, sic videlicet, Annue nobis, Dñe, vt animæ famuli tui Leonis hæc prosit oblatio: cum in modernis Sacramentarijs habeatur, Annue nobis, quæsumus, Domine, vt intercessione B. Leonis hæc nobis prosit oblatio?* Respondit Innocẽtiꝰ, *Quòd cum sacræ Scripturæ dicat authoritas, Quòd iniuriã facit Martyri, qui orat pro Martyre, idem est ratione consimili de alijs Sanctis sentiendum, quia orationibus nostris non indigent, pro eo, quòd cum sint perfectè beati, omnia eis ad vota succedunt: sed nos potiùs orationibus eorum indigemus, quos (cum*

miserisimus) *vndique mala nostra perturbãt. Vnde quod in plerisque orationibus continetur, Prosit, vel proficiat huic Sãcto, vel illi talis oblatio ad gloriam, & honorem, ita debet intelligi, vt ad hoc prosit, quod mãgis, ac magis à fidelibus glorificetur in terris.* Sic Innocentius. Circa cuius verba obseruo primò cum Vazquio Disput. 227. Cap. 3. num. 22. Ecclesiam successu temporis mutasse aliquid ex pertinentibus ad accidentaria Sacramentorum, quod aliquando vsurpasset anteà sequuta in praxi probabilem opinionẽ. Obijcit Cardinalis de Lugo Disputatione 19. sect. 10. num. 177. Concilium Tridentinum Sessione 22. Cap. 4. colligere, non contineri vllum errorem in Canone Missæ, quia is à Pontificibus institutus est. Sed hæc obiectio non conuincit, nàm aliud est, non contineri errorem in precibus vsitatis ab Ecclesia aliquando, aliud, supponi in eis aliquam probabilem opinionem, quæ postea derelicta sit ob probabiliorem alteram. Nec Concilium Tridentinum argumẽtatur eo modo, quo Cardinalis de Lugo refert. Secundò, sententiam illam, quam ex Scripturæ sacræ authoritate commendat Innocentius, *Iniuriam facit Martyri, qui orat pro Martyre*, non reperiri in diuinis litteris, sed in S. Augustino Serm. 17. de verbis Apostoli, Serm. 107 de diuersis C. 2. & Tract. 84. in Ioannẽ. Fortè mens Innocẽtij, fuit inueniri implicitè in Scriptura sacra. Sic Ioannis 7. V. 38. tribuit Scripturæ Christus verba illa, *Qui credit in me :: flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ*, cum tamen ea non legantur in veteri Testamento, sed sensus, quẽ continẽt, inde eliciatur. Bellarmin. L. 2. de Concilijs C. 12. interpretatur sumi ab Innocentio Scripturã sacrã, prout opponitur prophanę. Sed expositio à nobis data videtur magis genuina. Et illa quidem sententia, vt iam diximus, amplianda est ad alios Beatos, qui Martyrij palma non præfulgeant, etsi Hugo Victorinus in Canonem Missę C. 10. scribat, ideo in eo solos Martyres nominari, quia de cæteris Sanctis incertũ est, vtrùm adhuc in alia vita aliquid expiandum habeant. Verum tamen nec verum est, reliquos omnes iustos deferre ex hac vita aliquid purgabile, nec si detulissent veteres sancti Confessores, mãsissent tamdiu extra Cœlum, & sine visione Dei, vt non potuissent recenseri olim ab Ecclesia in Canone Missæ.

86 Prosequitur Innocentius, & ait, *Licet plerique reputent nõ indignum, Sanctorum gloriam vsque ad Iudicium augmentari; & ideo Ecclesiam interim sanè posse augmentum glorificationis eorum optare. Verùm vtrùm in hoc articulo locum habeat illa distinctio, qua docetur, quòd defunctorum alij sunt valde boni, & alij sunt valde mali, alij mediocriter boni, alij mediocriter mali: vnde suffragia, quæ fiunt à fidelibus in Ecclesia, pro valde bonis actiones sunt gratiarum, pro valde malis consolationes viuorum, expiationes verò pro mediocriter bonis, & propitiationes pro mediocriter malis? tua discretio inuestiget.* Circa quæ verba noto primò, Innocentium proponere in medio iudicium multorum, imò maioris partis Theologorum eo tempore, de augmento gloriæ Beatorum vsque ad Iudicij vniuersalis diem. Et loquitur procul dubiò de gloria intrinseca, nã de extrinseca iam ipse approbauerat tale augmẽtum. Num autem loquatur de gloria essentiali, vel tantùm de accidentali? Nõ potest facilè dignosci. Nunc malè audiret, qui diceret, Beatos crescere in gloria essẽtiali; & qui assereret, posse offerri Sacrificium ad impetrandum illis incrementum essentialis gloriæ. Neutrũ affirmat Innocentius. Secundò, desumpram esse ex S. Augustino distinctionem illam graduum in defunctis; quæ etiam habetur Can. *Tempus quod inter* 13. q. 2. Nam S. Augustinus in Enchiridio ad Laurentium C. 110. scribit, *Cum Sacrificia siue altaris, siue quarumcumque eleemosynarum pro baptizatis defunctis omnibus offeruntur, pro valde bonis actiones gratiarum sunt, pro non valde malis propitiationes sunt; pro valde malis, etsi nulla sint adiumenta mortuorũ, qualescumq; viuorum consolationes sunt. Quibus autem prosunt, aut ad hoc prosunt, vt sit plena remissio; aut certè tolerabilior fiat ipsa damnatio.* Hæc S. Augustinus. Quem imitatur Hildebertus Episcopus in carmine de Officio Missæ canens,

Perfectos, valdeq; malos nihil vota suorum (rum,
Nihil impensa precum, nihil holocausta iuuant. (retur,
Nam nec iustus eget, nec pessimus ista meretur,
In medio est, veniam cui sacra mensa parat.

Tertiò, ad Beatos (qui sunt valdè boni) pertinere, vt pro ipsis Sacrificia sint gratiarum actiones. Quo sensu in Ora-

Oratione post communionē Missę Pontificiæ pro Canonizatione SS. Ignatij P. N. & Francisci Xauerij dicitur, *Laudis hostia, Domine, quam pro Sanctis tuis gratias agentes obtulimus, ad perpetuā nos Maiestatis tuæ laudationem eorum intercessione perducat:* & in Secreta Missæ de S. Bartholomæo, *Quæsumus, Domine, vt eius auxilio tua beneficia capiamus, pro quo tibi laudis hostias immolamus.* Et de eodem sensu tractat non malè Nicolaus Cabasilas C. 33. & 46. Expositionis Liturgiæ. Quartò, Innocentium relinquere Archiepiscopo Lugdunensi, vt inuestiget, an doctrina S. Augustini habeat in præsenti puncto locum quoad id, vt Sacrificia pro valde bonis sint gratiarum actiones solummodò?

87 Obijciet quis, in Missa Muzarabum post factam à Sacerdote cō memorationem *beatissimorum Apostolorum, & Martyrum, gloriosæ S. Mariæ Virginis, Zachariæ, Ioannis, Infantium, Petri, Pauli &c,* postque Subministri responsionem, *Et omnium Martyrum,* prosequitur Sacerdos offerens Sacrificium, *Item pro spiritibus pausantium, Hilarij, Athanasij, Martini, Ambrosij, Augustini, Fulgentij, Leandri, Isidori, &c.* respondetq; Subminister, *Et omnium pausantium.* Ergo in ea Liturgia vel offertur Sacrificium pro Beatis, vel Muzarabes in eo fuerūt errore, quòd præter Deiparentem, Apostolos, & Martyres non obtineant beatitudinem alij Sancti vsque ad Iudicij vniuersalis diem. Vnde Iulianus Petri editus in lucem à Clarissimo viro D. Laurentio Ramirez de Prado monet in Chronico n. 1. Diptychas Toletanas nō continere Martyrum nomina. Transcribit Iulianus in eo numero, & in succedentib⁹ tribus Diptychas quatuor: meminitque earum in Chronico n. 366. Luitprandus erutus etiam è tenebris ab eodem Ramiresio Hispanæ litteraturæ Sole. Licet autem idem Iulianus in Aduersarijs n. 397. addat, *In Missa S. Iacobi post Hilarium fit mentio Athanasij Episcopi Cæsaraugustani, Hilarij Gumarienſis, & Martini Dumiensis;* restant tamen ibi alij, qui exteri fuerint, Sancti, & ex Hispanis memoratis multi adscripti sunt Sanctorum numero. Antonius Rubius in Assertionibus Catholicis aduersus Erasmum, Errore 2. fol. 12. testatur, Dominicum Sotum deleuisse in Missali Muzarabico Sacelli, quòd Salmanticæ erexit, & dotauit Doctor Talauera, formulam illam offerendi, vt quæ saperet hæresim de non assequuta iam à sanctis Confessoribus fœlicitate patriæ Cœlestis: ipseque Rubius vehementer cupit, deletam, & ablegatam iri eam formulam: sed liberat ab hæresis nota priscos Muzarabes, quia olim sub opinione versabatur sanctorum Confessorum beatitudo ante resurrectionem corporum, nam quousque prodijt definitio Benedicti Papæ XII. anno 1336. liberum erat, ita sentire, nec defuere multi Patres Ecclesię, qui eiusdem essent mentis, vt luculenter nos tractauim⁹ in Exercitatione 21. de Empyreo Cœlo: quare mirum non foret, si Hispani Patres Authores Officij Muzarabici Sacrificia, & precationes pro sanctis Confessoribus obtulissent; iamque in numero præcedenti retulimus Hugonem Victorinum, qui ideò Martyrum tantùm commemorationem in Canone fieri dixit, quia de solis Martyribus nulla dubietas sit, quin statim è corporibus egredientes eorum animæ regnum Cœlorum ascenderint.

88 Cæterùm nec S. Isidorus, nec alij Patres Authores Officij Muzabici eo in errore fuerunt, vt vel ex ipso Missali Muzarabico constat, sæpe enim repræsentat sanctos Confessores, vt iam beatos. Præterea Liturgia Muzarabica non est singularis in illo modo loquendi, & offerendi, nam S. Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi 5. Mystagogica videtur eundem seruasse, ait enim, *Cum hoc Sacrificium offerimus, posteà facimus mē tionem etiam eorum, qui ante nos obdormierunt: primùm Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, vt Deus orationibus illorum, & deprecationibus suscipiat preces nostras. Deinde pro defunctis sanctis Patribus, & Episcopis, denique pro omnibus oramus, qui inter nos vita functi sunt, maximum esse credentes animarum iuuamen, pro quibus offertur obsecratio sancti illius, & tremendi, quod in altari positum est, Sacrificij.* Vbi vides factam primò commemorationē Patriarcharū, Prophetarum, Apostolorū, Martyrū; & secundò significatā in verborum cortice oblationem, & orationē pro sanctis Confessoribus. Quare sicut communiter Theologi eo modo interpretantur S. Cyrillum, vt nostrę Conclusioni decimæ quintæ nō aduersetur, ita expositione aliqua mol-

siri poterit durities verborum Liturgiç Muzarabicæ, quatenus non offeratur propriè, neque oretur pro omnibus recensitis inter paulantes, seu requiem habentes, sed pro aliquibus impropriè, ob cõmunem orationẽ, quæ de ipsis fit simul cum alijs defunctis, eoquod Authores Officij illius voluerint sequi veterẽ morem non faciendi mentionem, nisi Deiparæ Virginis, Apostolorũ, & Martyrum ad actionem gratiarum, & laudis reddendam Deo in Sacrificij ordinaria regula: quo de more consulantur Innocentius 3. L. 3. de sacro altaris Mysterio C. 10. Guillielmus Durandus L. 4. Rationalis diuinorum Officiorum C. 38. ex n. 5. Ioannes Stephanus Durantus de ritibus Ecclesiæ Catholicæ L. 2. C. 35. n. 6. Quia tamen noluerunt silere omnino sanctos Confessores, expresserunt eorum nomina in cõmemoratione pro defunctis, sed sic vt pro Confessoribus offerretur diuersimodè, ac pro alijs mortuis, de quorum gloria, & beatitudine non erat tam firma persuasio. Et ista dicta sint in defensionem Officij Muzarabici, cuius Missale Salmantinum prę oculis habeo, cum hæc scribo, & in *Ordinaria Missa omnium offerentium* noto lineas aliquas ductas suprà verba illa *Pro spiritibus pausantium*; desunt tamen in Missa de Dominica 1. Aduentus. Quæ Missa, & ea alia ordinaria extant integræ. Porrò autem de authoritate illius Officij legantur Rex Alfonsus Sapiens in 4. parte Chronici generalis Hispaniç, C. 3. Alfonsus de Castro L. 1. de iusta hęreticorum punitione C. 7. Iosephus Vicecomes Volum. 2. Obseruationũ Ecclesiasticarum L. 2. de Missæ ritibus C. 17. Eusebius Nieremberg de perpetuo obiecto festi Conceptionis B. Virginis C. 5. Antonius Rubius tum in loco præallegato, tum L. 5. Errore 9. fol. 132. & 133. atque vt alios, qui occurrebãt, omittam, videantur quæ ego scripsi compendiariè in Disputatione 12. de Eucha. n. 54.

89 Et vt minus mirus sit modus ille loquendi in Officio Muzarabico, præsento Lectori verba antiquorum quatuor Patrum, quæ pro Martyribus etiam factam oblationem Sacrificij sonant. In primis enim S. Clemens L. 6. Constitutionum Apostolicarum C. vltimo inquit, *Conuenite in cœmeterijs ad legendos sacros libros, & canendos Psalmos pro mortuis Martyribus, & Sanctis omnibus, qui sunt à sæculo defuncti, ac pro fratribus vestris, qui in Domino mortui sunt: & Eucharistiam Deo acceptam, antitypon, id est, Sacramentum regalis corporis Christi offerte in Ecclesijs vestris, & cœmeterijs: atque etiam, cum excedunt è vita, prosequimini cantu Psalmorum, si fuerint fideles; pretiosa enim in conspectu Domini mors Sanctorum eius.* Deinde Sanctus Cyprianus in Epistola 34. ait, *Veri, & spirituales Dei milites, dum Diabolum Christi confessione prosternunt, palmas à Domino, & coronas illustri professione meruerunt. Sacrificia pro eis semper, vt meministis, offerimus, quoties Martyrum passiones, & dies anniuersaria commemoratione celebramus.* S. Chrysostomus homilia 21. in Acta fatur, *Quid dicis? In manibus est hostia, & omnia proposita, sunt benè ordinata; adsunt Angeli, adsunt Archangeli, adest filius Dei, cum tanto horrore adstant omnes, adstant illi clamantes, omnibus silentibus; & putas, temerè hæc fieri? Igitur & alia temerè, & quæ pro Ecclesia, & quæ pro Sacerdotibus offeruntur, & quæ pro plenitudine, ac vniuersalitate? Sed omnia cum fide sunt. Quid tibi videtur, quòd pro Martyribus offertur? quòd vocantur in illa hora? Licet Martyres sint, etiam pro Martyribus offertur. Magnus honor, nominari, Domino præsente, dum mors illa celebratur, & horrendum Sacrificium, & ineffabilia Sacramenta.* Videatur etiam idẽ S. Chrysostomus in Liturgia. Tandẽ S. Epiphanius in hæresi 75. scribit, *Pro iustis, & pro peccatoribus memoriam facimus; pro peccatoribus quidem misericordiam Dei implorantes; pro iustis verò, & Patribus, & Patriarchis, Prophetis, Apostolis, Euangelistis, Martyribus, ac Confessoribus, Episcopis, & Anachoretis, & pro vniuerso ordine, vt Dominum Iesum Christum ab hominum ordine separemus, per honorem, quem ipsi exhibemus, & vt adorationem ipsi præstemus.* Sufficiant quatuor hi Patres ad vincendam admirationem. Eorum autem interpretatio perfacilis est ex ante dictis. Sed pro maiori elucidatione adesis Suarium Disputatione 78. sectione 3. Vazquium Disputatione 227. Cap. 5. Theophilum Raynaudum de Martyrio per pestem parte 2. Cap. 6. numero 15. & 16.

CON-

CONCLVSIO XVI.

Sacrificium Missæ neclicitè, nec validè offerri potest pro animabus damnatis existentibus in Inferno.

90 QVIA earum culpæ, & pœnæ sunt irremissibiles, ac proinde nihil potest eis prodesse oblatio Missæ. Confirmatur ex S. Augustino in Enchiridio ad Laurentiũ C. 109 & 110. vbi ait. *Neque negandum est, defunctorum animas pietate suorum viuentium releuari, cum pro illis Sacrificium Mediatoris offertur, vel eleemosynæ in Ecclesia fiunt. Sed eis hæc prosunt, qui, cum viuerent, vt hæc sibi possent prodesse posteà, meruerunt. Est enim quidam viuendi modus, nec tam bonus, vt non requirat ista post mortem, nec tam malus, vt eis non prosint ista post mortem. Est verò talis in bono, vt ista non requirat; & est rursus talis in malo, vt nec his valeat, cum ex hac vita transierit, adiuuari. Quocirca hic omne meritum comparatur, quo possit post hanc vitam releuari quispiam, vel grauari. Nemo autem se speret, quod hìc neglexerit, cum obierit, apud Deum promereri. Non igitur ista, quæ pro defunctis commendandis frequentat Ecclesia, illi Apostolicæ sunt aduersa sententiæ, qua dictum est, Omnes enim adstabimus ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque secundùm ea, quæ per corpus gessit, siue bonum, siue malum: quia etiam hoc meritum sibi quisque, cum in corpore viueret, comparauit, vt ei possent ista prodesse, non enim omnibus prosunt: & quare non omnibus prosunt, nisi propter differentiam vitæ, quam quisque gessit in corpore?* Sic ibi Sanctus Augustinus. Et in Serm. 34. de Verbis Apostoli, necnon in Lib. de Cura pro mortuis C. 1. similiter inquit, *Sunt quos nihil omnino adiuuant ista*, scilicet suffragia Ecclesiæ, *siue pro eis fiant, quorum tam mala sunt merita, vt neque talibus digni sint adiuuari: siue pro eis, quorum tam bona, vt talibus non indigeant adiumentis. Genere igitur vitæ, quod gessit quisque per corpus, efficitur, vt prosint, vel non prosint, quæcumque pro illo fiunt, cum reliquerit corpus. Nam meritum, per quod ista prosunt, si nullum comparatum est in hac vita, frustrà quæritur post hanc vitam.* Idem Sanctus Augustinus apud Dominicum Sotum in 4. Dist. 45. q. & art. 2. in 1. Cõclusione, & apud antiquiores alios Theologos fertur dixisse, *Si scirem, matrem meam esse in Inferno, non magis pro illa orarem, quàm pro Diabolo,* Consonat huic dicto sententia illa S. Gregorij Magni L. 34. Moralium C. 13. (desumpta ex S. Augustino L. 21. de Ciuitate Dei C. 24. super quo legere Leonardũ Coquæũ, non erit inutile) *Eadem causa est, cur non oretur tunc* (à Sanctis in Cœlo) *pro hominibꝰ æterno igne dãnatis, quæ nunc etiã causa est, vt non oretur pro Diabolo, Angelisque eius æterno supplicio deputatis. Quæ nunc etiam causa est, vt non orent Sancti homines pro hominibus infidelibus, impijsque defunctis, quibus eis vtique, quos æterno deputatos supplicio iam nouerunt, ante illum Iudicis iusti conspectum orationis suæ meritum cassari refugiunt.* Repetit S. Pontifex eundem sensum L. 4. Dialogorum C. 44. & in C. 57. addit, *Si insolubiles culpæ non fuerint, ad absolutionem prodesse, etiam mortuis, victima sacræ oblationis potest. Sed sciendum est, quia illis sacræ victimæ mortuis prosunt, qui hìc viuendo obtinuerunt, vt eos etiam post mortem bona adiuuent, quæ hìc pro ipsis ab alijs fiunt.* Patrum aliorum testimonia concordia subticeo, vt S. Clementis L. 8. Constitutionum Apostolicarum C. 43. S. Dionysij Areopagitæ C. 7. de Ecclesiastica Hierarchia Contemplatione 3. §. 6. Anastasij Episcopi Nicæni q. 20. S. Bonauenturæ in Breuiloquij parte 7. C. 3. in Centiloquij p. 4. sect. 2. & in Expositione Missæ, S. Antonini 3. p. Historiali tit. 19. C. 12. §. 3. S. Antonij Patauini Serm. in Commemoratione defunctorũ, Alberti Magni Tract. 3. de Sacrif. Missę C. 16. à n. 4. S. Birgittę L. 2. Reuelat. C. 15. L. 4. C. 7. L. 7. C. 19. Nicolai Papę I. ad Bulgarorum consulta C. 88.

91 Confirmatur deinde Conclusio ex Cap. *In præsenti* 13. q. 2. vbi S. Hieronymus docet, non posse viuentium orationibus adiuuari eos, qui mortui sunt impœnitẽtes; item ex C. *Audiuimus* 1. de Reliquijs, & veneratione Sanctorum, vbi Alexander Papa III. ait, *Cum vix pro talibus inebrietate peremptis Ecclesia permittat orare*; insuper ex C. *Pro obeuntibꝰ* 13. q. 2. vbi Gregorius Papa, nõ II. sed III. scribens ad S. Bonifacium inquit, *Sancta sic tenet Ecclesia, vt quisque pro suis mortuis verè Christianis offerat oblationes, atque Presbyter eorum faciat memoriam. Et quamuis omnes peccatis subiaceamus, congruit tamen, vt Sacerdos, non nisi pro mortuis Catholicis memoriam faciat, & intercedat: non enim pro impijs,*

quamùis Christiani fuerint, tale quid agere licebit. Epistola, in qua hoc decretum continetur, scripta est anno 731. vt ad eũ annũ notat Eminentissim. Cardinalis Baronius; quare Epistolæ (quæ est 122. inter alias S. Bonifacij) Author non est Gregorius II. sed III. Ideoque mirum non est, quòd non fuerit inter Epistolas Gregorij II. reperta à P. Vazquez, vt ipse admonet D. 227. C. 5. num. 35. In Concilio Aurelianensi 2. C. 15. dicitur, non esse recipiendam oblationem defunctorum, *qui sibi mortem probentur propriis manibus intulisse.* In Concilio etiam Triburiensi C. 31. decernitur, *Si quis post definitionem pacatissimæ Synodi inuentus fuerit, furtum, aut rapinam exercere, & in ipso Diabolico actu mortem meretur incurrere, nullus pro eo præsumat orare, aut eleemosynam dare. Et eleemosyna pro eo data in memoriam Clericorum, nec pauperum veniat, sed execrabilis fordescat. Beatus Augustinus de talibus horribilem sententiam profert dicens, Nemo te post mortem tuam fideliter redimit, quia tu te redimere noluisti.* Insuper Concilium Bracarense 1. C. 16. iubet, *vt nulla commemoratio in oblatione fiat pro illis, qui aut per ferrum, aut per venenum, aut per præcipitium, aut suspendium, aut quolibet modo violentam sibi ipsis inferunt mortem.* Refertur hoc decretum in C. *Placuit, vt ijs, qui* 23. q. 5. Conforme ipsi est responsum Nicolai I. Papæ ad consulta Bulgarorum C. 98. cuius hæc sunt verba, *Sacrificium pro eo non est offerendum, qui non solùm ad mortem vsque peccauit, sed & mortis sibimet interitum propinauit.* Vtrumque statutum illustrari potest ex Cassiano in Collatione 2. C. 5. Gregorio Turonico historiæ Francorum Lib. 4. C. 24. Palladio in Lausiaca historia C. 40. Beda in Anglorum historia Lib. 5. C. 15. Cedreno in Histor. Compendio pag. 607. num. 279. qui narrant varios casus, in quibus olim non sunt celebratæ Missæ pro desperatis: & nec Iudæos olim orasse pro interimentibus se, tradit ex Iosepho Bellaminus Lib. 1. de Purg. C. 11. Ratio autem proximę prohibitionis, & quatuor aliarum, quas memorauimus ex CC. Aurelianensi, ac Triburiensi, & ex Gregorio III. Nicolaoque I. ea certè est, quòd illorũ, qui moriuntur in peccato lethali notorio, descendunt statim animæ in Infernum, in quo nulla est redemptio, proindeque nullum ex Sacrificio Missę fructum lucrari possunt. Omitto plures alios textus iuris Canonici, & rationes. Sed non desinam adnotare, in Concilio Toletano, seu Arandẽsi anno 1473. Constit. 20. iussum fuisse, *Quòd decedentes in duello careant Ecclesiastica sepultura, & non dicantur pro eis diuina, nec recipiantur oblationes*, scilicet quia mortui in peccato lethali: additurque, *Etiamsi ante obitum receperint pœnitentiæ Sacramentum, qui à pugna vulnerati euaserint, adeòque postea à eo ipso ab hac luce migrare contigerit.* Tantum rigorem exposcebant tempora illa in Hispania, vbi duella tam quotidiana erant.

92 Dices primò, Traiani Imperatoris anima precibus S. Gregorij Magni liberata est de pœnis Inferni; vt enim narrat S. Ioannes Damascenus Oratione de his, qui in fide migrarunt, *validas preces ad misericordem, animabusque propitium Dominum habuit S. Gregorius, vt Traiano Regi peccata dimitterentur. Et confestim vox, diuinitus allata, audita est, in hunc modum dicens, Preces tuas audiui, & veniam Traiano do:: Testatur autem Oriens, & Occidẽs totus miraculũ hoc germanũ, & irrefutabile.* Sic S. Damascenus, quo cum concordat Euchologium Græcorum C. 96. teste Feuardentio in adnotationibus ad illam S. Damasceni Orationem. Ioãnes etiam Diaconus L. 2. vitæ S. Gregorij C. 44. longo sermone tradit hanc historiam repertam in Ecclesia quadam Anglorum, sed à Romanis non habitam vt omnino certam; nec Ioannes Diaconus refert, esse de Inferno liberatã animam Traiani, sed concessum ei, vt ibi existens non pateretur pœnam ignis. Meminit eiusdem historiæ tanquam valde probabilis Iulianus Petri n. 228. Aduersariorum: S. etiam Birgitta L. 4. C. 13 dicens, S. Gregorium *oratione sua etiam infidelem Cæsarem eleuasse ad altiorem gradum*, idest, in Inferno aliquid salutis ei obtinuisse, vt interpretatur Bellarminus L. 2. de Purgatorio C. 8. Sed Gregorium fusis pro Traiano lachrymis cõpescuisse Infernorum incẽdia, ait Ioannes Saresberiensis in Policratico L. 5. C. 8. & oratione S. Gregorij Tartarum esse coactum reddere Traianum, memorat Hugo Etherianus L. de Regressu animarum ab Inferis Cap. 15. additque, *Nolite, quæso, dicere incordibꝰ vestris, falsum hoc, aut fictum esse. Quærite, si placet, apud Græcos. Græca certè omnis testatur hoc Ecclesia.*

clesia. Sic Etherianus. Vnde ex Græcis Gennadius Scholarius Patriarcha Constantinopolitanus in probatione Capitis tertij Concilij Florentini sect. 5. liberationem Traiani velut celebrem, & decantatam attingit leuiter, tametsi ex alijs pœnis, quàm Inferni damnatorum, vt colligitur ex sect. 2. & ex sect. 4. Si igitur precibus Sancti Gregorij motus est Deus ad id, moveretur non minus Sacrificio Missæ, vt quod non minorem, sed potiùs maiorem vim impetrandi habeat; videturque indicari à Sancto Damasceno, adhibitum esse Sacrificium in hunc finem à Sãcto Gregorio, addit enim, ipsum audisse hanc vocem, *Tu verò deinceps pro impio hostiam mihi ne offeras*: nisi nomine hostiæ intelligenda sit oratio. Et quidem vox iuxta Hugonem Etherianum fuit, *Sed tu amplius abstineas pro impijs orare*, & iuxta Saresberiensem, *Ne vlterius pro aliquo infideli Deum solicitare præsumas*. Respõdeo, hanc historiam esse valde incertã, ne fabulosam dicam, vt Canus L. 11. de Locis Theologis C. 2. Durantus Lib. 2 de Ecclesiæ Catholicæ ritibus C. 43. n. 12. Et quanuis eius veritas comperta foret, existimari debet S. Gregorius ex speciali, & extraordinario Dei instinctu, quo nosceret, secum dispensari in lege communi, orasse, aut etiam sacrificasse pro Traiani anima. Sed Ioannes Diaconus fleuisse quidem fatetur, & orasse negat, ne sibi contrarius esset Sanctus Gregorius, qui Lib. 4. Dialogorũ C. 44. docet, non esse deprecandum pro iis, qui detinentur in Inferno. Abulensis q. 57. in Cap. 4. Lib. 4. Regum non veretur concedere, peccasse grauiter S. Gregorium, si orauit; & ex Petro, ac Ioanne Diaconis in M. SS. Vaticanæ Bibliothecæ, Petroque de Natalibus Lib. 3. Catalogi Sanctorum C. 192. refertur, Angelum dixisse S. Gregorio, pro eo, quòd pro Pagano precatus, atq; exauditus fuisset, optionem sibi à Deo datam, vt aut eius anima in Purgatorio per biduum puniretur; aut perpetua corporis ægritudine, dum viueret, affligeretur, atque hoc secundum à Sancto Gregorio acceptatum. Testaturque P. Salmeron tomo 14. Disp. 27. in Epistolam priorem ad Cor. pag. 313. in Æde S. Gregorio dicata Romę extare lapidẽ antiquissimis litteris sculptum, & eiusmodi optionem ab Angelo sibi datam continentem. Cæterùm si admittitur, pios S. Gregorij fletus, & lachrymas tãti valuisse apud Deum; quę causa est, vt in Sacrificio, imò & in orationibus alijs non agnoscatur maior valor? Si orando peccauit lethaliter, quo modo fuit exaudita oratio, qua grauiter Deum offẽdit? Vt taceam, cogitari temerè de viro, aliàs sapientissimo, & sanctissimo, quòd ex indiscreta charitate, aut misericordia deliquerit mortaliter. Concedo igitur, S. Gregorium absque peccato orasse pro anima Traiani liberanda, vel ad tempus, vel in perpetuum ab Inferni pœnis vel ex parte, vel ex toto, quia peculiari Spiritus sancti instinctu nouit, eam non fuisse à Deo damnatam omnino ad Infernum, sicut alias cõmuniter animas, quę in statu peccati lethalis discedunt è corpore; mouitq; Deus specialiter eundem Sanctum ad obnixè postulandum pro illa anima, vtpote cuius liberationem decreuisset misericorditer cum dependentia à precibus beatissimi Pontificis, pręsciusque earũ non damnasset absolutè, atque simpliciter animam illam ad Infernum pro tẽpore, quo separaretur à corpore, deberetque, attentis suis demeritis, & lege communi, subire sententiam damnationis integræ, ac plenæ. Neque hinc sequitur, licitam fore nobis oblationem Sacrificij, aut orationem pro animabus in Orco existentibus, non enim scimus, vel vnam solam earum non esse damnatam absolutè, & simpliciter; quin potiùs ex ordinaria, & vniuersali lege scimus, nullam non esse sic damnatam; & deficiente notitia exemptionis ab huiusmodi lege concessæ animæ alicui, neutiquam fas est, fundere ad Deũ preces pro liberatione.

93 Is respondendi modus quadrat accommodè cum doctrina Sancti Thomæ in 4. Dist. 45. quæst. & art. 2 quæstiũcula 1. ad 5. vbi de historia Traiani ita fatur, * Potest probabiliter existimari, quòd precibus B. Gregorij ad vitam fuerit reuocatus, & ibi gratiã consequutus sit, per quam remissionẽ peccatorum habuit, & per consequens immunitatem à pœna: sicut etiam apparet in omnibus illis, qui fuerunt miraculosè à mortuis suscitati, quorum plures constat, idololatras, & damnatos fuisse. De omnibus enim similiter dici oportet, quòd non erant in Inferno finaliter

liter deputati; sed secundùm præsentē iustitiam propriorum meritorum; secundùm autem superiores causas, quibus præuidebantur ad vitam reuocandi, erat de eis aliter disponendum. Vel dicendum secundùm quosdam, quòd anima Traiani non fuit simpliciter à reatu pœnæ æternæ absoluta, sed eius pœna fuit suspensa ad tempus, scilicet vsque ad diem Iudicij. Nec tamen oportet, quòd hoc fiat cōmuniter per suffragia, quia alia sunt, quæ lege communi accidunt, & alia, quæ singulariter ex priuilegio aliquibus conceduntur. ✠ In quibus verbis non recusat admittere S. Thomas resurrectionem miraculosam Traiani; saluationemq; æternam, postquàm fidem in Christum, & remedia salutis assumpsit, iterùmque pro diuina voluntate reddidit corpus terræ. Non dissimili modo discurri debet in casu Falconillæ Paganæ suscitatæ precibus Beatæ Teclæ, vt tradit S. Damascenus suprà, & in alijs eventibus, de quibus Bellarminus suprà, & Valentia tomo 4. D. 11. q. 1. puncto 2. circa finem. Addo alium Dinocratis relatum à S. Augustino Lib. 1. de Anima, & eius origine C. 10. Lib. 3. C. 9. pro quo Dinocrate Soror S. Perpetua, *imminente Martyrio, creditur exaudita, vt à pœnis transferretur ad requiem.* Proponit S. Thomas alterum modum liberationis animæ Traiani, iā antea indicatū à Ioanne Diacono, quòd scilicet oratione S. Gregorij sit intermissa pœna sensus vsque ad diem Iudicij vniuersalis, quin anima educta sit ex Inferno. Et aliqui apud Salmeronem suprà, pag. 311. concedunt, ablatam in æternum fuisse pœnam sensus, manente solummodò pœna damni vsque ad diem Iudicij vniuersalis, & vltrà, sicut in animabus infantium obeuntium sine Baptismo. Sed eos, qui vnicè pœnam damni in adulti anima post illum diem non detrectant, nullatenus probo ob dicta in Empyreologico Opere, Exercitatione 23. num. 30. Quare eligatur alteruter modus ex propositis à S. Thoma; noteturq; non esse mirū, si quid certi de modo liberationis statuere non possimus, cum Deus ad B. Methildem Lib. 5. C. 7. vel 8. Spiritualis gratiæ visionum, & revelationum dixerit, se velle esse omnibus incognitum, quid sua liberalitas egerit cum anima Traiani; quanquam, quia ibi de Originis anima idem dicatur, ingeneret scrupulum ea revelatio permultis. Nec plura de Traiani anima. Legantur Salmeron in Disputatione citata, Henriquez Lib. 9. C. 16. Martinus Carrillus in Explicatione Bullæ defunctorum parte 2. Cap. 13. Alfonsus Ciaconus in Tract. de hac re, Baronius tomo 8. anno Christi 604. à num. 30. Mendoza in Viridario Lib. 2. Problemate 5. n. 37. Granadus tomo 5. Controu. 6. Tract. 14. D. 6. num. 5. Controu. 13. parte 1. Tract. 3. D. 4. n. 3. & 13. Consalvus Durantus ad C. 13. L. 4. Reuelationum S. Birgittæ. Potuissem, tractasse hìc, num cum Christi anima descendit ad Inferos, liberati sint aliqui à Tartari flammis, & inter eos Plato? Sed abstinui, tum quia Eximius Doctor P. Suarez tom. 2. in 3. p. D. 43. sect. 3. exhausit disquisitionem hanc, nec ego addendum habebam nisi locum Philippi Solitarij in Dioptra rei Christianę L. 2. Cap. 11. & 12. tum quia vitare cupio quidquid videri queat intrusum.

94 Dices secundò, Ecclesiam orare in Offertorio pro Missis defūctorum, ✠ Domine Iesu Christe, Rex gloriæ, libera animas omnium fidelium defunctorū de pœnis Inferni, & de profundo lacu; libera eas de ore leonis, ne absorbeat eas Tartarus, ne cadant in obscurum; sed signifer Sanctus Michael repræsentet eas in lucem sanctam, quā olim Abrahæ promisisti, & semini eius. ✠ Verba hæc tantam difficultatē ingesserunt Martino Ledesmio 2. 4. q. 16. art. 13. fol. 164. & Ioanni de Medina Codice de Oratione, tit. de his, pro quibus orandum est, fol. 167. vt pronūciarint, laborare vitio ineptitudinis, vel nō esse necessarium, excusare eas ab illo. Quod absit, vt à nobis vel dormiētibus mussetur. Nos itaque respondemus, hæc verba, etsi communiter obijciantur contra Conclusionem decimam sextam, minimè cōtra eam facere; orat enim Ecclesia, vt fidelium omnium defunctorum animas, quæ in Purgatorio commorentur, liberet Deus præseruatiuè à pœnis Inferni, à profundo lacu, ab ore leonis, & à tenebris sempiternis. Sed illicò insurgit noua difficultas: Ergo Ecclesia habet incertitudinē de saluatione æterna animarum Purgatorij, nam si certitudinem haberet, vana esset illa oratio, vtpote quæ dirigeretur ad consequendam animabus illis à Deo sententiam

tentiam saluationis æternæ, adeptam à Deo in Iudicio particulari cuiuslibet animæ ad Purgatorium missę. Respondeo ex Salmerone, seu potiùs ex quodam nostri Ordinis, & Instituti innominato viro, quem ipse laudat suprà D. 26. pag. 306. contineri in eis verbis orationem gratulatoriam ad Deum ob beneficium liberationis ab Inferno collatum animabus ex instanti Iudicij particularis, & deputationis ad Purgatorium; contineri etiam orationem deprecatiuam liberationis à Purgatorio. Et orationis gratulatorię multa sunt exempla in diuinis litteris, licet verba sonare videantur orationem deprecatiuam, vt cum dicitur, *Benedicite Angeli Domini Domino. Sit nomen Domini benedictum ex hoc nunc, & vsque in sæculum.* Si cui non arridet is respondendi modus, quærat alios in Salmeronis D. allegata, in Bellarmino Lib. 2. de Purgatorio C. 5. Suario D. 83. S. 1. V. *Quo circa*, Azor tomo 1. Lib. 10. C. 22. q. 8. Soto super 4. Dist. 45. q. & art. 2. Henriquez Lib. 9. C. 16. §. 3. Gamachæo D. de Purgatorio C. 5. Bardi in Explicatione Bullæ Cruciatæ parte 4. Tract. 2. C. 2. sect. 5. ex num. 45.

95 Dices tertiò, Theophylactum in C. 12 Lucæ scribere, ✻ Oblationes, & distributiones, quæ fiunt pro defunctis, non parùm conducunt etiam his, qui in grauibus peccatis mortui sunt. ✻ Respondeo, Theophylactum loqui de mortuis in grauibus peccatis non deletis quoad reatum pœnæ, sed solummodò quoad reatum culpæ. Constat id ex verborum contextu. Nam ad illa verba Christi apud Lucam 12. V. 5. ✻ Timete eum, qui postquàm occiderit, habet potestatē mittere in gehennam, (notat in hunc modum,) Vides, quòd non dixerit, metuatis eum, qui postquàm occiderit, mittit in gehennā, sed habentem potestatem mittendi. Nō enim semper, qui moriuntur peccatores, mittuntur in gehennam; sed sunt in potestate Dei, vt etiam dimitti possint. Hoc autem dico propter oblationes, & distributiones, quæ fiunt pro defunctis, quæ non parùm conducunt etiam his, qui in grauibus peccatis mortui sunt. Non omnino igitur postquàm occidit, mittit in gehennam, sed potestatem habet mittendi. Ne igitur cessemus per eleemosynas, & intercessiones propitium reddere eum, qui potestatem habet mittendi; non semper autem potestate hac vtentem; sed & valentem remittere quiddā. ✻ Huc vsque Theophylactus, quem Medina, & Salmeron suprà intelligunt modo à nobis declarato: vrituque Salmeron eius authoritate ad interpretationem quandam illorū verborum Ecclesiæ, *Domine Iesu Christe, Rex gloriæ libera*, &c. quòd scilicet Ecclesia petat, ne Deus ex potestate sua absoluta præcipitet in gehennam è Purgatorio animas ibi detentas. De qua interpretatione iudicent alij.

96 Dices quartò, Sacrificium Missę ✻ Complectitur bona omnia significata per varias Sacrificiorum naturæ, & legis tempore similitudines, velut illorum omnium consūmatio, & perfectio, ✻ vt docet Tridentina Synodus Sess. 22. C. 1. Sed legis tempore sunt oblata Sacrificia pro defunctis in peccato lethali, vt prodessent illis. Ergo, &c. Minor probatur ex Lib. 2. Machabæorum C. 12. vbi dicitur, oblata fuisse Sacrificia pro his, qui in bello ceciderant; quorum ✻ Sub tunicis inuenerunt de donarijs Idolorum, quę apud Iamniam fuerunt, à quibus lex prohibet Iudæos. Omnibus ergo manifestum factum est, ob hanc causam eos corruisse. Omnes itaque benedixerunt iustum iudicium Domini, qui occulta fecerat manifesta. Atque ita ad preces conuersi rogauerunt, vt id, quod factum erat delictum, oblivioni traderetur. At verò fortissimus Iudas hortabatur populum conseruare se sine peccato, sub oculis videntes, quæ facta sunt peccatis eorū, qui prostrati sunt. ✻ Ex quibus verbis videtur nō relinqui locus dubitandi de peccato lethali eorum militum. Porrò autē quòd oblata sint Sacrificia, vt defunctis illis prodessent, constat ex verbis sequentibus, maximè ex istis postremis Capitis citati, ✻ Sancta ergo, & salubris est cogitatio, pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur. ✻ Respondeo primò, peccatum illorum forsan fuisse solùm veniale, quia ignorarēt legis prohibitionem factam Deuteronomij 7. V. 25. & quia non ex cultu erga Deos falsos, sed ex auaritia leuiter culpabili acceperint donaria Idolis dicata, licet omnes in prælio commisso cum Gorgia fuerint occisi, permittēte Deo, aut volente, ad terrorem ob speciem, & periculū idololatrię. Respondeo secundò,

cundò, peccatum quidem fuisse lethale; sed in ipsa pugna, videntes sibi periculum imminere, pœnituisse de eo secundùm illud Psalmi 77. *Cum occideret eos, quærebant eum, & reuertebantur*: proindeque ante mortem obtinuisse remissionem culpæ, manente reatu pœnæ exoluendæ in Purgatorio; idque sibi persuasisse Iudam Machabæum: aut illos non deliquisse plusquàm venialiter, cum scribatur ibidem, *Considerasse, quòd hi, qui cum pietate dormitionem acceperant, optimè haberet repositam gratiam.* Vna, & altera solutio est S. Tho. in 4. Dist. 45. q. & art. 2. qla. 1. ad 1. Bellarmini L. 1. de Purgatorio Cap. 3. ad 5. Serarij, Gasparis Sanctij, & Cornelij ad eum locum Machabæorum.

97 Dices quintò, Sacrificium Missæ offerri posse, vt pœna sensus minuatur in damnatis. Et pro hac parte adduces id, quod ex historia Palladij ad Lausum narrant S. Damascenus in Oratione anteà memorata, & Gennadius Scholarius Patriarcha Constantinopolitanus in probatione tertij Capitis Cõcilij Florentini sect. 4. necnon Menæa, & Anthologion Græcorũ 19. Ianuarij, scilicet S. Macario percontanti aliquãdo cranium aridum cuiusdã Idololatræ, an eis prodessent preces viuentiũ? responsum fuisse ex cranio, *Quãdo pro mortuis offers preces, nos interim aliquid lenimẽti sentimus.*

98 Afferes sextò id, quod ex vita S. Brandani refert Guilielmus Autisiodorensis Lib 4. Summæ Theologicæ, Tract. 14. ad finem, & ex hoc Sot⁹ in 4. Dist. 45. q. & art. 2. V. *Sed afferebat*, videlicet, quòd cum Sanctus Brandanus vidisset Iudam incedentem per prata, rogasseque, cur non esset in Inferno? respondit Iudas, *Se habere vsque ad aliquod tempus refrigerium propter bona, quæ fecerat.*

99 Citabis septimò S. Ioannem Chrysostomum dicentem Homilia 3. in Epist. ad Philippenses, ✻ Luge eos, qui in diuitijs sunt mortui, cum ex diuitijs nullum animabus suis solatium cõparassent; eos, quibus abluendi peccata sua potestas facta erat, & noluerũt:: Hos igitur lugeamus: opem pro viribꝰ feramus: aliquod ipsis auxilium comparemus, exiguum illud quidem, sed quod tamen auxiliari queat. Quomodò, quave ratione? Cum ipsi preces fundentes, tum alios, vt pro ipsis fundant, obsecrantes, ac pro ipsis perpetuò dantes eleemosynas pauperibus. Affert hæc res aliquid solatij. Audi enim Deũ ita dicentem, Protegam vrbem hanc propter me, & propter Dauid seruum meum. Si sola iusti memoria tantùm valuit: vbi opera prætereà pro mortuo fiant, quid non poterunt? Non frustrà hæc ab Apostolis sunt legibus constituta, vt in venerandis, inquam, atq; horrificis mysterijs memoria eorum fiat, qui decesserunt. Nouerant, hinc multùm ad illos lucri accedere, multùm vtilitatis. Eo enim tempore, quo vniuersus populus stat manibus passis, ac cœtus Sacerdotalis, & illud horrorem venerationis plenum incutiens Sacrificium, quomodò Deum non placabimus pro istis orantes? Atque id quidem de ijs, qui in fide decesserunt. ✻ Sic ibi S. Chrysostomus, & eodem ferè tenore verborum in Homilia 69 ad Antiochenum populum. Si respondeatur, Sanctũ Doctorem loqui de fidelibus diuitibus, qui, etsi per pœnitentiam consequuti sint remissionem grauium suorum peccatorum, sine satisfactione tamen pœnæ debitæ obierint, proindeque eorum animæ in Purgatorio torqueantur, sed ita vt iuvari possint orationibus, & eleemosynis viuentium fidelium. Repones, saltem S. Chrysostomus in verbis immediatè sequentibus, transcriptisque iam in sexta Conclusione sensit, animas damnatas Catechumenorum percipere aliquid refrigerationis, si pro eis dentur eleemosynæ.

100 Allegabis octauò Sanctum Augustinum, qui in 2. q. ad Dulcitium, & in Enchiridio ad Laurentium C. 110 ait, *Quibus defunctis prosunt* Sacrificium Mediatoris, & eleemosynæ, *aut ad hoc prosunt, vt sit plena remissio, aut certè tolerabilior fiat ipsa damnatio.* Et C. 112. cum reprobasset eos, qui putabant, finiendas esse damnatorum pœnas, addit, *Sed certis temporum intervallis existiment, si hoc eis placet, aliquatenus mitigari:: non æterno supplicio finem dando, sed leuamen adhibendo, vel interponendo cruciatibus.* Sic ibi; quanquam Lib. 21. de Ciuitate Dei C. 24. agens contra eosdem dicat, ✻ Sed quibus placet, istam sententiam vsque ad illa impiorum tormenta protendere, saltem sic intelligant, vt manente in eis ira Dei, quæ in æterno est prænunciata supplicio,

supplicio, nõ contineat Deus in hac ira sua miserationes suas, & faciat eos non tanta, quãta digni sunt, pœnarum atrocitate cruciari, vt non eas pœnas, vel nunquam subeant, vel aliquando finiãt, sed vt eas mitiores, quàm merita sunt eorum, leuioresque patiantur. Sic enim & ira Dei manebit, & in ipsa ira sua miserationes suas non continebit. Quod quidem non ideo confirmo, quoniam non resisto. ✻ Permittit itaque Sãctus Doctor, non quòd pœnæ semel incussæ damnatis remittantur, sed quòd incutiantur citra condignum. Sed in posteriori hoc loco est sermo de pœnis post diem Iudicij vniuersalis; quo ex tempore diuersa est ratio, quàm anteà, & ideo veteres aliqui Theologi, qui existimarunt, eas pœnas imminui, asseruerunt expressè, non sic fore post, sed ante Iudicium extremum. S. autem Augustinus in priori loco fatur de earum pœnarum allevatione ante præfatum Iudicium. Vnde vtriusque loci sensus clarescit.

101 Adduces nonò Innocentium III. C. *Cum Marthæ*, de Celebratione Missarum §. *Tertio loco*, distinguẽtem defunctos in quatuor gradus, nam alios ait, esse valde bonos, alios valde malos, alios mediocriter bonos, alios mediocriter malos; ex quib⁹ primi sũt beati, existuntque in Cœlo, & suffragia Ecclesiæ respectu ipsorum sunt actiones gratiarum; secundi sunt damnati, existuntque in Inferno, & suffragia Ecclesiæ non respectu illorum, sed viuorum sunt consolationes; tertij sunt, qui in Purgatorio manent, & per Ecclesiæ suffragia expiantur; quarti ergo erunt, qui vel in Inferno, vel in Limbo puerorum commorentur, & respectu quorũ habeant se Ecclesiæ suffragia vt propitiationes. Ast incredibile, falsumq; omnino est, animabus puerorũ Limbi prodesse suffragia ad propitiationem. Ergo quarti non alij erunt, quàm qui detinẽtur in Inferno ob peccata mortalia, vel non multa, vel non admodùm grauia; & eis suffragia proderunt ad diminutionẽ pœnæ, tametsi non ad integram liberationem. Quæ fuit opinio, & interpretatio adhibita ab Authore Glossæ ad C. expensum, & ad C. *Tempus* 13. q. 2.

102 Afferes decimo ex Carthusiano in 4. Dist. 45. q. 2. quòd in Reuelationibus S. Birgittæ dicatur, nullum in Inferno esse, cuius pœna meritis, & precibus B. Virginis Matris non minor cõsistat. Vnde à S. Ephrem in Threno, seu lamentatione Virginis vocatur ipsa, *Desperantium spes, & damnatorũ patrocinatrix*. Narrantur etiam aliquæ apparitiones damnatarum animarum, quæ dixerunt, concessũ sibi esse ob preces eiusdem Virginis, vt extra Infernũ manerent, vagarenturque per mũdum vsque ad Iudicij generalis diem.

103 Allegabis vndecimò Orationem quandam antiquitus vsitatam, cuius meminit Ioannes de Medina Codice de Oratione, titulo de his, pro quibus orandum est, folio 167. & quæ extat in Sacramentorum Libro, Authore Grimoldo Abbate tomo 2. Liturgicon Ecclesiæ Latinæ per Iacobum Pamelium pag. 457. in ea, quæ est de anima, de cuius statu dubitatur, dicitur sic, ✻ Deprecamur, vt dum de qualitate vitę eius diffidimus, de abundantia pietatis tuæ consolemur, & si ad plenam veniam animæ ipsius obtinere non possumus, saltem vel inter ipsa tormenta, quæ forsitan patitur, abundantiam miserationum tuarum sentiamus. ✻ Possunt etiam adiungi alia, quæ ego collegi Exercitatione 19. Empyreologiæ sect. 6.

104 Ad quintum respondeo, in Lausiaca Palladij historia nihil tale referri de S. Macario, siue qui vocatus est Ægyptius, & Maior, siue qui Alexandrinus, & Minor; sed in Vitis Patrum, Authore Ruffino Lib. 3. §. 172. & Ioãne Subdiacono Lib. 6. Libello 3. n. 13. tribuique Macario Ægyptio, & Maiori, quin dicant, orasse ex intentione, & expressè pro Idololatris defunctis; & quãuis dicerent, verumq; fuisset, fecisset id S. Macarius ex speciali instinctu Spiritus sancti; quare non sufficeret nobis in exemplum ad imitationem. Sed quid de responso reddito per cranium? Forsan non anima, sed Dæmon in eo est loquutus, & mentitus, vt sæpe aliàs, vel forsan discipulus aliquis S. Macarij totam hanc historiã è suo cerebro cõfixit, & transmisit ad alios. Sanctus Thomas in 4. Dist. 45. q. & art. 2. quæstiuncula 1. ad 4. inquit, ✻ Illud adiutorium, nõ erat, quod pœna eorum diminueretur, sed in hoc solo, vt ibidem dicitur, quòd, eo orante, concedebatur eis, vt mutuò se viderent; & in hoc aliquod gaudium

gaudium non verum, sed phantasticum habebant, dum implebatur hoc, quod desiderabant: sicut & Demones gaudere dicuntur, dum homines ad peccata pertrahunt, quanuis per hoc eorum pœna nullatenus minuatur: sicut nec minuitur gaudium Angelorum per hoc, quòd malis nostris compati dicuntur.* Sic Angelicus Doctor. Potest etiam dici, ex phantastico gaudio de sui apud homines memoria sentire levamen aliquod fallax, ac vanum, vel temporariã aliquam remissionem accidentariæ pœnæ. Videantur Heribertus Rosyveyd' in notis ad Vitas Patrum, Ioannes Bollandus in notis ad vitam S. Macarij die 15. Ianuarij.

105 Ad sextum respondeo, Itinerarium S. Brandani Abbatis Scoti ad Insulas Fortunatas continere multa apocrypha, vt iam admouerunt Vincẽtius Bellovacensis L. 21. Speculi Hist. C. 81. Baronius ad diem 16. Maij, & inter alia illud de Iuda. Ita etiam satisfacit Sotus.

106 Ad septimum ingenuè fateor, S. Chrysostomum in ea fuisse opinione, quòd damnatæ Catechumenorũ animæ refrigerationem nonnullam accipiant ex eleemosynis in earum gratiã datis. Quæ opinio, etsi dura, minus tamen, quàm quòd Catechumenorum omnium animæ damnentur. Id autem ibi S. Chrysostomus significat satis dilucidè.

107 Ad octavum dico, S. Augustinum per damnationem tolerabiliorẽ factam suffragijs Ecclesiæ denotare mitigationem pœnarum Purgatorij, seu potiùs abbreviationem, sumpta largè damnatione pro abbreviatione. Hunc esse sensum S. Augustini infertur perspicuè ex præcedentibus verbis. Nam hi, quibus ipse vult prodesse suffragia, sunt ijdem ipsi, quos anteà vocaverat non valde malos, & pro quibus suffragia dixerat esse propitiationes; concluditque, vel suffragijs liberari ab omni reatu pœnæ, vel hanc mitigari, seu potiùs abbreviari. Locus ex C. 112. Enchiridij permittit abs dubio temperationem pœnarum in animabus Inferni certis tẽporum intervallis ante diem Iudicij postremi, dummodò illi, contra quos agebat S. Augustinus, nõ admitterent dogma Origenis de supplicijs Inferorum aliquando finiendis; cuius hæresis extirpationem præcipuè intendebat S. Augustinus. Et sæpe contingit, vt permittamus aliquid, quod nobis minus probatur, ne in puncto, in quo nostra cum aduersario controversia non vertitur, insumamus tempus, vireſque disputationis. Locus ex Lib. 21. de Ciuitate Dei Cap. 24. genuinè expenditur. Et quod de punitione citrà condignũ præstita à Deo in peccatores, non asseverat ibi omnino S. Pater, iam tam receptum est in Theologorum Lyceis, vt in proverbium abierit, Deum punire citrà, & & præmiare vltra condignum.

108 Ad nonum respondeo, Innocentium non declarare suum sensũ circa distinctionem illam quadrimembrem defunctorum; proponit solũmodò eam,, vt consideretur ab Archiepiscopo Lugdunensi, à quo fuerat consultus. Deinde respondeo, per mediocriter malos non intelligi animas puerorũ Limbi, nam S. Augustinus, ex quo desumpta est illa distinctio, non comprehendit sub ea nisi baptizatos, vt patet ex Enchiridio ad Laurentium Cap. 110 ibi: *Cum Sacrificia, siue altaris, siue quarũcumque eleemosynarum pro baptizatis defunctis omibus offeruntur, pro valde bonis actiones gratiarum sunt*, &c. Neque item intelligi animas existentes in Inferno ob peccata lethalia aut non multa, aut non valde gravia, nam talibus animab' (quę illo nomine impropiè, & absurdè nuncupãtur) non propitiatur Deus, quanquàm gratis concederemus, quòd earũ pœnas mitiget. Sed intelligi animas in Purgatorio existentes, quibus superſit culpa aliqua venialis remittenda, vel magna exoluenda pœna ob peccata venialia, & mortalia, quorum vix vllam satisfactionem exhibuerint in corpore. Et hæ quidem animæ sunt mediocriter malæ; illæ autem erunt mediocriter bonæ, quibus nõ insit macula alicuius culpæ habitualis venialis, vel quibus modica pœna satispatienda restet. Præterea respondet Cardinalis Bellarminus L. 2. de Purgatorio C. 10. V. *Ad vltimum*, se suspicari, quòd Innocentius III. memoria lapsus putarit, diuisionem, quæ est apud Augustinum trimembris, fuisse quadrimembrem. Nam apud Augustinum ijdem sunt mediocriter boni, & mediocriter mali; Innocentius autẽ distinguit hoc membrum in duo dicens, *Alij sunt mediocriter boni, alij mediocriter mali.*

mali. Sic idē Innocentius memoria lapsus C. *Apostolicam* 2. de Presbytero non baptizato citat ex L. 8. de Ciuitate Dei hæc verba S. Augustini, *Baptismus inuisibiliter ministratur, quē non contemptus religionis, sed terminus necessitatis excludit.* Quę tamen in eo Libro minimè extant, vt certum mihi est post integram eius lectionē; sed in L. 4. de Baptismo contra Donatistas C. 22. & referuntur C. *Baptismi vicem* 32. de Consecratione Dist. 4. Nihilominus non acquiesco suspicioni Eminentissimi Bellarmini, quia Innocētius Papa magnum habuit fundamentū in S. Augustino ad quadrimembrem illā distinctionē. Scripserat enim S. Doctor in Enchiridio C. 110. *Est quidam viuendi modus nec tam bonus, vt non requirat ista post mortem.* En gradum bonorum mediocriter. *Nec tam malus, vt ei non prosint ista post mortem.* En gradum malorum mediocriter. *Est verò talis in bono, vt ista nō requirat.* En gradum valde bonorum. *Et est rursus talis in malo, vt nec his valeat, cum ex hac vita transierit, adiuuari.* En gradum valde malorum. Hinc Magister sententiarum in 4. Dist. 45. ante Innocentiū III. distinxit etiam cū S. Augustino bonos mediocriter, & malos mediocriter. Audiantur verba Magistri, *Ecce quibus, & qualiter prosunt illa, quæ pro defunctis frequentat Ecclesia. Mediocriter malis suffragantur ad pœnæ mitigationem; mediocriter bonis ad plenā absolutionem.* Sic Magister. Credibile q; est, ætate Innocentij celebrē fuisse quadrimembrem illam diuisionem, siue Innocentius respexerit, siue non ad Augustini verba, nec enim in eo §. *Tertio loco* fit vlla mentio de S. Augustino; solùm dicitur, *Vtrùm in hoc articulo locum habeat illa distinctio, qua docetur,* &c. Tandem de authoritate Glossarum illarum non est, cur solliciti simus.

111 Ad decimum respondetur, reuelationem S. Birgittæ à me repertā in Extrauagantibus C. 89. non aliud cōtinere, quàm quod B. Virgo abbreuiet damnandis vitam, & pœnam corporalē, vel, si quæ refertur, extet inter legitimas, interpretādam esse, quatenus abinitio minor pœna irrogetur ob merita, atque preces Deiparentis Virginis; non verò quatenus, quæ semel est irrogata, minuatur. Quo simili sensu accipio S. Fulgentium de fide ad Petrum C. 3. vbi ait, *Sine Ecclesiæ Catholicæ societate nec Baptismus alicui potest prodesse, nec aliqui misericordiæ, nisi fortè vt mitiùs torqueatur.* Illæ visiones, seu apparitiones animarum vagantium extrà Infernum vsque in diem extremi Iudicij sunt fabulosæ, multoque magis, si absque pœna sensus pererrarēt, nā quoties damnatis animabus permittitur egressus ex gehenna est per breue tempus, & absque ablatione, imò & absque decremēto pœnæ sensus, sicut quoties ex diuina dispositione animæ beatæ exeunt è Cœlo Empyreo, fit id absque minimo dispendio beatitudinis, & ad modicum tempus.

112 Noto tamen obiter, videri probabile Gregorio de Valētia tom. 4 D. 11. q. 1. pūcto 2. in fine, & Matthęo Radero in Viridario Sanctorum parte 1. pag. 222. quòd aliquando animæ beatæ reductæ sint ex Empyreo in has auras per resumptionem corporum, ita quidem vt desiuerint perfrui visione beatifica, qua saltem ad tempus in Empyreo afficiebantur; sed quin permiserit Deus subire discrimen salutis æternæ, vel quin hanc postea non recuperarint. In cuius probationem affert Valentia, quod de Marcello ad vitā reuocato à S. Fortunato narrat S. Gregorius L. 1. Dialogorum C. 10. Nam vt reuixit Marcellus ad S. Fortunatum *respiciens, dixit: O quid feci sti? O quid feci sti? Cui Episcopus respondit dicens, Quid feci? At ille ait: duo* (scilicet Angeli) *heſterno die venerunt, qui me eycientes ex corpore in bonum locū duxerunt: hodie autem vnus missus est, qui dixit, Reducite eū, quia Fortunatus Episcopus in domum eius venit. Quibus verbis expletis, mox ex infirmitate cōualuit, & in hac vita diutiùs mā sit.* Addit q; S. Gregorius, *Nec tamen credendum est, qui locum, quem acceperat, perdidit: quia dubium non est, quòd intercessoris sui precibus potuit post mortem melius viuere, qui & ante mortem studuit Omnipotenti Deo placere.* Ita S. Gregorius. Et ille *bonus locus* videtur fuisse Empyreus, ad quem post secundam mortē redijt Marcellus, peracta secunda vita cum confirmatione in gratia, maioriq; cū meritorū cumulo ad perpetuā visionē beatā, ideoq; priuatio tēporariæ iā adeptę, & reuocatio ad hāc vitā nō fuit Marcello dānosa, sed vtilis, ac benefica. Ego addo cū Radero quod de Syluino Presbytero resuscitato orationibus S. Seuerini tradit Eugippius, sic Ita cadauer vir beatus alloquitur, In nomine Domini nostri Iesu Christi, sancte Presbyter Syluine, loquere cum fratri-

bus tuis. Et subitò oculos defunctus apè ruit. Vix verò præsentibus homo Dei tacere præ gaudio persuasit; & denuò ad eum, vis, inquit, rogem⁹ Dominum, vt te adhuc seruis suis in hac vita cõdonare dignetur. At ille ait, per Dominum te cõiuro, ne diutiùs hìc tenear, & frauder quiete perpetua, in qua me esse iã cernebam. Statimq; reddita oratione quieuit exanimis. ✻ Ita Eugippius. Quies autem illa perpetua animæ Syluini erat beata visio, & in domicilio Cęlesti. Adijcio etiam historiam Christinæ Virginis mirabilis bis suscitatæ. Cũ enim primũ resurrexisset, retulit, ✻ Statim vt è corpore excessi, animam meam exceperũt lucis ministri, Angeli Dei, deduxerũtq; illam in locum quendã obscurum, & horridum, animabus hominum refertum; (qui erat Purgatorium) inde perduxerunt me ad Inferorum supplicia. Posteà verò translata sum in Paradisum vsq; ad thronum diuinę Maiestatis: vbi cum viderem gratulãtem mihi Dominum, vltrà omnem modum lætabar, quòd arbitrarer, illic me deinceps cum Domino in omnem æternitatem permansuram. At ille mox respondẽs desiderio meo. Reuera, inquit, dulcissima filia, hìc mecũ eris: sed nũc vtrùm è duobus mallis, optionem tibi facio, vel æternùm hìc nũc apud me permanere, vel redire ad terras, ibiq; in mortali corpore absque vllo detrimẽto pœnas perferre, ijsq; omnes illas animas, quas in locis Purgatorijs miserabaris, liberare, & eripere, efficereq; vt homines adhuc in corpore manẽtes, tuæ pœnitẽtiæ, & vitæ exemplis ad me cõuersi, à suis facinoribus abstineãt, & resipiscant: peractisq; omnib⁹, ad me tandem multis aucta meritorum cumulis reuerti. Ego verò absq; vlla cunctatione sub conditione mihi proposita dixi me velle ad corpus redire. Et pius Dominus gratulans, quòd me prõptã obtulissẽ, iubet animã suo corpori restitui. ✻ Hæc in C. 3. vitæ Christinæ, Authore Thoma Cantipratensi Dominicano. Ex quibus apparet, animam Christinę deductam esse in Empyreum, videturq; non caruisse visione Dei, quandiu ad corpus non redijt. Vixit posteà Christina quadraginta & duobus annis secura de ęterna sua salute. Et cum rursus obijsset, reuixit secũdò ad lachrimas, vocesq; Beatricis Sanctimonialis, ✻ Et grauiter ingemiscẽs, anxioq; vultu Beatricem reuerberãs dixit, Cur meam, Beatrix, rẽquiem interpellasti? Cur me huc reuocare voluisti? Iã ducebar ad Christi conspectũ. At nunc, mea soror, properè quic quid visum est, proponas, finasq; me, obsecro, ad diu optata reuerti. Vbi Beatrix proposuit, quod voluit, ab ea resp̃sum est ei. Interim Sorores vndiq; congregãtur ad illam; quas postquàm Crucis signo consignauit, tertiò vita functa est, abijtq; ad immortalia sæcula sęculorũ: anno a Christo nato millesimo ducentesimo vicesimo quarto, aut circiter. ✻ Sic ex eadẽ vita C. 31. In eo autẽ, quòd de interpellata requie est conquesta Christina, videtur significasse possessionem visionis beatæ; nisi contra hanc cõiecturam faciat, quòd nondum deuenisset anima ad conspectum Christi in Empyreo. Sed dicere quispiam posset, incæpisse videre Deum, cum primùm seiuncta est à corpore, licet ob moram successiui motus nondum attigisset penetralia Regiæ Empyreæ. Præterea adiungo quod dixisse Mengozum Cistercien sem rediuiuum ad vocem Abbatis sui, prodit memorię Cęsarius Heisterbachcẽsis L. 11. C. 11. Miraculorum illustrium, & Historiarum memorabilium. ✻ In paradiso posita erit mihi sedes aurea secus pedes Dominæ nostræ, & cum me reuocares, &c. ✻ Idemque Cæsarius L. 12. C. 23. ait, ✻ Si Deus quorũdam animas, sicut legitur in Dialogo, quandoque reuocat ad corpus de gaudijs paradisi, quare non à simili malorũ animas de pœnis Inferni? ✻ Similiter Iulianus Petri in Aduersarijs n. 190. scribit de Petro, quem suscitauit S. Iacobus Apostolus, & qui fuit primus Antistes Bracarensis, ✻ Creditur iã fuisse beatus, qui cũ Christo in Cœlum intrarit, nam damnatum Iacobus nullomodo suscitaret. ✻ Si quis adhuc contendat cum Soto in 4. Dist. 45 q. 1. art. 4. Concl. 5. cũ Bellarmino L. 2. de Purgatorio C. 8. nullum adhuc, cui⁹ fęlix anima paradisum cęlestem inhabitaret, ad mortalẽ vitã esse resuscitatũ; & Marcelli, Syluini, Christinę, Mẽgozi, Petrique animas non fuisse etiam trãseũrer beatas ante postremã à corporibus separationẽ, non possumus, nisi importuna, nimiaq; digressione, rem hanc magis examinare: quanquam si ex Inferorum tormentis redierint aliqui ad corpus, vt in Sanctorum Actis non rarò legitur, estque inter alias dignissima

scitu

scitu narratio illa Sigeberti C. 4. vitæ S. Maclouij, redacta in compendium à Vincentio Bellouacensi L. 21. Speculi historialis C. 97. à S. Antonino parte 2. Historiali tit. 12. C. 8. §. 5. de infideli giganteæ molis, & proceritatis iam diu anteà emortuo, & cruciato in Tartareis flaminis, qui restitutus vitæ à S. Maclouio, & imbutus documentis fidei Christianæ, communitusque Sacramẽtis Baptismi, & Eucharistiæ obijt rursus post quindecim dies; quanquam, inquã, si hæc, & similes aliæ historię veræ sint, minor difficultas debeat agnosci in eius, qui iam Cœlestem incolat aulam, reditu ad corpus.

113 Ad vndecimum respondeo, illam Orationem non esse authenticam, neque visitatam in Ecclesia Romana, vt notat Bartholomæus Sybilla in Speculo peregrinarum quæstionum Decade 1. C. 3. q. 3. quæstiuncula 13. Addo cum Medina, posse explicari de mitigatione pœnarum Purgatorij. Estque de eadem intelligendus S. Laurentius Iustinianus, cum in Serm. de Euch. inquit, *In oblationis Sacrificij Missæ hora, quantùm fas est credere, aperiuntur Cœli, mirantur Angeli, Sancti laudant, exultant iusti, captiui visitantur, compediti soluuntur, Infernus luget, sanctaque in spiritu mater beata lætatur Ecclesia.* Sic ille. Et ex Luca Tudensi in Historia miraculorum S. Isidori Hispalensis C. 31. refert P. Didacus de Baeza tomo 1. in Historiam Euangelicam Lib. 3. C. 8. §. 33. quandam Purgatorij animam apparentem dixisse Nouitio Monasterij Isidoriani Legionensis, *Quando pro nobis, Sacerdotis in Missa ministerio, immolatur Deo hostia salutaris, multi nostrùm nulla pœna afficimur.*

114 Dices duodecimò, non est error in fide, existimare, & asserere, quòd damnati sentiant in tormentis aliquam mitigationem ante diem Iudicij, ita quidem vt diminuatur pœna, sed non intermittatur omnino; id enim esset contra æternitatem pœnæ, & contra illud Apocalypsis 14. *Fumus tormentorum eorum ascendet in sæcula sæculorum, nec habent requiem die, ac nocte.* Mitigatio autem pœnæ per diminutionem non reprobatur à Sancto Augustino, & à Sancto Chrysostomo approbatur, & indicatur à Prudentio, à S. Ildefonso, à S. Odilone, quorum verba exaraui in Empyreologica Exercit. 19. sect. 6. asserta que fuit à Cæsario Lib. 13. Miraculorum illustrium C. 39. Vualdensi C. 107. de Sacramentalibus num. 4. Alfonso Rege Sapiente leg. 42. titul. 4. Part. 1. Prępositiuo Presbytero Leodiensi, Augustino de Ancona, Petro Cãtore Parisiensi, Stephano Cantuariensi, Gilberto Porretano, Roberto Lincolniensi, Guillielmo Autisiodorensi celebris nominis Theologis, de quibus S. Thomas in 4. Dist. 45. q. & artic. 2. quęstiuncula 1. in Corp. Guillielmus Parisiensis Tract. de Moribus C. 5. Gabriel Lect. 56. in Canonem Missæ ex lit. P. & Sixtus Senensis L. 6. Bibliothecæ, annotatione 47. Cur igitur non licebit, offerre Sacrificium Missæ, & alia suffragia ad impetrandam eam mitigationẽ, sicut licet offerre ad impetranda peccatoribus viuentibus bona spiritualia, & temporalia; quanuis nec pro mortuis, nec pro viuis peccatoribus liceat, neq; vtile sit offerre Sacrificium Missæ, & alia suffragia quoad satisfactionem? Respondeo, graues quidem Theologos nõnullos, & inter eos Petauium infrà n. 18 Valentiam suprà puncto 3. V. *Etsi autem*, liberare à censura erroris in fide diminutionem pœnarũ, quę sit absq; omnimoda interpollatione, & quæ ante Iudiciũ vniuersale fiat, nã aduersus mitigationẽ cum his limitationibus non faciunt expressè loca Scripturæ, neq; Concilia, & Patres, qui allegari solent, & qui expẽduntur ab Antonio Perez in Laurea Salmantina Certamine 9. Expositiuo, à Dionysio Petauio tom. 3. Theologicorũ dogmatũ L. 3. de Angelis C. 8. Letsio L. 13. de diuinis perfectionib⁹ C. 25. Sala in 1. 2. Tract. 13. D. 15. S. 3. Antonio Rusca L. 5. de Inferno C. 30. & sequentibus, Alfonso de Mendoza in Quodlibetis, q. 6. Scholastica n. 2. contra Origenem affirmantem, igne Inferni non æternùm cruciandam animam, sed longissimo tẽpore, post quod, si rectè egerit, saluabitur, deinde si relabatur, redibit ad ignẽ, & sic deinceps. Quanquam negari non possit, aliqua Scripturæ testimonia, vt illud Prou. 11. *Mortuo homine impio, nulla erit vltrà spes: & expectatio solicitorum peribit*; Ecclesiastis 11. *Si ceciderit lignũ ad Austrum, aut Aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit*; illudq; Lucæ 16. de diuite epulone, qui in Inferno sepultus nullum potuit ab Abraham consequi re-

frigerium; & si quę alia sunt similia testimonia, habere non modicum momẽtum contra eam mitigationem, vt & quædam testimonia Patrum, S. Cypriani videlicet dicentis in serm. de Ascensione Christi, *Non miserebitur vltrà Deus, neque tunc audiet pœnitentes, sera erit illa confessio, & cum clausa fuerit ianua, frustrà carentes oleo acclamabunt excluſi. Nullum ibi refrigerium, nullum remedium.* Rursus in Tract. contra Demetrianum, *Cremabit addictos ardens semper gehenna, & viuacibus flaminis vorax pœna; nec erit vnde habere tormenta, vel requiem possint aliquando, vel finem.* Sancti Bernardi Serm. 8. in Psalmum *Qui habitat, Erit iam tunc non misericordiæ, sed iudicij tempus: nec vlla omnino credenda est erga impios futura illic miseratio, vbi nec vlla speranda est correctio.* Quæ verba consona sunt illis Sancti Iacobi in Epistola Catholica Cap. 2. V. 13. *Iudicium sine misericordia illi, qui non fecit misericordiam.*

115 Si his tamen non obstantibus, iudicetur, posse sine errore asseri illa mitigatio, adhuc dicam, non esse licitum offerre Sacrificium Missæ, & alia suffragia, atque orationes ad impetrandam à Deo mitigationem illam, quia Ecclesia non solùm prohibet offerre Missam vt satisfactoriam pro damnatis, sed etiam vt impetratoriam, siquidem absolutè prohibeat offerre. Eadẽque est ratio de alijs suffragijs, & orationibus. Vnde si Deus det aliquando mitigationem illam, erit quidẽ ex mero suo placito, quin velit exorari à nobis, prout ex Ecclesiæ declaratione innotescit. Fateor, ex Ecclesiæ prohibitione validum desumi argumentum ad cogitandum, quòd mitigatio illa sit contra, aut saltem prẽter Ecclesiæ opinionem. Nam impetratione Missæ potest ne, vel non potest, quæso, obtineri à Deo mitigatio illa? Si potest, cur Ecclesia vetat hoc pietatis, & misericordiæ officium erga damnatos? Si non potest, intelligitur difficillimè, vt sit aliquid factibile à Deo secũdùm legem etiam communẽ, & in hominum commodum, quod nobis non liceat petere ab ipso per Sacrificium Missæ, & per alias orationes. Hoc argumentum efficacius est, quàm vulgare illud apud Authores, scilicet quòd alioqui tolleretur penitùs pœna sensus in damnatis, multiplicato nostrorum suffragiorum, & orationum numero, quandoquidem pœna præfata sit finita quoad intensionem, & finitum ablatione finiti consumi possit. Occurri enim non incongruè valet aiendo, Sacrificium Missæ, & alia suffragia quoad impetrationem non habere infallibilem effectũ, ideoque nunquam acceptanda à Deo, vt tota pœna sensus tollatur in damnato, quanuis acceptari queant, vt temperetur.

116 Iam, omnibus perspectis, concludo, non solùm *tutius esse simpliciter dicere* cum S. Thoma in 4. Dist. 45. q. & art. 2. quæstiuncula 1. in Corpore, *quòd suffragia nõ prosunt damnatis, nec pro eis Ecclesia orare intendit*; sed etiam esse valde periculosum, si oppositum dicatur. Et conceptis verbis ait Suarez tomo 4. in 3. p. D. 48. sect. 4. n. 14. colligi ferè euidenter ex principijs fidei, quòd damnatis non remittantur pœnæ propter suffragia viuorum.

117 Dices decimo tertiò pro peccato, etiam mortali, iam dimisso nõ debetur ęterna pœna, tametsi illud concurrat cum alijs non dimissis; potestq; condemnatus ob ista alia satisfacere in Inferno pro pœna, quæ respondet peccato illi. Ergo cum tandem finienda sit ea pœna, cumque ipse damnatus possit pro ea satisfacere, quid ni poterit Sacrificiũ Missę prodesse, vt tollatur? Dices decimo quartò, contingibile est, vt quis moriatur cum peccato originali, & veniali sine mortali personali. Sed istius anima, priusquàm deduceretur ad Limbũ puerorum, deberet puniri pro peccato veniali in Inferno. Ergo saltem iste posset iuuari per Sacrificium Missę, vt ab Inferno exiret ipsius anima.

118 Respõdeo ad decimum tertium negando Antecedens contra Scotũ in 4. Dist. 21. q. 1. Gabrielem Lect. 56. in Canonem Missæ littera S. & alios, quorum sententia rigidè notatur à permultis ob eam præsertim causam, quòd legitimè inferatur Consequentia proposita. Potest tamen vtcumque hæc detrectari, tum quia Sacrificium Missæ, vt satisfactoriũ, nequit prodesse subiecto existenti in peccato mortali; vti existũt damnati: tum quia istorum status indignus est, vt eis dimittatur aliquid per aliena suffragia; admittaturque pro pœna, cui obnoxij sunt, aliquod genus compẽsationis, & gratiæ; sed potiùs reddãt vniuersũ debitũ, & *nouissimũ quadrantẽ*,

vt

vt dicitur Matthæi 18. de seruo tradito tortoribus ob negatam suo conseruo misericordiam; & eiusdem Matthæi 5. Lucæque 12. de altero misso in carcerem. Vnde Sanctus Clemens L. 8. Cōstitutionum Apostolicarum C. 43. verissimè dixit, *Impios, tametsi omnia bona externa pro eis largiaris, nihil iuvare queas; cui enim viuo inimicus fuit Deus, haud dubium, quin sit etiam defuncto; non enim iniustitia est apud eum. Iustus Dominus, & iustitias dilexit. Et ecce homo, & opus eius.*

119 Ad decimum quartum responderi posset primò, falsum esse quod in Maiori supponitur, quia homo inbaptizatus incipiens habere vsum rationis sufficientem ad peccandum, si se ordinet ad Deum tanquam ad debitum suum finem, consequetur per gratiam remissionem peccati originalis; si non se ordinet, peccabit mortaliter non faciens quod in se est, ac proinde nunquā poterit contingere, vt homo viuat cum peccato originali, & veniali sine mortali personali, & per consequens neque vt moriatur. Sic S. Thomas 1. 2. q. 89. art. 6. Cæterùm etsi concedenda esset ea obligatio ordinandi se ad Deum in primo instanti physico vsus rationis, adhuc videtur non recusanda contingibilitas illius casus. Nā posset puer in primo instanti ordinare se ad Deum per solum actum spei; quo solo non obtineret remissionem peccati originalis. Ponamus, talem puerum dicere officiosum mendacium in primo instanti, & obire in sequenti. Rogo tunc, quò abiret eius anima? Si dicatur, obligationem ordinandi se ad Deum non adimpleri nisi per actum charitatis erga Deum super omnia. Desidero huius dicti probationem. Præterea obligatio ordinandi se ad Deum, aut etiam amandi ipsum pro primo instanti vsus rationis potest ignorari inuincibiliter à puero barbaro; potestque, à puero instructiore, cogitanteque de tali obligatione censeri probabiliter, quòd non vrgeat pro primo instanti, quia, etsi re apte vrgeat, non est tamen id per se notum, neque necessariò, & euidenter infertur ex principijs per se notis; & quia cum complures perdocti homines in prouecta, & litteris exculta ætate iudicent probabiliter, se pro primo instanti non habuisse talem obligationem, potiori iure potuissent existimare id ipsum, quando primùm affulsit rationis lux. Demus itaque, aut eam obligationem ignoratam fuisse inuincibiliter, aut notam non vt certam, sed vt probabilem solummodo; ideoque nullum committi peccatum in omissione ordinationis, aut amoris. Nihilominus posset tunc puer venialiter peccare pronunciando otiosum verbum. Si autem decederet è viuis, scire vellim, quem in locum deportaretur eius anima infecta peccato originali, vt supponitur? Vlteriùs adimpletio præcepti de sui ad Deum ordinatione, aut de amore Dei super omnia in primo instanti, potest omitti ex defectu plenæ deliberationis; & tunc eiusmodi omissio esset venialis tantùm culpa. Si igitur puer non baptizatus moriatur, non perpetrato alio peccato, quā in stationem deducetur ipsius anima? opto, vt mihi edisseratur.

120 Responderi secundò posset, etsi ex se, & absolutè cōtingere valeret, quod in Maiori assumitur, attamen Deum speciali prouidentia curare, ne quis naturæ concedat cum solo originali, & veniali. Sed hæc responsio est merè voluntaria, datque occasionem, vt credatur (quod absit) Deum expectare hominem, vt labatur in mortale, & ad hoc prorogare eius vitam.

121 Quapropter ego occurro concedens Maiorem, dicensque ad Minorem, esse quidem in Inferno collocandam animam separatam à corpore cum solo originali, & veniali, puniendamque ibi vtraque damni, & sensus pœna, quin vnquam hæc pœna finiatur, & quin vnquam anima ad Limbum puerorum tanquam ad proprium receptaculum traducatur, iuuante vel satispassione propria, vel applicatione Sacrificij Missæ; nam vt pœna sensus desinat vno, vel altero medio, obest defectus gratiæ in anima illa. Sic ob peccatum veniale coniunctum cum mortali personali cruciatur anima in Inferno patiens æternam damni, & sensus pœnam, quin satispassione propria, aut applicatione Sacrificij Missæ finiri valeat pœna respondens peccato veniali, vt coniuncto cum mortali. Ita ferè satisfacit Sanctus Thomas in quartū, Distinctione 45. quæstione 1. articulo tertio ad sextum, si semel admittatur positio Maioris.

122 Sunt etiam, qui respondeãt, animam illam, quæ cum solo originali, & veniali discedat è corpore, ferri ad Limbum puerorum, punirique ibi ob peccatum veniale, nõ quidem pœna ignis, sed pœna confusionis nata ex displicentia sui ratione maculę contractæ ex peccato veniali. Vnde cum animab⁹ Limbi puerorum non prosit Sacrificiũ Missę, vt stabiliuim⁹ in Conclusione decima tertia, manet eneruata septima obiectio. Sed non placent nobis, quia dolor punitiuus infligendus à Deo est corpore aliquo medio, quantùm noscere possumus ex seruata à Deo norma cruciandi in Inferno, & Purgatorio. Displicent multò magis, qui dicunt, animam illam castigandam in Purgatorio ad tẽpus, & posteà deferendam ad Limbum puerorum; conanturque colligere id ex Concilio Florentino in litteris vnionis, vbi decernitur, *animas illorum, qui in actuali mortali peccato, vel solo originali decedunt, mox in Infernum descendere.* Non dicitur absolutè cũ originali, sed cũ *solo originali*, quia qui cum originali, & veniali moriuntur, priùs tendunt ad Purgatorium, quàm ad Infernum. Displicent, inquam, multò magis, nam Purgatorium est tantùm amicorum Dei carcer, receptaculumque animarum certarum de æterna sua salute, & expiatarum ibi, vt sine reatu culpæ, ac pœnæ ascẽdant in Cœlum. Fictitius etiam videtur transitus ille è Purgatorio ad Limbum puerorum, aut saltem sine cogente vlla ratione cogitatus, & sine authoritatis fundamento. Concilium Florẽtinum extortè trahitur non minus, quã si ego ob ea verba dicerem, descendere in eundem communem locum Inferni animas morientium in peccato mortali personali, & in solo originali, & non esse loca distincta Infernum damnatorum ad ignem æternum, & Limbum infantium. Mens Concilij Florentini fuit, significare, esse satis peccatum originale solum, vt ob illud animæ, quibus non est condonatum, descendant ad Inferiores partes terræ. Etsi enim in his etiam sit locus Purgatorij ex communi Patrum, & Theologorum sententia, abstinuit tamen Concilium Florentinum à definitione eius veritatis.

CONCLSIO XVII.

Pro omnibus fidelibus sine desperatione defunctis, qui non sint excommunicati vitandi, potest licitè offerri Sacrificium Missæ.

123 QVIA regulariter non potest constare de aliquo fideli mortuo sine desperatione, & in Ecclesiæ obedientia, quòd discesserit in peccato mortali absque pœnitentia interiori. Comprobat Conclusionem hanc praxis Ecclesiæ, & locus insignis S. Augustini L. de Cura pro mortuis C. 18, vbi S. Doctor ait, *Non existimemus ad mortuos, pro quibus curam gerimus, peruenire, nisi quod pro eis, siue altaris, siue orationum, siue eleemosynarum Sacrificijs solemniter supplicamus; quanuis non quibus fiunt, omnibus prosint; sed ijs tantùm, quibus, dum viuunt, comparatur, vt prosint. Sed quia non discernimus, qui sint, oportet, ea pro regeneratis omnibus facere, vt nullus eorum prætermittatur, ad quos hæc beneficia possint, & debeant peruenire. Melius enim supererunt ista eis, quibus nec obsunt, nec prosunt, quàm eis deerunt, quibus prosunt.* Hucvsque S. Augustinus; & refertur C. *Non æstimemus* 13. q. 2. Videndusque est Canõ *Sanè quod* 24. q. 2. Notanda in eo maximè illa verba, *Quia ergo prædictus vir, neque excommunicatus nominatiuè, neq; communicans cum excommunicatis ex nobis exijt, sed in Domini sui fide, atque seruitio permansit; licet nobis dispensatiuè, id est, quamdiu eos patimur, eorum eleemosynis communicare, & defuncti animam Christianæ religionis modis omnibus adiuuare.* Sunt etiam digna, quæ obseruentur verba hæc Iuonis Carnotensis in Epist. 198. *Quia incertus est status animarum post hanc vitam, non videtur otiosum, si pro his intercedimus, qui iam requie perfruuntur, vt eorum requies augeatur, & pro his, qui locis Purgatorijs deputati sunt, vt fidelium orationibus indulgentiam consequantur.* Quorum verborum prior pars de incremento quietis in Beatis explicari benignè poterit, iuxta dicta in decursu Conclusionis XV. Obseruo autem pro XVII. in qua versor, nisi constet, quòd aliquis absque mentis alienatione interemerit se ipsum ex desperatione, non esse priuandum suffragijs

gijs Missarum, vt neque Ecclesiastica sepultura, provt cum alijs docet Barbosa C. 26. de Officio, & potestate Parochi n. 49. Etsi enim reperiatur laqueo suspensus, vel suffocatus in puteo, non est præsumendum de ipsi⁹ culpa, potuit enim pati mentis alienationem, vel per vim, & insidias suspendi, aut in puteũ proijci.

CONCLVSIO XVIII.

Non licet celebrare defunctorum Missam pro viuis, quasi defuncti iam essent.

124 ITA Honcala in 4. Opusculo, Tract. 3. fol. 62. Layman Lib. & Tract. 5. Cap. 2. num. 15. Castrus Palaus Tract. 22. D. vnica, puncto 6. num. 19. Franciscus de Lugo L. 5. C. 4. q. 7. num. 68. Garcia de Excellentijs Sacerdotij Tract. 3. Diffic. 10. dub. 7. num. 14. Thomas Tamburinus Lib. 2. de Missa C. 2. § 7. Diana parte 5. Tract. 13. Resolutione 2. parte 9. Tract. 2. Resolutione 18. cum multis alijs, quos citat contra Navarrum tomo Consiliorum Lib. 3. in Consilio 6. de Celebratione Missarum, editione 2. & contra Lucam Pinellum parte 2. de Missa C. 7. q. 3. Marchinum Tract. 3. de Ordine parte 2. C. 24. à n. 1. Leandrum Tract. 8. D. 4. q. 23. alioſq; apud ipsos. Moueor, quia is modus celebrãdi alienus est ab vsu, consuetudine que Ecclesiæ Romanę, & quia est contra eiusdem Ecclesiæ institutionem dirigẽtem orationes, & preces Collectarum ad propitiandum Deum defunctis; & quia pleræque earum orationum dicẽtur falsò de viuis; vel saltem proferentur in diuerso sensu, ab eo, quem Ecclesia intendit, nam hæc intendit orare pro verè defunctis, & non pro viuis repræsentatis instar defunctorum: non licet autem Sacerdoti oranti in persona Ecclesiæ loqui nisi in sensu intento ab eadem Ecclesia.

125 Dices primò, talem modum celebrandi favere pietati, & deuotioni; deservire q contemptui mũdi, ac memoriæ mortis, leniendoq; huius timori, & desiderio vitę æternę excitando. Sed contra, nam ad hęc non est medium conueniens, quòd Ecclesiæ vsui, institutioni, & intentioni in defunctorum Missis opponitur; sicut non esset medium cõueniens, quòd tibi simulanti agoniam diceretur Commendatio animæ, aut ministraretur Sacramentum Extremæ vnctionis, neque quòd te extinctum fingens sineres inuolui linteis sepulchralibus, efferri domo per vias publicas in templum, sonantibus campanis raucum, & funebre, cantante Clero, procedentibus consangineis, & amicis atratis, ac lugentibus, cumque ad Ecclesiam deuentum sit, poni in tumulo, ibiq; Officium defunctorum pro te peragi. Sed certè, vt prudenter monet Doctor Honcala, * Nihil fictitium debet esse, nec in Sacramentis Christi, nec in Sacramentalibus Ecclesiæ exercendis, sed omnia debent constare aperta, planaque veritate. Proferre autem quempiam viuentem se mortuum, & tanquam pro eo mortuo campanas pulsari, procul dubiò fictitium est. * Cõtra rursus, quia non minus consequeris fines illos, si facias coram te celebrari Missam omnium fidelium defunctorũ, vel anniversarium alicuius defuncti.

126 Dices secundò, hæredes, aut executores testamenti esse fæpe negligentes in eo, vt celebrentur Missę pro testatore defuncto; ideoque esse optimum consilium, vt quisque, dum viuit, faciat celebrari Missas pro se vt defuncto. Sed contrà, quia periculum negligentiæ hæredum, aut executorum testamenti nõ magis cauetur per eas Missas antedictas, quàm per alias. Nam si pro te verè defuncto non dicitur Sacrum, nõ magis tibi proderit quoad satisfactionem, quòd celebrata sit Missa pro te viuo, sed repræsentato vt defuncto, quàm quòd sit celebrata sine ea repræsentatione. Rogo enim, an satisfactorius fructus Missæ dictę cum ea repræsentatione maneat suspensus, vel, si mavis, reseruatus in acceptatione diuina vsq; ad tempus, in quo tua anima adeat Purgatorium, vel an eum fructum lucreris tempore vitæ? Vtrovis modo respondeas, debes cogitare idem ipsum de fructu satisfactorio Missę dictę absq; ea repræsentatione. Si autem de fructu impetratorio sit sermo, orationes, & preces dictæ pro defunctis, non proderunt tibi viuo; quare maiorẽ fructum reportares, si faceres celebrari Missam inscriptam in Missali Romano, *Pro quacumque*

eumque necessitate, aut *Pro peccatis*, nam in tali Missa plures sunt orationes, & preces pro viuis. Quòd si in Missa defunctorum applicata pro te viuo, sed repræsentato vt defuncto, considerentur aliæ orationes, & preces, quę indifferenter denotant viuos, & mortuos, poteris ęqualem fructum adquirere, siue vivus, siue mortuus, ex cæteris Missis pro te oblatis sine illa repræsentatione.

127 Dices tertiò, insignes pietate, & sanctitate viros curasse modum illum celebrandi pro se, vt refertur de B. Alberto Magno à Petro Prussiano C. 45. Petro Iammy in eius vita ad finem, & à Ferdinando del Castillo p. 2. Historiæ generalis S. Dominici Lib. 3. C. 47: de Henrico II. Comite Rotenechensi, Episcopoque Ratisponensi ab Vviguleo Hundio in Historia: de Carolo V. Imperatore à Prudentio Sandobalio, Petro Ostermano, & Iurisconsultorum Hispaniæ Principe (Proh dolor! dudū è viuis sublato) D. Ioāne de Solorzano Pereyra in Regio politico Emblemmate 100. num. 18. Iosepho de Siguenza in Historia Ordinis S. Hieronymi L. 1. Cap. 38. Famiano Strada Lib. 1. de Bello Belgico, pag. (mihi) 17. Sed contrà, quia magnorum virorum aliqua facta non tam sunt imitanda, quàm demiranda; & quia credibilius videtur, non fuisse celebratam Missam pro eis vt defunctis; sed tantùm coram ipsis, imaginantibꝰ quidem se, quasi essent mortui, non tamen Sacerdotē, neque ipsis offerentibus Missam pro se vt defunctis. Et Albertus quidem *Locum suæ sepulturæ quotidie visitans Vigilias defunctorum pro se iam mundo mortuus dicebat*; quę sunt verba Petri Prussiani, sed Missam pro se, vt è viuis ablato non obtulit. Simile quid faciebat S. Gertrudis Mansfeldensis, vt enim refertur Lib. 5. suarum Revelationum, seu Insinuationem divinæ pietatis Cap. 27. *Sibimet ipsi quasi agonizanti persoluebat omnia, quæ fieri solent circa agonizantes, etiam supra quàm optari posset, tā in orationibus, quàm in meditationibus salubribus*. De Henrici facto non possum ferre iudicium, cum Vviguleum Hundium, quem allegat Layman, videre nō potuerim. De Carolo V. fateor, quod dicitur, sed illud insolitum, & inauditū visum est Ioanni Regulæ Confessario suo, quem consuluit, etsi simul iudicarit, pium esse, ac salutare, vt scribit Famianus Strada.

128 Dices quartò, vigere in Lotharingia consuetudinem illam, & in Hispania cæptam introduci. Respondeo, melius fore, si in Lotharingia tolleretur, & in Hispania adhiberetur remedium, ne percrebresceret. Audiui, contigisse alicubi in Hispania, vt cum quidam nobilis vocaretur è domo concubinę ad simulatam mortem repręsentandam in Sacello cuiusdam Confraternitatis, cui in vsu esse incipiebat hæc devotio, excusarit se facetè dicens, *Aliquando quidem, sed non modò.*

CONCLVSIO XIX.

Missæ Sacrificium, quod pro aliquo offertur, quia putatur obijsse, cum tamen re ipsa viuat, prodest ei quoad fructum satisfactionis ex opere operato, si aliunde non detur obex.

129 QVOD vt ostenderet Deus, edidit multa miracula, quibus per externa appareret signa fructus internus causatus in viuis, causandusque in eisdem, si essent mortui. S. Gregorius Lib. 4. Dialogorum C. 57. narrat, captivum quendam solutum fuisse vinculis, quoties pro ipso tāquàm mortuo offerebatur Sacrificium; narrat etiam ibidem, nautam, nomine Baracam, abreptum fluctibꝰ maris, diuque iactatum non perijsse, quanquam Agathus Episcopus Panormitanus, qui erat vnus è vectoribus, credens, iam esse mortuum, iusserit, offeri pro eo Sacrificium in Ostica insula. Sed cum posteà in Romano portu illum præter spē inuenisset, audivit hęc ex eiꝰ ore, *Laborans fluctibus, atque deficiens, subitò mentis pondere sum gravatus, ita vt neque vigilare me crederem, neque depressus somno essem. Et ecce in eodem medio mari me posito quidam apparuit, qui mihi panem ad refectionem detulit: quem mox vt comedi, vires recepi: nec longè post navis transiens affuit, quæ me ab illo vndarum periculo suscepit, atque ad terrā deduxit. Quod scilicet Episcopus audiens requisivit*

quisiuit diem, atque illum fuisse diem reperit, quo pro eo Presbyter in Ostica insula Deo Omnipotẽti hostiam sacræ oblationis immolavit. Quo ex casu infert S. Gregorius doctrinam à nobis in Conclusione propositam, ait enim, *Idcirco credo, quia hoc tam apertè cum viuentibus, ac nescientibus agitur, vt cunctis hæc agentibus, acnescientibus ostendatur, quia, si insolubiles culpæ non fuerint, ad absolutionem prodesse victima sacræ oblationis possit.* Sic S. Pontifex. Referuntur similes alij casus ab eodem S. Gregorio Homilia 37. in Evangelia, à Leõtio in Vita S. Ioannis Eleemosynarij, à Beda in Anglorum historia Libro 4. Capite 22.

DISPVTATIO XVIII.

DE REQVISITIS EX PARTE EORVM, pro quibus offertur Sacrificium Missæ, vt hoc ipsis prosit.

1 *SILICET DE CAPACITATE, STAtu, indigentia, & dispositione. Imò de primo, & secundo requisito vix loquemur, nam in proxima Disputatione declarauimus nõ perfunctoriè, quicquid ad vnum, & alterum pertinet.*

SECTIO I.

Agitur summariè de capacitate, & statu; diffusiùs autem de indigentia.

CONSTAT ex Disputatione præcedenti, nõ esse necessariam capacitatem inductam ratione Baptismi, vt quis obtineat ex Sacrificio Missæ fructum Impetrationis, imò neque vt satisfactionis, si existat in Dei gratia, & amicitia; quẽadmodùm potest Catechumenus Competens, per quem non stat, quominus baptizetur, etsi nobis aduersetur doctissimus, charissimusque P. Theophilus Raynaudus parte 2. de Monitorijs Cap. 6. num. 3. Ex eadem Disputatione liquet, requiri statum nõ vltimi termini, vt quis comparet ex Sacrificio Missæ fructum impetrationis, & satisfactionis. Vnde nec animæ existentes in Cœlo, neque in Inferno propriam aliquam vtilitatem reportant ex eo Sacrificio, quia nimirùm peruenerunt ad vltimum terminum. Ast animæ in Purgatorio existentes, etsi non sint in statu merendi, neque satisfaciendi per se ipsas, non tamen attigerunt vltimum terminum, & ideo habent statum aptum, vt eis Sacrificium Missę sit proficuum. Clarescit præterea ex eadem Disputatione, excommunicatos maiori excommunicatione, qui sint tolerati, non esse excluſos à fructu impetrationis; & neque à fructu satisfactionis, si potiantur gratia habituali: qui autẽ tolerati non sint, non adquirere Sacrificij fructum dependentem ab Ecclesia, etiamsi

etiamsi in Purgatorio existant; cuius fructus participationē concesserūt animabus non toleratorum commorantib⁹ illic Bartholomæus Sybilla in Speculo peregrinarum quæstionum Decade 1. C. 3. q. 4. quæstiuncula 13. Paludanus in 4. Dist. 18. q. & art. 1. num. 8. sed nimis largè; vt è contra nimis strictè Hearicus de Hassia apud eundem Sybillanum, & Viguerius in Institutionibus C. 16. §. 6. V. 15. denegarunt eisdem animabus introitum in Cœlum, quousq; excommunicatione soluantur. Vnde cautè legendus est Michael Glycas 4. p. Annalium referens ex Ecclesiastica historia Philonis historici in Leone Isaurico, * Quodam persecutionum priscarum tempore, Seniori Ecclesiastico ab Antistite Sacris interdictum fuisse. Cum autem Senior ille quandam ob causam necessariam aliò profectus fuisset, accidit, vt ab Ethnicis comprehensus testimonio suo veritatē obsignaret. Hinc templum eo loco conditur, & renovalia peraguntur; cumque Antistes hęc verba pronunciaret, Pax vniuersis, sandapila templo excessit, idque nō semel, sed bis, terve factum. Hinc perquietem Antistiti Senior oblatus: Abito, inquit, & Episcopo meo sis author, vt huc veniat, meque vinculis exoluat, nam Officio me sacro excluſit, ideoque Sacris interesse vobiscum nequeo. Testimonij quidem coronam consequut⁹ sum, sed Dei faciem nondum conspexi. Quòd si me ipse profectus huc nō exsoluerit, alius exsoluere nemo poterit. Cū igitur ijs obtemperatum esset, sandapila templo excedere desijt. * In hæc quondam cum incidissem transcripta à Martino Delrio Lib. 2. Disquisitionum Magicarum q. 26. num. 14. mouerunt mihi difficultatem verba illa *Testimonij quidem*, &c. Sed posteà notaui in Menęis Gręcorum 15. Octobris apud Matthæum Raderum 1. parte Viridarij Sanctorum pag. 64. non haberi illud de non adepta visione Dei, sed tantùm dici, *Vt Martyr ergo laureolam accepit, vt anathemati obnoxius non permittitur tempore Sacrificij intra Sacrarium quiescere, quoad illū, qui ligauit, soluat.* Et quidem si verè Martyr fuit, obtinuit Martyrij priuilegio expiationem omnis culpæ, pœnæq; temporalis, & proinde sine mora donatus est beata visione, sedibusque Cœlestibus, nec potuit excommunicatio re-

moram illi facere, vt iam notauit prælaudatus Raynadus C. 3. n. 10. Alioqui qui excōmunicatus vitandus decedit, sed in statu gratiæ, excluſus perpetuò maneret à Cœlesti Regno, si per incuriam, aut oblivionem nunquam absolueretur; cum tamen de fide Catholica sit, animas nihil purgabile deferentiū, quando separantur à corpore, vel si deferāt, emaculatione post mortem facta, mox in Cœlum recipi, intuerique diuinam essentiam. Neque hactenus vltra culpæ, & pœnę remissionem Pontifices Summi, & Concilia significarunt, necessariam esse immunitatem ab excommunicatione, vt iusti anima fœlicitatē assequatur æternam post discessum è corpore. Tandem ex eadem Disputatione innotescit, excōmunicatos, etiā nōtoleratos, posse lucrari eum fructum, qui oblationi vt in persona Christi factæ respondet, dummodò aliunde ad satisfactionis fructum non detur peccati mortalis obex. Superest igitur solū, vt tractemus de indigentia, & de dispositione. Et quod ad primam attinet:

2 Si is, pro quo offertur Sacrificium Missæ, non habeat actu indigentiam satisfactionis, eo quòd nullum habeat pœnæ temporalis reatum, siue quia non peccauit mortaliter, nec venialiter [vt pueri baptizati, qui nondū rationis vsum adepti sunt] siue quia, etsi peccarit, sed tota pœna est ei remissa, dubitari non potest, eum tunc non adquirere ex oblato Sacrificio fructum satisfactionis.

3 Vnde rogabis primò, si quis Sacerdos offerat Missam pro aliquo defuncto, qui re vera sit iam beatus, vt sępe continget, quanquam nos ignorem⁹ fœlicissimum eius statum, quid fiet de fructu satisfactionis respondente Sacrificio illi? Siquidem Beatus non lucretur eum fructum, vt qui eo non indigeat, supponaturque, Sacerdotem non applicare eum de secunda intentione siue pro se, siue pro alio re ipsa indigo? Dicastillus Tract. 5. D. 2. dub. 4. num. 86. Disp. 3. dub. 6. num. 166. indicat, Beatum, qui, cum inter mortales degeret, reliquit Missas pro se dicendas, impetrare à Deo, vt applicetur fructus huic, vel illi animæ Purgatorij, quando ipse iam nō indiget ob beatitudinis statum. Attribuit opinionem hanc Eximio Doctori Patri Suario tomo 4. in 3.

partē

partem D. 48. sect. 5. nu. 9. D. 51. sect. 2. num. 13. Sed in posteriori loco Suarius nihil habet ad eam rem; & in priori non loquitur de impetratione prefati fructus. Verba Suarij sunt, * Verisimile est, Sanctos, qui in hac vita reliquerunt aliquas superabundantes satisfactiones proprias, posse obtinere à Deo, vt his, vel illis animabus Purgatorij ad remissionem pœnæ applicentur. Cum enim illæ satisfactiones nō habuerint effectum, nec fuerint remuneratę, applicari possunt alicui, in quo talem effectum habeant, & ad hoc manent in thesauro Ecclesiæ :: Cum verò talis satisfactio fuerit propria alicuius Sancti, qui in hac vita poterat eam applicare, cui vellet, non videtur amisisse hoc ius, ac potestatem post mortem, aut beatitudinis statum. * Sic Suarius. Ast fructus respondurus Missis ex opere operato nō est fructus satisfactionum superabundantium Sancti, sed est pars aliqua infiniti fructꝰ Passionis Christi manens in thesauro Ecclesiæ, vt declarat optimè idem Suarius tomo 3. in 3. parte D. 79. sect. 9. V. *Tertiò inquiri*: & in tomo 4. D. 48. sect. 8. num 26. docet satis clarè, fructum suffragij applicati pro non indigente manere, vel reponi in thesauro Ecclesiæ. Quanuis autem Eximius Doctor non suffragetur, persuasio Dicastilli specie probabilitatis non caret, præsertim si Sacerdos non egeat fructu Missę applicatæ pro persona, quę re ipsa nō habet etiam indigentiam, aut si Sacerdos cedat iure ad talem fructū. Addo duas has conditiones propter dicta in Disputatione 13. n. 48.

4 Rogabis secundò, num si Sacerdos offerat Sacrum pro persona, quæ actu non indiget fructu satisfactionis, sed quæ poterit inopiam posteà pati, maneat ille fructus in acceptatione diuina, vt conferatur tali personę eo tēpore, quo habebit indigentiam? Respondeo negatiuè cum Antonio Cordubensi in Quæstionario Lib. 1. q. 4. in fine, Gabriele Vazquio D. 231. C. 7. in fine, Ioanne de Lugo D. 19. sect. 10. n. 209. Bonacina D. 4. q. vltima, puncto, & num. 5. Francisco de Lugo Libro 5. C. 4. q. 7. num. 66. Filliucio, Fagundez, Auersa apud ipsum, Thoma Tamburino Lib. & C. 2. de Missa §. 8. n. 4. Granado tomo 5. Controu. 6. Tract. 14 D. 7. sect. 3. num. 12. Gaspare Hurtado D. 3. Diff. 12. in fine, Ludouico Caspensi 1 ract. 23. D. 2. sect. 1. num. 10. Martinono D. 39. sect. 4. nnm. 33. Ysāberto 3. parte ad q. 83. D. 7. art. 13. V. *Tandem quemadmodùm*, Meratio D. 39. V. *Denique quia*, Dicastillo Tract. 5. D. 3. dub. 6. num. 172. Arriaga Disp. 52. sect. 5. num. 18. & cum alijs passim. Probatur à simili cęterarum satisfactionum ex opere operato per Sacramenta, & Indulgentias, necnon ex opere operantis per opera propria; quæ satisfactiones non reseruantur in futurum tēpus necessitatis. Et ratio à priori est ex P. Suarez D. 79. sect. 10. V. *Quartò requiritur*, quia non est conueniens prouidentiæ modus, vt ante commissam culpam sit iam veluti satisfactum pro pœna, aliàsquodammodo posset posteà impunè peccari; nec culpa posteà commissa faceret propriè dignum pœna, quam inueniret iam solutam. Hinc à fortiori infertur, non esse in potestate Sacerdotis, neque in eius personæ, pro qua offertur Sacrum, & quæ actu indiget fructu satisfactionis, reseruare hunc in aliud tempus maioris, æqualisve necessitatis, nam fructus ex opere operato Sacrificij, sicut & Sacramenti, consequitur necessariò in subiecto capaci, pro quo applicatur Sacrificium, sicut & fructus ex opere operato Sacramenti in subiecto capaci, à quo suscipitur. Recolantur scripta in Disputatione, & numero 13.

5 Dicet quis, esse valde laudabile, quòd quis, cum viuit, curet celebrari pro se Missas, nam, vt ait Sanctꝰ Gregorius Lib. 4. Dialogorum C. 58. *Tutior est via, vt bonum, quod quisque post mortem suam sperat agi per alios, agat ipse, dum viuit, per se.* Illa autem cura cò præcipuè videtur respicere, vt satisfactoriꝰ Missarum fructus reseruetur in tempꝰ, quo anima exiret in Purgatorio. Fateor, existimari sic à permultis illiteratis, sed sine sufficienti fundamento in vera Theologia. Est quidem valde laudabilis ille vsus, quia, vt inquit immediatè idem S. Gregorius, *Beatius est, liberum exire, quàm post vincula libertatem quærere*, ac si diceret, melius est, consequi ante mortem suffragijs Missarum remissionem pœnæ debitæ pro peccatis, quàm eisdem suffragijs eam consequi post mortem, postq; incęptam solui in Purgatorio pœnam. Verumtamen

si

si contingat, hominem mori cum reatu pœnæ, suffragia Missarum antedictarũ in vita pro illo, quantumcumque plurima fuerint, non proderunt ex opere operato ad eius pœnæ condonationem. Idcirco hæredes, & executores testamentorum debent esse admodùm diligentes in eo, vt faciant celebrari Missas pro defunctis relictas in testamento, etiam si testatores, cum viuerent, multas pro se Missas celebrari fecerint.

6 Vnde ad illam quæstionem, de qua latè Marchinus Tract. 3. de Ordine parte 2. Cap. 34. Diana parte 9. Tract. 2. Res. 27. num vtilius sit, curare celebrari sibi Missas post, vel ante mortem? Prona, & facilis est responsio ex dictis, scilicet ante mortem esse vtilius respectu satisfactionis pœnarum, quibus homo tunc est obnoxius; sed post mortẽ esse vtilius respectu satisfactionis pœnarum, ad quas obligata anima discedit à corpore. Quare vtilissimum erit solicitare, vt pro se ante obitum, & post dicantur Sacra: ante, vt minus pœnæ luendæ in Purgatorio residuum sit; post, vt quod residuum fuerit, remittatur. Et quanuis ante myriades Missarũ sint oblatæ, oportebit, vt post tot, quot potuerint, fiant; ignoratur namque, an ob propriam indispositionem adquisitæ non sit fructus earum, quæ ante? & an pro peccatis persolutum fuerit vsque ad nouissimum quadrantem? & quia in postremæ ægritudinis conflictu cõmittentur forsan aliqua peccata, quorum pœna in Purgatorio subeunda restet. Videantur ex antiquis Gerson Tract. de Indulgentia peccatorum, Consideratione 3. & ex modernis Bernardinus de Villegas in S. Lutgardis Vita Libro 5. C. 12. Thomas Tamburinus Lib. & C. 2. de Missa §. 14. num. 4. Dixi de vtilitate penes fructum satisfactorium, nam quoad alia magis prodest Missa viuo, quàm defuncto, quippe plura illi, quàm huic impetret, imò respectu huius vim impetratoriam remissionis pœnæ, non exercere docet cum alijs Auersa Q. & S. 11. in fine, nihilq; aliud superesse, quod ipsi impetret, vt auxilia gratiæ, bonaq; temporalia, aduertit Bardi parte 4. Explicationis Bullæ Cruciatæ Tract. 3. C. 5. sect. 3. num. 11. Prætereà qui pro se viuo sacrificari procurat, euitat periculum, ne hæres, aut testamenti executor infidelis sit in adimplenda vltima voluate circa Missas prò se defuncto, quę, si non celebrentur, non proficient quãtùm ad satisfactionem, etsi quantùm ad meritum vtiles fuerint viuo, quando vltimam illam voluntatem concepit. Ad hæc: dum quis superstes est, quęrere potest Sacerdotes diligentes in Missis commissis peragendis, eosque, qui virtute præcellant, & quorum Missæ proinde sint magis fructuosæ ex opere operantium. Denique maioris meriti est, priuare se voluntariè ea pecuniæ summa in Missarũ eleemosynam distributa, dum quis eam retinere posset, vel in alios vsus expẽdere, quàm relinquere, vt post sui mortem in stipendijs Missarum insumatur, quando, velit, nolit, conseruaturus eam non est. Et hæc circa incidentem illam quæstionem.

7 Vt verò Sectionem finiam, natandum est, S. Thomæ in 4. Dist. 45. q. 2. art. 4. quæstiuncula 3. ad 2. *Credibile esse, quòd per diuinam misericordiam, si aliquid de specialibus suffragijs superfit his, pro quibus fiunt, vt scilicet eis non indigeãt, alijs dispensetur, pro quibus non fiunt, si eis indigeant.* Loquitur S. Doctor de suffragijs factis pro animabus Purgatorij; colluditque hæc pia credulitas cum alia, quam ex Dicastillo retulimus suprà. Animaduertendum rursus est, fructum impetrabilẽ per Missam posse intẽdi, vt conferatur ad tempus futurum, nam oratio dirigi potest ad impetrandum in posterum. Sic orabat David Psalmo 70. *Ne proijcias me in tempore senectutis, cum defecerit virtus mea, ne derelinquas me.* Sic etiam orat Ecclesia, vt liberemur ab omnibus periculis futuris.

SECTIO II.
De Dispositione.

8 NECESSARIA est vt dispositio gratia habitualis ad comparandum satisfactionis fructum ex opere operato Sacrificij Missæ. Ita S. Thomas 3. parte q. 79. art. 7. ad 2. dicens, *Sicut Passio Christi prodest quidem omnibus quantùm ad sufficientiam, & ad remissionem culpæ, & adeptionem gratiæ, & gloriæ; sed effectum non habet, nisi in illis, qui Passioni Christi coniunguntur per fidem, & charitatem; ita & hoc Sacrificium, quod est memoriale Dominicæ Passionis, non habet effectum* (nempe satisfactionis ex opere operato)

operato) *nisi in illis, qui coniunguntur huic Sacramento per fidem, & charitatem.* Cum Angelico Doctore sentiunt communiter Theologi, adeò vt scribat Vazquez D. 231. C. 7. n. 44. nullum à se visum ex Schola Doctoris siue Angelici, siue Subtilis, qui dissentiat. Ratio est, quia qui existit in peccato lethali, & eius de causa est inimicus Dei, mereturque pœnam æternam, non est dignus, cui conferatur beneficium remissionis pœnæ temporalis, siue per Sacrificium, siue per Sacramenta, siue per Indulgentias ex opere operato, siue per pia opera propria. Et quanuis aliqui Doctores dicant, satisfactionem Sacramentalem adimpletam in statu peccati lethalis nō frustrari effectu remissionis pœnæ debitæ pro peccatis condonatis quoad culpam per Sacramentum Pœnitentiæ, & hoc exemplo motus Amicus D. 33. sectione 6. n. 240. velit, Sacrificium Missæ conferre remissionem pœnæ ex præterito peccato quoad culpam condonato relictæ: nihilominus nec exemplum verum est, nec, eo permisso, intercluſa est via ad omnem disparitatem, vt ex paulò post dicendis colligetur. Vnde à fortiori deducitur, eius peccati mortalis, quod actu committitur, aut quod habitualiter manet, quando offertur Sacrificium pro homine peccante actualiter, aut perseuerāte habitualiter in peccato, non remitti pœnam per Sacrificiū, tunc oblatum. Acceditque alia ratio, quia scilicet quandiu peccatum existit actualiter, aut habitualiter, exigit suapte natura, ne remittatur pœna temporalis, quam meretur. Imò nonnulli putant, impossibile prorsus esse condonari à Deo pœnam illam non ablato peccato quoad maculam. Hæc ratio etiam valet in peccato veniali. Sed aduertendum est, cum peccatum veniale actuale, aut habituale non expellat gratiam sanctificantem, inde est, vt non impediat remissionem pœnæ temporalis, cui homo sit obnoxius ob alia peccata mortalia, vel venialia abolita iam quoad culpam.

9 Quæritur primò, an si persona, quæ existebat in peccato mortali, quādo pro illa oblatum est Sacrificium, adquirat postea gratiam iustificantem, lucretur etiam remissionem pœnę temporalis vi Sacrificij anteà oblati? Quod idem est, ac quærere, an Sacrificium, recedente fictione priuatæ indispositionis, conferat remissionem temporalis pœnæ, sicut Sacramentum Baptismi causat gratiam, & remissionem illius pœnæ, recedente etiam fictione? Respondeo negatiuè. Probant multi, quia si Sacrificium offeratur pro aliquo iusto non habente vllum pœnæ temporalis luendę reatum, quo tempore offertur pro illo, & posteà reatum incurrat, non confert ei tunc remissionē reatus istius. Ergo multò minus conferet ei, qui per mortale peccatū, in quo erat, quādo pro illo offerebatur, obiecit impedimentū, ne conferretur. Non vtor hoc argumento, non quia Marchinus fautor affirmātisopinionis inficietur Antecedēs Trac. 3. de ordine p. 2. C. 11. n. 9. absque authoritatis, & rationis sufficienti fundamento; sed quia patitur manifestam instantiam in Sacramēto Baptismi remittente pœnam temporalem, quando recedit fictio, non autem valente remittere pœnę temporalis reatum, qui post illud susceptū incurritur, nec enim est institutum ad remissionem pœnę, sicut neq; ad culpæ, cuius reatus sit incursus post ipsum susceptum. Et id potiori de causa potest dici de Sacrificio Missæ. Probatio itaq; sit, quia vel Sacramentum Eucharistię non causat effectum, ablato obice, ac proinde nec Sacrificium Missæ, vel si illud, quà est Sacramēntum, habet eam vim, desideratur authoritas, & ratio, vt eadem vis tribuatur illi, quà est Sacrificium. Certè ante Nauarrum Commentario de Oratione C. 19. n. 74. nullus eam vim adscripsit Sacrificio; post Nauarrum pauci, vt Marchinus suprà, Hēriquez, & Granadus apud Dianam p. 11. Tract. 6. Resol. 40. posset que addi Fagundez L. 3. in 1. præceptum Ecclesiæ C. 12. n. 17. sed qui retraxit pedem L. 4. C. 1. n. 25. & 26. vt & Marchinus C. 31. n. 12. Quare ab authoritate deest fundamentū sufficiens. A ratione non aliud videtur esse posse, quā similitudo ab Eucharistia vt Sacramēto, aut si vis, exemplū satisfactionis Sacramentalis. Sed in primis, plura competūt Eucharistiæ vt Sacramento, quæ eidem vt Sacrificio attribui non debent. Deinde satisfactio Sacramentalis non causat posteà remissionem pœnæ, recedente peccato mortali, in quo sit adimpleta; & quanuis admittatur causare, habebit id, quà est pars Sacramenti. At Sacrificium, vt Sacrificium, non est Sacra-

mentũ, neq; pars Sacramenti. Omissum aduertenter exemplum Indulgentiæ, cuius effectum impeditum, propter defectum gratiæ, recuperari recedēte fictione, etsi affirmetur à nonnullis Theologis apud Card. de Lugo D. 28. de Sacr. Pœnit. sect. 6. n. 84. sed à cæteris negatur communiter; & quanuis concederetur, tunc confessio, vel contritio, per quam remoueretur peccatum, esset vnum ex operibus iniunctis ad lucrandam Indulgentiam; neque hæc fuisset anteà perfectè constituta in suo esse. Videatur Rodericus Arriaga tomo 8. D. 26. sect. 1. n. 3. & 4. noteturque, Cardinalem de Lugo D. 19. de Euch. sect. 10. n. 195. proponere in fauorem suæ, & nostræ in hac quæstione sententiæ absurdũ, quod ex opposita sequeretur, scilicet vt si Sacerdos per totam vitam in statu peccati mortalis celebraret sacrilegè, & offerret pro se, dummodò posteà in articulo mortis cum attritione remissa confiteatur, fore, vt adquireret totũ fructum satisfactionis ex omnibus Missis sacrilegè celebratis, atque adeò maneret liber ab omni reatu pœnę temporalis. Mihi quidem valde absurdum id videtur. Sed qui sentiunt, Eucharistiam vt Sacramentũ operari, recedente fictione, sicut deglutiunt simile inconueniens in Sacerdote, vt recipiente Eucharistiæ Sacramentũ, quatenus adquirat totam gratiam; denorabunt etiam illud aliud in eodem Sacerdote, vt offerente Eucharistię Sacrificium, quatenus recuperet totum fructum satisfactionis.

10 Quæritur secundò, an, siquidem peccator non adquirat satisfactionis fructũ ex Missa pro se applicata, possit Sacerdos accipere integrum stipendium Missæ, quam petat peccator inueteratus, supposito quòd Sacerdoti sit benè nota deperdita petētis vita? Videtur enim non posse, nisi petenti manifestet incapacitatem, quam habet, vt lucretur fructum satisfactionis ex Missa postulata, si hæc pro ipso applicetur; nam eũ fructum præcipuè intendere solent, qui Sacerdotibus conferunt stipem integram, neque darent tantam, forsanq; nullam, si scirent, Missam non esse pro eis applicandam quoad fructũ satisfactionis, sed tantùm quoad impetrationis; & quoad priorem esse offerendā pro alio, aut manere in potestate libera Sacerdotis, vt pro alio offerat. Ex altera parte æquum nõ apparet, vt in Sacerdotis stipendiarij detrimentum vergat obex ad satisfactionis fructum in postulante Missam, cum is sibi, negligenti contritionem, nõ autem Sacerdoti, imputare debeat amissionem illius fructus: durumq; videtur, vt teneatur Sacerdos aut non acceptare integram eleemosynā, aut petenti Missam conscium se ostendere miseri status conscientiæ illius; quod non sine offensione fiet. Præterea cur non poterit Sacerdos sustentationem suam parare ex stipendio Missæ, quam applicet pro peccatore, vt ei prosit, quoquo modo possit? Cur non poterit rationabiliter præsumere, peccatorem, ineuntem pactum de Missa tradito, aut promisso stipendio consueto, nõ aliud velle, quàm quòd in ipsum cedat fructus, cui⁹ capax sit? Adhæc: stipendio Missæ non emitur fructus comparabilis ex illa, tum quia id esset Simoniacum, tum quia fructus Missę excedit valde æstimabilitatem pecuniæ quātumcumq; magnæ. Ergo etsi totus fructus non cedat in bonum dātis stipendium integrum, licebit Sacerdoti accipere istud, dummodò alteri nõlocet operam suam, & laborem in sacrificādo, paciscens de alio stipendio, quāuis possit alteri applicare fructum satisfactionis, vt pote ad quē peccator non habeat capacitatem, neque ius. Vlteriùs quando quis laborat ad imperium alterius, non tenetur sustentare se suis impensis, neque tenetur quis recusare adquirendam opera sua alimoniam, etiamsi noscat actionem suam fore inutilem ei, qui illam petit, & qui in causa erit, quominus illa vtilis euadat. Hæc me mouent, vt ad quæstionem respondeam affirmatiuè; & hęc aperiunt viam ad satisfaciēdum rationi dubitandi. Nam conferentes Sacerdoti stipem integram, quandiu eorum peccatum mortale, & perseuerantia in illo non est notoria, habent ius, vt applicetur pro ipsis Missa quoad satisfactionis fructum. Cogitabit quis, obligari saltem Sacerdotē, vt differat celebrationem Missæ, seu applicationem, quoad vsque probabiliter persuadeat sibi, existere in statu gratiæ Petrum, à quo existente in statu peccati accepit eleemosynam sine conuentione de vno potiùs die, quàm alio ad Missam. Sed non video, vnde enascatur talis obligatio in Sacerdote. Atque vt benè in simili casu inquit Noster Tamburinus Lib.

3.

3; de Missa C. 1. §. 8. num. 5. debitor, quando non est ex pacto præfixum tempus soluendi, soluere, quando vult, potest, nec tenetur expectare tempus, quo vtilior esset creditori solutio, etsi laudandus sit, quando vellit expectando gerere vtiliter negotium creditoris.

11 Ex decisione huius quæstionis deducitur primò, posse Sacerdotem accipere ab infideli integrum stipendium Missæ, quam infidelis postulet pro se applicari; posse etiam à Catechumeno incompetenti; nam isti, & illi potest in mea sententia prodesse Missa quoad fructum impetrationis. Innuit deductionem hanc Cardinalis de Lugo D. 19. sectione 10. numero 168. Inquies ex Diana parte 10. Tract. 12. Resolutione 21. res est satis incerta, quòd Missa possit directè offerri pro infideli, & pro Catechumeno, & quòd eis possit vtilis esse Missa quoad fructum impetrationis; non est autem æquum, vt accipiatur stipendium certum, aut integrum, quando fructus reddendus non potest non esse nisi incertus, non est, inquam, æquum, nisi conferens stipendium admoneatur de incertitudine fructus, sciensque, & volens exhibeat illud stipendium. Sed dico cũ Nostro Tamburino Lib. 2. de Missa C. & §. 2. ac 3. Sacerdotem posse conformare se opinioni probabili de Missa proficua infideli, & Catechumeno, quantùm ad impetrationis fructum, quandoquidẽ desit alius modus certus, quo valeat satisfacere obligationi impositæ ratione stipendij. Et hinc elucescit discrimen ad instãtiam ad hominem, quam contra Tamburinum affert Diana desumptam ex alia eiusdem opinione L. 3. C. 1. §. 3. n. 67. vbi docet, non satisfacere Sacerdotem, qui tradito, vel promisso stipendio Missam petenti applicat solummodò fructum specialissimum, quia quòd talis fructus sit alteri applicabilis, est res satis incerta; fideles autẽ, cum afferunt stipem certam, non sunt fructu incerto satisfaciendi. Sed hæc cõtra illum Authorem instantia imbellis est, nam ipse in n. 71. expressè ait, esse ita incertam, & dubiam applicabilitatẽ specialissimi fructus Missę, vt minimè probabilis sit; & proinde fructu omnino improbabili iuxta illum Authorem non satisfaciet Sacerdos fidelibus dantibus, vel pollicentibus munus honorarium. Nos in D. 15. n. 12. præoccupauimus impetum eiusdem instantiæ. Et quod ad præsens attinet, Sacerdos contentus applicatione fructus specialissimi, & omittens eam, quæ est fructus specialis, medij quo assumeret satisfaciendi modum, vel prorsus improbabilem, vel cui probabilitas est maximè anceps, atque litigiosa, cum facilè posset adhibere modũ certum; aut in casu deductionis nostræ deest alius modus satisfaciendi nedum certus, sed çquè probabilis, & qui assumitur, est probabilis. Vnde etsi vim conuincentem haberent, quæ Ioannes Angelus Bossius tomo 1. Moralium p. 1. de Conscientia tit. 1. §. 25. ex n. 394. vsq; ad 430. extensè prosequitur cõtrà eos, qui in applicatione fructus Sacrificij Missæ debita ex stipendio in pactum deducto vtuntur opinionibus probabilibus relinquentes sententias certas, rutasq; practicè, nihilominus deductioni nostræ ea omnia non officiunt. Sed de hoc puncto agemus copiosè in D. 31.

12 Deducitur secundò, non debere restitui à Sacerdote stipẽdiũ, quod de manu excommunicati non tolerati Missam pro se postulantis accepisset illicitè, si vt Christi Minister obtulerit Sacrum pro ipso, rametsi nefariè, nã ex oblatione sic facta reportabit, vt dixi in sect. 1. & in D. anteriori, Sacrificij fructum satisfactorium excommunicatus vitandus, nisi per ipsum stet, quominus illum consequatur, eoquòd existat in peccato lethali. Præterea cum Sacerdos vt priuata persona licitè possit orare secretò in Missa pro non tolerato, cogitari, dicique valet, hunc, dando stipendiũ, velle solummodò eum ex Missa fructũ, quẽ rationabiliter cupere potest; quicquid sit, an in statu gratiæ lucrabitur, necne, satisfactionis fructum? Hæc deductio est contra Tamburinum L. & C. 2. §. 4. n. 7. Sed pro ea stat Gibalinus Disquis. 7. de Censur. q. 2. prop. 1. Consectar. 4 n. 26. Neq; dicas, excommunicatum vitandum largientem, aut spondẽtem stipendium pro Missa peccare mortaliter, necnon & Sacerdotem accipientem, aut facientem pactum de illo. Nam etsi vterque delinquat grauiter contra præceptum Ecclesiæ, non tamen contra iustitiam; ideoq; si Sacerdos præstet Missæ oblationem, non tenebitur restituere stipendium, vti communiter doceri solet de acceptis ob turpem causam.

13 Quæritur tertiò, num aliqua cooperatio saltē virtualis ex parte eius, pro quo offertur Sacrificium, sit requisita ad consequendum fructum satisfactionis? P. Suarez D. 79. sect. 10. V. *Tria verò* ait, etsi non sit necessarius consensus formalis, & expressus recipiendi fructum satisfactionis, opus tamen esse virtuali, & interpetratiuo, qui nulli deest, vnusquisq; enim cupit à pœnis liberari, & libēter hoc beneficium remissionis acceptat. Ex quo dicto Suarij sequitur, non comparandum satisfactionis fructum ab eo, qui positiuè nollet remitti sibi pœnam, vt haberet occasionē agendi pœnitentiam. Sed obijcit Cardinalis de Lugo D. 19. sect. 10. n. 197. eo ipso, quòd Sacrificium Missæ offeratur pro Petro, v. g. non est in Petri potestate impedire effectum remissionis pœnæ, tum quia ad hunc effectum nullo modo ipse cōcurrit: tū quia sicut qui baptizatur adultus, aut patitur Martyrium, nō potest impedire Baptismi, aut Martyrij effectus ex pere operato, proindeq; nec pœnæ remissionem, quæ vnus est ex effectibus Baptismi ritè susceptī, aut Martyrij debitè tolerati; ita similiter, &c: tum quia tam per dissensum non potest impedire Petrus, quòd Deus placetur Sacrificio oblato pro ipso, quàm non potest impedire, quòd Deus moueatur Sacrificio ad concedendum bonum aliquod spirituale, vel temporale peritū per Sacrificium oblatū pro illo. Sed his non obstantibus sententia Suarij est valde probabilis, nam remissio pœnæ, cum sit donum, & fauor, non fit inuito, recusantiue formaliter, vel virtualiter eius acceptationem. Et hinc non comparabit quis remissionem pœnæ per Indulgētiā, si habeat intentionem non lucrandi, tametsi exequatur opus iniunctum, vt cū alijs docet Dicastillus Tract. 9. Disp. 2. Dub. 12. n. 175. Ad primam rationem Cardinalis de Lugo dico, etsi is, pro quo offertur Missa, non debeat concurrere positiuè formaliter ad pœnæ remissionē, debere tamen non repugnare positiuè, & idcirco debere concurrere positiuè virtualiter. Ad secundam rationem cōcedo Antecedens, quia adultus eo ipso quòd velit susciperе Baptismū, aut pati Martyrium, vult virtualiter effectus, cū quibus Baptismus, aut Martyriū habet per se connexionem, ideoq; vult virtualiter pœnæ remissionem, comparabitq; hanc, si aliunde non detur obex: debet autē adultus velle susciperе Baptismū, aut pati Martyrium, vt validè, ac fructuosè susciпiat illū, patiaturque illud. Vnde nego Cōsequentiam, quia cum ad hoc, vt pro aliquo offeratur Sacrificiū, non sit necessaria eius voluntas, nihil mirum, si requiratur consensus formalis, aut virtualis tendens immediatè ad acceptandam remissionem pœnæ, quando abest Sacrificium pro se offerendi intentio, per quā virtualiter acceptetur beneficium remissionis. Ad tertiam rationem præbeo disparitatē inter vtrumq; fructū, vt possit impediri per dissensū fructus satisfactionis, non verò impetrationis. Nam primus fructus est donum, & fauor respiciens immediatè personā, pro qua offertur Sacrificiū, ideoq; eius personæ consensum formalem, vel virtualem, quo acceptetur, requirit: at secundus fructus est beneficium respiciēs immediatè Sacerdotem offerentem, & postulantem; & ideo superfluus est, & impertinēs consensus personæ, pro qua postulatur. Desumpsi hanc disparitatem ex doctrina Cardinalis de Lugo in n. 179 Obijciet quis adhuc, si per non acceptationem possum ego impedire in me remissionem pœnæ causandam ex Sacrificio applicato pro me, potero etiā transferre eam remissionem in alium. Respōdeo, non constare nobis de hac potestate, vt neque de simili ad priuandum me satisfactorio fructu cuiuslibet alterius suffragij applicati pro me à Petro, & ad donandum illum Paulo, siue indigeam, siue non, tali fructu. Hactenus non legi Theologum, qui eiusmodi potestatem agnoscat, & expressè negat eam Arriaga tomo 8. Disput. 23. sect. 3. numero 16. sect. 4. n. 23. qui optimè notat, à Sacerdote exorantem, vt pro sua intentione offerat Sacrum, & designantem apud se Paulum, cui cedat fructus Missæ satisfactorius, non abdicare se isto fructu, vt applicato pro se, nam tunc Sacerdos determinatè non applicat petenti, sed ei, quem ipse eligat.

14 Quæritur quartò, vtrùm requiratur aliqua attentio, deuotio actualis, vel affectus alius bonus, vt consequatur satisfactionis fructum ille, pro quo offertur Sacrificium Missæ? Respondeo, non requiri. Et probo primò, quia nec his dispositionibus indiget homo iustus ad hoc, vt participet satisfactionem

ctionem ex opere operantis communicatam ab alio. Secundò, quia applicatio fructus satisfactorij non fit per actionem recipientis, sed per intentionem, & donationem offerentis; ipsaque remissio pœnę fit per extrinsecā condonationem diuinam. Tertiò, quia vt Sacramenta viuorum operētur suos effectus, & inter eos remissionem pœnæ in homine iusto adulto, non est opus alia dispositione præter intentionem explicitam, vel implicitā recipiendi illa. Quartò, quia, vt ait S. Gregorius L. 4. Dialogorum C. 57. Sacrificium Missæ prodest etiam illis, qui nesciunt, offerri pro ipsis.

15 Quæritur quintò, an plus pœnæ tēporalis remittatur ei, pro quo offertur Sacrificium Missæ, si habeat maiorem deuotionem, quàm alter æquè iustus, pro quo offeratur aliud Missæ Sacrificium? Respondeo affirmatiuè cum Vazquio D. 231. C. 7. n. 46. Caietano ad locum proximè citandum S. Thomæ, & tomo 2. Opusculorum Tractatu 3. q. 2. Soto in 4. dist. 6. q. 1. art. 6. Dist. 11. q. 4. art. 5. L. 9. de Iustitia, q. & art. 2. Siluestro Verb. *Missa* 1. q. 9. Corduba L. 1. q. 3. opinione 5. Concluſ. 4. Auersa eos citante q. 11. sect. 10. V. *Octauò stante*, Cardinali de Lugo D. 19. sect. 10. n. 200. Francisco de Lugo L. 5. C. 4. q. 8. n. 74. Francisco Amico D. 33 S. 7. ex n. 260. Martino-no D. 39. S. 4. n. 28. Hieronymo Garcia de Excellētijs Sacerdotij Tract. 3. Diff. 1. dub. 7. puncto 6. n. 44. cum Marchino, Becano, Araujo, & Marco de los Huertos, Meratio D. 49. V. *Quæres tertiò*, Gaspare Hurtado D. 3. Diff. 12. & cum alijs passim. Argumentor primò ab authoritate S. Thomæ, qui 3. p. q. 79. art. 5. in Corp. inquit, Sacramentum Eucharistiæ, *In quantum est Sacrificium, habet vim satisfactiuam. Sed in satisfactione magis attenditur affectus offerentis, quàm quantitas oblationis :: Quamuis ergo oblatio ex sui quantitate sufficiat ad satisfaciendum pro omni pœna, tamen fit satisfactoria illis, pro quibus offertur, vel etiam offerentibus secundùm quantitatem suæ deuotionis, & non pro tota pœna.* Responderi solet, Angelicum Doctorem loqui diffūctiuè, & proinde sufficere ad eius verba, quòd, iuxta quantitatem deuotionis in offerentib⁹ remittatur plus, vel minus pœnæ ipsismet. Sed contrà primò, quia in art. 7. ad 2. habens solūmodò sermonem de illis, pro quibus offertur Missa, ait, *Illis prodest plus, vel minus secundùm modum deuotionis eorum.* Contrà secundò, quia in art. illo 5. q. 79. negotium S. Thomæ est, exhibere rationem, ob quam non semper remittatur tota pœna per Eucharistiam, siue quà est Sacramentum, siue quà est Sacrificium, siue in sumentibus Sacramentum, siue in offerentibus Sacrificium, siue in his, pro quibus offertur; & respectu omnium exhibet rationem desumptam ex quātitate deuotionis.

16 Dices, S. Thomam non esse intelligendum de deuotione actuali, sed de habituali consistente in gratia sanctificante, virtutibusq; annexis, nam agit de deuotione, cuius quantitas sit necessarium, & vnicū caput, vnde limitetur effectus remissionis pœnæ; tale autem caput non est deuotio actualis; potest namque abesse, & nihilominus non remitti tota pœna in homine iusto ignorāte inuincibiliter Sacrificium, proindeque carente deuotione actuali erga illud oblatū pro ipso. Addes, Angelicū Magistrum videri accipere deuotionem in eo sensu, in quo Ecclesia, quādo orat, *Memento, Domine, famulorum, famularumque tuarum, & omnium circumstantiū, quorū tibi fides cognita est, & nota deuotio*, vbi non est necesse subintelligere deuotionem actualem, siquidem ad offerendum validè, & licitè Sacrificium pro aliquo homine viuo, & ad hoc, vt ei applicetur fructus satisfactionis, non requiratur in ipso actualis deuotio, sed satis sit, quòd ipse coniūgatur huic Sacramento per fidem, & charitatem, vt docet S. Thomas in eadem q. 79. art. 7. ad 2. Sed contra, quia etsi verum sit, S. Doctorem non tractare determinatè de actuali deuotione, tractat tamen de deuotione vt indifferente ad actualem, & habitualem, ait q. ex vtralibet quantificari effectum remissionis pœnæ. Contra rursus, nā si deuotio habitualis consistens in gratia sanctificante, virtutibusque assectis est caput, vnde augescat, vel decrescat effectus ille, erit etiam potiori, vel non minori iure deuotio actualis.

17 Vlteriùs dices, Sanctum Thomam in 4. Distin. 45. quæst. 2. art. 4. quæstiuncula 1. in Corp. scribere, *Suffragia valent ex hoc, quòd per intentionem vnius alteri applicantur; & sic satisfa-*

ctio vnius alteri computatur. Et hoc modo non est dubium, quòd magis valent ei, pro quo fiunt, imò sic ei soli valent. Satisfactio enim propriè ad pœnæ dimissionem ordinatur. Vnde quantùm ad dimissionem pœnæ valet præcipuè suffragium ei, pro quo fit. P. Suarez D. 79. sect. 10. V. *Nihilominus censeo*, interpretatur hæc S. Thomæ verba, quatenus S. Thomas velit dicere, ✻ Suffragium, quod alicui prodest ex applicatione alterius, totum pendere ex intentione applicantis, ita vt, remoto impedimento, tantùm applicetur, quantùm ipse vult, ✻ Occurrit Vazquez D. 231. C. 7. n. 46. & cum eo Cardinalis de Lugo D. 19. sect. 10. n. 200. respondentque, S. Thomam, vt & Durandum, ac Caietanum citatos prosequi à Suario, loqui solummodò de suffragijs, & satisfactione ex opere operantis, quam vnus pro alio offert. Cæterùm hæc responsio non congruit contextui articuli, in quo Angelicus Doctor promiscuè fatur de suffragijs, & satisfactione ex opere operantis, & ex opere operato. Videatur quæstiunculæ 2. argumentum secundū, quod est de suffragio Missæ ex opere operato. Ideo melius respondetur, quæstiunculam, in qua continentur illa verba S. Thomæ, esse, an suffragia facta pro vno defuncto proficiant ei magis, pro quo fiunt, quàm alijs? Et solutionem, quæ datur ab Angelico Doctore, haberi in illis verbis; sed in illis abstrahi à nostra quæstione. Deciditur namque ibi, ratione intentionis applicantis suffragium, reportari ex hoc maiorem vtilitatem in pœnæ dimissione ab eo, pro quo applicatur, imò ab eo solo reportari, si pro eo solo applicetur; quicquid sit, an si persona, pro qua applicatur, sit deuota actualiter, vel habitualiter, vt quatuor v. g. accipiat remissionem abundatiorem, quàm si esset deuota vt vnum, v. g?

18 Argumentor secundò, nam iuxta Concilium Tridentinum Sess. 6. Cap. 7. adulti iustificantur per Baptismum, *iustitiam in se recipientes, vnusquisque suam secundùm mensuram, quàm Spiritus sanctus partitur singulis, prout vult, & secundū propriam cuiusq; dispositionē, & cooperationem.* Quæ verba accipiuntur à Theologis ob æqualitatem rationis de iustificatione etiam per pœnitentiæ Sacramentum, & de augmento iustificationis per cætera Sacramenta, necnon per Baptismi, ac Pœnitentiæ in adulto iustificato. Tūc sic: ergo quēadmodū Sacramenta eò maiorem conferūt gratiā, quò subiectum est melius actualiter dispositum, sic etiam Sacrificium tantò maioris pœnæ tribuet remissionem, quantò persona, pro qua applicatur, fuerit melius actualiter disposita. Video, non in omnibus valere exemplum à Sacramentis ad Sacrificium; sed simul video, non afferri ab Aduersarijs discrimen exploratum in præsenti puncto, nec argumentum, quod conuincat, non conferri à Sacrificio maioris, vel minoris pœnæ remissionem iuxta mensuram dispositionis actualis in persona, pro qua offertur.

19 Nam si dicatur primò cum Suarez suprà, Arriaga D. 52. sect. 5. n. 21. Fagundez in 1. præceptum Ecclesiæ L. 4. C. 1. num. 22. Filliucio Tract. 5. num. 84. Tannero tomo 4. D. 5. q. 9. dub. 4. num. 6. Caspensi Tract. 23. D. 2. sect. 1. n. 12. & cum alijs Suarezij sequacibus in opinione contraria nostrę, Sacramenta ideo habere, quod supponimus, quia non pendent in actione sua ex intentione ministrātis, quāquā pedeant in fieri sui ex intētione illi⁹ vt conficiētis; at Sacrificiū in sui actione, seu in esse actu remissionis pœnę respectu personæ, pro qua offertur, pēdet totus ex intētione Sacerdotis applicantis; quare nihil mirùm esse, si effectus ille non commēsuretur dispositioni actuali personæ, sed tantùm intentioni Sacerdotis applicantis. Contrà, quia desideratur ratio, ob quam totus effectus remissionis pœnæ pendeat vnicè ex intentione Sacerdotis offerentis, & non etiam ex dispositione actuali subiecti, vt effectus ille maior sit, vel minor. Si dicatur secundò cum Coninch. q. 83. art. 1. dub. 1. n. 171. Sacramēta conferre gratiam habitualem, ad quam vt potè ad quid positiuum, ac intrinsecum, & quo homo fit positiuè, atque intrinsecè melior, datur maior, aut minor dispositio; sed Sacrificium conferre pœnæ remissionem, ad quam, cum sit quid negatiuum, & extrinsecū, nec reddat hominem positiuè, & intrinsecè meliorem, per accidens se habet, quòd persona, pro qua offertur Sacrificium, sit magis, aut minus benè affecta. Cōtrà, quia etsi remissio pœnæ sit quid extrinsecum, attamen æquum est, vt plus, aut minus pœnæ remittatur perso-

næ,

næ, pro qua offertur Sacrificium, si ipsa fuerit in se magis, aut minus benè affecta Et ita quidem contingit in remissione pœnæ comparata ex opere operātis ab ipsamet persona, quę operatur, & in comparata per Sacramentum pœnitentiæ, nam maioris pœnæ remissionē obtinet homo sanctior, quàm alter minus iustus per idem opus satisfactorium v. g. per idem ieiunium; & in Sacramētis eò plus pœnæ condonatur suscipientibus, quò accedunt ad illa cum meliori dispositione; in Sacramentis, inquā, distinctis à Baptismo, nam in hoc validè, & fructuosè suscepto remittitur tota pœna, quantacumque ea sit

20 Sed replicabis, quando quis applicat satisfactionem suam alteri, vt ex opere operantis prosit ipsi, tunc remissio pœnæ quantificatur, non ex tanta, vel tanta dispositione personæ, cui applicatur suffragium, sed solummodò ex dignitate, & honestate operantis, & operis. Ergo similiter quantificatio remissionis pœnæ per Sacrificium oblatū pro aliquo non erit desumenda ex eius dispositione. Cōtra, quia sicut malè inferres, desumendā esse eam quantificationē ex dignitate, seu probitate Sacerdotis offerentis, nā sermo est de remissione ex opere operato Sacrificij; ita malè infers, non esse vllatenus desumēdam ex tanta, vel tāta dispositione personæ, pro qua offertur Sacrificium. Vt ergo quoad vnum debes agnoscere disparitatem, sic & quoad aliud. Disparitas autem est, quòd tuum opus applicatum alteri ad satisfactionem est donatio ex tuis bonis propriis, proindeque mēsuranda est ex tua voluntate sola, & non ex dispositione donatarij, ac recipientis. Cæterùm pœnæ remissio ex opere operato Sacrificij applicati à Sacerdote pro alia persona est donatio satisfactionum Christi facta à Sacerdote vt gerente vices ipsius Christi; qui instituit, vt mensura remissionis esset iuxta dispositionem actualem personę, cui Sacrificium applicaretur; non secus ac instituit, vt eorum effectuum, quos ex opere operato causant Sacramenta, per quę dispensantur merita Christi, desumeretur mensura ex actuali dispositione personę suscipientis Sacramenta. Replicabis rursū, etiamsi per Sacrificium applicentur à Sacerdote satisfactiones Christi ad remissionem pœnæ, nihilominus est in potestate Sacerdotis, applicare ad pœnæ remissionem in hac persona, pro qua offerat Sacrificium, & non in alia, etiā meliùs dispositā, pro qua non offerat; est item in eiusdem Sacerdotis potestate, distribuere eam pœnę remissionem per æquales partes inter duas personas, quanquam vna sit magis dispositā, quàm alia. Ergo signum est, institutionem Christi fuisse, vt per Sacrificium applicentur à Sacerdote satisfactiones illius ad remissionem pœnæ iuxta intētionem Sacerdotis, & non iuxta dispositionem personarum, pro quibus offertur Sacrificium. Contra, nam etsi arbitrio Sacerdotis relictum sit à Christo, vt applicet Sacrificium pro hac persona potiùs, quàm pro alia, etiam meliùs dispositā, attamen non est relictum, vt si pro hac applicet ad remissionem pœnæ, non fiat remissio cum proportione ad dispositionem, sicut neque quòd non fiat nisi tantæ pœnæ, quantæ ipse voluerit in ea persona, pro qua sola offerat Sacrificiū speciali intentione. Neq; est in Sacerdotis libera voluntate, quando ex parte sua offerat æqualiter pro duabus personis Sacrificium quoad satisfactionem operis operati, facere, vt persona, quæ sit meliùs dispositā, non consequatur maioris pœnæ, cui sit obnoxia, remissionem. Si autem sic offerat Sacrificiū æqualiter pro duabus personis, vt intēdat, non maiorem fructum satisfactionis participari ab vna, quàm ab alia, tametsi vna sit meliùs dispositā, quā alia, tunc re ipsa non distribuet Sacrificij valorem per partes æquales, nam penes plures acceptabitur illud à Deo respectu personę minus dispositę, vt non minorem pœnam ei remittat, quàm alteri personæ præcellenti in dispositione.

21 Argumentor tertiò, impetratio Missæ crescit iuxta maiorem deuotionem actualem personæ, pro qua offertur Missa vt impetratoria. Igitur idem dicendum est de satisfactione Missę; vt enim persona magis deuota habet maiorem aptitudinem ad dona, quæ pro ipsa petuntur, & ad obtinenda illa à Deo ex intuitu Missæ, provt fatetur Coninch suprà num. 172. ita pariter, &c. Omitto alias probationes. Et noto, tres à nobis adductas non solùm habere vim, quando deuotio actualis versatur erga Sacrificium Missę, petendo scilicet, vel ministrando, vel assistendo, sed etiam quando

quando versatur circa quidquis aliud, nã quocumque modo sit per actus virtutũ benè affecta persona, pro qua offertur Sacrificium, erit maior, aut minor effectus Sacrificij, provt fuerit persona magis, aut minus benè affecta, quanquam nullo modo concurrat ad Sacrificium, sed eius habeat oblivionem, imò & ignorantiam inuincibilem; aut si notitiã habeat, sed velit, non concurre vlla ratione ad Sacrificium. Sic contrà Vazquium suprà, num. 48. subscriptum à Gaspare Hurtado, Meratio suprà, Bardi in Explicatione Bullæ Cruciatæ parte 4. Tract. 3. C. 1. sect. 2. num. 10. obseruant Cardinalis de Lugo D. 19. sect. 10. num. 207. atque Arriaga D. 52. S. 5. num. 21. Et quidem deuotio circa Sacrificium non tam spectat ad personã, quatenꝰ pro ea offertur illud, quàm spectat ad ipsam, quatenus ipsa offert etiã aliquo modo illud; nec modò est sermo de Sacrificij effectu, qui respondet eis, pro quibus offertur.

22 Quæritur sextò, num iuxta maiorem, vel minorem prçcisè gratiã sanctificantem eius personæ, pro qua offertur Sacrificium, remittatur plus, vel minus temporalis pœnæ? Negant Vazquez, Gaspar Hurtadus, Meratius, Bardi suprà, Dicastillus Tract. 5. Disp. 3. dub. 6. num. 170. & à fortiori alij, qui cõtra nos sentiunt, effectum remissionis non crescere, vel decrescere ad mensuram deuotionis actualis. Mouetur autem Vazquez, quia gratia habitualis nõ requiritur ad fructum remissionis pœnç per Sacrificium, nisi vt remoueat omne peccatum mortale, quod impedimento esset, ne homo, pro quo Sacrificium offertur, obtineret ex eius opere operato remissionem pœnæ. Sed dum dispositio aliqua ad effectum aliquem non est necessaria, nisi vt remouens prohibens, nihil ad eum refert, illam esse maiorem, vel minorem, si quælibet auferat totum impedimentũ. Ergo, &c. Confirmant aliqui ex Purgatorij animabus, quæ æqualiter per Sacrificium consequuntur remissionem pœnç, etsi inçquali gratia habituali sint præditæ. Ego ad quæstionem respondeo affirmatiuè, & vtor exemplo Sacramentorum, quæ eò magis augent gratiam ex opere operato in suscipientibus, quò maiorem inueniunt in eis. Vnde si duo iusti cum æquali deuotione suscipiant Eucharistiam, reportabit plures gratiæ gradus ille, qui accedat cum maiori gratia anteà adquisita. Si item administretur Eucharistia duobus iustis alienatis à sensibus, proindeque non habentibus deuotionem vllam actualem, referet cumulatiorem gratiam ille, qui in sanctitate excedat. Licet autem non sit tam certum, Sacramenta conferre abundantiorem gratiam ex opere operato ijs, qui cum maiori præcisè gratia suscipiunt, quàm ijs, qui cum maiori dispositione actuali, vt videre est in Suario tomo 3. in 3. parte D. 7. sect. 5. V. *Sed quæres*; nihilominus Theologi communiter admittunt illud prius; & inde à paritate cõficimus argumentum ad remissionem grandioris pœnæ ex opere operato Sacrificij in eo, pro quo maiorem gratiam habente offeratur Sacrificium. Ac sanè cum gratia conducat in subiecto ad remissionem pœnç, videtur rationi consonum, vt maior gratia conducat plus, quàm quæ minor est, & vt non se gerat solummodò tanquam remouens prohibens; cum item gratia dignificet subiectum, aptetque illud ad remissionem pœnæ, congruit rationi, vt maior gratia magis dignificet, & aptet ad illam. Præterea si pro præstantiori dispositione actuali consistente in actibus virtutum crescit remissio pœnæ, quidni crescet pro excellẽtiori dispositione habituali consistente in gratia sanctificante? Ex his ad argumentum Vazquij dico, gratiam habitualem non requiri præcisè vt remouentem peccati prohibitiui, ne pœna remittatur personæ, pro qua Sacrificium offertur; sed requiri etiam vt disponentem eiusdem personæ ad tantam, vel tantam pœnæ remissionem; quæ posterior necessitas associabilis est cum priori. Sic ad gratiæ augmentum per Sacramenta viuorum requiritur gratia vt remouens prohibẽtis peccati, necnon vt aptans tanto, vel tanto gratiæ incremento. Vt ad confirmationem respondeam, abstraho à decisione eius quæstionis, an pœna sensus diminuatur in Purgatorio per suffragia viuentium quoad intensionem, & extẽsionem, diuturnitatemve temporis, vel tantùm quoad hanc, proindeque dico, Purgatorij animas sanctiores vel liberari citiùs per Sacrificiũ à pœnis, quã aliæ minus sanctæ; vel si non citiùs, at intra idem tempus liberari à tam inten-

so

so cruciatu, quàm est ille, quem patiẽtur animæ inferiores in sanctitate, etsi pro istis applicetur Sacrificium aliud, & cætera sint paria. Cardinalis de Lugo D. 26. de Pœnit. sect. 2. n. 20. vltrò concedit, ex duabus animabus æqualẽ reatum pœnę expiandum in Purgatorio habentibus, liberandam celeriùs eam, quæ maiori gratia habituali sit prędita, & proinde profuturum ei magis vnum Sacrum, quàm alteri tanta gratia non exornatæ. Non est huius loci expendere rationem, quam tantus Doctor ibi assignat. Sed est adnotare, Amicum D. 33 sect. 7. num. 273. cum dicat, actum deuotionis erga Sacrificium Missę conducere ad maiorem huiꝰ effectum in persona, pro qua offertur, & opus non esse, quòd talis actus physicè existat, sed sufficere, quòd moraliter perseueret, dicturum consequenter, vberiorem fructum lucrari ex Sacrificio Missæ animas Purgatorij, quæ in hac vita deuotiores fuerunt erga Sacrificium, si cætera sint paria. Et sufficere quidem moralẽ perseuerantiam eius deuotionis, indicant Gaspar Hurtadus D. 3. Difficul. 12. V. *Dispositio ergo*, Bardi in Explicatione Bullæ Cruciatæ parte 4. Tract. 3. Cap. 1. sect. 2. num. 10. Imò hic addit, reddi ad Sacrificij fructum digniores eas Purgatorij animas, quæ in hac vita solicitiores fuerunt in suffragijs pro defũctis. Quam piam existimationem lego etiam in Honcalæ Opusculo de Valore Missæ art. 5. & 6. eandemque, & præcedentem aliam insinuaui ego in num. 77. Disp. proximæ.

23 Quæritur septimò, an remissio pœnæ temporalis per Sacrificiũ Missæ crescat æqualiter ad mensuram deuotionis actualis, vel gratię habitualis, quam habeat persona, pro qua offertur? Respondeo, non ita crescere, vt si est duplo maior deuotio, aut gratia, sit duplo maior remissio. Probatur, quia hìc magis attenditur opus operatum Sacrificij, quàm opus operantis, aut quàm dignitas personæ; sicut etiam in Sacramentis magis attenditur opus operatũ ipsorum, quàm cooperatio suscipientium, aut quàm gratia præadquisita à suscipientibus, & ideo fructuosius est, communicare bis cum deuotione vt vnum singulis vicibus, quàm communicare semel cum deuotione vt quatuor, quia scilicet etsi duplicetur deuotio, nõ tamen Sacramentum, ex quo principaliter sumitur effectus. Quapropter in Sacramentis crescet gratia proportionaliter tantùm, & remissio pœnæ in Sacrificio. Videatur Barth. Ledesma in Summario de Euch. Diffic. 36. columna 448.

24 Quæritur octauò, vtrùm per vnum Missæ Sacrificium applicatũ specialiter pro vna Purgatorij anima consequatur hæc remissionem totius pœnę. Respondet S. Thomas in 4. Dist. 45. q. 2. art. 4. quæstiuncula 3. ad 2. *Quamuis virtus Christi, quæ continetur sub Sacramento Eucharistiæ, sit infinita, tamen determinatus est effectus, ad quem illud Sacramentum ordinatur. Vnde non oportet, vt per vnum altaris Sacrificium tota pœna eorum, qui sunt in Purgatorio, expietur; sicut etiam nec per vnum Sacrificium, quod homo aliquis offert, liberatur à tota satisfactione debita pro peccatis. Vnde & quandoque plures Missæ in satisfactionem vnius peccati iunguntur.* Sic Angelicus Doctor; qui non est putandus negare, posse aliquam animam per vnum Sacrificium eximi à tormentis Purgatorij, siquidem contingere queat, quòd separetur à corpore cum eo pœnæ reatu, cui auferendo satis sit effectus ex opere operato vnius Sacrificij; sed existimandus est S. Thomas affirmare, vnum Sacrificium oblatum specialiter pro qualibet anima Purgatorij non conferre totius pęnę remissionem, quippe sint plures animæ, quibus non sufficiat opus operatum vnius Sacrificij præscriptum, & determinatum à Deo, sed indigeant multis alijs ad liberationem à tanta pęna, quãtam merentur ob vitam anteactam. Et hic est sensus Ecclesię, ac fidelium in applicandis specialiter multis Missis pro vna anima. Nam Ecclesia instituit Missas dicendas die obitus, & tertio, septimo, trigesimo, ac quadragesimo, anniuersarioq; depositionis defuncti, & in Commemoratione omnium fidelium defunctorum; de quibus Missis agunt Ioannes Stephanus Durantus Lib. 2. de ritibus Ecclesię Cap. 43. Honcala Opusculo 4. Tract. 5. fol. 65. Onuphrius Panuinius Cap. 10. de ritu sepeliendi mortuos apud Christianos, Gazæus ad C. 5. Collationis 2. Casiani, Iosephus Vicecomes Volumine 2. Ecclesiasticarum Obseruationum Lib. 4. de Missæ ritibꝰ ex C. 7. vsque ad 16. Turrianus Lib. 4.

pro

pro Epist. Pontificum C. 12. 13. & 14. Pamelius ad Epist. 66. S. Cypriani, & tom. 1. Liturgicon sæculo 1. pag. 77. & vt alios, quos legi, omittam, Bellarminus Lib. 2. de Purgatorio Cap. 19 qui omnes ostendunt earum antiquum in Ecclesia vsum. Ego pauca quædam Patrum testimonia delibabo. S. Ephrem in suo testamento sic iussit, *Cum trigesimũ diem compleuero, mei memoriam faciatis.* S. Augustinus L. 1. Quæstionum in Exodum q. 172. diem septimum pro defunctis commendat. Synesius in Epist. 3. loquitur de die tertio, & septimo pro mortuis. S. Ambrosius in Oratione de exitu, vita, ac virtutibus Theodosij Imperatoris habita in celebritate quadragesimi diei obitus, inquit, *Eius ergo Principis & proximè conclamauimus obitũ, & nunc quadragesimum celebramus:: & quia alij tertium diem, & trigesimum, alij septimum, & quadragesimum obseruare consueuerunt, quid doceat lectio, consideremus.* In S. Theodosij Cænobiarchæ Vita, 11. Ianuarij fit mentio de quadragenis pro defunctis, necnon de tertianis, & nouenis. Concilium Nannetense ait, *Nullus Presbyterorum, quando ad anniuersarium diem, trigesimum, vel septimum, vel tertiũ alicuius defuncti:: conuenerit,* &c. Ita refertur de Consecratione Dist. 5. Can. 35. cuius initium est, quòd exaraui. Sufficiant hæc testimonia.

25 Idem antiquus vsus offerendi multas Missas pro eadem anima confirmatur, nam S. Gregorius, vt ipse refert Lib. 4. Dialogorum Cap. 55. imperauit, celebrari Missas pro quodam Monacho mortuo, per triginta dies cõtinuos, *Ita vt nullus omnino prætermitteretur dies, quo pro absolutione illius hostia salutaris non offerretur*; & ante triginta earum Missarum celebrationem anima Monachi non prodijt ex igne Purgatorio. Hinc nata est deuotio populi Christiani erga Missas S. Gregorij. Petunt eas aliqui dicendas pro suis defunctis, cum varijs Collectis, aut ita vt vna sit de Trinitate, & alia de Angelis, &c. Sed, testante Posseuino Lib. de Officio Curati C. 2. num. 44. ✻ Consulti Monachi S. Gregorij de Vrbe, vbi infinitæ dicuntur, & vnde illarum institutio, vt potest credi, ortum habuit, dixerunt, esse triginta, vt dicitur, de Requiem; nec necesse continuatè dici, & ita illos practicare. Sed & in Duplici, & Semiduplici posse dici Missã currentẽ, & æquè prodesse, ac de Requiem, tradunt multi:: Imò aliqui volunt, plus prodesse de Sancto, quàm de Requiem, quòd Sanctus ille suis orationibus adiuvet mortuum illum, pro quo celebratur. Circumfertur quædam Missa specifica sub nomine Missæ S. Gregorij, quæ est solita de Requiem, sola oratione distincta, quę fortè est vsui alicui Religioni. Certè non videtur instituta à S. Gregorio, vt ex eius textu apparet; & in Missali Clementis VIII. vel Pij V. nulla fit eiꝰ mentio. ✻ Huc vsque Posseuinus. Sed non debere esse de *Requiem*, aiunt, è cõtra Gavantus in Rubricas Missalis p. 1. tit. 5. ad num. 3. Pellizarius in Manuali Regularium Tract. 5. Cap. 9. sect. 3. n. 82. Durantus ad Cap. 9. Lib. 4. Reuelationum S. Birgittæ, Thomas Tamburinus Lib. 2. de Missa Cap. 6. §. 7. neq; item debere celebrari ab vno, eodemq; Sacerdote, nam ex verbis S. Gregorij ad Abbatem Pretiosum minimè colligitur; sed tantùm quòd futuræ sint cõtinuæ: nihilominus si interpolentur in triduo hebdomadæ sanctæ ob Ecclesiæ morem retinendum, nõ ideo non acceptari à Deo vt continuas, & Gregorianas. Quanuis autem ex libito Sacerdotis discontinuentur, non proderunt minꝰ quoad fructum suum satisfactorium ex opere operato, vt aduertit S. Antoninus 2. p. Historiali tit. 12. C. 3. ante §. 1: seruare tamen oportet continuationem, tum quia sic liberabitur citiùs anima à pœnis Purgatorij, tum quia impetratio ob merita Sancti Gregorij securior erit. Quòd si promissio, vel pactũ intercesserit, adimpleri debebit à Sacerdotibꝰ. Quos cupio, instructos esse, si peti ab eis contingat Missas Gregorianas, ne recitent non approbatas in Missali Romano, & ne dicant Collectas non confirmatas Ecclesię authoritate, neque in numero maiori, vel minori, quàm ab eadem Ecclesia præscripto; aliqui enim, vt indulgeant deuotioni indiscretæ Laicorum, non cunctantur addere Collectas priuata authoritate compositas. Extat Decretum Sacræ Rituum Cõgregationis editum anno 1628. die 8. Aprilis, approbante Summo Ecclesiæ Capite Vrbano VIII. quod vt Sacerdotibus notum sit, ponitur initio nouorum Missalium; in quo vetantur *Missæ S. Gregorij pro viuis, & defunctis*; & posteà eodem

anno

anno, die 28. Octobris declarauit Eminentissimorum Patrum venerand⁹ cœtus, non fuisse sibi in animo, prohibere triginta Missas S. Gregorij, id est, quòd pro defuncto applicentur triginta Missę per totidem dies continuos. Quænam autem fuerint Missæ primò vetitæ, disces ex Beja in responsionibus casuum conscientiæ parte 1. Casu 23. Emmanuele Rodriguez tomo 1. Canonicarũ, & Regularium quæstionum in 43. art. 10. Gauanto parte 4. tit. 17. num. 14. & ex Sanchez Lib. 2. Summæ in Decalogum Cap. 40. num. 40. & 41. Quoad alias verò septem Missas S. Gregorij, & quoad alias 48. consulantur Ioannes de Castañiza in notis ad C. 21. Lib. 5. Reuelationum S. Gertrudis, seu insinuationum diuinę pietatis, Ioannes de Mata Tract. 2. de Animabus Purgatorij C. 2. & 3. Et hęc ex ocasione oportuit adnotasse, nam sæpe postulantur Missæ S. Gregorij, & nec qui petunt, neque illi, à quibus celebrari desideratur, sciunt earum qualitatem. Vidiq; aliquos prętextu obligationis earum Missarum à se susceptæ facientes Sacrum de defunctis die Dominica, alijsque non permissis per Rubricas Missalis.

Nec plura de Disp. 18.

Quæ sit finis primæ partis opellę nostræ.

***

AD CHRISTVM DOMINVM,

QVI

IN SACROSANCTO MISSAE Sacrificio offertur, Encomiastica gratiarum actio pro fine primæ partis.

GITVR in hoc diuinæ Maiestatis delubro lubens sisto paulisper tremulum gradum; sacratissimo quidem delubro, in cuius regressu nullum opus, nullus est labor; at in eius accessu penè inaccesso.

Hìc opus, hìc labor est.

Nulli hìc solicitudinum prolixitati parcendum fuit, nulli curarum miserendum imperio; aræ enim, ad quas entheatim me meus arripuit ardor, perspicacissimis etiam ingenijs delitescunt, totque difficillimis implicatæ mysterijs expertissimorum quorumuis Mystarum abnuunt examen. Nec incassùm certè ad secretiora fanorum penetralia aras recondebant Antiqui, velut eæ, quæ Deos referrent, & procul ab hominibus esse, & primo cuilibet oculorum inspectui sese debuerint ęgrè permittere: quin imò vel humanę Maiestati quid tale sagax indidit ambitio. Quot enim laruata hæc Numina, artificiosè etiam tumida, simili se supercilio inaccessa volunt, dum, ne quid ipsis vulgare insit, nimia adeò anxietate fugiunt vulgus? Qui mihi iustissimus terror ad sacra hæc adyta aditum fortè præclusisset, nisi & pugnam, & victoriã labori commendassem: quippe viæ, quam labor strauit, insudans sacras has aras eminus prospicere aggressus sum iam quando eas introspicere, meum supra captum erat. Si qua autem lux meo ex conatu diuinis altaribus accreuerit,

non

non illam mei ingenij obscuritati, sed Diuo Soli flammea veluti curuli in ipsis insidenti, vti debeo, gratulor. Tuis siquidem auspicijs præmunitus, Diuinissime Apollo, tuis radijs illustratus, largissimè tuorum splendorum dispensator, tantam mihi imperaui audaciam. Cui quidem nulla fortuna, sed fortunatissimum tuum patrocinium adiumento fuit. Tot autem beneficijs oneratū, qua me gratitudine exsoluam? quibus me officijs tuę iterùm seruituti adstringam? Aliorum sanè egenus, quam lucem à te Sole mutuatus sum, ipsam tuis hisce altaribus reuerenter appono: vbi O vtinam ardeat, & cor etiam deuouens æquè, ac deuotum pijssimo corripiatur incendio, luceatque illa conflagrantis cordis vestigium! Sed proh me insolenter tanto abutentem beneficio, ex quo elatos adeò animos accersiuerim, vt sperem, me a qualiquali elucubratione accessurum quid nitoris tanto altari! ausimque imponere ipsi tam tenue munus! Quæ enim sacrata lampas, etsi auro ferueat, adamantibus scintillet, & stellas vndique iaculetur, tenebrosum non adsit ijs altaribus cadauer, quorum ipse Sol victima est? Quodve donarium siue Cresi diuitijs opulentū, siue Cæsarum potentia superbum ijs aris queat corde offerri expedito, vbi Deus homō donum est? O munifica incarnati Verbi indoles! O dignissimum sapientię Patris stratagema! Quibus te præconijs commendem, beneficentissimum Numen; quod ita industriè amas, vt dum nostrarum precum, imò & cunctorum sis finis, ipsarum te te nobis obtuleris medium, quando te offerendum inaudita hac religione cōmittis? Quis verò mortalium Deum, quantumuis offensum, indignatumque, donis placare non studeat? Hisce enim,

Placatur donis Iuppiter ipse datis.

27 Quis etiam pretiosa hac victima Cœlestia Regna tutò non comparet? Cum longè cœlos antecellat! Quis smaragdinos illorum non conscēdat muros, auro, argentoque fortes, & nitidas superet turres, compagem deuincat adamantinam? Cum quidquid ibi pretiosum ditissima summi artificis omnipotentia coaceruauit, distinxitq; huius victimæ pretio, huius doni æstimationi cedat, ipsiusque pedibus omnia fœliciter submittenda certent: & omnia sese quasi nobis diuinissimo hoc dono magnificè comparata prodiga distribuantur liberalitate, non solùm vt animæ salutem, verùm & suauissimam adferant dulcedinem, augustissimum buccinantem largitorem, & ad gratam repensionem nō solùm fortiter alliciētem, sed suauiter compellentem. *His* namque, vt appositè ait S. Cypriani eloquentia in Sermone de Cœna, *qui Christi commemorant Passionem inter sacra Officia quasi per quosdam canales de interioribus fontibus egrediuntur torrentes, & super omnes delitias lachrymis nectareis anima delectatur: quantam suauitatem animæ quærēti, vbi sit Deus suus, suspiria contemplationis eliciunt: non illos imbres procellosæ tempestatis deponunt, ros matutinus est de cœlestibus stillans, & quasi vnctio spiritus mentem deliniens. Gemitus illos pietas excitat, & inter diem, & noctem, retrò, & antè se affectio intuens, inter data condonando se diuidens gratias agit tam vberi beneficij largitori, & se sanatam, & sanctificatam agnoscens fletibus se abluit, & lachrymis se baptizat.* Tantùm S. Cyprianus.

28 Ergo nullis dein intumescant hostijs temerata Antiquorum altaria, nullis vnquam sacris honoribꝰ turgeant, & vti falsa, vanissimaque verissimis his concessura euanescant: & quę delubra siue falsa pietas, siue verus immortalitatis amor adstruxit, solo iaceāt æquata. Quæ verò fortunatiorem assequuta sortem his decorantur altaribus, hisque hostijs infinitè ditescunt, non solo, sed cœlo æquata superbiant. Fædissima quidem illa squalenti tot hircorū conspurcata cruore; hęc autem nitidissima Regis Agni splendenti exornata purpura. Et si fortè aliquid in illis purū, nihil certè præter id, quod huius Sacrificij faustissimam sortiebatur imaginē; nihil in illis nitidum, nisi quod immolati hìc Solis vmbra erat, similibusve condecorabatur accidentibus: quæ vti omnium purissima, & Sacrificij præferebant puritatem, & Mystarum requirebant. Cuius sententiæ suffragium vel ex profanioribus ipsis facilè extorsero. Vsuvenit Antiquis ob inuenti panis beneficium sacras Cereri grates rependere, & vt principis fructus dignitatem extollerent, præcipuum Deæ Sacrificium meditati sunt; non enim ad illud communes admittebantur Sacrificuli, gregarium quemlibet, vti impu-

rum,

tum, puriores hæ indignabantur aræ, ad quas solùm virgines vsque ad vestem puræ accingebantur administræ. Audite Vatem Pelignum L. 4. Fastorum dul cirer indulgentem plectro, & ita suauiter illas alloquentem,

Alba decent Cererem, vestes Cerealibus albas (est.
Sumite, nunc pulli velleris vsus ab-

Quorsùm verò vndequaque ista exquisita puritas? Quorsùm venustus iste nitor? Nostra certè hæc altaria versus. Quippe penes eundem Poetam L. 10. Metamorph. suæ Cereri pudicę illæ Sacerdotes, (*rum.*

Primitias frugum dant spicea serta sua-

Fœlices spicæ, quæ Cœlestem hunc panem sortitę sunt adumbrare; ideoque dignissimæ, quę impuras aspernentur manus? Fortunatæ aræ, quæ nostras has gratissima æmulantur imagine; & inter alias facilè principes, quæ spiceis sertis, aureis, inquam, coronis, exornẽtur! Pergo vltrà, puras alias hostias ex obscœnissimo antiquorum Deorum evoluturus cœno. Et ecce in Summi Iovis, aliorumque Superum Sacris puritatem Vates ingeminant, lautitiem commendant. At quibus Sacris, quibusvè in hostijs? Luculenter in primis primus Vatum respondet L. 6. Iliados,

Non decet, illotis manibus libare superno Vina Ioui.

Eleganter etiam Hesiodus in Theog.

Nunquam vina Ioui, Superisvè rubentia libes, (vnda.
Ante manus fluvij quàm pura laveris

Quid igitur mirum, si in istis Sacris, illisque in hostijs procul omnia dehonestamenta faceſſant, & vndequaque vel vsque ad Solis invidiam splendeat nitor, vbi diuinissimi nostri Sacrificij delineatur Maiestas? Quid enim vina illa rubentia innuunt, nisi sacros hos latices, rubentemque litati Agni purpuram? Maximum certè Sacrificium, & planè diuinum, quod non tantùm inter fœda purissimum, inter squalida nitidissimum (sic enim honor æquè alienæ humilitati, ac proprię magnitudini deberetur) verùm & inter pulchra, lautaque pulcherrimum est, & lautissimum, vt omnia sua decora suo solùm decori, & aliena, vtpote ab hoc emendicata, debeant arrogari, siquidem non tantùm augustissimum Sacrificium nũcupatur, sed etiam consummatio, & omnium Sacrificiorũm perfectio.

29 Ast quid vltrà aggrediar impar tot laudibus Encomiastes styli tenuitate ipsas fortè extenuaturus? Quid plura audiam, qui præteritæ audaciæ, quantumvis piæ, insimulor. Accusat enim me Sanctus Fulbertus Carnotensis Episcopus in Epist. ad Adeodatum, non quidem argenteo, sed aureo hoc exuberans fonte, *Corporis, & sanguinis* (inquit) *venerabile Sacramentum tantò formidabile est ad loquendum, quantò non terrenum, sed Cœleste est mysterium: non humanæ æstimationi comparabile, sed admirabile; non disputandum, sed metuendum. De quo silere potiùs existimaueram, quàm temeraria disputatione indigni aliquid definire; quia Cœlestis altitudo mysterij plenè non valet officio linguæ corruptibilis exponi.* Hactenus ille. Quocirca meæ longè imparili silentium indicere, & tam ardui conaminis impetus compescere, satius fore videbitur. Addique potest ex Simeone Thessalonicensi dicente in præfatione ad Librũ de Templo diuino, *Tam magnifica sunt, etiam quæ oculis in hac sacra functione subijciuntur, vt nemo non ea admiretur. Verùm non omnium mentes ad eorum, quæ illic obeũtur, cognitionem penetrant, multi hærent, horumque rationes, & causas exquirunt. Et sanè vim eorum nulla commentatio assequatur. Nec humanus solùm, sed nec Angelicus intellectus comprehendere, ac docere queat,* Sic Simeon Thessalonicensis. Nihilominus, cum ipse immediatè subiũgat, *Non omnino profanos, ac rerũ ad se pertinentium ignaros Deus nos reliquit, sed quantùm de ijs scire, & inuestigando inueniri, atq; intelligi potest, tantùm nobis sciendi, inuestigãdi, & intelligendi occasionem suppeditauit: quãdoquidem nostra causa ea omnia instituta, ac perpetrata sunt,* ideo non omnino debemꝰ despondere animum. Vnde post respirationẽ aliquãaggrediemur, Deo auspice, secũdã, postremãq; partẽ huius Operis, vt si non pro dignitate Sacrificij Eucharistici, pro nostro saltem modulo arcana eius perscrutemur. Et ad id non leuiter incitamur verbis illis Hugonis Victorini L. 1. de Sacramentis in Prologo, *Inter omnes quærentium faciẽ Dei Iacob occupationes nihil æquè memoria pariter & vsu dignum arbitror, vt Ecclesiastica Sacramẽta, simul & Officia. Illa enim de fide, & moribꝰ rectè considerata docent, & instruunt; hæc verò Authori pro donis quotidianis vectigalia repẽdunt, vt ampliora promereantur diuinæ largitiate beneficia.*

CLAVIS
Magistri Sententiarum circa eas difficultates, quæ in hac prima parte examinantur.

30 VT multorum votis satisfaciam, decreui elaborare clauem hanc, vti etiam iam feci in fine Tractationis de Eucharistiæ Sacramento. Et quidem oportet, Theologos esse valde versatos in Magistro Sententiarum, præsertim eos, qui in Academijs, & in Ecclesijs Hispaniæ adspirant ad Cathedras, & ad Præbendas litterarias, solet enim ipsis proponi vna ex Magistri Distinctionibus, vt eius sensus edisserant, & quæstiones circa eam moueant. Quanuis verò causa hæc necessitatis deesset, expedit, Theologum quemque esse assiduè exercitatum in lectione Magistri, vt qui sit Theologiæ Princeps, *Lumenq; omnium.* Quo nomine olim vocabatur, si credimus Paulo Iouio Libro tertio Historiarum sui temporis, vbi scribit, oppidum, vnde oriundus fuit Magister, dici, *Lumen omnium*, mutuata à tanto filio appellatione. Sanctus Antoninus tertia parte Summæ Theologicæ titulo 5. Cap. 2. §. 1. reprehendebat quosdam suæ ætatis Theologos, qui *non vacabant nisi sophismatibus, & formalitatibus, & Metaphysicis, vel sermonibus phaleratis Ciceronis. Et si Canones viderent, non nisi de iudicialibus, & vix aliquando dignarentur aspicere sacras Scripturas, Textum Sententiarum, Librum Decretorum, fundamenta Iuris Diuini, & Canonici.* Ne ergo nostro sæculo, in quo Theologi tam exculti sunt litteris sacris, peritiaque Canonum, restet querela de non reuocato ad vsum Magistro Sententiarum, laudandi videntur, qui adiumentum aliquod præstant ad illius doctrinam illustrandam, atque exornandam. Et hæc de ratione mei consilij in ista claui.

31 Magister parcus admodùm est, & concisus in tractatione de Sacrificio Missæ. Attingit in Libro quarto, Distinctione prima, littera B, seu §. secundo aliquid spectans ad Sacrificia vetera. Pro cuius verbis Interpres videat dicta à nobis in Disputatione 1. sectione 5. numero 53. & in Disputatione 10. sectione 2. numero 22. poteritque ex vtrobique dictis instituere quæstionem, an Sacrificia veteris legis profuerint ex opere operantis ad remissionem peccatorum quoad culpam? Et an eo modo, atque ex opere operato profuerint ad remissionem peccatorum quoad pœnam temporalem? Nec saltabit extra chorum Interpres, si occasione verborum Magistri disputet de essentia Sacrificij in communi, de qua nos in Disputatione prima; indeque inferat, Sacrificia veteris legis fuisse quàm verè, & propriè Sacrificia. Neque item exorbitabit, si nobiscum Disputatione 2. & Disputatione 10. sermonem habeat de vera ratione Sacrificij reperta in Missa, & de fructu, seu effectibus Sacrificij Missæ.

32 Magister in littera G. seu §. 7. tractat, an viris, qui fuerunt ante Circumcisionem, & fœminis, quę fuerunt ante, & post, profuerint Sacrificia ad remissionem peccati originalis? Circa eius verba legat Interpres scripta à nobis in D. 1. sect. 3. num. 38.

33 Magister Distinctione 8. littera A, seu §. 1. ait, Melchisedech ostendisse ritum Sacrificij Eucharistici. Pro quibus verbis videat Interpres adnotata à nobis Disputatione 1. sectione 1. num. 3. Disput. 2. sect. 3. num. 23.

34 Magister ibidem littera C. seu §. tertio ait, *Cum verba consecrationis proferuntur, conuersio fit panis, & vini in substantiam corporis, & sanguinis Christi.* Super quibus verbis controvertere potest Interpres, num consecratio vnius speciei possit validè fieri, non obstante intentione simul habita relinquendi inconsecratam aliam, vel non offerendi Sacrificium? De qua controversia nos in Disputatione quarta, sectione 2.

35 Magister ibidem littera eadem, seu §. inquit, *Consideratione dignum est, quare Eucharisticum Sacramentum post Cœnam dedit Discipulis Christus.* Pro quibus verbis vtiles erunt Interpreti obseruationes sex propositæ Disput. 2. sect. 3.

36 Magister ibidem lit. eadem, seu §. agit de agno Paschali. Potest Interpres circa eius verba examinare, num Sacrificium agni Paschalis habuerit rationem Sacramenti? De quo

nos

nos in Disputatione 5. S. 2. num. 4. Præterea in Disputatione 2. sectione 4. expendimus multa de Sacrificio agni Paschalis, quæ omnia commoda erunt Interpreti.

37 Magister Distinct. 10. litt. B. seu §. 2. recitat quædam Sancti Augustini verba, adducta etiam à nobis in Disput. 9. sect. 1. num. 2. vt probemus, species Sacramentales panis, & vini esse res in Sacrificio Missæ oblatas secundariò, & minus præcipuè. Poterit itaque Interpres in suum vsum conuertere totam eam Disputationem 9. quæ est de re sacrificata, seu oblata in Sacrificio Missæ.

38 Magister ibidem litt. H. seu §. 8. ait, *Corpus tale dedit Christus in Cœna, quale tunc habuit.* Consulat Interpres Disput. 2. sect. 3. num. 39. vbi discutimus assertionem Magistri.

39 Magister ibidem litt. eadem, seu §. tractat de communione corporis Christi data Iudæ in Cœna. Agimus & nos latissimè de ea in Disput. 2. sect. 3. ex num. 29. vsque ad 38. Notamusque nunc, Anglem quæst. 2. de suscipientibus Eucharistiam artic. 2. Concluſ. 3. Alfonsum de Vega in Sylua, & praxi fori interioris Lib. 1. Casu 66. liberare à nota erroris assertionem de nõ suscepta Eucharistia à Iuda. Quare iudicio horum Doctorum, & nostro assertio opposita non est tam certa Euangelij sententia, quàm supponit Ludouicus Lopez 2. parte Directorij Conscientiæ C. 77. pag. 268

40 Magister Distinctione 12. litt. B. seu §. 2. agit de fractione specierum Sacramentalium, quæ fit in Sacrificio Missæ. Circa quem locum per opportunè disquiret Interpres, an in fractione specierum consecratarũ panis consistat partialiter essentia Sacrificij Missæ? Quæ quæstio exagitatur à nobis in Disputatione 3. sectione 1. Et pro negante parte, quam sequuti sumus, citat nouissimè Diana parte 12. Resolutione 3. Miscellanea decem, & octo Authores.

41 Magister ibidem lit. G. seu §. 7. quærit, *Si quod gerit Sacerdos, propriè dicatur Sacrificium, vel immolatio? Et si Christus quotidie immoletur, vel semel tantùm immolatus sit?* Pro Magistri responsione ad has quęstiones legat Interpres Disputationis 2. sectionis 2. numerũ 7. in quo accuratè inuestigamus sensum illius. Potest in hoc loco disputare Interpres, an Missæ Sacrificium sit verum, & proprium? Quænam sit eius essentia? Quænam item sit definitio, seu essentia Sacrificij in communi? De quibus nos loquimur in Disputatione 1. 2. 3. & sequentibus. Ac sanè cum Magister in hac Distinctionis parte magis ex professo, quàm in alijs totius sui Operis, tractet de Sacrificio Missæ, licebit Interpreti instituere quas maluerit quæstiones discussas à nobis, præsertim illas, quę concernunt essentiam, attributa, valorem, fructum, & offerentes Sacrificij Missæ, eosque, pro quibus offertur. Quod si de essentia siue Sacrificij in communi, siue Sacrificij Missæ in particulari sermonem suscipiat, legat quę breuiter, sed doctè de ea delibat multis mihi titulis obseruatissimus Pater Ioannes Antonius Velazquez in recenti Opere de augustissimo Eucharistiæ mysterio Libro primo, Dissertatione secunda, adnotatione 5. n. 6.

42 Magister Distinctione 13. litt. A. seu §. primo inquit, *Solet etiam quæri, vtrùm praui Sacerdotes hoc Sacramentum conficere queant?* Poterit Interpres exornare, atque elucidare Magistri responsionem, & conclusionem simili alia à nobis proposita, & comprobata in Disputatione 12. sectione 3. ex num. 17.

43 Magister ibidem lit. eadem, seu §. primo ait, *Illi, qui excommunicati sunt, vel de hæresi manifestè notati non videntur, hoc Sacramentum posse conficere, licet Sacerdotes sint.* Quod Magistri iudicium reprobandum est, nisi benignè explicetur, vt fit à Ioanne Martinez de Ripalda in annotatione ad hanc Distinctionẽ decimã tertiã. Consulat Interpres, quæ nos scribimus in Disputatione 12. sectione 3. ex n. 15.

44 Magister ibidem lit. eadem, seu §. agit de nomine Missæ. Nos etiam de eodem diximus paucula in Disput. 2. sect. 1. & in Disputatione 8. sectione 3. n. 19. Videndusq; est Boetius Epo Syntagmate 1. Pro interpretatione autem in posteriori loco data ad Cap. *Non mediocriter* 24. de Consecratione Distinctione 5. adijcimus nunc Cæsa-

rium Arelatensem in Regula Monachorum numero 20. dicentem, *Vigilias à mense Octobri vsque ad Pascha, duos Nocturnos faciant, & tres Missas. Ab vna Missa legat frater folia tria, & orate: legat alia tria, & leuent se.* Item Aurelianum ad finem Regulæ, *Ad librum facite Missas tres. Vnus frater legat paginas aut tres, aut quatuor, quomodò mẽsura fuerit libri::: Iterum legat alius frater, & sic impletis tribus Missis, dicite Matutinos Canonicos.* Plura alia verba exarat Benedictus Haeftenus Lib. 7. Disquisitionum Monasticarum Tractatu 8. Disquisitione 5. in qua peritè explicat Etymon nominis *Missæ*; notatque, numerum quendam lectionum in Choro dictum etiam olim fuisse *Missas*, eoquòd, dum illę recitarentur, vel cantarentur, intermitteretur, seu tantisper dimitteretur Psalmodia.

45 Magister ibidem lit. eadem, seu §. 1. scribit, *In huius Mysterij expletione sicut formam seruari, ita Ordinem haberi, scilicet, vt sit Sacerdos, & intentionem adhiberi, oportet, vt illud facere intendat.* Pro quorum verborum illustratione tractare potest Interpres de Sacerdote vt offerente Sacrificium Missæ, necnon de eiusdem Sacerdotis intentione applicante Sacrificij, vt hoc prosit alijs. Præstitimus nos vtrumque in Disputatione 12. & in Disputatione 13.

46 Magister Distinctione 45. litt. A. seu §. 1. inquit, *Sciendum est, quòd omnes animæ, vt ait Augustinus, cum de hoc sæculo exierint, diuersas habent receptiones, bonæ habent gaudium, malæ tormenta, &c.* Circa hæc verba tractari potest, an animæ, quæ semel delatæ sint in damnatorum Infernum, reuocentur inde aliquando orationibus viuorum, & suffragijs? De qua quæstione nos agimus in Disputatione 17. sectione 3. ex numero 90. Pro eadem videantur Augustinus Barbosa in Collectaneis ad C. *Cum Marthæ 6.* de Celebratione Missarum §. *Tertiò loco*, Ioannes de Salas in 1. 2. Tractatu 13. Disputatione 15. sectione 4. Thomas Hurtadus 1. parte Resolutionum Moralium Tractatu 5. C. 6. Resolutione 51. qui copiosissimè allegant alios collocantes in ea suam operam. Conducet etiam legere Petauium Lib. 13. de Incarnatione Cap. 18. disquirentem, an Christus, cum penes animam descendit ad Inferos, eduxerit inde aliquos, qui in peccato lethali sint defuncti? Theophilum item Raynaudum parte 4. de Martyrio per pestem Cap. 6. num. 24. 25. & 26. probantem contra Gasparem Barthium L. 45. Aduersariorum Cap. 9. non futurum penes Martyres in extremo Iudicio eximere damnatorum numero, quos voluerint, vt ex malè intellectis Prudentio in passione Sancti Fructuosi, & sociorum, hymno 6. & in passione Sancti Romani, hymno 9. Venantio Fortunato Lib. 4. de Vita Sancti Martini, Sancto Cyprianо in Libro de lapsis, Henrico Autissiodorensi Lib. 6. de Vita Sancti Germani comminiscitur Barthius. Potest etiam discuti, an animæ, quę semel existant iam beatæ in Cœlo Empyreo, sint aliquãdo inde reductæ in hanc vitam per relumptionem corporum? Quo in puncto nauauimus opellam nostram Disput. 17. sect. 3. num. 112.

47 Magister ibidem litt. B. seu §. 2. scribit, *Neque negandum est, vt ait Augustinus, defunctorum animas pietate suorum viuentium releuari, cum pro illis Sacrificium Mediatoris offertur, &c.* Super quæ verba disputari multa queunt, de quibus nos in Disputatione 17. per totam sect. 3. quæ est de defunctis, pro quibus offerri valet Sacrificium Missę, & de quibus, suadeo, vt legas Sanctum Bernardum in Serm. de quinque negotiationibus, & quinque regionibus. Certè, *nulla oratio, nulla eleemosyna ad ereptionem animarum, Missæ potest comparari*, vt benè aduertit Cæsarius Heisterbachensis Lib. 12. Miraculorum illustriũ, & Historiarum memorabilium C. 23. Vnde meritò Eymericus 2. parte Directorij Inquisitorum quæstione 11. Bzovius in Annalib. Eccles. anno 1310. num. 14. post Prateolum, & Villaneum inter reprobatos Arnaldi Villanouani errores numerant hunc, *Misericordiæ opus plus placet Deo, quàm Sacrificium altaris*. Fuit etiam eiusdem Arnaldi error, quòd *in eleemosyna magis repræsentatur Passio Christi, quàm in Sacrificio altaris.* Item *quòd in Sacrificio altaris Sacerdos offerens, vel offerri faciens nihil Deo de suo offert, vel etiam voluntatem.* Quos duos errores ex occasione primi adnotare hìc placuit, vt caueantur.

Magi-

48 Magister ibidem lit. D. seu §. 4. disquirit, an animæ in Purgatorio afflictæ, pro qua non fiunt nisi communia suffragia, prosint hæc non minus, quàm alteri communia, & specialia, quæ pro ipsa fiant? De qua quæstione nos in Disput. 17. sect. 2. numero 79. Et ad eam deservit non parùm tota Disputatio 8.

49 Magister Distin. 46. agit, an valde malis indulgeatur mitigatio pœnæ in Inferno damnatorum? Et lit. A, seu §. 1. docet, Deum punire damnatos citrà condignum, miscendo misericordiam cum iustitia, non ita vt temporum decursu mitiget pœnas semel incussas, sed vt ab instanti damnationis, detrusionisque in Orcum incutiat pœnas minus intensas, quàm meruerint ob sua delicta. Facit pro hac Dist. in lit. A, & B, seu in §§. 1. & 2. doctrina à nobis tradita in D. 17. sect. 3. àn. 97. vsque ad 121. in cuius confirmationem videatur Luisius Turrianus p. 1. Selectarum Centuria 4. dub. 72. & 75.

FAMILIARIS EPISTOLA AVTHORIS cum Indice Canonum, & Legum, quæ in hoc Opere allegantur, expenduntur, & illustrantur, ad D. Ioannem de Henao Monjaraz Fratrem suum dilectissimum, Socium Collegij Maioris Sancti Saluatoris Ouetensis apud Salmanticam.

SOLEXPERIENTIA magistra sæculorum docuit (amatissime, & amantissime Frater) semper esse summæ vtilitatis, & fructus, liberos, fratresque accipere à Maioribus instrumenta virtutum. Illis enim inhæret velut necessitas quædam, & dulce incitamentum ad laborem; quem certè formidaret animus inuadere, nisi natiuus amor, tacito lapsu se insinuans in pectus, securitatem induceret; gaudetque manus etiam ea munera tractare, quibus auctor ipse pretium ingens adiecit. Nec dubium est, cuncta hostium dona, quanuis periculo careant, tamen esse suspecta. Sic ille inclytus bellator Hector, ex balteo, quem amico animo ab Aiace accepit hoste, pendens circa muros patrios raptatus est ab Achille victore. Et similiter Troianus terror Aiax, eo ense, quem dono ab Hectore accepit, mortem sibi conscinit: quasi monstrante natura, nulla inimica munera vacua esse discrimine. E contrà ab amico dona sunt plena voluptatis, & & gratiæ; nec videntur, ea posse nocere, quæ vero, fortique ex amore proueniunt. O quoties hæc amoris voluptas fuit loco salutis! Non semel audieris, sæpiùs videris, graui valetudine oppressos, ad omnem cibi cogitationem pauidos, eos tamen obsonia appetere, quibus intimam dulcedinem amātis manus infudit: & quāuis ea alioquin sint noxia, amoris tamen arte medicata prosunt, & lapsas vires instaurant. Non annumerem tibi, quot egregios bello, ac pace viros hæc suorum dulcis recordatio formauerit, nam frequentissima exempla sunt, & apud te plausum eruditionis nō capto. At velim iterùm, vt assidua contemplatione repetas, & perpendas animo, quantum iucunditatis secum afferat meminisse pignorum, quæ à Maioribus nostris, vel ab amicis habemus. Delectant arma putria rubigine, infinito pretio æstimatur lancea carie corrupta, gaudet bellator filius, amatque pericula sub galea, quam paternus cruor adspersit: extrema etiam rerum humanarum calamitas, si paterno amore impertiatur, animum iucunditate perfundit. Sic Christus Dominus noster respondit Petro, quasi miraretur interrogans, Ioannis 18. 11. *Calicem, quem dedit mihi pater, non bibam illum!* nimirùm quia ille

acerbissimus calix mixtus erat paterna dulcedine. Et iam olim ille parentum risus Isaac Genes. 22. non ad funeris sui rogum, non ad impendentis gladij ictus expauit; quia paterni affectus vulnera timere non potuit. At quantò dulciora erunt animo tuo, quæ tibi offerimus munera, non belli ad ardua pericula, horrentisque Martis campos vocantia, sed ducentia ad Musarum delicatissimos fontes, inuitantia ad amœnum sapientiæ, suauisque concordiæ secessum, quem totus amas, quem, dies, noctesq; assiduus obseruas. Voco te ad cognitionem altissimi Sacrificij, ad aram, & sacratissimum fidei nostræ pignus. Animum tuum excito, vt mecum indefesso studio occultas veritates cœli, & terræ perquiras. Labore enim, & constantia est opus, vt naturæ arcana, gratiæ mysteria radio mentis, face fidei inuenias. Nam vt scintillæ, venæ silicis obstruſæ, non nisi ad ictum duri ferri excutiuntur, sic nec veritates tacentes, & inclusæ nisi ad ferrei laboris ictum excitatæ respondent. Itaque, Frater dilectissime, hanc tibi Disputationum mearum de Sacrificio Missæ priorem partē, quasi xeniolum, defero, non vanus, & ambitiosus quærens à quo laudibus, velut antidoris, cumuler; sed amans amantem te, qui elucubrationum mearum munera animo tuo foueas, & diligas. Maximusque nobis laboris fructus erit, placuisse, & profuisse tibi. Grata fore, cū tuum amorem agnoscam, dubitare non possum: profutura spero, cum innumeras quæstiones inuisurus sis, & multa sacra Iura discussa, quorum Indicem vnà cum hac Epistola mitto.

51 Sed etiam magni momenti est, agnoscere suæ virtutis originem; vt animus ad ardua, & decora erectus, amplectatur Maiorum lucem, eamque insinuās pectori, clarā habeat facem, quæ aditer arduum gloriæ ducat flamma victrici. Quæ enim velut propria intuemur, vehementiùs animū stimulant; seminaq; virtutis cum ipso sanguine tradita accrescunt inspirata radijs, & pronocata laude Priorum. Non aliter ac roseę, Solis tepore pronocante, fundunt purpureos orbes in calices; & arbores adstrictę brumali gelu, vbi vicini Solis radijs discussere nebulas incubātes terræ, lætam pompam extendunt; vt semina rigenti terra inclusa verno spiritu aflata respirant, noūosque fructus, & voluptates parant, quibus iterùm ad semina redeuntibus, seruatur rerum humanarum inoffensus ordo: sic prorsus obliuio rerum à Maioribus gestarum animum, quanuis generosum, claraque mentis luce ornatum, velut rigenti nebula obuoluit; & ita mentis oppressus ignis intrà marcentem, & ignobilem clauditur sinum. Sed vbi plena lux suorum glorię pectus impleuit, noua virtus spirat, & velut radio cœlestis afflatus animus semina virtutum ad lætos fructus, etiam ad voluptates, extendit. Hinc forsan iam expectes, vt laudes domus paternæ canam. Sed quidem non expectas; est enim tibi acutissimus veræ gloriæ sensus; & palàm agnoscis, vilissimum, & plenum veræ ignominiæ esse, laudes proprias expromere. Nec iam te (quanuis pudendum nihil auitis laribus contraxeris) gloriandum putes, quòd non despicabili loco sis natus; sed quòd renatus sis eo in illustri Collegio Ouetensi sub nomine Diui Saluatoris auspicatè fundato.

52 Hinc tibi, iam oblitus populum tuum, & domum patris tui, noua auspicia, & clara incitamenta proponas: hinc enim non tantùm habuisti, sed elegisti originem meliore sorte nascendi. Intuere, qnàm latè pateant Sodaliū tuorum honores; quos per laborem, & industriam assequuti, cum laude, & amabili recordatione gesserunt. Hos sequere, dulcissime Frater, horum exēplis, gloriæ, atque virtuti te simillimum redde. Pronocet ante omnes animū primus parens D.D. Didacus de Muros Antistes Ouetensis, qui omnium encomiorum ornamento clarus, etiamin illis aureis sęculis, suprà omnes enituit, charus in paucis Ferdinādo, & Elisabethæ Regibus Catholicis: quę summa cō mendatio est, diligi ab optimis Principibus, in quorum gratiam non nisi per virtutum gradus ascenditur. Eum alloquens Lucius Marineus Siculus L. 17. in Epist. 17. laudansque eius erga pauperes liberalitatem ait, *Vtinā plures muros haberet Hispania; aut tot inopū, & pauperum domus non corruerent!* Nec minorem Ceruantis Cardinalis purpura oculis tuis splendorem pariet, qui valde probatus, & dilectus Sanctissimo Patri Pio V. & ab hoc in Purpuratorum Ecclesiæ ordinem assumptus, ad tanti Pontificis

tificis formam se totum composuit plena imitatione virtutum. Flagrantem quoque tibi flammam inspirant Eminentissimi Quiroga, & Albornoz, sed præcipuè, qui nunc viuit (degatque diutissimè!) Balthasar Moscosus, Hispaniæ Primas Antistes Toletanus; cui⁹ elogia attingere nō audeo, & quia pudet, paucis ea delibare, atq; perstringere, & quia satius erit, cum tot, tantaque sint, ea relinquere admirationi mortalium. At quomodò Illustrissimi D. Didaci Couarruviæ Episcopi Segobiensis tuos oculos lux accensa non percellat? Deus faxit, vt mentem tuam illustret, ac formet sua doctrina: quam vt tuam conspiciens amabis, & amans intelliges. Occurret clarissimorum hominum innumerabilis turba; quanuis enim egregij sint, tamen efficit turbam multitudo: quod supremum gloriæ est, turmatim recenseri eos in tuo Collegio, quos in nostro Orbe principes veneramur: qui Hispanias suis consilijs, & virtute rexerunt; quorum micantissima luce tenebræ ignorantiæ sunt victæ; quorum fortitudine sustentata superba nostri Imperij moles inclinata recumbit. Dixerim compendio, numerari tres Clarissimos Præsides Regalis Senatus supremi Castellæ Didacum Couarruviam, Franciscum Contrerium, Ferdinandum Valdesiū; quibus adnumerari iure merito potest Ioannes Chavius, vt qui multo tēpore Senatum illū gubernarit. Ad summam etiā dixerim, celebrari vltrà sexaginta Illustrissimos Ecclesiæ Antistites; inter quos Turibius Alfonsus Mogrobejus Archiepiscopus Limensis sanctitatis fama in nouo, & veteri Orbe notissimus, cuius vita, & res gestæ vulgatæ sunt nuper iusto volumine ab Antonio Leone Pinelo: & sexdecim ex eis interfuerunt Concilio Tridentino, remq; Christianam, ac Catholicam præsentia sua, atque doctrina iuvarunt, vt memorat Gregorius XV. Pontifex Maximus in Diplomate concessō eidē Collegio anno 1622. decem ex eis exprimuntur suis nominibus ab Illustrissimo D. Christophoro Camara in Descriptione Episcopatus Canariensis (quem tunc regebat, promotus posteà ad Salmanticensem) Cap. 8. quibus addendi sunt Illustrissimi D. Ioannes Fernandi⁹ Temiñus Episcopus Legionensis, vt constat ex Sodali suo Couarruvia in Epistola nuncupatoria Relectionis ad Regulam *Peccatum*, & D. Petrus Vaguer, seu Fragus Episcopus Vsellensis, posteà Algerensis, de quo in Catalogo Patrū conuenientium ad Concilium tempore Pij IV. Et in fol. 1. libri Receptionum Collegij. Nomina aliorum deprehendere hactenus non potui. Suspicimus nunc, veneramurque Salmanticæ Illustrissimum Antistitem D. Antonium Piñam, Zamoræ Illustrissimum D. Antonium Paynum, electum iam Archiepiscopū Burgensem, Madriti Illustrissimum D. Alfonsum Buelnam Inquisitionis Hispaniarum maximæ Consiliarium, designatum Præsulem Zamorensem. Ibidem etiam in Senatu Regali supremo Castellæ Clarissimos D. Antonium Contrerium (qui & Cameræ est) D. Franciscum Solisium, D. Didacum Riberam, D. Ioannem Arze, D. Petrū Nunnium Guzmanum: in Senatu Ordinum Militarium D. Ioannem Stradam; in Senatu Italiæ D. Benedictum Trellium: in Senatu Aragoniæ D. Vincentium Moscosum. Immensum esset, per singulorum elogia vagari; inuidiæque proximum, si hunc magis, quàm illum comendarem. Sensim dilabebatur calamus in complures alios, qui Ecclesias Cathedrales, & Senatus Prouinciales nunc temporis litteris suis, & authoritate condecorant; sed continendus est, ne in Librum grandescat hæc Epistola.

53 Vnum, & vita iam functū, Bartholomæum Turrianum Antistitem Canariensem cum laude fusiori nominabo pro eximijs eius meritis in nostrā Societatem; quam nascentem fouit, direxitque consilijs. Sunt, qui putent, tantum eius virtuti, sapientiæ, & prudentiæ singulari tribuisse S. P. Ignatiū, vt ad Patres Salmanticæ commorantes scripserit anno 1547. iubens, vt Domino Doctori Turriano non aliter, ac sibi ipsi obedirent. Seruatur autographa Epistola in nostræ Societatis Salmanticēsi Regio Collegio: Eam tamen alij interpretantur non de Bartholomæo, sed de Michaele Turriano Collega Maiori Complutensi, & Primario Theologiæ Professore, admisso Romæ in Societatē à S. Patre, illincque Salmanticam misso, vt prima Collegij nostri fundamenta poneret, quem ideo vocet Dominū Doctorem, quia eius admissio occulta fuit, quoadvsque Salmanticam peruenit,

nit. Vt vt sit, testantibus M. S. S. archiui Collegij Methymnensis, anno 1554. Doctor Bartholomæus Turrianus (nobilior tunc temporis in Hispania Theologus Sæcularis, sicut ibidem adnotatū lego) aduenit Methymnam, & Congregationi Patrum, cui aderat S. Franciscus Borgia, interfuit; maximèque suis consilijs rem Societatis prouexit, & virtutis suæ radio Sodalium mentes accendit. Ea in Congregatione promulgatæ primùm sunt Constitutiones Societatis, præsente P. Magistro Natali, quem Roma miserat hac de causa S. P. Ignatius. Ibi etiam decretum, vt quātocyùs aliqui ex Socijs Hispalim se cōferrent inituri bellum, conserturique manus cum Ægidio, & Constantino Hęresiarchis; necnon vt alij Abulam pergerent impensuri in præclustri Ciuitate operam ministeriorum spiritualium Societatis erga proximos. Quæ fuere exordia Collegij tam Hispalensis, quàm Abulensis. De alijs actis eo in Conuentu Methymnensi (qui Professorum Patrū primus fuit in Hispania) agit Nicolaus Orlandinus 1. p. Historiæ Societatis L. 14. à n. 52. quanquam Doctoris Turriani præsentiam subticeat. Sed L. 13. à num. 34. exarat censuram, quam de Exercitiorum S. P. Ignatij aureo libello edidit vir ille pietate, doctrinaque inclytus, & quæ per vniuersam Hispaniam ei opusculo authoritatem nō modicam conciliauit. Franciscus etiam Sacchinus p. & Lib. 3. eiusdem Historiæ à num. 203. luculenter narrat Nostrorum in Canarias insulas expeditionem ductu Turriani creati iam Episcopi; cuius erga Societatem fauor, egregia facta, æmula primorum Ecclesiæ Præsulum, optimusque finis grato, elegantique stylo traduntur à Sacchino. Quandiu litteræ manebunt, florebit Turriani memoria ob insignia, quæ reliquit monumenta de sanctissima Trinitate; in quorum ad Lectorem præfatiuncula haberi se velle alumnum Collegij Quetensis protestatur. Illud etiam Societati gratiorem faciet eius memoriam, quod non minus in beneuolentia erga ipsam, quàm in studijs sacris enutrierit Salmanticæ suum nepotem Franciscum Turrianum, vt tradit Andreas Schotus in Bibliotheca Hispana tom. 2. pag. 285 illum, inquam, Turrianum, qui sęculo nuncium remittens accessit ad Societatem in grandæua ætate, & quem solus ignorabit litterarum inscius.

54 Vltra Bartholomæum Turrianū Eminentissimus Cardinalis Ceruantes Societatem nostram maximis beneficijs sibi obstrinxit, fundauit enim Tarracone Domum probationis, & testamento commodum addixit censum, vt refertur à Sacchino parte 4. Historię Societatis Lib. 4. à num. 173. lacet ibi sepultus; sed eius memoriam viuam semper tenebit Societas. Quę alijs etiā nominibus Ouetensi Collegio deuinctā se peruulgat, vt quæ se nobilitatam agnoscat sex eius alumnis, quos virtute, & litteris instructos inde accepit, scilicet Henricum de la Cueva Præceptorem Clementinarū, Inquisitoremq; Conchensē, Ioannem Moralē Medranū Doctorem in sacra Theologia, Franciscum Abreum Antecessorem in Codicis Cathedra, & creatum Canonicum Doctoralem Siguntinum, Ioannem Pinedā Barrientum, Ioannem Alfonsum del Riego Vesperarium Legum Professorem, Fiscalem Regium Vallisoletanū, & electum Senatorem Granatensem, Ioannem Firminum de Pereda publicū Codicis Prælectorem, Cōsiliarium Regium Pampilonensem, Inquisitoremq; Vallisoletanum, viros quidē egregios, & de quibus in Annalibus Prouinciæ Castellanæ longus texetur sermo. Estque velut ingenitum Collegis Ouetensibus, summo studio, & fauore Societatem prosequi, vt multis alijs tam antiquis, quàm recentibus exemplis confirmare possem. Sed superiora amaui tibi proponere, vt palàm faciam, quibus titulis obœratus sim Maioribꝰ Collegij Ouetensis, cuiꝰ tu pars es, & ego, tanquam vnus, minimusque è Societate, in partem beneficiorum veni, præter singularia non pauca in me priuatim collata, quę tu ipse sat nosti, & ego sēper grata saltem memoria rependam. *Est autem benefactoribus ab ijs, qui beneficio affecti sunt, quædam gratiæ relatio, eorum meminisse, & eorum, per quæ beneficio affecti sunt*, vt ait Nicolaus Cabasilas in Expositione Liturgiæ C. 9.

55 Illud te etiam inter domestica magnoperè excitabit ad studia litterarum, quod è Collegio Ouetensi prodierint Scriptores insignes, quales sunt Didacus Couarruvias, suo satis nomine celebris; Bartholomæus Turrianus, qui

qui de Trinitate, vt iam ſuprà dixi, edidit opus nunquam ſatis laudandum; Sebaſtianus Perez Epiſcopus Oxomenſis, qui libros Ariſtotelis de Anima commentarijs ſubtiliſſimis explicuit, & de Sacrificio Miſſæ, alijſque ad 3. partem ſpectantibus euulgauit Diſputationes, quas, etſi à multis allegari videam, præſertim à Suario, Vazquio, Henriquez, inuenire hactenus non potui; D. Didacus ab Alaba Epiſcopus Aſſuricenſis, Abulenſis, Cordubenſis, Prefectuſque Prætorio Curiæ Granatenſis, & Vallisoletanæ, qui de Concilijs vniuerſalibus librum confecit; D. Ioſephus Vela Conſiliarius Granatenſis, qui accuratè ſcripſit de Epiſcopi poteſtate, duoſque alios tomos Diſſertationum; D. Martinus de la Reategui Senator Regius in ſupremo Caſtellæ Conſilio, qui vnum Selectarum, eumque politiſsimum. Poſſem accenſere famigeratiſſimum Doctorem Nauarrum, Martinũ ab Azpilcueta, ſequutus Collegas Ouetenſes D. Sebaſtianum Nauarrum Arroytam in Epiſtola præfixa Theſauro linguæ Caſtellanæ, Authore Sebaſtiano Conarruvia, & D. Ildephonſum Vazquez de Prada in Anereſi de Iure Eccleſiaſtico tanti Collegij Excurſu 2. n. 8. Eſtque per manus tradita hæc notitia innixa ſubſcriptioni cuidam inter alias Collegarũ factę à Baccalaureo Martino de Azpilcueta ad annũ 1524. die 1. Auguſti fol. 1. Receptionum Collegij; quanuis quia nec ipſe Nauarrus, neque alij ſynchroni monumentis litterarum conſignarint, vocetur à nonnullis in dubium; nec ego vellim Ouetenſi Collegio incerta decora arrogare, cum ei abundè ſuppetant certa, & explorata. Præluxit tot Scriptoribus Parens, atq; Inſtitutor Collegij præclariſsimus D. Didacus de Muros, qui & contra Martinum Lutherum ſapientiſsimè calamũ diſtrinxit, ob id maximè commendatus à Leone X. Summo Eccleſiæ Paſtore in Bulla integra tranſcripta ab Ægidio Gundiſaluio Dauila in Theatro Eccleſiæ Salmanticenſis, & bellum Granatẽſe geſtũ à Regibus Catholicis Ferdinãdo, atque Eliſabetha ſtylo commiſit.

56 Habes tandem in Collegis, qui tecum conuiuunt, potentiſsima incitamenta, quæ te vehementer inflãment tam ad virtutum, quàm ad litterarum percurrendam viam. Sileo tamẽ eos, doctus à Velleio Paterculo, *Penè ſtultam eſſe inhærentium oculis ingeniorum enumerationem, nam præſentium vt magna admiratio, ita cenſura difficilis eſt.* Fruere ergo, dilectiſsime Frater, noſtris de Sacrificio Miſſæ Diſputationibus, quæ vt profitenti tibi Ius Canonicum, ac Cæſareum faciliores ad vſum ſint, digeſsi ſubiectum ſyllabum Canonum, ac Legum. Vale, & viue diu incolumis.

TAM IN HOC, QVAM IN SEQVENTIBVS INDICIB⁹ primus arithmus Diſputationem, ſecundus numerum eius, tertius numerum, qui eſt in pagina, denotat.

Ex vniuerſo Corpore Iuris Canonici.

A

C. Accedens diſtinct. 50. 12. 15. 220.
C. Alma mater de Sent. excommun. in 6. 14. 19. 271. & 17. 48. 340
C. Ad præſentiam 14. 22. 273.
C. Audi denique 11. q. 13. 17. 8. 316
C. Aquam de Conſecrat. diſt. 3. 10. 10. 189.
C. Apoſtolicam 2. de Presbyt. nõ bapt. 17. 13. 318. & 17. 24. 325. & 17. 110. 377.
C. Animæ 13. q. 2. 17. 13. 319. & 17 81. 360.
C. A nobis 28. de Sent. Excom. 17. 44. 337.
C. Audimus 1. de Reliquijs, & Venerat. Sanct. 17. 91. 365.

B

C. Baptiſmi vicem 34. de Conſec. diſt. 4. 17. 24. 325. & 17. 110. 377.

C

C. Cum inferior de Maiorat. & obed. 12. 11. 217.

C.

C. Cum liceret de Consecrat. Ecclesię 14. 14. 268.
C. Cum decorem 14. 21. 272.
C. Conquerente 14. 22. 273.
C. Cum quis 11. q. 3. 14. 24. 274.
C. Cum non sit in homine 1. 4. 24.
C. Christus quid fecit 1. q. 1. 2. 29. 47.
C. Cum omne 7. de Consecrat. dist. 2. 3. 5. 72. & 9. 2. 176.
C. Comperimus 12. de Consecrat. distinct. 2. 4. 2. 106.
C. Cum tribus 73. de Consecrat. dist. 2. 9. 2. 176.
C. Cum veniſſet de Sacra vnctione 10. 10. 189.
C. Catechumenum 35. de Consecrat. dist. 4. 17. 17. 32.
C. Cum excommunicato 11. q. 3. 17. 59. 347.
C. Cum Marthæ 6. de celebrat. Missar. 17. 85. 361. & 17. 101. 371.
Clemētis VIII. Constit. 81. 12. 3. 213

D

C. Degradatio de Pœnis in 6. 12. 15. 220.
C. Dictum est 1. q. 1. 10. 28. 199.
C. De his, qui incesti 35. q. 2. 17. 25. 326.
C. De Communione 17. 28. 328.

E

C. Ex litteris de Clerico non ordinato 12. 3. 213
C. Episcopus 59. de Consecrat. dist. 1. 14. 12. 267.
C. Et sancta 66. de Consecrat. dist. 2. 2. 29. 47. & 48.
C. Ecce ego dist. 95. 9. 4. 178.
C. Episcopus 67. de Consecrat. dist. 1. 17. 25. 326.
Eugenij IV. Decretum. 12. 9. 216. & 12. 14. 219.

F

C. Firmiter de Sum. Trin. & fide Catholica, 11. 1. 203. & 12. 1. 212. & 17. 12. 318

G

C. Gaudemus de Diuortijs 17. 32. 330
Gregorij XIII. Constitutio incipiens Sanctissimus 6. 5. 134

H

C. Hoc quoque de Consecratione dist. 1. 14. 14. 268

I

C. Intra Catholicam 1. q. 1. 12. 15. 220. & 12, 17. 222
C. Iteratur 71. de Consecrat. dist. 2, ibidem, & 10. 6. 187.
C. Illud diuini 7. q. 1. 14, 14, 268.
C. Inhibendum de cohabit. Cleric. 14 17. 269
C. In Christo semel de Consecrat. dist. 2, 2, 5, 35
C. Inter alia de Sent. excommunic. 4, 19, 119
C. Ideo 23, q. 1, 4, 19, 119

L

C. Legatur 24. q. 2. 17. 28. 328
Leonis X. Bulla, cuius initium, Exurge Domine 12. 10. 217

M

C. Manus 1, q, 1, 12, 15, 220
C. Multi Sæcularium 1, q, 1, 12, 17, 222.
C. Maiores, ſ Item quæritur, V. Dormientes, de Baptismo 13, 4, 233
Marcellinus Papa in Epist. Decret. 1, ad Salomonem Episcop. 16, 3, 309,

N

C. Non nocet 1, q, 1, 12, 17, 222,
C. Nullus dist. 32, 12, 26, 228
C. Nemo Ecclesiam 9. de Consecrat. dist. 1, 14, 14, 268
C. Nec Moyses 87, de Consecratione, dist. 2, 2, 20, 45,
C. Nihil contra 7, q. 1, 4, 1, 105,
C. Non mediocriter de Consecratione dist. 5, 8, 33, 171, & 18, 44, 399,
C. Nihil in Sacrificijs 8, de Consecrat. dist. 2, 10, 27, 197,
C. Non dubito 149, de Consecrat. dist. 4, 17. 24, 325,
C. Nec quisquam 24, q. 2, 17, 28, 328.
C. Nulli dist. 19, 17, 68, 352,
C. Non Æstimemus 13, q. 2, 17, 77, 350, & 17, 123, 378,

O

C. Omnis Christianus 11, q. 3, 17, 8, 516,
C. Omnis vtriusque de Pœnit. & remission. 17, 27, 327,

P

C. Peruenit 29, de Consecrat. dist. 2, 12, 6, 214,

C.

C. Præter hoc dist. 32. 12. 26. 228.
C. Pluralis de Reg. Iur. in 6. 14, 11, 266.
C. Proposuit de filijs Presbyt. 14. 13, 267, & 14, 14, 268,
C. Placuit 1, q. 4, ibidem,
C. Præterea de Officio, & potestate iud. deleg. 14, 19, 272.
C. Panis 55, de Cõsecrat. dist. 2, 2, 18, 41.
C. Perlectis dist. 25, 11, 1, 212.
C. Placuit 23, q. 5, 17, 23, 324, & 17. 91, 366.
C. Pro obeuntibus 13, q. 2, 17, 91, 365.

Q

C. Quod quidam 1, q. 1, 12, 15, 220,
C. Quæsitum dist. 32, 12, 26, 228,
C. Quid sit sanguis de Consecrat. dist, 2, 10, 6, 187
C. Quicumque 26, q. 5, 10, 28, 198,
C. Quando quis 128, de Consec. dist. 4 17, 17, 321,
C. Quod autem de Pœnit. & remiss. 17, 30, 329

R

C. Retulerunt 89, de Consecrat. dist. 4, 14, 23, 273
C. Relatum 11, de Consecrat. dist. 2, 2, 22, 44, & 3, 9, 74, & 4, 2, 106, & 3, 96, 100.

S

C. Si Sacerdos de Officio iudic. ordin. 2, 29, 47
C. Sunt quidam 75, q. 1, 12, 11, 217,
C. Sicut Christus 1, q. 1. 12, 17, 222,
C. 2. de Testam. in 6, 13, 5, 234,
C. Significasti 18, de Homic. 13, 22, 247
C. Si testes el 3, 4, q. 2, §. Vbi numer⁹ 14, 11, 266,
C. Sicut Iudas 68, de Consecrat. dist. 2, 2, 29, 48
C. Sabbatho 13 de Consecratione dist. 3, 3, 35, 83
C. Sicut enim 11, q. 1, 4, 19, 119,
C. Sacerdos 89, de Consecrat. dist. 2, 11, 1, 203.
C. Sacris de Sepultur. 17, 14, 320, & 17, 48, 341
C. Super eo de Raptor. 17, 23, 324
C. Sacris 38, de Sentent. excom. 17, 44, 337,
C. Si quis Episcopus 11, q. 3, 17, 44, 338, & 17, 54, 344
C. Statuimus de Sentent. excomun. in 6, 17, 59, 346

T

C. Tertiò quæritur 15. q. 3, 12, 6, 214
C. Tua nos de Decimis 1, 4. 24
C. Tempus 13, q. 2, 17, 77, 358, & 17, 86, 362, & 17, 101, 371
Tit. de Torneamentis C. 1, & 2, 17, 23, 324

V

C. Vtrùm 27, de Consecrat. dist. 2, 12 17, 222
C. Vestra dist. 32, 12, 26, 228
C. Vt quisquam de Vita, & honestate Cleric. 14. 13, 267, & 14, 14, 268,
C. Visum 72, de Consecrat. dist. 1, 17. 4, 315, & 17, 72, 355
C. Vtrùm sub figura distinct. 2. 10. 6: 187
C. Veniens 3. de Presbyt. non bapt. 17 38, 333
Vrbani VIII. Constitutio 79. 12, 3, 213

Ex Conciliorum Decretis.

A

Concilium Ancyranum can. 2, 12, 5, 214
Arelatense I. canone 13, 12, 3, 214,
Arelatense II. can. 12. 17, 48, 341,
Aurelianense II. can. 15, 17, 91, 366
Aurelianense II. can. 14, 17, 23, 324.
Arausicanum I. can. 12. 13. 4. 233
Alexandrinum Epist. 10, ad Nestorium 17. 1. 313
Augustanum anno 1548 can. 18. 14. 13. 267.

B

Basilense Sessione 21. canone 8. 14 13. 267.
Bracarense III. can. 2. 2. 29. 48
Bracarense I. can. 17. 17. 23. 324.
Bracarense I. can. 16. 17. 91. 366.
Bracarense III. can. 2. 6. 5. 134.

C

Constantiense in Extrauag. Ad euitanda, 17. 48. 340.
Constantiense Sess. 8. 8. 16. 158. & 12. 17. 221.
Carthaginense III. can. 4. 9. 2. 176.
Colonense canone 26. & 27. 3. 14, 76.
Carthaginense III. can. 34. 13. 4. 233.
Cabilonense II. anno 813. can. 39. 17. 5. 315.
Carthaginense IV. canone 84. 17. 25. 326.
Carthaginense IV. can. 91. 17. 8. 516.

E
Eboracense anno 1194. 14. 13. 267.
F
Florentinum in Decreto Eugenij, 11, 1. 263.
Florentinum in Instruct. Armen. 11. 1. 212.
Florentinum in Litteris Vnionis 17. 81. 360, & 17. 122. 378.
H
Hipponense can. 23. 16. 3. 309.
I
Iliberritan. can. 29, & 37. 17. 8. 316.
Ilerdense can. 4. 17. 25. 326.
L
Lateranense sub Innocentio III. can. 1. 17. 12. 318.
Lateranense Cap. de Sum. Trin. & fide Catholica, §. Vna verò 5. 2. 128.
Laodicense can. 14. 14. 17. 269.
Laodicense can. 19. & 26. 11. 1. 202.
Laodicense can. 19. 3. 11. 75.
Laodicense can. 49. 3. 15. 77.
Laodicense can. 44. 14. 17. 269.
M
Moguntinum anno 813. can. 43. & anno 1545. can. 54. 14. 13. 267.
N
Nicænum I. can. 14. 18. 11. 212.
Neocæsarience can. 13. 3. 11. 75.
Nannetense can. 30. 14. 13. 267.
Nannetense relatum C. Nullus Presbyteror. de Consecratione dist. 5. 18. 24. 394.
P
Parisiense anno 829. sub Ludovico L. 1 Cap. 18. 14. 13. 267.
Parisiense anno 829. Lib. 1. cap. 45. 14 16. 270.
S
Salisburgense in tit. de Celebratione Miss. 12. 17. 222.
T
Tridentinum Sess. 6. cap. 7. 18. 18. 390.
Tridentinum Sess. 22. cap. 1. 1. 14. 10.
Trident. Sess. 7. can. 11. 12. 9. 216.
Tridentinum Sess. 14. cap. 6. 12. 10. 217.
Tridentinum Sess. 23. cap. 4. & Sess. 7. can. 9. & Sess. 23. cap. 1. 12. 14, 219. & 3, 6. 72.
Trident. Sess. 7. can. 12. 12. 17. 221.
Tridentinum Sess. 22. capite. 1. 14. 1. 261, & 14. 7. 264, & 4. 3. 107, & 4. 22. 122, & 5, 1. 127, & 5. 1. 174, & 10. 6. 187.
Trident. Sess. 25. cap. 15. 14. 21. 272.
Trident. Sess. 22. can. 3. 15. 3. 279.
Trident. Sess. 22. cap. 2. & 6. 15. 34. 298, & 5. 2. 128.
Trident. Sess. 22. can. 3. 17. 3. 314.
Trident. Sess. 22. cap. 2. & can. 3. 17. 5. 315.
Trident. Sess. 13. cap. 3. 2. 17. 41. & 3. 36. 87.
Trident. Sess. 23. cap. 1. & 4. 3. 32. 81, & 3. 40. 89.
Trident. Sess. 13. cap. 8, 3. 52. 97.
Trident. Sess. 21. cap. 1. 4. 5, 108.
Trident. Sess. 21. cap. 2, 4, 7, 112.
Trident. Sess. 22. in proœmio, 6, 1, 132
Trident. Sess. 23, cap. 4, 8, 16, 158.
Trident. Sess. 22. cap. 1, & can. 2, 9. 4. 177.
Trident. Sess. 7, 10, 1, 184.
Trident. Sess. 22, cap. 1, 10, 6, 187, & 11. 1. 203.
Trident. Sess. 22. cap. 2, & can. 3, & Sess. 25, 10, 20, 193.
Trident. Sess. 22, cap. 1, & can. 2. Sess. 23. 11, 1, 212.
Trident. Sess. 22. cap, 2, 17, 13, 319.
Trident. Sess. 25, 17, 13, 319.
Trident. Sess. 6, cap. 4, 17, 17, 321.
Trident. Sess. 14, cap. 5, & can. 8, 17, 27. 327.
Trident. Sess 22, cap. 1. 17, 34. 331, & 17, 37, 332.
Trident. Sess. 22, cap. 2, 17, 41, 335.
Trident. Sess. 22, cap. 2, 17. 74. 356.
Trident. Sess. 22, cap. 1, 17, 96, 369,
Trident. Sess. 22, cap. 3. 17, 84, 361,
Triburiense 17, 23, 324.
Triburiense can. 31, 17, 91. 366.
Treverense anno 1549, tit. de Missæ Officio 14. 21. 272.
Trullanum 32. 9. 2, 176.
Toletanum I. can. 5. 14. 7. 264.
Tolet. II. can. 14. 14. 12. 267.
Tolet. XII. can. 5. 2. 22. 44. & 3. 9. 74 & 3. 52. 97. & 6. 1. 132.
Tolet. XVI. can. 8. 3. 35. 83.
Tolet. VI. can. 7. ibidem.
Tolet. seu Arandense anno 1473. Constit. 20. 17. 91. 366.

Ex Iure Ciuili.

L. Barbarius ff. de Offiic. Prætor. 12. 9. 216.
L. Inter illa §. finali, ff. de Verborum oblig. 14. 11. 266.
L. Titiæ Textores ff. de leg. 1. 15. 14. 284.
L. Si quis in princ. ff. de leg. 3. 13. 31. 250.

L.

L. qui in vtèro, & L. penultima, ff. de statu homin. 17.12.318.
L. vltima, ff. de constitut. Princ. 17.27. 327.
L. 39. §. nupta, ff. ad L. Iul. de adult. 2.2.33.
L. 2. C. de sentent. & interlocut. 12. 9.216.

Ex Partitis.

Tit. 3. in proœmio, & L. 47. titul. 4. Part. 1.12.2.213.
L. 42. titul. 4. Part. 1. 17.114.375. & 3.61.103.
L. 50. tit. 4. Part. 1.14.13.267.

INDEX LOCORVM Scripturæ sacræ.

Ex Genesi.

C. 1. V. 6. Factumque est vespere, & mane dies vnus, 2.44.60.
C. 4. V. 4. Respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius, 1.53.31.
C. 30. V. 16. Redeuntique ad vesperam Iacob de agro egressa est in occursum eius Lia, 1.45.61.

Ex Exodo.

C. 5. V. 1. Dimitte populum meum, vt sacrificet mihi in deserto, 14.2.261.
C. 12. V. 6. Immolabit eum vniuersa multitudo filiorum Israel, 11. 14. 211.
C. 12. V. 42. Nox ista est obseruabilis Domini, quando eduxit eos de terra Ægypti, 1.48.87. & 2.44.60.
C. 13. V. 13. Primogenitum asini mutabis ove, quòd si non redemeris, interficies. Omne autē primogenitum hominis de filijs tuis pretio redimes, 1.24.25.
C. 12. V. 8. Et edent carnes nocte illa assas igni 1.45.61.
C. 12. V. 18. Primo mense, quarta decima die mensis ad vesperam comedetis azyma, 1.45.61.
C. 12. V. 6. Servabitis eum vsque ad quartam decimam diem mensis huius, 1.45.61.

Ex Leuitico.

C. 6. V. 26. Sacerdos, qui offert, comedet eam in loco sancto, in atrio tabernaculi, 3.51.97.
C. 17. V. 25. Offeretis holocaustum Domino, 14.2.261.
C. 17. V. 11. & 12. Anima omnis carnis sanguis eius est, & ego dedi vobis sanguinem ad expiandum pro peccatis vestris, 1.44.25.
C. 23. V. 32. A vespera vsque ad vesperam celebrabitis Sabbatha vestra, 2. 48.66.

Ex Numeris.

C. 28. V. 3. Hæc sunt Sacrificia, quæ offerre debetis, 14.2.261.
C. 33. V. 3. Profecti igitur de Rameste mense primo, decimaquinta die mensis primi, altera die Phase, 2.46. 62. & 2.44.61.

Ex Deuteronomio.

C. 16. V. 1. Eduxit te Dominus Deus tuus de Ægypto nocte, 2.48.67.
C. 16. V. 6. Immolabis Phase vespere ad Solis Occasum, quando egressus es de Ægypto, 2.44.60. & 2.48.67.

Ex Iosue.

C. 5. V. 10. Manseruntque filij Israel in Galgalis, & fecerūt Phase quartadecima die mensis, 2.45.61.

Ex Iudicibus.

C. 6. V. 21. Extendit Angelus Domini summitatem virgæ, 14.6.264.

Ex Psalmis.

Psalm. 49. V. 14. Immola Deo Sacrificium laudis, 1.51.29.
Psalm. 50. V. 19. Sacrificium Deo spiritus contribulatus, 1.51.29.
Psalm. 70. V. 9. Ne proijcias me in tēpore senectutis, 18.7.384.
Ps. 77. V. 34. cum occideret eos, quærebant eum, 17.96.370.
Psalm. 108. V. 8. Episcopatum eius accipiat alter, 2.29.47.
Psalm. 109. V. 4. Tu es Sacerdos in æternum, 11.1.202.

Ex Proverbijs.

C. 11. V. 7. Mortuo homine impio, nulla erit vltrà spes, 17.114.375.

Ex Ecclesiaste.

C. 11. V. 3. Si ceciderit lignum ad Austrum, aut Aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit, 17.114. 375.

Ex Ecclesiastico.

Cap. 34. V. 23. Dona iniquorum non pro-

probat Altissimus, neque respicit in oblationes iniquorum, 12.20.224.

Ex Malachia.

C. 1. V. 11. Ab Ortu Solis vsq; ad Occasum magnum est nomen meum in Gentibus, & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda, 16.2.308.

Ex Machabæis.

L. 2. C. 12. V. 40. Inuenerunt sub tunicis interfectorum de donarijs Idolorum, &c. 17.96.369.

L. 2. C. 12. V. 46. Sancta ergo, & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur. Ibidem, & 10.21.194.

Ex Matthæo.

C. & V. 26. Benedixit, ac fregit, deditque Discipulis, 3.58.102.

C. 26. V. 17. Vbi vis, paremus tibi, comedere Pascha, 2.48.66.

C. 26. V. 17. Prima die azymorum, 2.41.56.

C. 26. V. 25. Numquid ego sum Rabbi? 2.38.54.

C. 26. V. 18. Tempus meum propè est, apud te facio Pascha, 2.42.58. & 2.26.45.

Cap. 26. V. 27. Bibite ex hoc omnes, 2.18.41.

C. 26. V. 23. Qui intingit mecum manum in paropside, 2.29.48.

Cap. 27. V. 15. Per diem solemnem consueuerat Præses populo dimittere vnum, 2.41.57.

Ex Marco.

C. 14. V. 1. Erat autem Pascha, & azyma post biduum, 2.43.59.

Cap. 14. V. 12. Et primo die azymorum, quando Pascha immolabant, 2.41.56.

C. 16. V. 1. Et cum transisset Sabbathum, Maria Magdalene, & Maria Iacobi, & Salome emerunt aromata, vt venientes vngerent IESVM, 2.47.65.

Ex Luca.

C. 12. V. 5. Timete eum, qui, postquã occiderit, habet potestatem mittere in gehennam. 17.95.369.

C. 22. V. 19. Hoc est corpus meum, 2.31.49.

C. 22. V. 15. Desiderio desideraui hoc Pascha manducare vobiscũ, 2.23.44.

C. 22. V. 18. Dico enim vobis, quòd non bibã de generatione vitis, 2.23.44.

C. 22. V. 20. Hic est calix, 17.3.314. & 2.31.49.

C. 22. V. 20. Postquàm cœnauit, 2.29.48.

C. 22. V. 21. Hic est calix &c. Verumtamen ecce manus tradentis me mecum est in mensa, 2.29.47.

C. 22. V. 19. Hoc facite in meam commemorationem, 4.22.122.

C. 23. V. 54. Et dies erat Parasceues, 2.47.63.

C. 24. V. 33. Et surgentes eadem hora regressi sunt in Hierusalẽ, & inuenerunt congregatos vndecim, 2.37.53.

Ex Ioanne.

C. 6. V. 54. Nisi manducaueritis carnem filij hominis, 2.18.41.

C. 16. V. 23. Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis, 10.31.201.

C. 13. V. 30 Cum accepisset buccellam, exiuit continuò, 2.26.48.

C. 13. V. 27. Quod facis, fac citiùs, 2.41.57.

C. 13. V. 10. Et vos mundi estis, sed non omnes, 2.31.49.

C. 13. V. 17. & 18. Si hæc scitis, beati eritis, si feceritis ea. Non de omnibus dico, 2.31.49.

C. 13. V. 1. Ante diem festum Paschæ, 2.40.55.

C. 13. V. 21. Turbatus est spiritu, & protestatus est, & dixit, amen, amen, dico vobis, quia vnus ex vobis tradet me, 2.32.50.

C. 17. V. 19. Et pro eis ego sanctifico me ipsum, 9.4.178.

C. 18. V. 11. Calicem, quem dedit mihi pater, non bibam illum? 18.50.401.

C. 18. V. 28. Adducunt ergo Iesum à Caipha in Prætorium, 2.40.56.

C. 18. 31. Nobis non licet interficere quemquam, 2.41.57.

Cap. 19. V. 14. Erat autem Parasceue Paschæ, 2.40.56.

C. 19. V. 31. Erat enim magnus dies ille Sabbathi, 2.42.58.

Ex Epistola ad Corinthios.

1. Cap. 5. V. 7. Pascha nostrum immola-

molatus est Christus, 9. 1. 174.

1. C. 10. V. 16. Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? 3. 58. 102.

1. C. 10. V. 20. Sed quæ immolant Gentes, Dæmonijs immolant, & non Deo, 1. 25. 15.

1. C. 11. V. 24. Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur, 6. 5. 134.

1. C. 11. V. 26. Quotiescũque manducabitis panem hunc, 3. 17. 77.

1. C. 15. V. 5. Visus est Cephæ, & post hoc vndecim, 2. 37. 53.

1. C. 15. V. 29. Alioquin quid facient, qui baptizantur pro mortuis, si omnino mortui non resurgunt? 17. 72. 355.

Ex Epist. ad Timotheum.

1. C. 2. V. 1. Obsecro igitur, primùm omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, 2. 11. 37.

Ex Epistola ad Hebræos.

C. 2. V. 14. Quia ergo pueri communicauerunt carni, & sanguini, & ipse similiter participauit eisdem, 2. 23. 44.

C. 5. V. 1. Omnis Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in ijs, quæ sunt ad Deum, vt offerat dona, & Sacrificia pro peccatis, 17. 2. 314. & 5. 6. 131. & 1. 16. 10.

C. 5. V. 4. Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron, 1. 16. 10.

C. 7. V. 26. Talis decebat, vt nobis esset Pontifex, 17. 1. 313.

C. 10. V. 14. Vna oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos, 2. 9. 36.

Ex Apocalypsi.

C. 7. V. 8. Quorum non sunt scripta nomina in libro vitæ à constitutione mũdi, 6. 7. 135.

C. 13. V. 8. Quorum nomina non sunt scripta in libro vitæ agni, qui occisus est ab origine mundi, 6. 7. 135.

Cap. 14. Vers. 11. Et fumus tormentorum eorum ascendet semper, 17. 114. 375.

INDEX COPIOSISsimus rerum, & verborum.

A

Absolutio sub conditione de futuro an sit valida? 13. 16. 242.

Actio externa sacrificandi an pendeat à voluntate Christi, & an ab illa accipiat bonitatem moralem? 17. 7. 206.

An debeat esse destructiua victimæ de præsenti? 3. 43. 91.

Actus interni an sint materia legis humanæ? 13. 10. 237.

Adamus an primus omnium sacrificauerit? 1. 38. 21.

Agni Paschalis Sacrificium an constiterit principaliùs in ipsius occisione? 2. 48. 66.

Agnus quando mactabatur. Ibidem.

Altare ex præcepto requiritur ad Sacrificium, 1. 15. 10.

Angeli an possint Missam offerre? 14. 6. 263.

An aliquando in corpore assumpto sacrificauerint? Ibidem.

Anima Christi in triduo mortis separata à corpore an sacrificare potuerit? 11. 5. 206.

Animæ cuiuis in Purgatorio existẽti an prosit Missæ Sacrificium? 17. 77. 357

An sint aliquæ in Purgatorio pro quib⁹ non possit licitè Missa applicari? 17. 18. 359.

Existentes ibi an sint membra Ecclesiæ? 17. 76. 357.

An sint in statu satisfaciendi aliquo modo? Ibidem.

An per vnam Missam specialiter pro vna anima applicatã cõsequatur remissionem totius pœnæ? 18. 24. 393.

Animæ iusti, vt fœlicitatem assequatur post discessum à corpore, an sit necessaria immunitas ab excõmunicatione? 18. 1. 382.

Anima Traiani an liberata fuerit ex Inferno orationibus S. Gregorij? 17. 92. 93. 366.

Animab⁹ dãnatis an, & quousq; permissus fuerit egressus ex Inferno? 17. 111. 377.

Animabus beatis an permissus fuerit egressus ex Cœlo Empyreo, & an cũ discrimine salutis æternæ? 17. 112. 377.

Anima Sacerdotis separata à corpore, & characterem retinens an sacrifica-

re potest? 11.5.206.
Separata, vel ad corpus reunita an potest sacrificare, vel consecrare? 12. 32.231. & 14.6.263.
Apostoli an potuerint sacrificare in triduo mortis Christi? 11.12.210.
Quando initiati Sacerdotio, 3.63.104.
Quo sensu possint dici duodecim, deficiente vno, 2.37.53.
Applicatio fructus satisfactorij Missæ quando facienda, 3.37.85.
An sit valida, quando Sacerdos offert Sacrum pro ea anima, quam Deus, vel homo designet; & eligat apud se? 13. 25.247.
Quocumque tempore à Sacerdote fiat, an prosit? 13.27.248.
Quomodo requiratur, vt Sacrificium prosit, 12.18.223.
Applicatio fructus Sacrificij, quando plures Sacerdotes eandem celebrant Missam, ad quē pertinet, 12.33.251.
Facta ab aliquo ante Sacerdotium susceptum quomodò sufficiat ad fructum Missæ alteri conferendum, postquàm applicans creatus sit Sacerdos, & celebret, 13.4.233.
Attentio, aut deuotio actualis an requiratur, vt consequatur satisfactionis fructum ille, pro quo Missa offertur? 18, 14.388.

B

Beati aliqui assumpto corpore vero, vel apparente an aliquando consecrarint? 12.32.231.
Bona naturalia an sine respectu actuali ad spiritualia peti à Deo possint, & impetrari? 20.28.148.
Buccella à Iuda accepta an fuerit Eucharistia? 2.30.48.

C

Campanula quando pulsari debeat à Ministro in Missa, 14.26.274.
Pulsatio à quo primùm instituta. Ibidē.
Cœnæ postremæ an adfuerint alij præter Apostolos? 2.26.28.45.
Triplicem peregit Christus cum Apostolis, 2.28.46.
In postrema Christus quam seriem gestorum seruaverit, 2.32.50.
Legales plures an fieri possent in eadem domo? 2.28.47.
Cardinales olim simul cū Pontifice celebrabant, 13.33.251.
Catechumeni quo sensu sint membra Ecclesiæ? 17.12.318.
An sint sepeliendi in Ecclesia? Ibidem.
Cur antiquitus negabatur honor Ecclesiastici funeris, & cur prohibita fuerit Missæ oblatio pro illis? 17.17.322.
Siue culpa sua, siue sine ea absque Baptismo discedētes in quem locum abeunt, 17.17.321.
Cur olim eijciebantur extra Ecclesiam ante Offertorium? 17.25.326.
An prosint eis Indulgentię? 17.27.30. 328.
An possint esse offerentes respectu Missę? 17.31.329.
An possint excommunicari? 17.32.330
Causæ virtus vnde dignoscenda? 7.11. 144.
Cerei Paschalis oblatio an Sacrificium? 1.27.17.
Christi corpus inanime an existere potuisset in Eucharistia? 3.39.88.
Christo an licitum fuerit, Iudam nō admittere ad communionem, licet ipsius peccatum non esset publicum? 2. 38.54.
An seperauerit Iudam à communione? Ibidem.
An inuitare posset Iudam ad sacram Synaxim? 2.31.49.
Quo pacto habuerit potestatē instituendi Sacrificium, 1.34.19.
Quomodò dici potest in Missæ Sacrificio immolari, 2.8.36.
In Sacrificio incruento an principalis offerens, & Sacerdos? 2.9.37.
An fecerit oblationem verbalem distinctam à consecratione? 2.15.39.
Manibus apprehendit panem, & suspexit in Cœlum, 2.16.39.
Actis Deo Patri gratijs, benedicto, fractoq; pane consecrauit illū, 2.17.40.
Quomodò species panis, & calicem discipulis obtulerit, 2.18.41.
Suscepit sub Sacramento suum corpus, & sanguinem, 2.20.40.
Cur susceperit Sacramentum Eucharisticum, & non alia? 2.21.43.
An capax fuerit effectuū Eucharistiæ? Ibidem.
Dederitne discipulis corpus suum passibile, vel impassibile? 2.39.55.
An nunc in Eucharistia dat corpus suū passibile?
An instituerit Eucharistiam, anticipādo celebrationem Paschatis? 2.40.55.
An immoletur sub speciebus acceptis à Laicis? 3.33.81.
An consecrarit in sola specie panis post Resur-

Resurrectionem? 4. 7. 112.
Obtulit Sacrificium sui corporis tum in cœna, tum in cruce, 5. 1. 127.
In Sacrificio Missæ an sit principaliter res oblata? 9. 1. 174.
Vt existens in propria specie an offeratur? 9. 4. 178.
An dici possit consecrari? Ibidem.
Est offerens, & principalis Sacerdos, 11. 1. & seqq. 202.
An nunc in Cœlo orare potest? 11. 4. 205. & 11. 10. 208.
Actus, quo se nunc in Sacrificio offert pro nobis, an sit meritorius? 11. 5. 206
Vt sit principalis offerens, non opus est, quòd actu offerat nunc proximè, & immediatè; requiritur tamen actu Sacerdotium, 11. 12. 210.
Sine noua petitione à Patre an possit nūc se solo sacrificare? 11. 12. 210. 211.
An visus fuerit sacrificare post Ascensionem? Ibidem.
An dici potest cōcurrere moraliter proximè cum Sacerdotib⁹ ad Sacrificiū, & Sacramenta? 11. 13. 211.
Vt offerenti an respondeat aliquis fructus applicandus ei personę, quam per se elegerit? 15. 1. 278.
Quomodò sit offerens, hostia oblata, & is, cui offertur, 16. 4. 310.
An potest offerre pro se ipso? 17. 14. 320
Clericis in bello, rixa, aut ludis Gentilium mortuis, quæ, & qualis sepultura negatur, 17. 23. 324.
Confessarius an prudenter imponat pœnitenti obligationem stipendij erogandi pro Missis, 10. 29. 199.
Consecratio an sit tota essentia Sacrificij Missæ? 3. 18. 78.
Sola fit à celebrante Sacerdote in persona Christi, 3. 31. 80.
Quo pacto fit oblatio, 3. 40. 89.
Quomodò sit simul destructio, & productio, 3. 47. 94.
Per quid fiat sensibilis, 3. 49. 95.
Quæ actio sit. Ibidem.
Sub vtraque specie an sit necessaria ad Sacrificium Missæ, & an sit necessaria ex præcepto Christi? 4. 1. & sequentibus, 106.
Consecratio panis an debeat præcedere consecrationem vini? 4. 14. 117.
Consecratio vini ante panis consecrationem an sit valida? Ibidem.
Vnius speciei an possit valide fieri, non obstante intentione simul habita relinquendi aliam inconsecratam, vel non offerendi Sacrificium? 4. 11. & sequentibus, 115.
Vnius solius speciei an licitè aliquando fieri potest? 4. 18. 119.
Cultus adhibitus illi, qui falsò apprehenditur Deus, an habeat rationem Sacrificij? 1. 19. 13.

E

Ecclesia non posset instituere Sacrificiū Missæ, sicut Christus, 6. 2. 133.
Posset instituere Eucharistiam in ratione Sacrificij, si à Christo instituta esset in sola ratione Sacramenti. Ibidem.
Tota, & pars aliqua illius, videlicet fideles nonnulli, qua ratione offerant Sacrificium Missæ per Sacerdotem, 14. 1. 261.
Militantis solius proprium est, offerre Sacrificium Missæ, 14. 6. 263.
An prohibere potest, ne Sacerdos interne, siue mentaliter Missam applicet pro excommunicato vitando? 17. 68 69. 352.
An mutauerit aliquid ex pertinentibus ad accidentalia Sacramentorum? 17. 85. 362.
Effectus aliquis Sacrificij ex opere operantis an respondeat Sacerdoti, qui ipsi non responderet, si in Sacerdotali dignitate non esset constitutus? 15. 32. 296.
Eleemolyna data per manus famuli in peccato existentis an domino potest esse non satisfactoria? 11. 6. 206.
Encomia Bartholomæi Turriani Episcopi Canarienſis, 18. 53. 405.
Energumeni baptizati olim exire iubebantur ante Offertorium Missæ, 17. 25. 326.
Episcopus an cum voluntate non conferendi integrum Ordinem Sacerdotalem, conferre potest alicui potestatē sacrificandi? 4. 14. 117.
Eucharistiæ Sacramentum an negari potest peccatori, cuius peccatum alibi est publicum, & hìc non? 2. 38. 54.
Denegari publicè non potest peccatori occulto. Ibidem.
Eucharistiæ consecratio an facta aliquādo in Ecclesia Latina in pane fermentato? 2. 40. 47. 56. 64.
Eucharistia sub vtraque specie aliquando asseruari solebat, 4. 5. 108. & 109.
Vt Sacramentum est prior tempore se ipsa, vt Sacrificio, 5. 6. 131.

Vt Sacrificium quomodò est via ad eãdem vt Sacramentum, 5.6.131.
Excommunicatus si existat in statu gratiæ, quanquam citrà culpam non fuerit absolutus, an liceat, pro eo Missã offerre? 17.46.338. & 15.53.343.
Excommunicatis toleratis contritis an prosint Indulgentiæ? 17.55.345.
Extensio manuum super oblata in Missæ Canone vnde deriuata, 1.46.26.

F

Feria sexta in Parasceve an fiat verũ Sacrificium? 3.15.77. & 3.35.82.
An detur obligatio assistendi Officio, si cum ea feria concurrat festum solemne? 3.35.84.
Fideles olim panem, & vinum in Ecclesia Ministris altaris tradebant, 14.8.264
Quinam dici possint offerre Missam, & quo sensu? 14.7.8.264.
An saltem vt generaliter pro ipsis offertur quoduis Sacrificiũ, accipiant omnes ex eius opere operato fructum alium satisfactorium? 15.33.297.
An offerre possint cum Neopresbyteris, quando cum Episcopo sacrificant? 15.24.292.
Per inclusionem suarum voluntatum in in voluntate Sacerdotis an offerant merendo? 15.31.296.
Soli circumcisi in lege veteri comedebant de victima, 17.38.333.
Figura præoccupationis, aut recapitulationis an vsi fuerint Euangelistę de Cœna Domini loquentes? 2.32.50.
Filius illegitimus an possit licitè ministrare patri suo Sacerdoti celebranti? 14.21.272.
Fœminæ non possunt offerre Sacrificãdo, 12.6.214.
An aliquando Eucharistiam ministrauerint? ibidem.
An possint ministrare Missę? 14.17.269
Forma cõsecrationis panis an consequatur suum effectum, antequàm perficiatur forma consecrationis vini? 4.11.115.
Fractio hostiæ consecratæ an fiat in omnibus Liturgijs? 3.3.70.
Fractio panis an facta fuerit à Christo vt mystica actio, an verò vt vsualis? Ibidẽ.
Fractio specierum consecratarum an sit de essentia Sacrificij Missæ? 3.3.69. & 18.40.399.
S. Franciscus Xaverius ante Sacrificij consumptionem recitabat orationem deuotissimam à se compositam pro Indorum, & Gentilium conuersione, 17.35.332. & 17.41.336.
Fructus nullus accipitur ex opere operato propter Missam ab homine non Presbytero applicatam, 12.13.218.
Fructus Sacrificij inapplicati à Sacerdote, cuius distributioni reseruetur? 3.8. & 9.237.
Fructus Missæ quotuplex, 13.22.245. & 15.34.298.
Fructus communionis Sacramentalis proprius, & satisfactorius an possit à Laico applicari pro alijs? 19.9.282.
Fructus Missæ satisfactorius ex opere operantis an possit à Sacerdote applicari pro altero? 15.28.294.
Quinam fructus respondeat offerentibus absque concursu in Sacrificium? 15.27.294.
Fructus maior Missæ an proueniat ijs, pro quibus, dum viuunt, applicantur Missæ, quàm ijs, pro quibus, dũ sunt in Purgatorio? 15.23.292.

G

Gentiles an vera habuerint Sacrificia? 1.4.3.
Sacrificantes hostiam sale, ac farre aspergebant, 2.8.36.
Illi, pro quibus offerebatur hostia, solebant comedere de illa, 17.38.333.
Gratia habitualis dispositio est necessaria ad comparandum satisfactionis fructum ex opere operato Sacrificij Missæ, 18.8.384.
Sancti Gregorij Missæ quomodò recitandæ sint pro defunctis, & quęnam esse debent? 18.25.394.
Vnde ortum habuerit celebratio earũ. Ibidem.

H

Hispanica illa adagia, Yó se lo dire de Missas, Allà se lo diran de Missas, vnde orta, 10.28.199.
Holocaustũ in quo consistebat, 3.51.96
Hostiæ paruę ad altare delatæ post oblationem maioris hostiæ an consecrari possint, & si consecrari possint, an sine oblatione saltem mentali? 3.7.74. & 3.59.102.
Hostia consecrata cur à Sacerdotote diuidatur in tres partes? 3.58.102.
Humanitati Christi an offerri possit Sacrificium? 16.6.311.
Cur adorari potest cultu latriæ? Ibidem

I

Imagini Christi cur adhiberi potest cultus

tus latriæ? 16.5.310. An offerri ei possit Sacrificium? Ibidem.
Imaginibus Dei Sacrificium offerri nequit. 1.18.12.
Immutatio rei, quæ est de ratione Sacrificij, qualis esse debeat. 1.3.2. An debet esse destructiva rei? 1.6.7.
Immutationis physicæ in re ipsa sacrificanda factæ repræsentatio non sufficit ad Sacrificium. 1.9.7.
Immutatio, aut consumptio rei an melius significent dominium Dei, quàm productio? 1.49.28.
Improbabile an censeri debeat, quod est contra id, quod Ecclesia canit? 2.37.53.
Indulgentia applicata homini iusto siue vivo, siue defuncto an ipsi prodest? 10.22.196.
Indulgentiæ an applicari possint Catechumenis? 17.14.319.
Institutio diuina, vel humana requiritur ad Sacrificium. 1.28.17.
Intentio habitualis Sacerdotis an sufficiat ad applicandum alteri fructum Missæ? 13.1.232.
Intentio Sacerdotis celebrantis an sẽper sit necessaria, vt fructus Missæ applicetur alteri? 13.1.8.9.10.237.
Intentio anticipata quotuplex. 13.11.238.
Facta à Sacerdote an sufficiat ad fructũ Missæ alteri applicandum? 13.11. & seqq. 235.
Intortitium quando debet accendi, & quãdo extingui in Missa. 14.27.275
Ite Missa est, cur dicatur in diebus festiuis? 2.3.33.
Iudas an acceperit corpus, & sanguinẽ Christi? 2.29.47. & 18.39.399.
An fuerit Episcop⁹? 2.29.36, 47. & 53
Peccatum eius an fuerit occultum? 2.38.54.
Iudæi an aliquando postposuerint Pascha? 2.42.58.
Quænam opera eis interdicta in diebus festis? 2.47.65.
Iuramentum per Deum falsum an habeat essentiam iuramenti? 1.24.14.

L

Laicus, qui neque sit excommunicat⁹, neque interdictus, an tempore interdicti localis generalis queat esse Minister inseruiens Sacerdoti celebranti, cuius non sit familiaris domesticus? 14.19.271.

M

Maria Virgo Dei para nocte postremæ Cœnæ an particeps fuerit Eucharistiæ? 2.26.45.
Materia eadem, si simul à pluribus cõsecretur, an participanda ab omnib⁹? 4.6.112.
Melchisedech an sacrificauerit in pane, & vino? 1.3.2.
Ministri duo an possint assumi à Sacerdote celebrante tempore cessationis à diuinis, ad renouandam Eucharistiam pro viatico? 14.20.272.
Vnus sufficit in Missa non solemni 14.11.266.
Plures requiruntur in solemni. Ibidem.
Minister, si à Missa recedat ad afferenda aliqua necessaria, & statim redeat, an satisfaciat præcepto Missæ, tametsi recedat tempore consecrationis? 14.31.32.276.
Ministri Diaconi, & Subdiaconi ad quid obligantur in Missis solemnibus? 14.33.277.
Minister, & præsertim si Sacerdos sit, an debeat esse in statu gratiæ? 14.34.277.
Misericordię opera an prohibita ludęis in diebus festis? 2.47.65.
Missa idem, quod missio 2.2.33.
In Missa duplex missio fieri solebat. Ibidem.
Catechumenorum quid sit. Ibidem.
Fidelium quid. Ibidem.
Missa est verum, proprium, & reale Sacrificium à Christo Dño institutum in lege gratiæ. 2.10.37.
Cæremoniæ eius, & ritus à quibus instituti. 2.11, & seqq. 37.
Est specificè idem Sacrificium cum eo, quod Christus obtulit in vltima Cœna. 5.2.128. Est numericè ab eo distinctum. Ibidem. Est idem numero, ex parte rei oblatæ, cum eo, quod Christus obtulit in cruce. Ibidem.
Missę Sacrificium, & quod oblatum est in cruce, in quo sunt idem specificè? 5.3.128. In quo sunt diuersa? Ibidem.
Missæ Sacrificium est imago peracti tũ in vltima Cœna, tum in cruce. 5.3.129.
Qua ratione sit singulare, & vnicum. 6.13.132.
Oblatum pro pluribus in generali an minorem fructum eis importet ex opere operato, quàm si pro pluribus,

vel pro vno ex eis distinctè offerretur. 8. 16. 18. 158.
Vt prosit alicui, an intentio Sacerdotis applicantis debeat talis esse, qualis esse deberet? 13. 5. 234.
Missa eadem à pluribus Sacerdotibus eam celebrantibus oblata pro aliquo an illi plus prodesset, quàm si ab vno solo offerretur? 13. 39. 254.
Quem valorem accipiat ex Ecclesia offerente. 14. 3. 26.
An magis prosit viuentibus, quàm defunctis? 14. 6. 263.
Missam audiens præcisè, quin pro eo specialiter offeratur quoad fructum medium, etsi non referat tantum fructum satisfactorium, quantum ille, pro quo offertur, refert tamen maiorem fructum satisfactorium. 15. 18, 288.
Quando, & quibus sit proficua satisfactoriè. 15. 41. 301.
Offerri potest, & debet generali intentione pro omnibus baptizatis vivis non præcisis ab Ecclesia. 17. 5. 315.
Offerri potest pro fidelib⁹ iustis. 17. 6. 315.
Pro fidelibus iniustis. 17. 7. 316.
Pro energumenis fidelibus. 17, 8. 316.
Pro infantibus baptizatis. 17. 9. 317.
Pro Catechumenis fidem iam habentibus. 17. 10. 317.
Nec nomine Christi, nec Ecclesiæ offerri potest pro excommunicato vitando, ita vt pro illo in particulari fiat oblatio. 17. 44. 337.
An possit offerri pro iniustè excommunicato? 17. 47. 339. An pro excommunicato non vitando? 17. 48. 340.
Missa de Requiem an prosit plus defunctis, quàm alia Missa? 17. 80. 359
Nec licitè, nec valide offeri potest pro animabus damnatis in Inferno? 17. 90. 365.
Non potest licitè, nec validè offerri propriè pro animabus beatis existentibus in Cœlo. 17. 84. 361.
An offerri possit pro Sanctis, ita vt pro illis sit gratiarum actio? 17. 86. 362
An offerri possit, vt pœna sensus minuatur in damnatis? 17. 97. 370.
An licitè offerri possit pro omnibus fidelibus sine desperatione defunctis, qui non sint excommunicati vitādi? 17. 123. 378.
Non licet celebrare defunctorum Missam pro viuo, quasi mortuus iam esset. 17. 124. 379.
Quæ pro aliquo offertur, quia putabatur obijsse, cum tamen reipsa viuat, prodest ei quoad satisfactionis fructum, si aliunde non detur obex. 17. 129. 380.
Fructus, cui applicabitur, si is, pro quo offerebatur Missa, non indigeat illo. 18. 3. 382.
Missas pro se fieri, dum viuus quis est, valde est laudabile. 18. 5. 383.
Celebratæ pro aliquo, dum viuit, an plus ei prosint, quàm quæ celebrantur post mortem? 18. 6. 384.
Missalis deportatio ad alteram partem altaris, ad quem pertinet. 14. 28. 275.
Mixtio particulę hostię cum speciebus vini an sit de essentia Sacrificij Missæ? 3. 3. 69.
Monachi antiqui plerumque non solebant esse Sacerdotes. 8. 21. 162.
Moniales, necnon & aliæ fœminæ honestæ Sacerdoti celebranti an conuenienter respondere possint? 14. 17. 271.
Mori an quis potest cum peccato originali, & veniali sine mortali personali? 17. 117. 119. 376.
Moriens cum solo peccato originali, & veniali, ad quem locum abiret, & quibus pœnis castigandus esset. 17. 121. 377.
Munera inimica nulla sunt vacua discrimine. 18. 50. 401.
Muzarabum oratio facta in Missa pro Beatis quomodò sit interpretanda. 17. 87. & seqq. 363.

N

Navarrus Doctor Martinus ab Alpizcueta an fuerit vnus è Collegis S. Saluatoris Ouetensis apud Salmanticam? 18. 55. 405.
Neopresbyteri cur non sumant speciē vini. 4. 6. 109. An possint ex licentia Episcopi omittere sumptionem specierum panis? 4. 6. 111. An debeant perficere Sacrificium, deficiēte Episcopo post consecrationem? Ibidem.
Num possint post sumptam communionem celebrare iterùm eodem die? Ibidem 112.
Se Ordinationi intrudens cur irregularis? 4. 6. 112.
Secum olim Eucharistiam deportabant ad 40. dies. 4. 6. 112. & 13. 40. 255.

Cum

Cum Episcopo concelebrantes an debeant intentionem suam applicandi Missam in intentionem Episcopi referre? 13.37.253.
Quando celebrant cum Episcopo, an possint speciali applicatione Sacrificij facta tunc ab ipsis satisfacere obligationi ex iustitia ob acceptum stipendium? 13.40.255.
Celebrantes cum Episcopo an referant fructum Sacrificij ex opere operato non secus, ac si quilibet seorsim litaret? 15.24.292.
Nisan mensis cui parti anni nostri respondet. 2.40.55.
Novitij censentur Religiosi in ordine ad favorabilia, non verò in ordine ad pœnalia. 17.12.318.

O

Oblatio verbalis nec subsequens, nec antecedens est de essentia Sacrificij. 3.1.68. & 3.53.98.
An facta à Christo? 3.2.98.
oblatio realis quid, & an sit de essentia Sacrificij? 3.7.73.
Mentalis an semper facienda, quoties defectus materiæ requisitæ ad Sacrificium emendatur? 3.7.73.
Oblatio Sacerdotis cur sufficiat, vt fideles omnes adquirant fructum Missæ impetratorium, & quid de satisfactorio? 15.29.30.295.
Obligatio amandi Deum in primo instãti vsus rationis an detur, & licet daretur, quando ab illa plurimi excusarentur? 17.119.377.
Offerentibus Missam si respondeat fructus ex opere operato, an sit ab ipsis applicabilis alijs? 15.6.281.
Offerentes cum concursu aliquo in Sacrificium an cõsequantur huius fructum ex opere operato, nisi quando Sacerdos actu celebrat? 15.21.290.
Offerens mediatus an potest communicare alijs fructum specialissimum? 15.26.293.
Offerentes simul cum Sacerdote, quo pacto possint pro alijs offerre? 17.4.318.
Orare an liceat privatim extra Officiũ Missæ pro Hæreticis, Schismaticis, Iudæis, & Paganis, vtendo eisdem precibus, quibus Ecclesia in feria sexta hebdomadæ sanctæ? 17.59.347.
Oratio illa Ecclesiæ in Missa defunctorum, Domine Iesu Christe Rex gloriæ, quomodò intelligenda. 17.64. 368.
Oratio pro damnatis an olim recitaretur? 17.113.375.
Oratio vniuersalis an æquè efficax, ac particularis. 8.35.171.
Ordo quis obseruandus in applicatione Missę. 15.49.306.
Ouetensis Collegij S. Saluatoris apud Salmanticam elogia. 18.50.401.

P

Panis primitiarum, & propositionis an vera fuerint Sacrificia? 1.4.3.
Panis fractio an præcesserit ad consecrationem factam à Christo? 2.17.40.
Panis, & vinum an per solam oblationẽ separentur ab vsu communi, & profano? 3.7.73.
Panis an aliquando conuersus in carnẽ per verba consecrationis prolata ab homine non Sacerdote? 12.4.213.
Papa an dispensare possit, vt in vna sola specie consecretur? 4.7.112.
An in ijs, quæ sunt de iure diuino? 4. 8.9.10.114. & 4.21.121.
Parasceue Paschæ quid denotat. 2.47. 64.
Pascha à Iudæis, quando celebrari solitum 2.40.44.55. an aliquando ab eis translatum? 2.42.59.
Paschæ nomine quid intelligi possit? 2. 47.63.
Patinarum vsus vnde prouenit. 2.19. 41.
Patina Christi vbi asseruatur. Et ex qua materia fuit. 2.19.42.
Paulus Apostolus num consecrarit in sola specie panis? 4.7.112.
Peccata venialia an remittantur ex opere operato per Sacramenta Baptismatis, Confirmationis, Eucharistię, & Extremæ vnctionis? 10.9.188.
Peccatum quale sit, offerre Missam pro excommunicato vitando. 17.45.338
Peccato mortali iam dimisso an debeatur pœna æterna, si illud concurrat cum alijs nõ dimissis? 17.117.118. 375.
Persona in peccato existens, quãdo pro illa est oblatum Sacrificium, si postea adquirat gratiam sanctificantem, an lucretur etiam remissionem pœnæ temporalis vi Sacrificij anteà oblati? 18.9.385.
Petrus Lombardus Magister Sententiarum dictus Lumen omnium. 18. 39.398.

Pœnæ temporalis remissio in homine iusto siue viuo, siue defuncto an causetur per Sacrificium Missę? 10. 20. 193.
An immediatè causetur per illud? 10. 21. 194.
An infallibiliter? 10. 22. 195. An ex opere operato? 10. 23. 196. An moraliter? 10. 26. 197.
An eius pœnæ remittatur plus, vel minus iuxta maiorem, vel minorem præcisè gratiam sanctificantem illi personæ, pro qua offertur Sacrificiū? 18. 22. 392.
Eius pœnæ remissio per Sacrificium an crescat æqualiter ad mensuram deuotionis actualis, vel gratię habitualis, quam habeat persona, pro qua offertur Sacrificium? 18. 23. 393.
Pœnę temporalis ablatio dupliciter potest esse fructus Sacrificij vt impetratorij. 10. 29. 30. 199.
Pœnarum in damnatis mitigatio an asseri possit sine errore? 17. 14. & sequent. 375.
Pœna illorum, qui sacrificare præsumunt sine Sacerdotio. 12. 2. 212.
Pœnitens accipiens absolutionem à Sacerdote apparente, licet non recipiat Sacramentum, an tamen recipiat gratiam à Deo suppliente defectum? 12. 8. 9. 216.
Potestas interpretandi pręcepta Christi an soli Papæ reseruata? 4. 18. 19. 119
Prælatus an imperare possit subdito applicationem particularē Missæ? 13. 10. 237. & 17. 69. 354.
An applicare possit alicui fructum Missæ à suo subdito celebratæ? 13. 23. 247.

S

Sacerdos sine altari consecrans peccat grauiter 1. 15. 10.
Quis dicitur Sacerdos. 1. 16. 10.
Omnino est necessarius ad Sacrificium. Ibidem.
Vt verè sacrificet, sufficit, quòd sit causa moralis immutationis. 1. 17. 11.
Ex negligentia, aut malitia oblationē omittens an teneatur eam supplere? 3. 2. 69.
Secundam hostiam consecrans an debeat repetere primam oblationem vocaliter? Ibidem. An debeat repetere secundam oblationem? Ibidem.
Si post consecrationem vtriusque speciei Missam finire non valeat, alius ipsi succedens an offerre debeat, vt perficiat Sacrificium? 3. 7. 73.
Per quid principaliter distinguitur à Laico? 3, 31. 81.
Extra Missam sumens Eucharistiam cū intentione sacrificandi an sacrificet? 3. 63. 84.
An possit sumere reliquias hostiæ consecratæ, quando iam deuentum est ad Sacristiam? 3. 36. 84.
Celebrans Officium feriæ sextæ in Parasceue, & illud applicans pro persona, quę erogarat stipendium, an satisfaciat suæ obligationi? 3. 37. 86.
Si moriatur ante consecrationem, non debet Missa perfici ab alio. 3. 53. 98.
Peragens Officium in die Parasceues an sumere debeat hostiam consecratā feria quinta, & non aliam? 3. 56. 99.
An ei liceat diuidere hostiam, quam vt ipse sumeret, consecravit, porrigereque partem alteri ad sumptionem Laicalem, & an aliquando debeat? 3. 57. 101
Post consecrationem panis an omittere potest consecrationē vini ob apertum vitæ discrimen? 4. 20. 120.
Consecrans sub vnica specie an sacrificet? 4. 12. & seqq. 115.
Accipiens ab aliquo stipendiū pro Missa celebranda an pro alio in ea orare, vel eam pro alijs offerre generaliter valeat? 8. 8. 153. & 8, 32. 37. 169.
Intentio eius quomodò conducat, vt vni maior, quàm alteri fructus Missę proueniat? 8. 18. 160.
Num possit accipere duplex stipendium, quorum vnum sit liberaliter oblatum pro eadem Missa? 8. 26. 167.
Sacerdos solus sacrificare potest. 12. 1, & seqq. 212.
Si ex malitia fallat in Baptismo, vel Pœnitentia, an Deus suppleat illius defectum, communicādo gratiam? 12. 7. & seqq. 215.
Omnis Sacerdos ritè ordinatus potest validè offerre consecrando. 12. 14. 219.
Ligatus censura Ecclesiastica, irregularis, degradatus, schismaticus, aut hæreticus potest validè consecrare. 12. 15. 220. Potest etiam vàlidè offerre, & sacrificare. 12. 16. Ibidem.
Peccator potest validè consecrare, & offerre. 12, 17. 221.
Si vnus consecret hostiam, & alius calicem,

cem, ad quem pertineat Sacrificij applicatio? 13. 32. 251.
Sacerdos celebrans in ſtatu peccati an ſatisfaciat obligationi contractæ ratione ſtipendij accepti? 12. 27. 228.
Excommunicatus vitandus Miſſam celebrans an per illam ſatisfaciat obligationi ſtipendij integri, præſertim ſi illud dederit fidelis ignorans ſtatū eius? 12. 28. 229.
Maleficus, & peruerſa intentione celebrans an ſacrificet verè? 12. 30. 230.
Peccat mortaliter, vel venialiter, prout pravus finis in conſecrando fuerit grauis, vel leuis. 12. 31. 231.
An poſsit conſecrare hoſtias ſibi ignotas, ſed tamen à Deo iam deſignatas? 13. 25. 247.
An debeat agnoſcere perſonam, cui applicatur Sacrificij fructus? 13. 26. 248.
Prætermittens ſponte aliquid eſſentiæ Miſſæ an ſatisfaciat obligationi, quā habeat applicandi illam pro aliquo? 13. 30. 250.
Qui ante conſecrationem hoſtiæ adhibuit applicationem pro Petro, poteſt ante conſecrationem calicis adhibere validè novam pro Paulo, cui, & non Petro communicabitur Sacrificij fructus, ſi tamen primam revocauerit applicationem; quòd ſi non revocauerit, neutri fructus conferetur. 13. 31. 250.
Num quando offert pro aliquo, qui re ipſa non indigeat Sacrificij fructu, vel eius ſit incapax, redeat ad ipſummet Sacerdotem talis fructus? 13. 48. 260.
Si habet obligationem celebrandi pro aliquo, vel curandi, vt celebretur, & alter, eo inſcio offerat Sacrum pro eodem ex intentione liberandi eum ab illa obligatione, an ceſſet illa de cætero in eo alio Sacerdote? 13. 41. 256.
Vtrùm debeat proſequi Miſſam, ſi Miniſter ab eo receſſerit, & aliquandiu expectatus non redit? 14. 16. 265.
In carcere incluſus, ſi deſit copia Miniſtri, an ſine eo celebrare poſsit? 14. 16. 269.
Cum vnico Miniſtro celebrans, vel recitans Officium diuinum cur retinet alloquutiones plurales? 14. 11. 266.
Habitans in deſerto an ſine Miniſtro celebrare poſsit? 14. 14. 268.
Surdus num poſsit ſine Miniſtro celebrare? Ibidem.
Num poſsit ſine Miniſtro celebrare caſu quo aut ipſe Sacerdos, aut populus in die feſto non poſſet audire aliam Miſſam, vel caſu quo aut Sacerdos ipſe, aut quiuis alius deceſſurus eſſet ſine viatico. 14. 15. Ibidem.
Vtrùm poſsit celebrare cum Miniſtro, qui reſpondere neſcit, ſcit tamen vrceolos miniſtrare; aut è contra? 14. 24. 273.
An ſibi reſpondere poteſt ad Kirie eleyſon? Ibidem.
Sacerdoti, & alijs offerentibus Sacrificium per concurſum ad ipſum an reſpondeat fructus aliquis ex opere operato? 15. 1. & ſeqq. 278.
Sacerdos obligatus quando non ſatisfacit obligationi offerendi Miſſam? 14. 42. 43, 301.
Si applicet alicui totum fructum generaliſsimum, vel ſi excludat aliquem ab eius participatione, talis applicatio, aut excluſio an ſit valida? 15. 44. 302.
Inchoans Sacrificium in peccato lethali, ſi tamen abſoluat eſſentialia illius in ſtatu gratiæ, an amittat fructum ſatisfactorium ex opere operato? 15. 20. 289.
Celebrans in mortali peccato an poſsit validè applicare alijs fructum ſpecialiſsimum, quem ipſe vt offerens percepturus eſſet, ſi careret obice? 15. 25. 292.
Poteſt offerre pro ſe ipſo. 17. 2. 313.
Poteſt pro alijs. 17. 3. 314.
An ei liceat in Memento ſecretè nomine proprio orare pro excommunicato vitando? 17. 56. 345.
An vt perſona privata poſsit orare in omnibus Miſſę partibus pro fidelibus præciſis ab Eccleſia? 17. 58. 346.
Sub vna conſideratione offeret illicitè, ſed validè, & ſub alia tam illicitè, quàm invalidè fructum Sacrificij pro excommunicato vitando. 17. 60. 67. 347. & 350.
Excommunicatus ſi contritus celebret ex cauſa, vel neceſsitate mortis, aut graviſsimi ſcandali, aut infamiæ vitandę participabit tam integrè fructū Sacrificij, quod pro ſe offerat, quàm ſi non innodatus excommunicatione celebraret. 17. 66. 349.

Si

Si offerat Sacrũm prõ persona, quæ actu non indiget fructu satisfactionis, indigebit tamen posteà, an maneat ille fructus in acceptatione diuina, vt posteà ei conferatur? 18.4.383.
An possit integrum Missæ stipendium à peccatore Missam petente accipere? 18.11.387.
An item possit ab infideli? Ibidem.
An debeat restituere stipendium, quod ab excommunicato non tolerato pro Missa acceperit? 18.12. Ibidem.
Sacramenti, & Sacrificij Eucharistici distinctio. 3.40.89. Vtraque hęc ratio in Eucharistia concurrit. 5.4.130.
Sacramenti ratio reperta in Eucharistia quatenus sit imperfectior ratione Sacrificij, & quatenus sit perfectior. 5.5.130. Et quatenus sit simpliciter perfectior ratio Sacrificij. 5.6. Ibidem.
Sacramenta cur nequeant fædari à Ministris? 11.9.208.
Sacramentalia an habeant vim ex opere operato immediatè remissivam venialium? 10.10.189.
Sacrificium soli Deo offerendum. 1.1.1.& 18.1.& seqq. 308.
In quo distinguatur ab oblatione, dono, & munere. 1.4.4.
Requirit mutationem, quæ non sit rei productio. 1.7.6.
Eucharisticum, vt sit verum, an sufficiat, quòd commemoret Sacrificiũ cruentum crucis? 1.12.& 13.8.
Sacrificium an requirat, vt res oblata sit permanens? 1.2.1.
Ipsius actio an debeat esse externa, & sensibilis? 1.14.10.
Cum certis cæremonijs peragendum. 1.15. Ibidem.
Eius Minister qualis esse debeat? 1.16. Ibidem.
Potest esse Sacrificium actus charitatis, & aliarum virtutum. 1.18.12.
Qua ratione est actus religionis. Ibidem.
Cur vocetur adoratio in Oraculis sacris? Ibidem.
Oblatum Deo falso an habeat essentiam Sacrificij? 1.19.& seqq. 12.
Venditio Sacrificij litandi Numini adulterino an Simoniaca? 1.21.13.
Sacrificium verum veritate transcendentali quid? 1.20.& 22.14. Quid veritate formali? Ibidem.
Iam abrogatum, si offeratur vero Deo, an Sacrificium verum? 1.25.15.
Omnia præter Eucharisticum an prohibita? Ibidem.
Institutio diuina, & acceptatio, vsusq; licitus an sint de eius essentia? Ibidẽ.
Institutio non est ex naturæ iure obligãte. 1.37.20.
Spectat ad signi sacri genus, 1.41.22.
Quid significet. Ibidem.
Significat submissionem hominis erga Deum. 1.14. Ibidem.
Sacrificetne verè, qui ob timorem? 1.42.23.
Sacrificium exprimit Deum vt authorem vitę, atque mortis. 1.47.26.
An sit signum ad placitum? 1.48.27.
Eius materia, seu res oblata quatenus debeat esse offerentis propria. 1.50.29.
Eius definitio Metaphysica. 1.51.29.
Definitio Physica. Ibidem. Eius divisio. 1.51.30.
Qua ratione Deum respicit? 1.43.24.
Sacrificia omnia an sint eiusdem speciei quoad formale? 1.52.30.
Sacrificij discrimen à Sacramentis. Ibidem.
An diuersæ speciei dici absolutè possint propter diuersitatem quoad materiale? Ibidem.
Prisca an habeant conuenientiam cum Sacrificio novæ legis? Ibidem. Quos habuerint effectus. 1.33.31.
Sacrificium idem potest esse verum, & reale, & simul repræsentativum. 2.8.36.
Sacrificij an debeat esse particeps, qui sacrificat? 2.22.44.
An illud debeat imitari Sacramentum? 3.8.74.
Sacrificium Missæ an fieri potuisset in triduo mortis Christi? 3.38.86.
An sit holocausti? 3.63.104.
Eius essentia consistit in consecratione vtriusque speciei, & non vnius tantùm. 4.22.122.
Illius definitio. 4.29.126.
Sacrificij cruenti fructus quomodò nobis applicatur per incruentum Missę? 5.3.129.
Sacrificij Missæ nonnulla attributa. 6.4.134.& 10.13.190.
Sacrificij cruenti, & incruenti differentiæ. 7.4.18.145.
Sacrificium Missæ applicatum specialiter Petro, si tantundem prodesset Paulo,

Paulo, quænam inde sequerentur absurda? 8. 12. 15. 157.
Applicatum ex intentione speciali pro Petro, & Paulo an prosit Petro quoad satisfactionem tantundem, quantùm si pro Paulo etiam non applicaretur? 8. 1. & seqq. 148.
An non minus prosit quoad satisfactionem ex opere operato pluribus offerentibus, quàm si pauciores forent? 8. 14. 165
An non minus prosit ex opere operato quoad satisfactionem pluribus, pro quibus offertur ex institutione Ecclesiæ, quàm paucioribus? 8. 28. 168.
Pro pluribus oblatum an prosit impetratoriè non minus, quàm si pro vno solo offerretur? 8. 33. 120.
Non confert per se, nec immediatè ex opere operato primam gratiam sanctificantem homini attrito. 10. 1. 184.
Non confert per accidens. 10. 3. 186.
Non causat per se immediatè ex opere operato augmentum gratiæ homini iusto. 10. 4. Ibidem.
Non causat per se immediatè ex opere operato remissionem culpę venialis. 10. 5. 186.
Impetrat à Deo speciale auxilium ad contritionem. 10. 13. 190. & 191. & 192.
Antiqua an profuerint infallibiliter ad remissionem pœnæ temporalis, & an ex opere operato? 10. 22. 195.
Sacrificium Missæ quorum bonorum sit impetratorium. 10. 27. 28. 198.
An offerri possit, & an olim fuerit oblatum ad mala alteri impetranda? 10. 28. 198. & 199.
Fructus ipsius vt impetratorij an sit infallibilis? 10. 31. 200. An sit ex opere operato? 10. 22. 201.
Fructus proveniens ratione Ecclesiæ an sit impetrationis, & an ex opere operato? 10. 33. 202.
Sacrificium Missæ oblatum à Sacerdote quocumque crimine, siue censura innodato an quoad omnia erit æquè fructuosum, ac si offerretur ab alio quocumque Sacerdote iusto? 12. 18. 920. & 11. 22. 23. 223.
Oblatum à Sacerdote concubinario, vel fornicatore notorio an sit validum quoad fructum prouenientem ex parte Ecclesiæ? 12. 26. 228.
An prosit alicui ex opere operato, si Sacerdos nec pro alio, nec prosè illud speciali intentione, & applicatione offerat? 13. 42. 257.
Offertur Deo vni, & trino, eique soli. 16. 1. 308.
Directè, & per se offerri potest pro infidelibus non baptizatis, vt illis quoad impetrationem conuersionis, bonorumque temporalium ad hanc conducentium prosit, quatenus oblatum à Sacerdote vt gerente personã Christi, & Ecclesiæ. 17. 33. 330.
Sacrificia veteris Testamenti offerebãtur aliquando pro infidelibus. 17. 35. 331.
Sacrificium Missæ offerri potest licitè, imò & debet ex generali saltem intẽtione pro animabus in Purgatorio existentibus, potestque illis prodesse quoad satisfactionem, 17. 72. 355.
Oblatum pro animabus Purgatorij an ex certa, & infallibile lege, vel tantùm ex misericordia Dei acceptetur ad remissionem pœnę temporalis? 17. 73. 355.
Nec licitè, nec validè offerri potest pro animabus infantium, qui obierunt sine Baptismo. 17. 82. 360.
Item nec pro animabꝰ parvulorum, qui iam Baptismo suscepto abierunt è viuis. 17. 83. Ibidem.
Applicatum specialiter pro vna Purgatorij anima an prosit æquè omnibus alijs vt satisfactorium? 17. 78. 358.
Oblatum pro multis Purgatorij animabus in communi, an valeat tantundẽ ad satisfactionem singulis, ac si pro vnaquaque offerretur in particulari? 17. 79. 359.
Sacrificium Missæ pro se quasi mortuo, cum tamen esset vivus, an celebraverit, vel celebrari fecerit B. Albertus Magnus? Quid de Carolo V. Imperatore? 17. 127. 380.
Vide Verb. Missa, & V. Sacerdos.
Satisfactio an sit de iure diuino, & an semper imponenda in Sacramento Pœnitentiæ? 3. 54. 98.
Propria applicata alteri an prosit ipsi? 10. 22. 196.
Separatio, quam facit consecratio, quatenus sufficiat ad Sacrificium. 3. 48. 95.
Stipendium multiplex pro eadem Missa recusatum iam olim est à Sanctissima, & Sapientissima Religione Prę-

dicatorum. 8.6.152.
Societatis Iesu Sacerdotes quomodò gerere se debeant in celebrandis Missis pro defunctis, antequam horum notitiam accipiant, 13.24.247.
Eius regula circa intortitium in Missa. 14.27.275. altera circa Ministrum interuientem Missæ. Ibidem n. 28.
Iubet fieri ab vnoquoque Sacerdote singulis mensibus vnum Sacrum pro Indijs, & Gentilium conuersione, 17. 35.332. & 17.54.344. Item pro Septentrionalibus regionibus, & hæreticorũ reductione. Explicatur posterior hæc regula in n. illo 54.
Sacerdos Societatis cui debet applicare fructum ex opere operato Missarum, quas ex regula tenetur singulis annis, & mensibus pro Societate ipsa offerre. Ibidem.
Societatis Constitutiones promulgatæ in Hispania primùm in Collegio Methymnensi, 18 53.404.
In eis emissio votorum Religiosorum vocatur holocaustum. 1.5.5.
In Societatẽ ingressi sex alumni Collegij Ouetensis Maioris apud Salmãticã. Ibidem n. 54. Quantum ei faverit Bartholomæus Turrianus Episcopus Canariensis, & Cardinalis Cervantes Socij eiusdem Collegij. Ibidem.
Species Sacramentales panis, & vini sunt res in Sacrificio Missæ oblatæ secundariò, 9.2.175..
Qua ratione dicãtur immutari, & etiam destrui in illo, 9.6.179.
Substantia panis, & vini qua ratione est res oblata in Sacrificio Missæ, 9.3. 176.
Succus expressus ex vvis passis deservit in aliquibus locis ad Sacrificium Missæ, 4.21.121.
Suffragia priuata satisfactionis an àpplicari possunt pro Catechumenis? 17. 14.319.
Communia Ecclesiæ an possint pro eisdem applicari? Ibidem.
Sumptio facta à Sacerdote in Missa an sit de eius essentia? 3.9.74.& 3.33.80. Cur à Sacerdote Missam celebrante fieri debeat? 3.17.77.& 3.52.97.
Sumptio Sacerdotalis in die Paraseues an compleat Sacrificium præcedenti die celebratum? 3.36.84.
Ea integrat essentiam Missæ, 3.50.96.
In Missa quo ex iure sit debita? 3.51.97
Ea, ad quam obligatur Sacerdos, qui celebrat consecrando, an debeat esse hostię tunc consecratæ ab ipso? 3.56. 99.& 4.5.109.

T

Theologus an aliquãdo recedere possit à quocumque Ecclesiæ Patre? 2.31. 49.& 38.54.
Theologum esse exercitatum in lectione Magistri Sententiarum expedit, 18.30.398. quod numeratur 498.
Trinitati diuinarum personarum offertur Sacrificium Missę, 16.1.& seqq. 308.
Turrianus, nomine Franciscus, Societ. Iesu, vbinam, & à quo instructus in litteris sacris? 18.53.404.
Turrianus, nomine Bartholomæus, vide in B.

V

Valor Missæ non est infinitus, quatenus actu causet fructum, aut effectum infinitum categorematicè siue intensiuè, siue extensiuè, 7.9.142. Neque quatenus causare possit fructum, aut effectum infinitum syncategorematicè intensiuè, 7.10.143. Neque extensiuè, 7.11.143. Neque quatenus impetrare possit citrà rationem operis operati effectum infinitum syncategorematicè intensiuè, vel extensiuè, 7.12.144.
Limitatio eius vnde proueniat, 7.6. 14.& seqq. 145.
Qui est essentialis Missæ, non est infinitus quoad sufficientiam, 7.16.146. & 8.21.162.
Proueniens ex Ecclesia offerente potest esse nunc maior, nunc minor, 14.3. 262.
Vita humana an offerri possit in Sacrificium? 21.44.45.26.
Voces, vt sint significatiuæ, qualem requirant institutionem, 1.35.36.26.
Voluntas interpretatiua an sufficiat ad operantis opus meritorium? 15.31. 296.

Z

Zelotypiæ Sacrificium quid. 3.63. 104.

FINIS.

9
151

8.316